ORBIS ANTIQVVS

EX

TABVLA ITINERARIA

QVAE

THEODOSII IMP

ET

PEVTINGERI

AVDIT

AD

SYSTEMA GEOGRAPHIAE REDACTVS

ET

COMMENTARIO ILLVSTRATVS

OPERA

P. MATH. PETRI KATANCSICH O. M. S. P. F. PROV. CAPISTR.

AA. LL. ET PHILOS. DOCT. IN REG. VNIVERS. HVNG. ANTIQVIT. AC NVMISM. PROF.

ET BIBLIOTH. CVST. EMERIT.

CVM GEMINO INDICE GEOGR. AD CALCEM

PARS I

CONTINENS EVROPAM

BVDAE

SVMTIBVS TYPOGRAPHIAE REGIAE VNIVERSITATIS HVNGARICAE MDCCCXXIV.

HOC opus egregium, quo mundi ſumma tenetur,
Aequora, quo montes, fluuii, portus, freta, et vrbes
Signantur, cunctis vt ſit cognoſcere promtum,
Quidquid vbique latet. — Theodoſius iuſſit confici.

Miſſi eiusd. prooem. p. 2.

VIRO ERVDITISSIMO

REVERENDISSIMO DOMINO

IOSEPHO KOLLER

CATHEDRALIS ECCLESIAE QVINQVEECCLESIENSIS PRAEPOSITO MAIORI
SS. THEOLOGIAE DOCTORI

CVIVS BENEVOLENTIA SINGVLARI
HOSPITIO EXCEPTVS
E BIBLIOTHECA EPISCOPALI
COMPLVRA MONVMENTA DESVMSI
IN QVEIS TABVLAM
EX EDITIONE SCHEIBII
TOTAM
QVALEM AD ARCHETYPI MODVM
REDACTAM
PESTINI A. MDCCCVI
CVM ME INVISERET
EXHIBVI
ET NVNC COMMENTARIO ILLVSTRATAM
PERENNIS MEMORIAE GRATIA
REDDO

VIRO CELEBERRIMO

REVERENDISSIMO DOMINO

GEORGIO ALOYSIO SZERDAHELY

INS. ORD. S. STEPHANI R. A. EQVITI

S. MAVRITII DE BOTH ABBATI

CATHEDRALIS ECCLESIAE VACIENSIS CANONICO

ARCHI-DIACONO CATHEDRALI ET POENITENTIARIO

S. C. ET R. A. M. CONSILIARIO

AD EXCELS. CONSIL. R. L. HVNG. IN COMMISS. STVD. REF. ADSESSORI

ART. LIB. ET PHILOS. DOCTORI

SVO IN AESTHETICA OLIM
MODERATORI
CVI CVM SPIRITV PINDARI
CONCINERET ONOMASTICON
MERVIT EPIPHONEMA
EVM AD AESTHETICA NATVM ET FACTVM
TVLITQVE SENTENTIAM IN CONSESSV
DE HOC IPSO OPERE
HACTENVS A NEMINE TENTATVM
QVOD EI CVLTVS AETERNI GRATIA
VT PRIMITIAS *ΚΑΘΟΛΙΚΗΣ ΓΕΩΓΡΑΦΙΑΣ*
CONSECRATVM VOLEBAMVS
NVNC MANIBVS REQVIEM
PRECATI

AD

INCLYTVM REGIAE SCIENTIARVM VNIVERSITATIS HVNG. MAGISTRATVM

IVDICIVM

STEPHANI SCHÖNVISNER

REGIAE VNIVERSITATIS BIBLIOTHECAE PRAEFECTI ETC.

Communicatum mihi ex Conſeſſu Academico dd. 18. Octobr. a. c. N. 312. quod nunc remitto, MSptum Katancianum (titulo: *Orbis antiquus ex Tabula itineraria Commentario illuſtratus*) legi attente ac diligenter: cumque meam de illo opinionem manifeſtare iubear, inhaeſitanter dico, dignum eſſe, vt ab Inclyto Magiſtratu Academico impenſe pro Typo commendetur. Ea enim diligentia, tantoque eruditionis apparatu concinnatum eſt, vt iam Tabula Peutingeriana, vnum e praecipuis, quae ad nos peruenere, priſci aeui monumentis geographicis, pari deinceps paſſu cum Antonini Itinerario, curis Weſſelingii edito, ac illuſtrato, ambulare

posse videatur. Profecto, quisquis antiquae Geographiae studium in pretio habet, Commentario hoc in lucem edito, gratulabitur, inuentum esse demum aliquem, qui, hanc Tabulam a capite ad calcem percurrendo, difficultates omnes, quae in ea quamplurimae occurrunt, superare, ac tenebras, quibus eadem circumfunditur, immissis, vndecumque licuit, lucis vel tenuissimae radiis, dissipare, labore plus quam decumano adnisus fuerit. — Pestini 12. Nouembr. 1803.

LECTORI PHILOLOGO S.

QVAE inſtituti rationem propius ſpectare videbantur, in prooemio, quantum res poſcebat, exſecuti ſumus; heic, hiſtoriae literariae et Philologiae gratia, quaedam iis adiungere libet. Quartam voluitur luſtrum, ex quo commentarius, ſecunda deſcriptus opera, luci deſtinatus erat; Senatus academicus, cui ſcriptum eſt commiſſum, cum Schoenuiſneri opinione miſit Regio Locumtenentiali Conſilio; ab hoc Typographiae traditum, vt ederetur, dato ſcriptori, pro nauata opera, ad ſtimulum porro enitendi, remuneratione digna. Sed, vt res humanae vicibus ſunt obnoxiae, haeſit opus in vmbra ad anni vſque ſuperioris finem; quo protractum e tenebris, miſſumque auctori, vt praeuiam typi errorum curam haberet; quem is laborem eo libentius ſubiit, quod, accedente ſolertia typothetae, diligentique reuiſione, opus quam correctiſſime editum iri ſperaret. Itaque, dato bonis auibus initio, fauente COELO, octo menſium ſpatio, pars prima, Europam continens, ad finem deducta eſt, centum philyris, chartae bonae, typi recentis, adnexo rerum elencho, indicibus alteri parti ſeruatis.

Animus quidem erat, ſcripturae modum, qualis in Tabula conſpicitur, vbi ex ea quid promitur, ſeruandi; quod nos quidem in vtroque apographo ſecuti ſumus, ſed in typo ſeruari nequiuit, ob diuerſitatem caracteris; minor tamen, quo Slaui vtuntur hodie, quem gothicum vocant, proxime cum veteri conſpirat; quem idcirco retinere placuit; quaedam e maiori quoque, quem monaſticum adpellant, literis recens fuſis, ad phraſin veterem ſunt expreſſa.

Verum, incommodo huic, ſiquod videbatur eſſe, remedium eſt adlatum; cum enim Praefecti Tabulam, e Scheibii editione a nobis deſumtam, et, ad archetypi Vindobonenſis formam, pictam

et extensam [illegible] essent : vtile nauauas rati, si Tabulam, nouis editam curis, cum commentario vulgarent. Quod saluberrimum quidem consilium [illegible] erhae reipublicae literariae maximo cedet emolumento; nam [illegible] literaturam veterem, omni parte Tabulae, inde discere, et innumeros Philologiae fructus percipere licet. Atque hoc erit [illegible] principium, quod ante hos [illegible] ad amicum hariolabar, destinasse coelum Bonas [illegible] a Borea migrare in Austrum. [illegible] quiddam oracula Vatum.

[illegible] libri ad [illegible] Geographiam [illegible], cuius [illegible] opus de situ esse volebamus: itaque et pleniore significatu ad gustum [illegible] contexuimus, secundum prouincias, principio ab occasu ducto; et aliam ei similem e monumentis [illegible] opus [illegible], nemini tentatum, vt pleraque nostra. [illegible] donati otium nacti sumus, incessit cupido noscendi [illegible] si. Quo in genere cum se complura oculis offerrent, in primis quae academici Goettingae prodiderunt; prae ceteris tamen Tabulam, a plerisque eruditorum neglectam, deligere placuit. Quam vbi, supra exspectationem, sesqui anni curriculo absolutam, iterum describeremus, adscendendo per quosdam eius argumenti gradus, et praecipuos veterum geographos, aut excerptam ex eorum scriptis geographiam pertractare libuit. Quo pacto, Geographiam Ptolemaei, Plinii, Strabonis, Herodoti, Homeri, Mosis, commentario illustratam, obtinuimus.

Tabellis geographiam illustrari, probe nouimus, longa experientia docti, quod nobis nunc exsequi non licebat. Si quis eruditorum ad commentarios chartas parare volet, hae geminae esse poterunt: aliae e systemate Ptolemaei; aliae e recentiorum, vt Danuillei; [illegible] et his, et quicumque antiquariam geographiam pro cultura delegerint, commentarium cum Tabula in primis profuturum. Vale, amice lector, nostrisque conatibus felix fruere, et faue. [illegible] pridie Calendas Sextiles MDCCCXXIV.

Q. D. B. V

ORBIS ANTIQVI
EX TABVLA
ITINERARIA

PROOEMIVM

I. ANTE hos vicenos quaternos admodum annos, cum Aesthetices studiis Budae apud scientiarum Vniversitatem operam darem, et ex libris, quos beneuolentia amicorum nancisci poteram, Iordano in primis, geographica Pannoniae, quibus mirum in modum adficiebar, colligerem, Tabulaeque Peutingerii, alias Theodosianae dictae, mentionem crebram fieri viderem, cupiditate videndi insignis monumenti accensus, anno 1779 mense Augusto, cursu Aesthetices terminato, cum Vindobonam, vrbis visendae gratia, adpulissem, inuisenti Bibliothecam Palatinam, Tabulamque petenti, exemplar eius, editionis Scheybianae, e penu libraria principis Eugenii, cum illuminatione, vti dicimus, est oblatum, ex quo Pannoniam vtramque desumsi, continuatam deinde in Bibliotheca Theresiana. Postmodum, Rhetoricis scholis docendis, nutu superiorum, adplicitus, cum feriis auctumnalibus Quinqueecclesias itarem, benignitate praefectorum Bibliothecae Episcopalis, qui me peramice complectebantur, complura veterum monumenta exscripsi, inter quae Tabulam quoque, ex editione Scheybii, in schedas transtuli vniversam, succisiuis deinde ab scholae labore horis, ad purum, vt aiunt, chartae regalis, ad normam archetypi, traduxi, anno 1788 nouem foliis absolutis, duobus postremis, quae primum occupant locum, (ab vltimo enim coepimus) Zagrabiae anno 1793 adiunctis; vniuersim foliis vndecim, quae ad modum originalis compacta in volumen redegi. Quod equidem non idcirco dumtaxat feci; quod magnam eius vtilitatem in geographia prouinciarum, Istro vicinarum, quam ducto ab Vindelicis Rhaetisque principio, ad annum 1788 ad Da-

cos perduxeram, deinde Thracas vſque continuaueram, expertus eſſem; verum etiam, vt inſigni vetuſtatis monumento, quod hoc in genere naufragium reliquorum vnum euaſit, oculos animumque oblectarem, et, quibus archetypon luſtrandi copia deeſſet, quiue tales reliquias in pretio haberent, conſpiciendum praeberem. Credebam enim, vnum quemuis eruditorum, qui bonas artes aeſtimare norit, quiue antiquitatum notitia delectetur, talia non illibentem videre, eiusque prorſus indolis eſſe, cuius ſum ipſe. Quam ob rem, non vrbes modo, fluuiosque, montes, viasque, et maria, quaeue ad geographiam cetera ſpectant, ſedulo, manum veterem imitatus, deſcripſi, ſed coloribus praeterea, ad archetypi normam, diſtinxi omnia, vt me ipſum prototypon ſingerem prae oculis habere.

II. *Et* principio quidem hic vnus erat ſuſcepti laboris finis; vt, cum inter commentandum, non vulgarem monumenti vtilitatem, immo in geographicis neceſſitatem, experirer, et neminem, qui id negotii ſibi ſumſiſſet, vt eximias antiquitatis reliquias commentario illuſtraret, e gremio eruditorum viderem, aliud conſilium cepi. Nam Altingii conatus, in hoc opus impenſi, quam ſint tenues, ex Weſſelingii in Itinerarium Antonini obſeruationibus non aegre perſpexeris; vt cuius et meminit raro; et ea quoque, quae adfert, opinionibus plerumque nituntur, quibus tuto carere queas. Maius operae pretium Weſſelingius fecit, cuius vigiliis et induſtria me, cum hoc in commentario, tum aliis quoque, plurimum eſſe vſum, libens profiteor; qui copioſa ſupellectili libraria inſtructus, accedente eximia eruditione, et laboris moleſtiſſimi patientia, id lumen Itinerario plurimis locis, iniuria temporum, laboranti adtulit, vt reuixiſſe, et prope nitori natiuo reſtitutum eſſe videatur. Eius diligentia multis locis Tabula eſt expolita, vnde et Itinerarium non minimum lucis foeneretur, et vice verſa ipſi conciliet; ſed, ſi omne id monumentum ſpectes, ſunt perquam exigua, et plerumque ob iter prolata, quae ad Tabulae quidem illuſtrationem facere videantur. In vniuerſum opus commentari nemo hactenus voluit, quamquam id facere plures meditabantur; ſeu quod eius vtilitas minus perſpecta foret, ſeu quod non pauca aenigmati ſimilia, in viarum praecipue ductu, nominum varietate, locorum interuallis, quae cum aliis conciliari non poſſe viderentur, in conſpectum venirent. Sunt geographi, qui Tabulam pro argumenti ratione exſcribunt; qualis Cluuerius in Germania, Italia, Sicilia; qui tamen, cum numeros, cetera ſanos, pro lubito refingit, non minimum obſcuritatis Tabulae infert; qualis Bertius in Germania, Cellarius in geographia orbis antiqui, et complures alii;

ſed, vt Cellarius raro in teſtem vocat noſtram, ſic alii nomina deſcripſiſſe ſatis habuerunt; nonnunquam vocabula, quae vſu militari proferuntur, erroris poſtulantes; reliquis, quae ſitum, quae montes, fluminum ortus, et id genus alia concernunt, praetermiſſis.

III. Quare, cum inſigni monumento ſatis delectari non poſſem, videremque, post Danuillei conatus, qui tabularum reſpectu ſunt omnino praecellentes, paene neglectum, inceſſit cupido animum, opus vniuerſum iuſto commentario perſequendi. Abſterrebat quidem a deſtinatione concepta rei librariae mediocritas; ſed praecipua ſubſidia, quibus aetas et ratio Tabulae illuſtrari queat, non defuere; quale est Itinerarium Antonini, cum obſeruationibus Weſſelingii, quod ego voce graeca Hodoeporicon vocare ſoleo; quale eſt Burdigalenſe ſeu Hieroſolymitanum, cum Synecdemo Hieroclis, in eadem Weſſelingii editione. Et Hodoeporicon quidem, in viarum ductu intima cognatione Tabulae iunctum, perpetuum huius comitem eſſe volui; cetera, vbi ſimul progredi, eademque loca petere videbantur, in conſortium adhibui. De reliquis ſubſidiis, quae mihi, commentationem hanc molienti, praeſto fuerunt, inferius agam. His igitur momentis ductus, hisque praeſidiis fultus, opus, quod me non facile ſubiturum ante credideram, impigre ſum adgreſſus, et, fauentibus ſuperis, ſeſqui anni curriculo feliciter abſolui; in quo quid operae pretium praeſtiterim, iis, qui talia aeſtimare norint, cenſendum relinquo. Nunc Tabulae imaginem, et vniverſam eius oeconomiam, in paragraphos diſtinctam, lectoribus ante oculos ſtatuere, et obſeruationibus, prooemii inſtar, proſequi libet; vt ne iuſti voluminis operi caput deeſſe videretur: quamquam in decurſu operis pleraque horum, vbi adiuncta poſcebant, in medium ſunt prolata.

§ I

Tabulae imago externa.

I. ANONYMVS, qui operum Velſeri editionem Norimbergae annó 1682 curarat, haec memoriae prodit: „Autographum membranaceum eſt, pelliculis adcurate conglutinatis, latum pedem Auguſtanum vnum circiter, longum vltra viginti duos.“ (a) Velſerus, cum, Ortelio ſuadente, in ſchedas Tabulae,

(a) Pag. 774.

quas ab Conradi Peutingeri obitu reppererat, commentari vellet, Tabulam obtinere nequiuit, quae XX fere annos delituerat, paullo ante obitum Ortelii reperta, a Velſero, vti is pollicitus eſt, deſumta, et Ortelio miſſa, qui fatis proximus Ioanni Moreto, Antverpienſi typographo, opus vti ederet, commendauit. Libet eius literas, ad Velſerum anno 1598 datas, proferre. Nobiliſſimo viro Marco Velſero, R. P. Auguſtanae ſeptemviro, Ioannes Moretus typographus Antuerp. S. P. D. Hanc Tabulam, vir nobiliſſime, non mittimus ad te, ſed remittimus, aquam ſcilicet e tuo fonte. Tu eam ad Ortelium noſtrum (heu nuper cum dolore literatorum defunctum) deſcriptam miſeras, tua cura inter Peutingeri ſchedas repertam et erutam; ideoque iure ad te redit. Ipſe Ortelius haud procul a fato, ita mihi mandauerat; et mea ſane voluntas, et tui cultus eo ducebant. Accipies igitur priuatam olim tuam, nunc publicam per te omnium Tabulam; et ſi gratum carumque defunctum habuiſti, quaeſo, vt etiam hoc poſtremum ab eo munus *habeas*. Antuerpiae e typographeo noſtro kal. Decemb. CIↃ. IↃ. XCVIII.“

Si Velſerus, cum in ſchedas commentari vellet, Tabulam ipſam nanciſci potuiſſet, forſan in opus vniuerſum obſeruationes daturus erat. Tabula deinde, poſt varios errores, ad Eugenii Bibliothecam, et poſt obitum eius cum hac ad Caeſaream Vindobonenſem anno 1738 tranſiit. Conſtabat olim ſegmentis tredecim, ex quibus primum a corpore auulſum periit. Auulſae membranae veſtigia ſunt manifeſta, principio Tabulae, vnciam lata, queis alteri, quae deſideratur, adhaeſerat ſegmentum alterum, hodie primum; quod doctiſſimum Scheybium non obſeruaſſe, mirum videri queat, cum integrum eſſe opus crederet. Si ratio eorum, quae ſuperant, habeatur, primum quoque ſegmentum pedem cum vnciis decem longum patuerit. Hodie ſegmentum primum, praeter marginem, quo alteri adhaerebat, eſt longum pedem, ſeptem digitos, cum ſemiſſe; alterum pedem, vncias decem; tertium tantumdem; quartum pedem, vncias nouem cum ſemiſſe; tria ſequentia pedem, vncias decem; octauum pedem, vncias nouem cum ſemiſſe; terna ſequentia pedem, vncias decem; poſtremum pedem, vncias octo. Vniverſa igitur Tabula, orbem antiquis notum complexa, qualis hodie ſuperat, longum procurrit pedes XXI et ſex vncias, menſurae Viennenſis, latum, praeter extimos margines, pedem, et quartam vnciae. Si membranam auulsam addas, pedem, vncias decem longam, omnis Tabula, veteri manu facta, longum patebat XXIII pedes, quatuor vncias, menſurae

dictae; Romanae vero, quae ad Viennensem est in ratione 7:9. forent pedes XXX, vnciae tres, cum parte quadam vnius.

II. Velserus compendium secutus, Tabulam contraxit, latam septem vncias, segmentum primum longum pedem medium, reliqua vnum, faciens; omnem Tabulam pedes vndecim longam cum semisse. Inscriptio eius: Tabula Itineraria, ex illustri Peutingerorum Bibliotheca, quae Augustae Vindelicorum, beneficio Marci Velseri septemviri Augustani in lucem edita." Plures eruditi fuere postea, qui Tabulam hoc pacto vulgatam repressere, vt mox visuri sumus. Franciscus Christophorus Scheyb, cum videret, in Velseri editione, seu festinata auctoris opera, seu scribae aut chalcographorum culpa, non pauca mendose prodita esse, ad haec vniuersum opus caractere vulgari Latino expressum, et ob spatii angustias viarum ductus saepe confusos, oppidorum, montium, fluminum imaginem variatam, operae pretium fore censebat, si, bono reipublicae literariae consulturus, Tabulam, vti est a vetustate seruata, proderet, eadem magnitudine, natiua specie, caractere proprio, per Salomonem Kleiner delineari, et aeri incidi fecit anno 1753. cuius nomen fine Tabulae signatur, principio autem, margine imo, quo membrana est lacera, scriptum: PEVTINGERIANA TABVLA ITINERARIA ex Augusta Bibliotheca Vindobonensi cura Francisci Christ. von Scheyb 1753." Diuiditur in segmenta XII. instar Atlantis, pro vsu commodiore, separata, literis superne A B C, inferne D E F distincta; quarum illae Europam, deinde Asiam, hae Africam persequuntur; quamquam non pari vbique passu. His literis adcommodatus est Index locupletissimus, in quo tamen non pauca desiderari, aliqua perperam scribi videas. Ne autem nudae prodirent tabulae, commentarium iis perquam eruditum praemisit, his capitibus:

Cap. I. Veterum Tabulae geographicae et itinerariae ex omni hominum memoria in eruditorum notitiam reuocantur.

Cap. II. Tabulam Peutingerianam Theodosii Magni cura, et mandato A. C. CCCXCIII adnotatam depictamque esse statuitur.

Cap. III. Fortunae varietas, qua volumen authenticum Itinerarii Theodosiani, siue Tabula Peutingeriana ab Anno Aer. Vulg. CCCXCIII ad Annum MDCCLIII iactata est, pedetentim inuestigatur.

Cap. IV. Praestantia excellentiaque huius editionis ostenditur. Errores pristinarum editionum indicantur. Laudes Tabulae Peutingerianae, et appellationes, quibus authenticum illius exemplar ab Eruditis insignitur, enumerantur.

Cap. V. Conſtitutio et vſus Tabulae Peutingerianae explanatur.

Cap. VI. Itinerarium Theodoſianum et Antoninianum, vt eruditis vocari ſolet, comparantur."

III. Quae ex his ad noſtram rem facere videbantur, ſuis dabimus locis; Capitis tertii ſummam heic depromere libet. Ante annum 1490 Spirae in Bibliotheca ſeruatam, a Malleolo viſam; ab Conrado Celte, iuſſu Maximiliani Imp. monumenta perquirente, Tabulam inde ablatam, et circiter annum 1507 apud Conradum Peutingerum, amicum ſuum, relictam; ab huius anno 1547 obitu quadraginta annis delituiſſe; a Velſero, Peutingerianae domui adfinitate iuncto, indice B. Rhenano, perquiſitam, ſchedis anno 1587 repertis, et Veneтiis apud *Aldum* Paulli Manutii filium anno 1591 cum obſeruatione vulgatis; ſeptem poſt annos repertum authenticon, deſumtum, et Ortelio miſſum, a Moreto cum Velſeri praefatione anno 1598 vulgatum; a Bertio anno 1618 in Theatro Geographiae Lugduni repreſſum; deinde cum operibus Velſeri, cura Arnoldi, anno 1682 iteratum; ab Georgio Hornio, in Geographia veteri, anno 1686 repetitum; ac demum a Nicolao Bergierio, in opere de Viis Romanis, ann. 1728 et 1736 in publicam lucem prolatum. Authenticon porro delituiſſe ad annum 1714. Paullum Kutzium bibliopolam a Deſiderio Ignatio Peutingero parabili pretio redemiſſe; anno 1720 Eugenium principem ab heredibus Kutzii, numeratis centum aureis, obtinuiſſe; denique anno 1738 cum omni ſupellectili defuncti Principis libraria in Bibliothecam Auguſtam conceſſiſſe, vbi hodie vſque manet. Haec e Scheybio, hiſtoriae literariae gratia, referre placuit.

IV. Quod oeconomiam vero Tabulae concernit, ſic habeto: Vniuerſum orbem ambit oceanus, cuius pars ab occaſu fretum Gallicum, ſinus Aquitanicus, rite exprimuntur; ſeorſim Adriaticum, Pontus Euxinus, Arabicus, Perſicusque ſinus, mare item Caſpium, comparent; mediterraneum, Africam ab Europa dirimens, longum Syriam vſque tenditur, vnciam plerumque latum, tribus vnciis Africae, vna margini imo, qui oceanum auſtralem exhibeat, quocum iuga montium ad ſinum vsque Arabicum tenduntur, tributis; reliquum ſuperne Europa, tum Aſia, cum oceano boreali, occupantibus. Aquae colore vireſcente, montes ſubfuſco, tecta domuncularum rubeo, frons luteo, nomina prouinciarum et populorum miniaceo, fontes et oſtia amnium rutilo, non tamen vbique, pinguntur. Metropoles orbis, Roma, Conſtantinopolis, Antiochia, ſingularem praeferunt ſpeciem, non ſine arte et elegantia expreſſam; praetoria et aquae aedibus

quadris, tres quartas vnciae quouis latere plerumque patentibus; coloniae, municipia, vrbes liberae, binis domunculis, fronte expressa; nobiliores ciuitates muris et turribus munitae, qualis Aquileia Carnorum, Rauenna Cispadanae, Ancyra Galatiae, Nicomedia et Nicaea Bithyniae, Matrix Pannoniae, Thessalonica Macedoniae, praeter alias; nonnunquam vrbes populorum principes vna domuncula, fani instar, exhibentur, vt Durocortorum Remorum, Auenticum Heluetiorum, Augusta Rauracorum, Iuuauum Noricorum, aliae; templa numinum domuncula vna integra, semiunciam longa, notantur; portus Massiliensis et Ostiensis singulari forma picti comparent; silua Vosagus Galliae, silua Marciana Germaniae, lucus Dianae et Apollinis, ad Daphnen Syriae, arbusculis fontibusque eleganter pictis, expressa conspiciuntur. Viae tractu rubeo, milliarium interuallis, distinctae, per vniuersum orbem Romanum exhibentur. Vt hinc rerum ad geographiam spectantium, inde colorum varietas, oculos animumque mirum in modum adficiat, in primis, qui meminerit, vnicum id esse antiquitatis hoc in genere specimen, quod naufragium reliquorum euaserit.

§ II

Indoles Tabulae interna.

EX schedis, in quas Velserus est commentatus, non recte de ipsa Tabula censebat, cum ait: „Auctorem eius geographiae imperitum, mathematicas literas in vniuersum non fuisse doctum, necessario fatendum, res enim loquitur; cum neque prouinciarum circumscriptiones et figurae, neque litorum extremitates, neque fluuiorum decursus, neque locorum interualla geographicis canonibus respondeant. Inde fit, vt non temere suspicer, haec in turbido castrensi potius, quam erudito scholarum puluere nata, manu metatoris alicuius descripta esse.“(a) Si Tabulam ipsam, pro mendosis illis schedis, prae oculis habuisset Velserus, longe aequius iudicium prolaturus erat. Alio quippe loco: „Magnitudinem Tabulae, inquit, praeter occidentis imperium tum aestimari non potuisse, (cum schedas tractaret) nunc constare hoc amplius, complexam orbem vniuersum, qua illo nimirum aeuo cognitus inter HERCVLIS COLVMNAS ET ALEXANDRI

(a) Oper. Vels. edit. Norimb. 1682. pag. 711.

ARAS ab extremo occidente in orientis vltima. Et apparere ſane omnia, niſi quod initio Columnas verſus, pauxilla quaedam Britanniae, Aquitaniae, Hiſpaniae, Africae exciderint. Circumcirca mare ire, olim Atlanticum nomine. De itinerariis tabulis eſſe apud Vegetium, (a) quae legi etiam mereantur, et cogitandum videri, an prouinciarum memoria, cuius P. Victor in Baſilica Antoniniana, regione circi Flaminii, meminit, eo pertineat." (b) Haec vt diuerſa ſunt a prioribus, ita Bertii ſententia adſcribi meretur: Tabula Peutingeriana, cuius editioni immortuus eſt geographorum noſtri aeui princeps Abrahamus Ortelius, non ad artem mathematicorum exacta, gradibusque accommodata, quales Ptolemaicae, ſed *Itineraria* tantum, adnotatis vbique locorum interuallis. Tales conuolutas habebant olim apud ſe belli duces, quibus itinera ſua dirigebant. Itaque in his non latitudinum aut longitudinum ratio ex tabularum fundo ac dimenſione peti debet, collata cum regionibus, ſed ex numeris adſcriptis. Confunduntur enim mundi cardines, neque vlla habetur ratio ortus, occaſus, ſeptemtrionis, auſtri; viarum tantum ſpatia ſignantur et interualla." (c) Plura huius argumenti Scheybius reſponſis aduerſus Bergerium promſit. (d)

II. Id genus tabulae itinerariae et chorographicae longe ſunt vetuſtiores, quam geographicae, qualem Eratoſthones rudem a maioribus acceptam, ad caeli et climatum rationes primus exigere adniſus eſt, vt e fragmentis eius apud Strabonem colligere licet; itinerariae autem tabulae tam ſunt vetuſtae, quam peregrinatio Phoenicum, aut populi Iſrael; illi quippe litorum ambitus, ſtationes nauium, praecipuas vrbes, inſulas; hi ſtatiua caſtrorum, diuerticula viarum, anfractus montium, cum interuallis locorum, in tabulis picta habuerint; quae ratio ab iis, qui bello gerundo praeerant, omni retro vetuſtate ſeruata erat. Inde in ſtatuis imperatorum, et pictis ducum imaginibus, volumen manu dextra teneri videas; quod aetate poſteriori in sceptrum abiit. Atque vt Graecorum, aliorumque veterum, chorographicas id genus itinerariasque tabulas praetercam, e Romanis quaedam, quale noſtrum eſt, monumentis exempla promere libet. Italiam in aede Telluris pictam fuiſſe, Varro tradit; (e) *capita fluminum orbe terrarum chorographiis picta*, Vitruuius; (f) orbem terrarum orbi ſpectandum propoſuit Agrippa, teſte Plinio; (g) Mannert putat in Tabula ſimili

(a) L. III. c. 6. (b) Pag. 774. (c) Oper. Vels. pag. 775. (d) Pag. 42. sqq. (e) L. I. R. R. c. 2. (f) L. VIII. c. 2. (g) L. III. c. 2.

nostrae. (a) Metii Pomposiani *depictum orbem terrae in membranas*, Suetonius memorat. (b) Similes chorographicis fuerint tabulae, in argenteis laminis pictae, triumpho Tiberii de Pannoniis latae, de quibus Poeta Pelignas: (c)

Protinus argento veros imitantia muros
Barbara cum victis oppida lata viris;
Fluminaque, et montes, et in altis pascua siluis,
Armaque cum telis in strue mixta suis." *)

Propius ad rem Vegetius, duplicis generis itineraria olim ducibus in vsu fuisse, scribit, hunc in modum: Primum itineraria omnia regionum, in quibus bellum geritur, plenissime debere habere perscripta; ita vt locorum interualla non solum passuum numero, sed etiam viarum qualitates perdiscat; compendia, diuerticula, montes, flumina ad fidem descripta, consideret; vsque eo, vt solertiores duces itinera prouinciarum, in quibus necessitas geritur, non tantum adnotata, sed etiam *picta* habuisse firmentur; vt non solum consilio mentis, verum adspectu oculorum viam profecturis eligerent." (d) Adnotatis Hodoeporicon Antonini, pictis Tabulam adnumerari, iam Velserus, et post eum Wesselingius, aliique docti viri, recte obseruarunt.

III. Putat Cellarius, etiam in Eumenii oratione, pro scholis restaurandis, ad praesidem Galliae, Constantio et Diocletiano Impp. habita, simile quid contineri; verba rhetoris sunt: Videat, inquit, in illis porticibus iuuentus, et quotidie spectet omnes terras, et cuncta maria, et quidquid inuictissimi principes vrbium, gentium, nationum aut pietate restituunt, aut virtute deuincunt, aut terrore. Siquidem illic, vt ipse vidisti, credo, instruendae pueritiae caussa, quo manifestius oculis discerentur, quae difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, interualla descripta sunt, quidquid vbique fluminum oritur et conditur, quacumque se litorum sinus flectunt, quo vel ambitu cingit orbem, vel impetu irrumpit oceanus." (e) Quibus relatis geographus: Huius generis, inquit, sunt illa segmenta Theodosianae Tabulae, quae ex Peutingerorum Bibliotheca Marcus Velserus edidit; aut quae secundum Ptolemaeum ab Agathodaemone grammatico, ad quem Isidori Pelusiotae aliquot

(a) Geogr. P. I. p. 121. (b) Domit. c. 10. (c) L. II. Pont. epist. I. v. 37. sqq. (d) L. III. R. M. c. 6. (e) Pareg. c. 20.

(*) Similes tabellas in Notitia Imperii videre licet, quibus insignia ducum exhibentur.

epiſtolae exſtant, sunt exaratae.“ Sane vtriusque generis, chorographicae quippe et geographicae tabulae, immo et topographicae, in ea Auguſtodunenſis gymnaſii porticu expoſitae fuiſſe, ex Eumenii oratione colliguntur; ſed per partes; noſtra, ſua magnitudine et ſtructura oſtendit, ſe ducum modo militarium, non priuatorum vſui ſeruiſſe. In ea ſiquidem vniuerſus orbis, veteribus notus, ex M. Aurelii aetate, cum omnibus prouinciis, quae Romano parebant imperio, prouinciarum vrbibus, vrbium inſignibus, viarum diuerticulis, manſionibus, mutationibus, fluminum, et montium, mariumque traiectibus, locorum in viis militaribus et prouincialibus interuallis, cum diuerſitate picturae, exhibentur. Quod opus neque in turbido caſtrenſi naſci, neque priuato vſui deſeruire poterat; ſed vni ducum bello praefectorum, vti dicebamus, commodo futurum, auctoritate principum, ex dimenſionibus ad eam aetatem factis, a viris rei geographicae et picturae peritis, congeſtum, et in eam formam redactum eſt editumque. Atque, vt iam Scheybius, de Tabula noſtra omnium optime meritus, poſt Weſſelingium, cenſebat, hoc id prorſus, aut ſimile ei monumentum eſſe, quale I. Gothofredus e ſchedis miſſorum Theodoſii confectum memorat, cum hac inſcriptione: (a)

Hoc opus egregium, quo mundi ſumma tenetur,
Aequora quo montes, fluuii, portus, freta, et vrbes
Signantur, cunctis vt ſit cognoſcere promtum,
Quidquid vbique latet; clemens genus, inclyta proles,
Ac per ſecla pius, totus quem vix capit orbis,
Theodoſius princeps venerando iuſſit ab ore
Conſici, ter quinis aperit dum faſcibus annum;
Supplices hoc famuli, dum ſcribit, pingit et alter,
Menſibus exiguis, veterum monumenta ſecuti,
In melius reparamus opus, culpamque priorem
Tullimus, ac totum breuiter comprendimus orbem;
Sed tamen haec tua nos docuit ſapientia princeps.“

(a) L. X. Cod. Theod. de Metat. ap. Weſſel. I. Ant. praef. p. 4. Conf. Scheyb. p. 24.

§ III

Aetas Tabulae postrema.

I. SVNT, qui ex caractere monaſtico, quem ob formam Longobardicum adpellant, opinentur, foetum XIV ſeculi eſſe. Id Mannert, in geminam Traiani in Dacos expeditionem commentatus, cenſebat. Verum, vt is caracter non vno adhibebatur ſeculo, ſic plura ſunt in hoc monumento aetatis longe remotioris veſtigia. Pictura metropoleon Romae, Conſtantinopoleos, Antiochiae, vrbium item Rauennae, Aquileiae, et plurium aliarum, cum rudi aetate inde ab ſeculo Conſtantinorum, vſque ad renatas meliores literas, nullo pacto componi poteſt; vt ex numis, ſtatuis, imaginibus arbitrere. Ad haec prouinciarum nomina mariumque veteri prorſus eoque Romano caractere notantur; ſubinde intermiſtis ɑ n ɷ monaſticis, vti aiunt, literis, quarum aetatem certis quis terminis aegre definiuerit. Profecto Rhenani, qui Tabulam apud Peutingerum, amicum ſuum, ſaepius verſabat, nonnullis quoque inde deſumtis, ſententia, quarti decimi ſeculi foetum eſſe, nullo pacto admittit: *In charta Prouinciali*, inquit, (a) *quam apud Conradum Peutingerum, amicum noſtrum, Auguſtae vidimus, ſub vltimis Impp. depictam, et a Celte in quadam Bibliotheca repertam, plane veterem,* ſic leguntur haec oppida, ab oſtiis Rheni aſcendendo, Caruo-Agrippina." Conradum Celtem Rhenanus nouit, quinti decimi ſeculi fine, et ſequentis principio; qui ergo *plane veterem*, et *ſub vltimis Imperatoribus depictam*, dicere potuit, ſi ea vno dumtaxat ſeculo Celtem aetate praeceſſiſſet? Erat tum Tabula vſu minus attrita, et quae ſcripta continebat, integriora, quam deinceps, exhibebat; vt de eius aetate viri illi eruditi facilius et aequius cenſere potuerint. Neque decerni tuto poteſt, apud Romanos, aetate Theodoſiorum, diuerſum in ſcribendo non fuiſſe modum. Si ex numis argumentum duci libeat, florente etiamnum imperio, in barbarorum plagiis, id genus elementa, quae monaſtica, et Longobardica, aut Gothica dicimus, comparent; et in Lothariorum, ac patriarcharum Aquileienſium numis, VI, VII, VIII ſeculi, veteres Romanae literae, monaſticis nonnunquam interiectae, viſuntur. Quam ob rem, ſi maioris caracteris, quem antiqui vncialem dicebant,

(a) Rer. Germ. L. I.

ratio habeatur, Tabulam Theodoſiorum aetati admouere non aegre poſſis. Caracter medius ad monaſticam quidem formam accedit, ſed adeo nitidus eſt, vt apicibus modo et angulis a priore distinquatur; ortographia autem vniuerſa eſt prorſus Romana; vnde partum ſeculi cuiuspiam ſequioris tuto dicere non liceat. Scriptura minor, quam currentem dicimus, elegantia, nitore manus, ortographia nonniſi florentem bonarum artium aetatem indicare videtur; litera *i* punctata, vti aiunt, nuspiam visitur, nisi *ı* aut ÿ, ý, perquam raro, virgula, punctoue notatae; quales in Cenotaphio Caii Caeſaris, et aliis veterum monumentis epigraphicis non raro comparent; quae res Tabulae vetuſtatem palam loqui videatur. Itaque e ſcriptnrae forma, quae poſteriori aetate diuerſa longe et barbara eſt effecta, vt e diplomatibus, librisque manu exaratis colligas, Tabulam ſequiori cuipiam aetati adſcribi non continuo licebit.

II. Doctiſſimus Scheyb totus in eo eſt, vt Tabulam, qualis hodie comparet, Imperatore Theodoſio ſcriptam pictamque oſtendat; ſed praeter duodenos verſus illos nihil adfert, quo adſertum conficiat. Ad haec Decuil, ex quo metra illa proferuntur, miſſorum Theodoſii, orbisque menſurae ſubiecti meminit, nullius Tabulae commemoratione facta. Neque id tuto profert, vnam hanc, quae Peutingeriana vocatur, iuſſu primum Theodoſii Magni anno 393 *ex omnis generis chartis et tabulis a ſe collectis*, a metatoribus fuiſſe comportatam; qua Iornandes, Anonymus Rauennas, Malleolus, alii ſint vſi. Tamquam alii principes ſimile quid audere nequiuerint, vt omnis ex hoc opere gloria vni Theodoſio adſcribi debeat. Verum plures fuiſſe id genus tabulas et ante imperium Theodoſii, et poſt fata ipſiius, cum ea, quae paullo ſuperius retulimus, tum quae deinceps dicturi ſumus, non obſcure indicant. Ac de prima quidem Tabulae aetate paullo poſterius loquemur, nunc videamus poſtremam.

III. Litecae ɑ ꝏ ɑʒ ŋ vncialibus Romanis immiſtae, non poſſunt ad priſcam illam aetatem referri, ſi monumentorum, quae ſuperant, ratio habeatur. Hi quippe caracteres a temporibus Caroli M. et ab ſeculo decimo, in primis inualuere, etiam numis, vti dicebamus, illati. Scriptura media, qua populi et regiones, nonnunquam et vrbes magis praecipuae notantur, vndecimum, et poſteriora ſecula, vniuerſa redolet. Vt ſcriba Francus, aut Hibernus, aut quispiam Colmarienſis, e ſacro, vt ea ferebat aetas, ordine, ſic manum veterem in deſumendo monumento ſecutus videatur, vt in quibusdam, qualis caracter medius, et illae vncialibus immiſtae literae, genio aeui ſui in-

dulgeret. Probabile porro videri, Tabulam, qualem hodie habemus, ab Anonymo Annalium Colmarienſium ſcriptore, ex antiquiori exemplo deſumtam eſſe, qui ad annum 1265 haec memoriae prodit: *Anno MCCLXV mappam mundi deſcripſi in pelles duodecim pargameni.* Sane omnis Tabulae caracter aetati huic adprime reſpondet, et patria inuenti monumenti opinionem firmat. Quare Schlözerus, in medii aeui hiſtoria probe verſatus, *Colmarienſem* potius, quam Peutingerianam, dici oportere, non inſulſe ait. (a) Quod ſi rem ſic ſe habere cenſeamus, et Tabulam in XII membranis, vti hodie eſt, deſcriptam arbitremur, exemplar antiquum, ex quo ſua Colmarienſis deſumſit, ſegmento primo iam defectum erat; vt ſcribae, praeter fidelem in depingendo monumento operam, nihil tribui oportere putes. Integrum is, vt Scheybius, eſſe putarit; cum Velſerus principio mutilum rite monuerit. Quidquid igitur nitoris ſcriptum, elegantiae pictum, induſtriae opus deſumtum praeſe fert, id huic nouiſſimo eius imitatori iure adſcripſeris; architectura operis aetatem reſpicit vetuſtiorem, quam heic indagare libet.

§ IV

Aetas Tabulae prima.

I. ANTE imperium Theodoſii M. veterem ſimilem exſtitiſſe Tabulam itinerariam, cum ex oratione miſſorum, aut ſcribarum, malis, ſuperius adlata, tum ex vniuerſa monumenti ſtructura colligere licet. Mannert, Iordanum ſecutus, Probi attate factam putabat; ſed, vt non raro ſentimēta mutare conſueuit, nihil ex Probi Imp. temporibus ibi reperiri, alias tradit. Quodam loco ad Antonios refert, b) quod ea cum Ptolemaeo paſſim, in primis in deſcriptione Daciae, cognationem habere videretur. Cluuerius Valentiniani imperium reſipere cenſebat; quae opinio incertior eſt illa de Probo. Nulla quippe huius rei indicia habemus; et ſi vocabula *ad S. Petrum, Conſtantinopolis, mons Sinai,* in quo *legem acceperunt* filii Iſrael, *deſertum, vbi quadraginta annis erraūerunt filii Iſrael ducente Moyſe*, ſi haec, inquam, vocabula demas, a ſcribis

(a) Hiſt. Sept. p. 154. not. A. (b) Vol III Geogr. p. 706.

Theodoſii, aut aliis addita, nihil vſquam reperies, quod Antoninorum aetati poſtponere queas; adeo vniuerſa ſunt Ptolemaeo, Straboni, Plinio, et ſubinde antiquioribus, conuenientia. Ante Traianum, qualis hodie eſt, prodi nequiuit, quod ibi Dacia, ab eo imperatore ſubacta, viſitur. Pannoniam in ſuperiorem et inferiorem imperatore Antonino Pio eſſe diuiſam, in epigraphica monſtramus. Omnis prouinciarum diſtributio cum geographia Ptolemaei conſentit; et monumentum vniuerſum cum aetate columnae Traiani et Antonini Romanae intimam habet cognationem. Nulla quippe aetas poſterior ſimilia tulit, neque, imperio vacillante, ferre poterat. Quare Tabulam, conſiderata eius ſtructura, M. Aurelii temporibus adſcribi aegre haud patiere.

II. Si fluminum fontes, ductus, oſtia, et nomina ſpectamus, antiquioris etiam aetatis veſtigia comparebunt. Gir amnis deducitur e iugis Naſamonum in oceanum auſtralem, cum inſcriptione: *Hoc flumen quidam Grin vocant, alii Nilum adpellant, dicitur enim ſub terra in Nilum ire lacum.* Quae ſunt verba Iubae apud Plinium; quam ſententiam et Ptolemaeus ex parte ſequitur. Mare Caſpium freto coniungitur oceano boreali; quod Strabo quoque ex Eratoſthene, et Plinius, credebant. Tanais, et bini praeterea, quorum alter Volgam exhibeat, a Maeotide ad oceanum ſeptemtrionalem deriuantur; fluuius Ganges deducitur ab Tigri, et vniuerſam Perſidem Indiamque permenſus, orientali oceano infunditur; Araxes, ab Armeniaco diuerſus, e vicinia Mediae ortus, defertur in oceanum glacialem. Quae ex Alexandri M. expeditionibus hauſta, et quaedam Argonautarum fabulis adfinia videantur. Profecto hanc aetatem reſpicit, quod mirere, Sauus cum Drino iunctus, et apud Naronem Dalmatiae in Adriam effuſus; quae Timagetus, eumque ſecutus Apollonius tradidere, huius ſcholiaſta vade. Plura ſunt id genus antiquitatum in Tabula veſtigia, quae ſuis indicamus locis; ex quibus non aegre colligas, in Tabula noſtra geographiae antiquiſſimae rudimenta videri, quae creſcente orbis terrarum cognitione, ſint partim mutata, partim veneratione antiquitatis, aut ſimplicitate ſcribarum, retenta; qualia eſſe, quae recenſuimus, nemo dubitarit. Hos igitur geographiae errores non tam refutare, quam vt remotae antiquitatis indubia ſigna, venerari debeas.

III. Quoties autem hoc Tabulae exemplar, ab Antoninorum aetate, fuerit deſumtum, et quando primum eae Chriſtianae profeſſionis voces in eam illatae, hariolari quidem licet, decernere nihil minus; id enim et frequentius,

et diuerſo tempore fieri potuit. Fortaſſe, vbi diua Helena, Conſtantini mater, ſacra luſtrarat loca, et in iis monumenta erexerat, id factum. Sane vrbs Byzantina, quae ab eo nuncupationem accepit imperatore, et baſilica S. Petri, quam is fundarat, quod opinamur, innuere videntur. Helena, mater Auguſti, fertur a Sina montis imo, vbi coenobium eſt, ad ſummum eius mille quadringentos gradus rupi incidi curaſſe. Inde phraſium illarum in Tabula origo. Scilicet, cum ea pro more et vſu praefectorum, imperatoribus Antoninis conſtructa, deſumeretur, ceteris, vt olim poſita erant, manentibus, haec nouae et veteris Romae ornamenta, illa populi Dei et Chriſtianae religionis inſignia, orbis Romani monumento inſeri placuit. Succeſſores Conſtantini, vt haec pietatis filii matrisque veſtigia ſunt venerati, ſic reliquam operis oeconomiam, quae ab Antoninis proceſſerat, intactam reliquere. Qui autem horum, et quot vicibus eam deſumi fecerint, cum ne geminum quidem exemplar habeamus, et nullum praeſto ſit antiquitatis monumentum, ex quo id noſſe liceret, nihil certi dici poſſe arbitror. Si hexametros miſſorum Theodoſii audimus, eius nutu ſimilem noſtrae paratam opinari queas; vtrum autem haec ipſa ſit, ab Colmarienſi Anonymo non indiligenter deſumta, cum aliae quoque, et hac quidem correctiores, olim exſtiterint, cenſere nequimus. Guido Rauennas ſimilem, ſed noſtra integriorem, habebat, quae iniuria temporum, cum aliis pluribus, periit. Similem, inquam, voluebat, quia vrbes, populosque diuerſis nominum inflexionibus adfert; integriorem, vt Weſſelingius quoque recte obſeruat, quia Britanniae, Hiſpaniae, Tingitanae oppida promit, quae in noſtra, ſegmento primo olim auulſo, deſiderantur. Haec praeclarus Scheyb non vidit, cum noſtram aliquando Rauennae degiſſe perhibet, qua Iornandes, Guido, aliique vſi fuerint. Diuerſum a noſtro Tabulae exemplum ibi proſtitiſſe, e vocabulis vrbium, quae hoc in commentario e Guidone adferimus, non obſcure pateſcet.

§ V

Tabulae praeſtantia.

I. CVM nullo magis veterum ſcripto, aptiusque contendi poteſt Tabula, quam cum Hodoeporico Antonini, et geographia Ptolemaei; vtroque autem horum quantum illa praeſtet, paucis referemus. Hodoeporicon quoad Hi-

ſpaniam, Britanniam, et Tingitanam, quae in Tabula periere, in contentionem trahi nequit; ſolae ſunt inſulae Italiae, Corſica, Sardinia, Sicilia, quae locorum vbertate, et viarum ductu, Tabulam, ob anguſtias ſpatii, ſuperant; queis maritimum iter per inſulas et portus, quo Tabula caret, addito. Verum in continente, qua parte Tabula eſt ſalua, locorum copia itinerumque nullo pacto cum ea contendi poteſt. Ad haec, praeter nudam manſionum et interuallorum recenſionem, nihil e rebus geographicis habet; nulli montes, fluuii, nulla diſtinctio ciuitatium, niſi in paucis itineribus; ſitus locorum, concurſus viarum, traiectus fluminum, montiumque, ex Hodoeporico noſſe non licet; cum haec vniuerſa, coloribus non ſine gratia expreſſa, in Tabula cum delectatione intueri liceat. Praeter haec Germania, Dacia, Sarmatia, Scythia, Peloponneſus, Creta, Cyprus, Meſopotamia, Armenia, Colchis, Bosporus, Media, Perſis, India in Hodoeporico prorſus deſiderantur, quae in Tabula, etſi quandoque cum lapſu ſcribarum, proſtant, vt ſuis monemus locis. Quare ii, qui Tabulam longe infra dignitatem Hodoeporici ſtatui volunt, minus aequi rerum arbitri mihi eſſe videntur. Nemo de his cenſere valebit, niſi oeconomiam vtriusque monumenti penitius inſpicere contendat.

II. Ptolemaeus cenſu oppidorum in mediterraneo, extra militares vias ſitorum, praeſtat; ſed ob vitiatos graduum numeros ipſa oppida incertae poſitionis manent, niſi e rudere loci, aut alio quopiam veteri monumento, certus vrbis ſitus oſtendi queat. Quae in viis militaribus occurrunt, in iis cum Tabula coſmographus componi nequit; nam neque, niſi raro, colonias ab oppidis reliquis diſtinguit, quae vtrum municipia, an oppida libera, aut coloniae fuerint, ex eo quidem haud cognoris; ſitu ad haec locorum non raro peruerſo; cum in Tabula coloniae et municipia ab aliis oppidis tam ſcripto, quam pictura aedicularum, perſpicue discernantur; ſitus autem vrbium numeris, vbi ſinceri ſunt, absque ambagibus, et citra omne dubium, terminentur. Fluminum et montium copia ille praecellit; aſt manſionibus, praetoriis, viarum ductibus, quae praecipuum in geographia obtinent locum, eſt deſtitutus; qualis autem eius operis olim fuerit delineatio, cum nulla ex aetate ipſius ſuperet, et graduum plures vitio laborent, ſciri nequit; vbi Tabula, aeque vetus, orbem Romanum, eximia arte pictum, oculis iucunde ſpectandum proponit. Nullum aliud e vetuſtate geographicum ſupereſt monumentum, quod cum Tabula vel eminus in contentionem venire poſſit. Nam Burdigalenſe iter, Hieroclis Synecdemus, et

imperii Notitia, ſunt longe inferioris conditionis, quam vt heic eorum robur, Tabulae reſpectu, ſuſpici debeat. Auxilio quidem eſſe valent, contendi vero cum Tabula nequeunt. Eſt proinde Tabula noſtra vnicum antiquitatis ſuperſtes hoc in genere monumentum, quod omnem ſuperet aeſtimationem, cui ſecundum hactenus nullum reperiri potuerit, nullum reperietur, niſi par ſit, eiusdemque aetatis.

§ VI

Defectus et vitia Tabulae.

I. VT partem Hiſpaniae, Britanniae, Mauritaniae, quae cum primo ſegmento, temporum iniuria, periere, non memorem, vtpote de quibus haud exſtantibus iudicium ferri nequeat; ex iis, quae ſuperant, ſi arbitrari velis, non pauca, ſeu culpa, ſiue ignorantia ſcribarum, male habita deprehendas, in primis partibus iis, quae ſub Theodoſiis imperio Romano non ſuberant, maxime in Perſide, et India, vicinisque extremi orientis regionibus. Quod quidem minus mirere, quam de vicinioribus Romae et Conſtantinopoli prouinciis, in quibus cum maxime verſatos oportuerit eſſe architectos, tamen non raro ea in viarum, fluuiorum, montium ductibus committunt ſphalmata, vt rei geographicae ſumme imperitos arbitrere. Quae mihi propius conſideranti eam ingerunt cogitationem, vt hos ſub Theodoſio, aut vicinae aetatis alio, Tabulae architectos, e particularibus ſchedis, partim erroneis, partim diuerſam dimetiendi rationem ſecutis, quo veteri Tabulae nouam inducerent formam, erroresque, vti putabant, tollerent, terminos prouinciarum confudiſſe, et hoc pacto vias quoque diuerſas commiſiſſe, alias accidiſſe, et ſitu prorſus alieno expreſſiſſe autumem; vt, inflexis praeterea locorum ad militarem vſum vocabulis, non Tabula aeui Theodoſiani itinerum, ſed quaedam e vetuſtiſſima et rudiſſima aetate comparere videatur. Quam ob rem, vt famuli munere quidem ſuo, alter ſcribae, alter pictoris, ſunt rite functi, ſic qui operi conficiundo praeerant, ſeu illi miſſi fuere, ſiue alii, in rebus geographicis maxime peregrini fuerint, neceſſum eſt. Poterat etiam Scriba quosdam, et quosdam pictor, committere naeuos; ſed, ſi rem penitius ſcrutere, praepoſitis operi, hominibus dignitate forſan conſpicuis, ſed hoc in ſtudiorum genere minime verſatis, omne vitium deprauatae Tabulae eſt adſcribendum. Maius ſane operae pretium hi monumenti fabri erant facturi, ſi

Tabulam, qualem ab Antoninorum aetate acceperant, quam ea ceteroquin exhibet, reſcripſiſſent; tum quippe ſe ex aequo veterum monumenta ſecutos praedicare poterant. Poſtremus quoque deſumtor quaedam commiſerit menda, ſed minutiora, oeconomia Tabulae in reliquo ſeruata.

II. Verum haec iam nobis acrius exaggerare non libet, contentis monumento, quod, qualecumque ſit, fauentibus ſuperis, integrum paene ad noſtram peruenit aetatem. Nam Theodoſiorum aetas mihi in multis noſtrae ſimilis videtur; accedunt ad hoc ſtudiorum genus ſaepe homines talium imperiti, et qui a iuuentute eiusmodi artes minime colnere, ſed caſu ad commentationes has perlati, producunt mundos Poeticis ſimiles. Sume tabulas Dauuillei, et confer eas cum Homannianis, Weigelianis, Schraemblianis, Artarienſibus, videbis differentiam; adeo ſunt in poſitione locorum, ductu montium fluminumque exorbitantes, vt rudiorem quandoque geographiae aetatem praeſerant, quam Ortelianae, aut Schottianae, quas vulgo noſtri geographorum παῖδες ad pueritiam geographiae referre conſueuerunt. Vnus erat Danuille bono reipublicae geographicae natus, qui, quantum ea aetate licebat, reformato geographiae orbe, tabulas dedit ad ſyſtema exactas, et ſibi mutuo rite reſpondentes; quem poſtea nemo ſequutus eſt, ſed neque ſequi poterat, monumentis, quibus ille inſtructus erat, deſtitutus. Itaque nemo vehementius miretur, Tabulam hanc aeuo Theodoſiorum, quo cultura bonarum artium non minimum nutare coepit, ita deformem ad nos perlatam eſſe, ſi ea, quae recenſuimus, ſpectes; cum ne ſimilem quidem vlla poſterior aetas tulerit, et noſtra etiam haec, quam auream literarum eſſe arbitramur, ignoret. Itinerariam quippe Tabulam quampiam, ad normam noſtrae, aeuo recentiori factam, me vidiſſe, audiſſeue, non memini. Quare neminem rerum huiusmodi peritum fore cenſeo, qui id genus naeuos vetuſtati ſacrae aequo non condonet animo, iisque compatiatur potius, quam inſultet; cum talia in orbe geographico peccata noſtra quoque aetas intueatur.

§ VII

Opera et ſubſidia noſtra.

I. AD hoc Augiae ſtabulum, quod plerique eruditorum perhorruiſſe videntur, repurgandum in primis Danuillei tabulas adhibuimus, queis hac in

commentatione carere non poteramus. Is quippe erat Danuille, qui opera et liberalitate regis sui adiutus, ex uniuerso orbe optimas terrae dimensiones, ad opus, quod moliebatur, perficiendum comparare adnitebatur; accedente ad haec rerum astronomicarum et mathematicarum insigni notitia, tabulas produxit, quantum per adiuncta licebat, perfectioni proximas. Vnum in eo peccatum videor mihi reperisse; cum esset antiquitatis sectator iusto studiosior, Leugis Hodoeporici, et Wesselingii, aliorumque eruditorum auctoritate seductus, spatia omnia in Gallia, patria sua, ampliauit, quae astronomicis calculis vim inferant; vt in vicinis, ac remotioribus prouinciis eius labor feliciorem progressum sit nactus, quam domi suae. Minor Atlas eius, duodenis constans tabellis, folio Hollandico, ad commentarios Rollini et Crevierii Hist. Rom. adcommodatus, est opus geographiae illustre, cui nulla deinde aetas secundum prodidit; adeo sunt eae tabellae nitidae, geometricis et astronomicis legibus adcurate respondentes, viuaci ductu, et singulari manus tam scribae, quam chalcographi gratia. Talis erat Atlas maior, Danuilleanus nuncupatus, quem Weigelii anno 1784 folio regali Norimbergae recudentes foedarunt, vt tanti viri titulum indigne praeferre videatur; adeo eae tabulae sunt omni caeli arte et elegantia destitutae, vt qui priores minoris Atlantis viderit, has e manu eiusdem geographi prodisse perneget. Si iam veteris geographiae ratio habeatur, ea ab Danuilleo inde, qui ante me natum scripsit, non incrementa accepisse, sed collapsa videri queat. Nemo quippe Cellarium in commentando, nemo Danuilleum in tabulis edendis est secutus. Mannerti conatus sunt laudabiles; sed cum Ptolemaeum pressius sequitur, veteri geographiae non minimum inducit tenebrarum; rectius Ptolemaei geographiae titulum libro suo daturus, (quamquam eum quoque non raro deserit) quam *Graecorum et Romanorum;* quam quidem ibi non deprehendes. Academicorum Goettingensium commentationes laude non carent; sed eae sunt minutae, et chartis geographicis omnes destitutae. Quare in tanta scientiarum, nostra praesertim hac aetate, luce mirari subit, ex tanto eruditorum censu nullum reperiri, qui Cellarium aut Danuilleum sequi velit. His proinde geographiae veteris luminibus hac in commentatione carere nequiui.

II. Ptolemaei, qui Tabulae nostrae synchronus est, quique eamdem prouinciarum diuisionem et nomina, vrbesque et populos exhibet, editiones ternas, easque veteres, et bonae notae habebam, Schotti Argentinensem anno 1513 e codice Franc. Pici Mirandulae domini expressam; Erasmi Basileensem

graecam an. 1533 e codice Theobaldi Fettichii; et Italam Io. Malombrae, Venetiis 1574 e graecis codicibus correctam, quae mihi omnium optima eſſe videatur; quamquam et ipſa naeuis operarum non careat, neque ſine phraſi graeca literato homini vſui eſſe poſſit, quod omnia vocabula ori Italo adcommodata ortographiae propriae rationem occulunt. His inter ſe collatis, veram Coſmographi lectionem promere, et Tabulae ſubuenire, ac viciſſim ex Tabula Ptolemaeo lucem adferre ſum conatus. Aderant quoque Strabo editionis Caſauboni; Plinius Berolinenſis et Lipſienſis cum notis variorum, Mela Pomponius, Solinus, Scylax, Herodotus, Arrianus, Stephanus, alii, qui auxilio eſſe poterant; de Itinerariis Antoniniano et Burdigalenſi, quos perpetuos Tabulae comites eſſe volebamus, ſuperius dictum. His adiutus praeſidiis, labori me accingere poſſe ſum arbitratus.

III. Sed, quia ſitum locorum noſſe in primis ad rem geographicam ſpectare olim cenſebam, chartas quoque recentiores huc facere facile perſpicere potui. Aderat quidem Atlas Ortelianus et Homannianus; at ille rudimenta geographiae praeſefert, canonibus aſtronomicis deſtitutus; hic autem non multum hoc in genere emendatior priore. Optima earum, quae hactenus in lucem prodiere, mihi videbatur tabula Europae, ab Conrado Lotter Auguſtae Vindelicorum an. 1782 in ſex foliis maioribus edita, continens etiam Africam et Aſiam minorem cum Syria; quam in calculis aſtronomicis prae ceteris fidelem ſum expertus, eaque in dimenſionibus plurimum vſus. Sed illa eſt generalis, et praecipua dumtaxat loca exhibet; quare in manſionum minorum ſitu monſtrando alias quoque ſeu Homannianas, ſeu Viennenſes, aut Ruſſicas, in partes vocare oportebat. In his ternas habebam, theatri belli Turcici nomine inſignes, in quibus Auſtriacae, Turcicae, Ruſſicaeque prouinciae ſe ſe contingentes exhibentur; quarum ea, quae ex Artarienſium officina prodiit, quoad aſtronomicas rationes geometricasque, et nitorem ſtili, Danuilleanis, vnde proceſiſſe videtur, proxime accedit. Eſt charta in folio maiori, ſub initium belli Turcici edita, quam, vbi adeſſe poterat, conſtanter adhibui. Non deſtituuntur merito ſuo, Max. Schimek Atlas belli Auſtriaco- Ruſſico- Turcici, in duodecim foliis 1788 a F. Schraembl editus; item alius ab I. Rhode, eleg. artium academiae geographo an. 1785 in ſex foliis expreſſus; in queis loca etiam minora comparent; ſed quae chartae quoad adcurationem aſtronomicam, et caeli nitorem, ſunt longe infra dignitatem tabulae Artarienſium. Aderant et Haſianae, et Indicae Danuil-

leanae, praeter alias, aut manu exaratas domeſticas, aut cum commentariis ſingularibus editas; quas vbi ſe ſe occaſio offerebat, nominare haud neglexi. In Africa et Perſide, ſpecialibus chartis deſtitutus minoris notae loca recentibus reddere nequiui, vt ſuis moneo locis. Verum ea maximam partem hodie deſolata iacent. Situm tamen cuiusuis adcurate noto; vt qui chorographicas earum partium tabulas habuerint, loca veteribus reſpondentia non aegre inueniſſe queant.

IV. Minimum praeſtitit vſum Atlas, antiquum orbem ſiſtens, Io. Dauid Koeleri, Norimbergae a Weigelianis, absque nota anni, in folio minori, XLIV tabularum, editus; in quo nihil adcurationis aſtronomicae repereris; adeo omnia ad Ptolemaei lineamenta accedunt, vnde ſitum locorum noſſe non liceat. Eius quippe eram opinionis ſemper, ex quo geographica colere coepi, non multum veteri geographiae luminis adferri, niſi antiqui oppidi, aut manſionis, lociue minoris ſitum, ex orbe recentiori noris; quo lumine Phil. Cluuerius rite vſus eſt; Cellarius et Weſſelingius magnam partem deſtituuntur; vt qui chartas geographicas perquam raro inſpexerint, quae illa aetate minus adcurate erant; quamquam ne hodie quidem ſunt omni vitio carentes; et verendum, ne, vt quaedam Illyricum exhibens Artarienſium, et alia Graeciam Homanniorum, denſioribus tenebris ſenſim inuoluantur, ac pro tabula quadam Antoniniana obtrudatur ſimilis noſtrae Theodoſiana.

V. Ex his operam quoque noſtram non aegre perſpexeris. Praeter loca veterum ſcriptorum, Plinii praeſertim, Ptolemaei, et Scylacis complura, quae geographi iuniores partim non attigere, partim minus recte poſuere, ſitui proprio reſtituta, Cellario, et in primis Danuilleo ſuccurrere conati ſumus; quorum ille ſitum locis perquam raro adſignare conſueuit; hic commentariis ad tabulas ſuas deſtitutus, ſpectatorem ſplendidi operis ſui ambiguum reddit, cuius auctoritate aut nomen loci, montis, fluuii, aut poſitum conſtitui voluerit; quae res tamen in primis ad geographiae rationem ſpectat. Hoc lumine viro cetera inſigni deſtituto ſuppetias ire, qua Tabula progreditur, ſtrenue contendimus; vt qui eius chartas in vſum conuertere volet, noſtris commentariis ducatum praebentibus, iter non aegre ſubire valeat.

Non minimam Ethnologiae quoque rationem habebamus, quae Cellario parum curae erat, cum praecipuam in geographia partem obtineat. Noſſe enim, qua quisque populus, quorum in Tabnla plurimi nominantur, ſit origine ſatus, cum vtile et iucundum, tum in hoc antiquitatum genere eſt perquam neceſſa-

rium. Ei, qui editionem quampiam Tabulae prae manibus est habiturus, commentarii hi plurimum seruient; ceteris Itinerarium Tabulae, quod huic prooemio subnectimus, inopiam eius supplebit.

Indicem sine duplicem addidimus, alterum vocabula antiqua, alterum recentiora continentem, quem in iusti voluminis opere geographico, pro multiplici lectorum vsu, necessarium esse arbitrati sumus. In vtroque, ad faciliorem eius vsum, addidimus vocabulorum conditionem, vti montis, fluuii, promontorii, maris, insulae, portus, et id genus rerum geographicarum, primis quandoque notatam literis, alias integre scriptam, adnexa vbiuis patria, ad normam indicum Cellarii; vbi voci *nihil* adhaeret, signum oppidi, mansionis, mutationis, et *huius* modi locorum accipitor. Omnia vocabula, his in commentariis occurrentia, non adserimus, sed ea dumtaxat, quae ad Tabulae rationes spectare videbantur, ceteris cursiuo caractere notatis. Rectus, qui in commentariis quandoque reticetur, in indice scriptus comparet; nonnunquam barbara expressio, vt monoptoton, locum obtinet. Alia, quae gnauus lector, sedula lustratione, singillatim deprehensurus est, heic recentare non libet.

§ VIII

De mensuris et lapidibus milliariis.

I. IN monumento Romano, qualis Tabula est, nemo sibi peregrinam quampiam imaginetur mensuram. Numeri, qui mansionibus interponuntur, M. P. seu *millia passuum*, quae est mensura Romana, significant, ipsa Tabula vade. In Liburnis quippe, inter Hadre et Burnum oppida, scribitur *milia* XIII. In Africa, inter Veresuos et Thasarte Mil' XVIIII. et mox itinere eodem, a Thasarto Silesuam Milia passus XII. tum a Silesua ad Aquas Mil' *XIX*. a Silesua Auibus Milia XVIIII. Quae perspicue docent, M. P. *millia passuum* in Tabula vniuersa pro locorum interuallis accipi debere. Passum Romanum quinque pedibus constare, Plinius docuit. Pedem Romanum ad Viennensem esse in ratione 7 : 9, in Columna Eszekinensi milliaria, ante hos viginti annos, ostendimus. In adplicatione M. P. ad mensuras recentiores, varia est geographorum sententia, aliis parua milliaria Germanica, aliis media, maiora aliis adsumenti-

bus; nos experientia docuit, in chartis recentioribus, ad leges astronomicas exactis, quinque milliaria Romana singulis Germanicis, quae geographica nuncupamus, quorum 15 in gradu, aequiualere, et in gradu amplitudinis vno LXXV M. P. numerari. Vbi viae rectam tenent, et numeri in Hodoeporicis sunt integri. mensura haec distantiis ad amussim respondet; alias, vbi aut chartae fallunt, aut numeri sunt culpa scribarum vitiati, ex aliis rerum adiunctis de situ locorum censere oportet. Non raro euenit, vt inter bina oppida, quorum positio aliunde certa est, aliquot M. P. deesse videantur, numeris tamen Hodoeporicorum et Tabulae consonantibus; tunc e Lege Macri, ab continentibus aedificiis, non a milliari vrbis, M. P. censeri oportere, accipito. Vbi autem manifesta deprauatio adparet, non sunt numeri continuo erroris postulandi, vt Wesselingius quoque non raro facit; sed considerandae viae collaterales, et mansiones exmissae, ad quas ii numeri referri queant; quod in Tabula, eorum culpa, qui eam postremi procudere, frequenter euenit. Quod si talem obtinere potuissemus, qualem architecti sub Antoniois prodidere, minus negotii hoc in genere habituri eramus.

II. Est ad Lugdunum, metropolim Galliae cognominis, inscriptio vrbi subiecta, usq. hic legas. seu, vt geographi interpretantur, *huc usque Leugas*, censere oporteat, nimirum. Haec phrasis, vt aliis pluribus, sic Danuilleo quoque suasit, accedente Wesselingii auctoritate, qui in Hodoeporicis quoque Antonini et Burdigalensi, quibusdam locis, Leugas expressit, vt per omnes Gallias pro M. P. Leugas adhiberet, vniuersis locorum spatiis, praeter omnem veri speciem, ampliatis; seu quod dimensiones astronomicas habere nequiuit, quae postea eruditorum opera accessere; seu quod putabat, Romanorum se vestigia rite pressurum, si numeros ab iis notatos sequeretur; quae ei religio fraudi cessit, in patria sua Gallia, feliciori successu in aliis prouinciis vsurpata. Phrasis haec, a scribis posterioribus addita, significare vult, Gallos pro mensura Romana Leugas vulgo adhibere consuesse, non autem hac metiendi ratione Romanos quoque vsos. Nam in lapidibus milliariis, qualis a Foro Hadriani ad XII. ab Andematunno ad XXII M. P. reperti sunt, non Leugae, sed M. P. more Romano, notantur. Columnae porro, in quibus scriptum aiunt AB AVGVSTA SVESS. LEVG. VII. aut L. I. Leugae VII. Leuga I. (a) si recte habent, vias prouinciales indicant, quales per Gallias fuere

(a) Vid. Wessel. I. A. p. 251

plures, vt ea apud Nouiomagum Batauorum, ad Duodecimum, apud Narbonem ad Tricesimum, ductu viae reflexo, contra morem viarum militarium; vbi tamen mensura fuisse Romana deprehenditur, quae in militaribus viis constans semper tam domi, quam foris, erat. Sunt quidem interualla quorumdam locorum, quibus Leugae conuenire queant; in reliquis tamen discrepant; quae inaequalitas manifesto ostendit, tam in Tabula, quam Hodoeporicis, Romanam olim mensuram fuisse expressam, non barbaram. Danuille, vt obiectionem declinaret, vbique in Gallia Leugas adhibere voluit; quandoque tamen, vel inuitus, mathematicum loci interuallum secutus adhibuit M. P. contra destinationem.

III. Columnae quidem milliariae, quae hactenus in lucem prodiere, ostendunt, vias antiquas praecipuas, quas militares dicimus, in quibus lapides ponebantur, numeros serie geographica, a borea in austrum, ab occasu in exortum plerumque processisse. Tales sunt hini lapides, numeris a Foro Hadriani, et Adnamatunno, in austrum procedentibus, inscripti; tales sunt ab Augusta Vindelicorum Veronam versus, in exortum Iuuauium, a Iuuaui Virunum, a Celeia Poetouionem, a Vindobona Carnuntum, a Bregetione Aquincum, ab Aquinco Mursam, a Bononia, Malata alias, Cusum, in Pannoniis, ripam Danubii, secundo flumine, seqnentes. In Tabula tamen et Hodoeporicis, praesertim Burdigalensi, mansiones ad *Sextum*, *Decimum*, *Duodecimum*, *Vicesimum*, *Tricesimum* occurunt, quae subinde contrariam ostendunt directionem; vt in Tabula *ad Duodecimum*, a Nouiomago Batauorum, in Burdigalensi *ad Tricesimum* a Narbone, quarum ambae, vrbium, ad quas spectant, consideratione, in occasum flectuntur. Cuius facti rationem eam opinere, nomina mutationum harum non numeros columnarum, qui constantem secuti fuerint legem, sed viarum prouincialium, in quibus a metropoli terminos versus columnae, viarum duces, prostiterint, respexisse. Vtrum autem hae ad singulos mille passus positae fuerint, et inscriptione notatae, cum ad nos eae non peruenerint, arbitrari haud licet. Mihi tamen adiuncta rerum intuenti, mansiones hae ab columnis, in via militari a praecipua vrbe occurrentibus, non a numeris, quibus eae insignes fuere, vsu vulgari nomen accepisse videntur. Alia quippe huius facti ratio adsignari nequit; cum lapides milliarii, qui hactenus in prouinciis comparuere, legem geographis vsurpatam, vti dicebamus, constanter teneant; vicinis Romae et Italiae regionibus demtis, in quibus lapides ab Vrbe procedentes contrarium fortasse suaderent; cuius tamen rei indicium

in paullo remotioribus agris non habemus. Sunt etiam lapides milliarii, inſtar memorialium, vti dicimus, facti, qui menſuram quampiam vniuerſalem exhibeant; qualis in agro Bellunenſi ante annos non multos repertus, Tib. Claudio Caeſari, Druſi filio, inſcriptus, in quo AB ALTINO VSQVE AD FLVMEN DANVVIVM M. P. CCCL. qui lapis ſocios non habuit, diſtantiam ab Altino et ſinu Hadriaco ad flumen Danubium generatim indicans, in memoriam Druſi, qui viam illam per alpes aperuerat, poſitus. Tales ſunt apud Marſilium aliquot, a Malata Cuſum M. P. XVI inſcripti; cum reapſe Malatam inter et Cuſum non niſi XVI M. P. Tabula et Hodoeporico teſtibus, interceſſerint; cuius rei cauſſam in epigraphica reddimus.

§ IX

Conſpectus operis.

I. IPSI commentario, de cuius ratione mox loquemur, praemittere placuit Itinerarium Tabulae, ad normam Hodoeporici Antonini, ſecundum prouincias, quas e Tabula illuſtrandas adſumſi. Id eo quoque conſilio feci, vt, qui compendio Tabulam intueri velit, hac opera conſequi valeat. Placuit autem nomina locorum et interualla eo prorſus modo depromere, quo ea in ipſa comparent Tabula. Varietatem lectionis, ex editione operum Velſeri deſumtam, et parallelum Hodoeporici textum, quem perpetuum Tabulae comitem, neque iniuria, eſſe volebam, Itinerario adiungere primum meditabar; ſed cum id ipſo in opere gnaue praeſtiterim, ne paginae citra neceſſum multiplicarentur, ſolum Hodoeporicon Tabulae, cum ſupplemento Britanniae, Hiſpaniae, Tingitanae, hoc poni loco, ſatis fore ſum arbitratus. Nonnunquam in commentariis ſchedarum quoque noſtrarum mentionem fieri videas, quas e Quinqueeccleſienſi exemplari deſumtas ſuis indicamus locis. Erunt ii fortaſſe deſcribentis naeui. Quod ſi tamen ibi Vetera inter et coloniam Traianam, ſegmento primo, numerus XL abeſt; ſi *Varrum* eſt pro *Varum*, ſi *Miſiubio Horreta* in Caeſarienſi Mauritania, ſi *Brigioſum* et *Rarauna* apud Mediolanum Aquitaniae, in eodem ſegmento, abſunt; ſi *Eſius* et *Ebrus*, ad fontes eorum amnium in Thracia Moeſiaque, *Regio* et *Leucopetras* in Italia, ad fretum Siculum, deſiderantur; ſi *ſtabulum Olearum* in Africa ſcribitur pro *Olearium*;

ſi *Aquis* in eadem prouincia abeſt; ſi *Zamarigia* pro *Zamareigia* ibidem notatur, et quae alia, ſuis locis fideliter indicata, occurrunt; ſi haec, inquam, vocabulorum varietas reapſe in exemplaribus exſtat, manifeſtum eſſe, tabulas aeneas monumenti a Scheybio editi, duplices, aut triplices fortaſſe, exſtitiſſe; cuius rei tamen vir cetera adcuratus in commentario ſuo non meminit. Forſan opera chalcographorum, quae Scheybium latuerit, typographo ſuadente, id factum. Quod ſi haec reapſe ſic ſe habent, deſiderium viſendi archetypi eruditis, rem ad viuum reſecare volentibus, ademtum non eſt. Neque enim ſecus dubium de vera Tabulae lectione tolli poteſt, niſi originali, vti dicimus, inſpecto. In tam vaſto quippe et arduo opere, neque ſcribam, neque curatorem, oculis aut diligentia falli potuiſſe, quantumlibet vtrumque intenderint, non facile quis, praeſertim id genus laborem expertus, ſibi perſuaſerit. Haec de Itinerario Tabulae et ſchedis.

II. Catalogum excipiunt commentarii, quos in quauis prouincia et regione in paragraphos diuidere placuit, quorum primus nuncupationem et fines, alter prouincias et populos, tertius montes, fluuios, lacus, inſulas, portus, maria, et id genus ad geographiam ſpectantia, quartus oppida et manſiones, complecteretur. Hanc ſeriem conſtanter paſſim tenemus, quandoque altero cum tertio permutatis; alias tribus modo, aut quinque, prout rerum adiuncta ferebant, expreſſis. In vocabulis Tabulae explicandis adhibeo auctoritatem veterum, Strabonis, Plinii, Ptolemaei, aut alterius, qui id vocis habeat; parce tamen, et iis potiſſimum in medium prolatis, quae ad ſitum locorum, fontes et oſtia fluminum, facere videbantur. His loci poſitionem hodiernam et nuncupationem, ex tabulis plerumque, aut etiam ſcriptoribus, adiungere operae pretium eſſe arbitrabar; vt lectorem ambiguum reique incertum non dimitterem. Singulari autem cura menſuram et interualla locorum ſum executus, quod haec pars geographiae ſit praecipua, et ex recta numerorum expoſitione proprius loci ſitus pendere videatur.

III. Hac in operatione, quod aliis quoque vſu veniſſe video, non raro ſum expertus, nunc quidem M. P. locorum interuallis conuenire ad punctum, vti dicimus, nunc M. P. aliquot, in maiori praeſertim diſtantia, deeſſe. Et in Tabula quidem M P. vnum comparet nuſquam; ſemiſſis autem in Itinerariis ratio habita non erat. Sed vbi duo, vel plura deſiderantur, eo loci difficultas ſubuerſatur, in primis, ſi Tabula cum Hodoeporico in numeris conueniat. Erroris autem vtrumque poſtulare, niſi id

aliunde certo conſtet, cautum eſt. Quare mihi in id genus adiunctis Lege Macri, in Digeſtis, (a) vti placuit: *Mille paſſus non a miliario vrbis, ſed a continentibus aedificiis numerandi ſunt.* Et reapſe apud nobiliores praeſertim vrbes id eueniſſe video, vt, in quam plagam potior vrbis pars diffundebatur, ea M. P. aliquot deeſſent. Vnde ſi numeri vbique ſinceri forent, et adcuratas locorum dimenſiones nanciſci poſſemus, etſi rudera eorum neſcias, rectum tamen ſitum iis dare liceret; ſed illud ſaepe incertum, hoc autem minus ſecurum, in primis vbi adcuratio deeſt; vt ad terminandum locorum ſitum aliud praeterea ſubſidii genus, praeſertim monumenta vrbium et veſtigia, praeſto eſſe debere videantur. Numeri quippe Tabulae imperitia partim oſcitantia ſcribarum, viis aut non raro confuſis, aut acciſis, ſunt ſaepe mendoſi; in Hodoeporico, quod e ſimili Tabula olim deſcriptum eſt, iidem numeri ſunt vitiati, et a ſcribis poſterioribus amplius foedati; vt frequenter aut Diogenis lucerna ſole meridiano egeas, aut aenigmata Oedipo ſoluenda prae oculis habere videare, in minoribus praeſertim locis, quae perſpicuis antiquae habitationis ſignis deſtituantur, ſitu terminandis. Verum nihil difficultatum in hac quoque antiquitatis parte eſt, quod pertinax animus, ſi cetera adſint, ſuperare nequeat, locisque ſi non prorſus certum, vero tamen proximum dare ſitum diffidat. In his enim probabilia conſectari vt licitum ſemper erat, ſic nobis quoque pari iure conceſſum eſſe arbitramur. Atque haec erant, quae prooemii vice praefari operae pretium fore cenſebamus.

(a) Lib. L. Tit. XVI de verbor. ſignif. L. 154.

TABVLAE ITINERARIVM

EVROPAE

BRITANNIA

Ex itinere a Venta Icenorum Londinum.

- - - - - - -		
Ad Taum		-
Sitomagi	. . . . . .	XXII
Conuetoni	. . . . .	XV
Ad Ansam	. . . . .	XV
Camuloduno	. . . . .	V
Canonio	. . . . . .	VIII
Bromaci	. . . . . .	XII
- - - - - -		

Ex itinere a Vallo ad portum Ritupis.

- - - - - -		
Madns	. . . . . .	XVII
Rotibus	. . . . . .	VII
Duroleuo	. . . . . .	VII
Duroauerus	. . . . .	—
Ratupis	. . . . . .	—

Iter a Londino ad portum Dubris.

Rotibus	. . . . . .	VII
Duroleuo	. . . . . .	VII
Duroauerus	. . . . .	—
Dubris	. . . . . .	—

Iter a Londino ad portum Lemauis.

Rotibus	. . . . . .	VII
Duroleuo	. . . . . .	VII
Duroauerus	. . . . .	—
Lemauio	. . . . . .	—

Ex itinere a Caleua ad Iscam Dumnoniorum.

- - - - - - -		
Ridumo	. . . .	—
Isca Dumnoniorum	. . . .	XV

HISPANIA

Ex itinere a Tarracone Narbonem.

Voconi	—
Cerunda	XII
Ceruiana	XII
Luncaria	XV
Declana	XII
In ſummo Pyreneo	IIII
Ad Centenarium	V
Illiberre	XII
Ruſcione	VII
Narbone	VI

GALLIAE

PATAVIA

Ex itinere a Lugduno Argentoratum.

Lugduno	
Pretorium Agrippine	II
Matilone	III
Albanianis	V
Nigropullo	II
Lauri	V
Fletione	XII
Leuefano	XV
Caruone	VIII
Caſtra Herculis	XIII
Nouiomagi	VIII
Arenatio	X
Burginatio	VI
Colonia Traiana	V
Veteribus	—

Iter a Lugduno Nouiomagum.

Foro Adriani	—
Flenio	XII
Tablis	XVIII
Caſpingio	XII
Grinnibus	XVIII
Ad Duodecimum	VI
Nouiomagi	XVIII

BELGICA

Ex itinere a Lugduno Argentoratum.

Veteribus	
Aſciburgia	XIII
Noueſio	XIIII
Agripina	XVI
Bonnae	XI
Rigomagus	VIII
Antunnaco	VIIII
Confluentes	VIIII
Bontobrice	VIII
Voſauia	VIIII
Bingium	VIIII
Mogontiaco	XII
Bonconica	VIIII
Borgetomagi	XI
Nouiomagus	XIII
Tabernis	XII
Saletione	XI
Brocomacus	XVIII
Argentorate	VII

Iter a Nouiomago Agripinam.

Ceuelum	III
Blariaco	XXII
Catualium	XII
Fereſne	XIIII

Atuaca xvi
Cortouallio xvi
Iuliaco xii
Agripina xviii

Iter a portu Geſſoriacenſi Bagacum.

Geſogiaco quod nunc Bononia
Caſtello Menapiorum . . . xxiiii
Vironino xii
Turnaro xi
Ponte Scaldis xii
Bacaco Neruiorum x

Iter a Caſtello Menapiorum Bagacum.

Teruanna —
Nemetaco xxii
Samnico xiiii
Hermomacum xl
Bacaco Neruiorum viii

Iter a Bagaco Atuacam.

Voſodorgiaco xii
Geminico vico xvi
Pernaco xlvi
Atuaca xvi

Iter a Taruenna Durocortorum.

Nemetaco xxii
Samnico xiiii
Aug. Viromuduon. . . . . —
Aug. Sueſſonum xxv
Durocortoro . . . . . —

Iter a Bagaco Durocortorum.

Duronum xi
Vironum x
Ninittaci xiii
Auxenna ix
Durocortoro x

Iter a Durocortoro Agripinam.

Nouiomagus xii
Moſe xxv
Medúanto viiii
Minerica . . . . . . —
Agripina vi

Iter ab Agripina Treueros.

Marcomagus . . . . . vi. x
Icorigium viii
Auſaua xii
Beda xii
Aug. Treuiron. xii

Ex itinere a Treueris Argentoratum.

Nouiomagus viii
Belginum xx
Dumno viii
Bingio xvi
Mogontiaco xii

Iter a Taruenna Samarobriuam.

Nemetaco xxii
Teucera xiii
Sammarobriua xii
Samnico xxxi

Iter a Geſſoriaco Samarobriuam.

Lintomagi xiiii
Ad Lullia vii
Duroico Regum xi
Sammarobriua xiiii

Iter a Samarobriua Sueſſonas.

Setucis	X
Rodium	X
Lura	VIIII
Aug. Sueſſonum	XVI

Iter a Durocortoro Diuodurum.

Tanomia	XIX
Caturices	XXV
Naſio	IX
Ad Fines	XIIII
Tullio	VIIII
Andeſina	X
Scarponno	X
Diuoduri Mediomatricorum	XIIII

Iter a Diuoduro Treueros.

Diuoduri	
Caranuſca	XLII
Aug. Treuiron.	X

Iter a Diuoduro Argentoratum.

Diuoduri	
Ricciaco ad Duodecimum	XII
Ad decem pagos	XII
Ponte Saraui	X
Tabernis	XII
Argentorate	—

Iter ab Andematunno Andeſinam

Moſe	XI
– –	XVI
Ad Fines	—
Nouiomagus	XV
Andeſina	VII

Iter a Nouiomago Tullum.

Nouiomagus	
Tullio	V

L V G D V N E N S I S

Iter a Geſſoriaco Auguſtobonam.

Graumum	X
Iuliobona	X
Breuoduro	XVIII
Ratumagus	XX
Ritumagus	VIII
Petrum viaco	XII
Caſaromago	XV
Aug. Magus	XXII
Fixtuinum	XVI
Calagum	XII
Bibe	XXXI
Riobe	XXII
Aug. Bona	—

Iter a Breuoduro Mitricum.

Mediolano Autercorum	—
Condate	XII
Durocaſſio	X
Mitricum	XIII

Iter a Ritumago Auguſtobonam.

Petrum viaco	XII
Bruuſara	—
Luteci	XV
Meteglo	XVII
Condate	XV
Riobe	XIIII
Aug. Bona	—

Iter ab Auguſtoduno Luteciam.

Alauna	
Croneiaconnum	VII
Auguſtoduro	XXI
Araegenue	XXIIII
Nudionnum	—
Subdinnum	—

Fines	XVI
Caſaroduno	—
Cenabo	LI
Luteci	XLVII

Iter a Nudionno Mitricum.

Subdinnum	—
Mitricum	L

Iter ab Andematunno Tullum.

Moſe	XI
Nouiomagus	VIIII
Andeſina	VII
Tullio	XVI

Iter ab Andematunno Cambatem.

Durocortoro	
Corobilium	—
Segeſſera	XXI
Andematunno	XXI
Varcia	X
Segobodium	VI
Veſontine	XVIII
Loporagio	XIII
Epomanduo	XVIII
Large	XVI
Cambete	XII

Iter ab Andematunno Cabillionem.

Andematunno	
Filena	XXVIII
Vidubia	XIX
Cabillione	XX

Iter ab Alauna Condate.

Alauna	
Coſedia	—
Legedia	XIX
Condate	XLVIIII

Iter a Coriallo Coſediam.

Coriallo	
Coſedia	XXVIIII

Iter a Reginea Condate.

Reginea	
Fano Martis	XIIII
Condate	XXV

Iter a Condate Iuliomagum.

Condate	
Sipia	XVI
Conbariſtum	XVI
Iuliomago	XVI

Iter a Iuliomago Luteciam.

Robrica	XVII
Caſaroduno	XXVIIII
Cenabo	LI
Luteci	XLVII

Iter a Cenabo Rioben.

Cenabo	
Fines	XV
Aquis Segeſte	XXII
Agetincum	XXII
Riobe	XXVI

Iter ab Agetinco Eburobrigam.

Agetinum	
Bandritum	XXV
Anteſſioduro	VII
Eburobriga	—

Iter ab Aquis Segeſte Auguſtodunum.

Agetincum	XXII
Bandritum	XXV

Anteſſioduro	VII
Aballo	XXII
Sidotoco	XVI
Aug. Dunum	XI
Cabillione	XVIII

Iter ab Auarico Auguſtodunum.

Auaricum	
Tincollo	XX
Degena	XXXIII
Aquis Niſicii	XIIII
Boxum	XXII
Aug. Dunum	VIII

Iter a Cenabo ad Aquas Niſincii.

Cenabo	
Belca	XXII
Bruloduro	XV
Maſſaua	XVI
Ebirno	XVI
Degena	XVI
Aquis Niſicii	XIIII

Iter ab Ebirno ad Aquas Bormonis.

Ebirno	
Degena	XVI
Aquis Bormonis	XXX

Iter ab Aquis Bormonis Auguſtodunum.

Sitilla	XVI
Pocrinio	XIIII
Tilonno	XII
Aug. Dunum	XII

Iter a Geſogribate portu Iuliomagum.

Geſogribate	
Vorgium	XLV
Sulim	XXIIII
Dartoritum	XX
Duretie	XX
Portu Namnetu	XXIX
Iuliomago	—

Iter a Portu Namnetum Auaricum.

Portu Namnetu	
Segora	XVIII
Lemuno	XXXIII
Caſaroduno	XLII
Taſciaca	—
Gabris	XXIIII
Auaricum	XXIIII

Iter ab Aquis Calidis ad Forum Seguſianorum.

Aquis Calidis	
Vorogio	VIII
Ariolica	XVIIII
Roidomna	XII
Mediolano	XXII
Foro Seguſtauarum	XIIII
Lugdune caput Galliar.	XVI

Ex Itinere Viennenſi ab Eburobriga Lugdunum.

Eburobriga	
Auteſſioduro	—
Aballo	XXII
Sidotoco	XVI
Aug. Dunum	XVIII
Cabillione	XXIII
Tenurcio	XII
Matiſcone	XIIII
Ludnam	XVI
Lugdune caput Galliar.	—

AQVITANIA

Iter ab Augustoduno Auaricum.

Aug. Dunum	
Boxum	VIII
Aquis Nisincii	XXII
Degena	XXX
Tincollo	XXXIII
Auaricum	XX

Iter ab Auarico Argantomagum.

Auaricum	
Gabris	XXIIII
Tasciaca	XXIIII
Casaroduno	—
Lemuno	XLII
Fines	XX
Argantomago	—

Iter ab Argantomago Augusto Nemete.

Argantomago	
Mediolano	XXVIII
Aquis Neri	XII
Cantilia	XV
Aug. Nemete	XXIIII

Iter ab Auarico Burdigalam.

Auaricum	
Alerta	XXVIII
Argantomago	XIIII
Fines	XX
Lemuno	—
Raurana	XVI
Brigiosum	XII
Auedonnaco	VIII
Mediolano Saneon	XVI
Lamnum	XIII
Blania	XXII
Burdigalo	IX

Iter a Burdigala Argantomagum.

Serione	X
Vesubio	XX
Fines	XX
Aginnum	XV
Excisum	XIII
Diolindum	XXI
Vesonna	—
Fines	XIIII
Ausrito	XIIII
Argantomago	XXIIII

Iter a Lemuno ad Aquas Calidas.

Lemuno	
Fines	XX
Argantomago	—
Mediolano	XXVIII
Aquis Neri	XII
Cantilia	XV
Aug. Nemete	XXIIII
Aquis Calidis	XXII

Iter a Mediolano Augusto Nemetum.

Auedonnaco	XVI
Seranicomago	—
Cassinomago	XII
Ausrito	XII
Pretorio	XIIII
Acitodonum	XVIII
Fines	XX
Aug. Nemete	X

Iter a Mediolano Vesonnam.

Mediolano Saneon	
Condate	—
Sarrum	X
Vesonna	XX

Iter a Burdigala Vesonnam.

Burdigalo	
Varatedo	—
Corterate	XVIII
Leuino	XIX
Vesonna	X

Iter ab Aginno Segodunum.

Aginnum	
Excisum	XIII
Diolindum	XXI
Dibona	—
Varadeto	XV
Carantomago	XI
Segoduni	XV

Iter a Segoduno ad Aquas Segete.

Segoduni	
A Silanum	XXIIII
Anderitum	XVIII
Condate	XXII
Reueſſione	XII
Icidmago	XVII
Aquis Segete	XVIII
Foro Seguſtauarum	VIIII

Iter ab Aginno Lugdunum.

Aginnum	
Lactora	—
Sartali	XVI
Tolosa	XX
Casinomago	XVIIII
Eliberre	XV
Besino	XII
Elusa	X
Vico Iuli (*)	XV
Aquis Tarbellis	—

Iter ab Aquis Tarbellis Burdigalam.

Coequosa	XVI
Tellonum	XVIII
Salomaco	XII
Burdigalo	XVIII

Ex itinere ab Aquis Tarbellis Tolosam.

Lugdunum	
Calagorris	XXVI
Aquis Siccis	XVI
Vernosolae	XV
Tolosa	XV

Ex itinere a Caesaraugusta Beneharnum.

Summo Pyreneo	
Foro ligneo	V
Aspaluca	VII
Ilurone	XII
Beneharnum	XII

Ex itinere ab Asturica Burdigalam.

Summo Pyreneo	
Imo Pyreneo	V
Carasa	XII
Aquis Tarbellicis	XXXIX
Mosconnum	XVI
Segosa	XII
Losa	XII
Boios	VII
Burdigalo	XVI

(*) Curſiuo caractere notata ſunt Hodoeporici.

NARBONENSIS

Ex itinere Mediolanenſi a Viromago Aug. Praetoriam.

Viromagus	
Viuiſco	VIIII
Penno lucos	VIIII
Tarnaias	XIIII
Octoduro	XII
In Summo Pennino	XXV
Eudracinum	XIII
Auguſta Pretoria	XXV

Ex eodem itinere per Graias ab Equeſtri col. Aug. Praetoriam.

Colonia Equeſtris	
Gennaua	XII
Condate	XXX
Etanna	XXI
Auguſtum	XII
Lauiſcone	XIIII
Leminco	XIIII
Mantala	XVI
Ad Publicanos	XVI
Obilonna	III
Darantaſia	XIII
Aximam	X
Bergintrum	VIIII
In Alpe Graia	XII
Ariolica	VI
Arebrigium	XVI
Auguſta Pretoria	XXV

Iter a Lugduno Auguſtum.

Lugdune caput Galliae.	
Vigenna	XVI
Berguſium	XXI
Auguſtum	XVI

Iter a Vienna Auguſtam Taurinorum.

Vigenna	
Turecionno	XV
Morginno	XIIII
Culabone	XIIII
Catoriſſium	XII
Melloſecto	V
Durotinco	X
Stabatione	VII
In Alpe Cottia	VIII
Gadaone	V
Martis	VIII
Seguſione	XVII
Finibus	XXII
Auguſta Taurinor.	XVIII

Iter aliud per Valentiam, ad Cottias.

Vigenna	
Figlinis	XVII
Tegna	XVI
Valentia	XIII
Auguſtum	XXII
Dea Bocontior	XII
Luco	XII
Geminas	XVIII
Geminas	XIIII
In Alpe Cottia	XIIII

Ex itinere Mediolanenſi a Lugduno Aug. Taurinorum.

Lugdune caput Galliar.	
Vigenna	XVI
Figlinis	XVII
Tegna	XVI
Valentia	XIII
Auguſtum	XXII
Ad Deam Bocontior.	XII

Luco	XII
Vapincum	XIIII
Ictodurum	VI
Catorigomagus	VI
Eburuno	VII
Rama	XVII
Brigantione	XVIIII
In Alpe Cottia	VI
Gadaone	V
Martis	VIII
Segusione	XVII
Finibus	XXII
Augusta Taurinor.	XVIII

Ex itinere Mediolanensi ab Arelate Segusionem.

Arelato	
Ernagina	VI
Clano	VIII
Caballine	XII
Ad Fines	XII
Apta Iulia	X
Catuicia	XII
Alaunio	XVI
Segusterone	XIIII
Alarante	XVI
Vapincum	XVIII
Ictodurum	VI
Catorigomagus	VI
Eburuno	VII
Rama	XVII
Brigantione	XVIIII
In Alpe Cottia	VI
Gadaone	V
Martis	VIII
Segusione	XVII

Iter ab Arelate Valentiam.

Arelato	
Ernagina	VI
Auennione	XV
Arusione	XV
Senomago	XV
Acunum	XVIII
Batiana	XII
Valentia	XVIIII

Ex itinere Romano ab Arelate ad Varum amnem.

Arelato	
Fossis Marianis	XXXIII
Calcaria	XXXIII
Masilia Grecorum	XXXIII
Aquis Sestis	XVIIII
Tegulata	XV
Ad Turrem	XVI
Matauone	XVII
Foro Voconi	XXII
Foro Iulii	XVII
Ad Horrea	XVII
Antipoli	XII
Varum	X

Iter ab Arelate ad Aquas Sextias, inde Reios.

Arelato	
Clano	VII
Terisias	XI
Pisauis	XVIII
Aquis Sestis	XVIII
Reis Apollinaris	XLIIII

Iter a Reiis ad Forum Iulii.

Reis Apollinaris	
Anteis	XXII
Foro Voconi	XVIIII
Foro Iulii	XVII

Iter a Tolosa Dibonam.

Tolosa	
Fines	XXVIII

N. xx
Dibona xxiiii

Iter a Tolosa Narbonem.

Badera xv
Fines xviiii
Eburomago . . . . . . —
Carcassione xvii
Liuiana xii
Vsuerna xi
Narbone xvi

Ex itinere Tarraconensi ab Aquis Voconiis Arelate.

Voconi
Gerunda xii
Cenuiana xii
Luncaria xv
Declana xii
In Summo Pyreneo iiii
Ad Centenarium v
Illiberre xii
Ruscione v
Narbone vi
Beteris xxi
Cesserone xii
Foro Domitii xviii
Serratione xv
Ambrusium xx
Nenniso xv
Vgerno xv
Arelato viiii

Iter a Cabillione Vesontionem.

Cabillione
Ponte Dubris xiiii
Crusinie xviiii
Vesontine xv

Ex itinere Mediolanensi ab Argentorato ad Colon. Equestrem.

Argentorate
Helellum xii
Argentouaria xii
Cambete xii
Large xii
Epomanduro xvi
Loposagio xviii
Vesontine xiiii
Filo Musiaco xv
Abiolica xiiii
Eburoduno vi
Lacum Losanne xvi
Colonia Equestris xii

Ex itinere Mediolanensi ab Argentorato ad Penno lucum.

Argentorate
Helellum xii
Argentouaria xii
Cambete xii
Arialbinnum vii
Augusta Ruracum vi
Salodurum xxii
Petenisca x
Auenticum Heluetiorum . . xiiii
Minoduni xviii
Viromagus vi
Viuisco viiii
Penno lucos viiii

Fx itinere ripensi Pannonico ab Argentorato Brigantium.

Argentorate
Helellum xii
Argentouaria xii
Cambete xii
Arialbinnum vii

Auguſta Ruracum	vi
Vindoniſſa	xxii
Ad Fines	—
Arbor Felix	xxi
Brigantio	x
Ad Renum	viiii

BARBARIAE

TAVRICA

Oppida et manſiones.

Cabacos
Myſucy
Salolime
Hermoca
Nimphi
Acria
Teagina
Chimerium
Amyrni
Macara

SCYTHIA

Oppida et manſiones.

Ilmerde
Morum
Macara
Stratodis
Phamacorium
Cepos
Hale
Sopatos
Chritionis
Hermonaſſa
Arſoae
Sindecae
Acheon
Malichi

VINDELICIA.

Iter a Rauraco Samulocenas.

Auguſta Ruracum	
Vindoniſſa	xxii
Tenedone	viii
Iuliomago	xiiii
Brigobanne	xi
Aris Flauis	xiii
Samulocenis	xiiii

Iter ripenſe a Samulocenis Reginum.

Samulocenis	
Grinarione	xxii
Clarenna	—
Ad Lunam	xxii
Aquileia	xx
Opie	xviii
Septemiaci	vii
Loſodica	vii
Medianis	xi
Iciniaco	viii
Biricianis	vii
Vetonianis	xviii
Germanico	xii
Celeuſo	viiii
Aruſena	iii
Regino	xxii

Iter a Regino Boiodurum.

Regino	
Seruioduro	xxviii
Petrenſibus	xxvii
Caſtellum	xviii
Bolodurum	—

Iter a Vindoniſſa Auguſtam Vindelicum.

Vindoniſſa
Ad Fines

Arbor Felix	XXI
Brigantio	X
Ad Renum	VIIII
Vemania	XV
Viaca	XXIII
Augusta Vindelicum	XX

Iter ab Augusta ad Lunam.

Augusta Vindelicum	
Pomone	XII
Ad Lunam	XL

Iter ab Augusta Vindelicum Bedaium.

Augusta Vindelicum	
Rapis	XVIII
Nauoae	XXIIII
Camboduno	XVIII
Escone	XX
Abodiaco	XVIII
Vrusa	XIII
Bratananio	XII
Isunisca	XII
Ad Enum	XX
Bedaio	XIII

Ex itinere Veronensi ab Augusta Veldidenum.

Augusta Vindelicum	
Ad Nouas	—
Auodiaco	—
Coueliacas	—
Tarteno	XX
Scarbia	XI
Vetonina	XVIIII

RHAETIA

Iter a Brigantio Comum.

Brigantio	
Clunia	XVII
Magia	XVIII
Turia	XVI
Lapidaria	XXXII
Cunuaureu	XVIII
Taruessedo	X
Clauenna	XX
Como	XVIII

Iter ab Arbore Felice Comum.

Arbor Felix	
Curia	XLIII
Ad lacum	LX
Como	—

Ex itinere Augustano a Veldidena Veronam.

Vetonina	
Matreio	XVIII
Vepiteno	XX
Sublabione	XXV
Ponte Drusi	XIII
Tredente	XL
Sarnis	XX
Vennum	XXIIII
Verona	XVIII

NORICVM

Ex itinere ripensi a Boioduro ad Cetium.

Bolodurum	
Marinianio	—
Ouilia	—
Blaboriciaco	XIIII
Elegio	XIII
Ad Ponte Ises	XXIII
Arelate	VIII
Namare	VII
Trigisamo	XVI
Pirotorto	VIII
Comagenis	VIII
Citium	VII

Ex itinere mediterraneo ab Eno Blaboriciacum.

Ad Enum	
Bedaio	XIII
Artobrige	XVI
Iauao	XVI
Tarnantone	XIII
Laciacis	XIIII
Tergolape	XVIII
Ouilia	XIIII
Blaboriciaco	XIIII

Iter ab Ouilabi Virunum.

Ouilia	
Vetonianis	XI
Tutaſtione	XI
Ernolatia	XII
Gabromagi	XIII
Stiriate	XV
Surontio	XV
Tarturſanis	X
Viſcellis	IX
Ad Pontem	—
Noreia	XIV
Noreia	XIII
Matucaio	XIII
Varuno	XIV

Ex itinere Aquileienſi ab Iuuauo Virunum.

Iuuauo	
Cuculle	XIV
Vocario	XVII
Ani	XVII
In Alpe	XVI
Inimurio	XIIII
Grauiacis	XVII
Tarnaſici	XIIII
Beliandro	XIIII
Matucaio	XIII
Varuno	XIIII

Iter a Viruno Caleiam.

Iuenna	XXIII
Colatione	XXII
Vpellis	XVI
Celeia	XIII

Iter ab Aquileia Virunum.

Ad Silanos	XXXV
— — — —	—
Taſinemeti	—
Saloca	VIIII
Varuno	XI

PANNONIAE

SVPERIOR

Ex itinerere ripenſi a Cetio Arrabonem.

Citium	
Vindobona	VI
Villa Gai	X
Aequinoctio	IIII
Carnunto	XIIII
Gerulatis	XIIII
Ad Flexum	XVI
Stailuco	XIII
Arrabo fl.	XII

Ex itinere Sirmienſi ab Carnunto Petouionem.

Carnunto	
Vlmo	XIIII
Scarabanti	XXV
Sabarie	XXXIII
Arrabone	XX
Ad Viceſimum	XLIII
Petauione	XX

Ex itinere Romano ab Alpe Iulia Petauionem.

In Alpe Iulia	
Longatico	V
Nauporto	VI
Emona	XII
Sauo fl.	IX
Ad Publicanos	XI
Adrante	VI
Celeia	XXXVII
Ragandone	XVIII
Petauione	XVIII

Iter Murſenſe a Petauione ad Iouiam.

Petauione	
Remiſta	X
Aqua viua	X
Populos	XI
Botiuo	VIII
Soniſta	VIIII
Piretis	XII
Luntulis	XI
Iouia	VIII

Ex itinere Sirmienſi ab Emona Siſciam.

Emona	
Aceruone	XVIII
Ad Pretorium	XIIII
Crucio	XVI
Nouioduni	XVI
Romula	X
Quadrata	XIIII
Ad Fines	XIIII
Siſcia	XX
Ad Pretorium	—
Seruitio	XXX

INFERIOR

Ex itinere ripenſi ab Arrabone Aquincum.

Arrabo fl.	
Brigantio	XXX
Lepaui fl.	V
Gardelaca	XIII
Luſomana	XIII
Aquinco	XII

Ex eodem itinere ab Aquinco Cornacum.

Aquinco	
Vetuſallo	XIIII
Annamatia	XXII
Luſione	XV
Alta ripa	X
Lugione	XXII
Antiana	XII
Donatianis	XII
Ad Labores	XIII
Tittoburgo	XIII
Cornaco	XVI

Ex eodem itinere ab Cornaco Taurunum.

Cornaco	
Cuccio	XIII
Milatis	XVI
Cuſum	XVI
Acunum	XL
Bittio	VIII
Burgenis	XIII
Tauruno	X

Ex itinere Romano ab Iouia Murſam.

Iouia	
Sirotis	X
Bolentio	X

Marinianis	x
Seronis	viiii
Berebis	x
Iouallio	viiii
Murſa minor	viiii
Murſa maior	x

Iter a Murſa Sirmium.

Murſa maior	
Ponte Vlcae	xii
Cibalis	x
Conſilena	xi
Vlmo	xi
Spaneta	—
Sirmium	xiii

Iter a Sirmio Singidunum.

Sirmium	
Baſſianis	xviii
Idiminio	viii
Tauruno	viiii
Confluentibus	iii
Singiduno	—

Ex itinere Salonitano a Seruitio Sirmium.

Seruitio	
Vrbate	xxiii
Marſonie	xxxiii
Certis	xxv
Cibalis	xxiiii
Canſilena	xi
Vlmo	xi
Spaneta	—
Sirmium	xiii

Ex itinere eodem ab Aequo Seruitium.

Aequo	
Inalperio	xvi
Bariduo	viii
Ionnaria	xiiii
Saritte	xiii
Indenea	vii
Baloie	v
Leuſaba	xii
Lamatis	x
Caſra	xii
Ad Fines	xiii
Seruitio	xvi

Ex eodem itinere ab Salona Sirmium.

Tilurio	xvi
Ad Libros	xxii
In monte Bulſinio	viiii
Biſtue vetus	vi
Ad Matricem	xxv
Biſtue noua	xx
Stanecli	xxiiii
Argentaria	xxiiii
Ad Drinum	—
Genſis	xv
Sirmium	xxx

M O E S I A E

S V P E R I O R

Ex itinere ripenſi a Singiduno Viminacium.

Singiduno	
Tricornio	xiiii
Monte Aureo	xii
Margum fl.	xiiii
Viminatio	x

Ex eodem itinere a Viminacio ad Aquas.

Punicum	xiii
Vico Cuppe	xi
Ad Nouas	xii
Ad Frofulas	x

Taliatis	XV
Gerulatis	VIII
Vnam	VI
Egeta	VI
Cleuora	VIIII
Ad Aquas	VIIII

Ex itinere eodem ab Aquis ad Augustas.

Dortico	XXIIII
Ad Malum	XXV
Ratiaris	XVI
Remetodia	XII
Alino	IIII
Pomodiana	VIIII
Camistro	VIIII
Augustis	VI

Ex itinere Nicomediensi a Viminacio Naissum.

Municipio	XVIII
Iouis pago	X
Idimo	XII
Horrea Margi	XVI
Presidio Dasmum	XVII
Presidio Pompeii	XV
Granirianis	XII
Naisso	XIII

Iter a Naisso Ratiariam.

Naisso	
Timaco maiori	XXVII
Timaco minori	X
Combustica	XXVII
Ratiaris	XXVII

Iter a Lisso Naissum.

Ad Picaria	XXX
Creueni	XXX
Gabuleo	XVII
Theranda	XXX
Viciano	XXV
Vindenis	XIX
Ad Fines	XX
Hummeo	XX
Ad Herculem	VI
Naisso	XIII

Iter a Naisso Serdicam.

Naisso	
Remesiana	XXIIII
Turribus	XXV
Meldiis	XXIIII
Sertica	XXVII

INFERIOR.

Ex itinere ripensi ab Augustis ad Nouas.

Augustis	
Pedonianis	XX
Esco	XI
Vto	XIII
Anasamo	VIIII
Securispa	XVII
Dimo	XIII
Ad Nouas	XVI

Ex eodem itinere a Nouis Durostorum.

Iatro	VIIII
Trimamio	XVI
Pristis	XII
Tegris	VIIII
Appiaris	XIIII
Trasmarisca	XIII
Nigrinianis	XII
Tegulicio	XIII
Durostero	XII

Ex itinere eodem a Duroſtoro Troſmos.

Duroſtero	
Sagadaua	XVIII
Sucidaua	XII
Axiopolis	XVII
Calidaua	XVIII
Carſio	XVIII
Boreo	XXV
Troeſmis	XXI

Ex eodem itinere a Troſmis Tomos.

Troeſmis	
Arubio	VIIII
Nouioduni	XXVI
Salſouia	XLI
Ad Stoma	XXIIII
Hiſtriopoli	LX
Tomis	XL

Ex itinere litorali a Tomis Meſembriam.

Tomis	
Stratonis	XII
Callatis	XXII
Triſſa	XXIIII
Bihone	XII
Dyoſinopoli	XII
Odeſſos	XXXII
Erite	XI
Templo Iouis	XVI
Meſembria	XVI

Ex itinere mediterraneo a Scupis per Stobos Serdicam.

Scunis	
Aquis	XXI
— — — — — — — —	
Aſtibo	— —
Peutalia	L
Aelea	XX
Sertica	IIX

Iter a Serdica Philippopolim.

Sertica	
Sarto	XX
Egirca	XVIII
Zyrmis	XIIII
Phinipopolis	XXIIII

Iter ab Eſco Nicopolim.

Eſco	
Ad Putea	—
Storgoſia	VII
Dorionibus	XI
Melta	X
Nicopoliſtro	L

Iter a Nicopoli Marcianopolim.

Nicopoliſtro	
Marcianopolis	CXXX

Iter a Duroſtoro Marcianopolim.

Duroſtero	
Marcianopolis	XLV

Iter a Marcianopoli Anchialum.

Marcianopolis	
Panniſſo	XII
Scatras	XII
Cahatet	XVIII
Ancialis	XVIII

D A C I A

Iter a Viminacio Tibiſcum.

Viminatio	
Lederata	X

Apo fl.	XII
Arcidaua	XII
Centum putea	XII
Berſouia	XII
Ahihis	XII
Caput bubali	III
Tiuiſco	X

Iter a Taliata Sarmizegethuſam.

Taliatis

Tierua	XX
Ad Mediam	X
Pretorio	XIIII
Ad Pannonios	IX
Gaganis	IX
Maſclianis	XI
Tiuiſco	XIIII
Agnauiae	XIIII
Ponte Auguſti	VIII
Sarmategte	XV

Iter a Sarmizegethuſa Apulum.

Sarmategte

Ad Aquas	XIIII
Petris	XIII
Germihera	VIIII
Blandiana	VIIII
Apula	VIII

Iter ab Apulo Napucam.

Apula

Brucla	XII
Salinis	XII
Patauiſſa	XII
Napoca	XXIIII

Iter a Napoca Paroliſſum.

Napoca

Optatiana	XVI
Cargiana	XV
Cerſie	XVII
Poroliſſo	IIII

Iter ab Egeta ad Pontem Alutae.

Egeta

Drubetis	XXI
Amutria	XXXVI
Pelendoua	XXXV
Caſtris nouis	XX
Romula	LXX
Acidaua	XIIII
Ruſidaua	XXIIII
Ponte Aluti	XIIII

Iter a Ponte Alutae Apulum.

Ponte Aluti

Burridaua	XIII
Caſtra Tragana	XII
Arutela	VIIII
Pretorio	XV
Ponte vetere	VIIII
Stenarum	XLIIII
Cedonie	XII
Acidaua	XXIIII
Apula	XV

I L L Y R I C I

L I B V R N I A

Iter litorale ab Arſia fl. Seniam.

Arſia fl.

Aluona	XII
Tarſatica	XX
Ad Turres	XX
Senia	XX

Iter a Senia Ancum.

Senia	
Auendone	XX
Arypio	X
Epidotio	X
Ancus	XVI

Iter ab Anco Burnum.

Ancus	
Aufancalione	XV
Clambetis	XVI
Hapre	XIII
Burno	XIII

Iter ab Iadera Burnum.

Iadera	
Nedino	XII
Aferie	XII
Burno	XII

Iter ab Iadera Salonas.

Iadera	
Lorano	XX
Sardona	XX
Ad Pretorium	XII
Ragurio	XI
Sicfis	XV
Salona	VIIII

DALMATIA

Ex itinere litorali a Salona Naronam.

Salona	
Tilurio	XVI
Billubio	XII
Ad Nouas	VIIII
Ad Fufciana	VIIII
Bigefte	XIII
Narona	XIII

Iter a Narona ad Hihium.

Narona	
Ad Turres	XXII
Dilunto	XIII
Pardua	XIIII
Ad Hihio	XVI

Iter ab Hihio Scodram.

Ad Hihio	
Leufino	VIII
Sallunto	XII
Sanderna	XVII
Varis	VI
Sallunto	XI
Nalata	XVIII
Berfumno	X
Sinna	XVI
Scobre	XX

Iter a Scodra Dyrrachium.

Scobre	
Liffum	XXX
Piftum	XXV
Dyrratio	XXX

Iter a Burno Salonam.

Burno	
Promona	XVI
Magno	VIII
Andretio	XIIII
Salona	V

Ex itinere Sirmienfi a Saritte Salonam.

Saritte	
Ionnaria	XIII
Bariduo	XIII
Inalperio	VIII
Aequo	XVI
Salona	XVI

Iter a Salona Epetium.

Salona	
Ad Diana	IIII
Spalato	IIII
Epetio	IIII

Iter a Salona Rataneum.

Salona	
Epetio	IIII
Oneo	VII
Inaronia	XII
N.	VII

Iter litorale ab Hilio Scodram.

Asamo	XXVIII
Epitauro	XX
Resinum	XX
Vicinium	XX
Batua	XV
Scobre	XX

ITALIAE

TRANSPADANA

Ex itinere Mediolanensi a Summo Pennino Ticinum.

In Summo Pennino	
Eudracinum	XIII
Augusta Pretoria	XXV
Vtricio	XXVIII
Eporedia	XXI
Vergellis	XXXIII
Cutias	XIII
Laumellum	XII
Ticeno	XXI

Ex itinere Viennensi ab Alpe Graia Vercellas.

In Alpe Graia	
Ariolica	VI
Arebrigium	XVI
Augusta Pretoria	XXV
Vtricio	XXVIII
Eporedia	XXI
Vergellis	XXXIII

Ex itinere Arelatensi ab Alpe Cottia Aug. Taurinorum.

In Alpe Cottia	
Gadaone	V
Martis	VIII
Segusione	XVII
Finibus	XXII
Augusta Taurinorum	XVIII
Polentia	XXXV

Iter a Ticino Laudem Pompeiam.

Ticeno	
Lambrum	—
Quadrata	—
Ad Padum	VII
Placentia	XX
Laude Pompeia	XX

Ex itinere Romano a Laude Pompeia Veronam.

Mediolanum	XVI
Como	XXXV
Bergomum	—
Leuceris	XX
Brixia	XXXV
Ariolica	XXXII
Verona	XIII

Iter a Mediolano Mantuam..

Laude Pompeia	XVI
Acerras	XXI
Cremona	XIII
De Loriaco	XXII
Mantua	- -
Hoſtilia	XL

Iter a Como Mediolanum.

Clauenna	
Como	XVIII
Mediolanum	XXXV

Iter a Verona Rauennam.

Verona	
Hoſtilia	XXXIII
Rauenna	- -

VENETIA

Ex itinere Romano a Verona Aquileiam.

Verona	
Vicentia	XXXIII
Opitergio	XXXIII
Concordia	XL
Aquileia	XXX

Ex itinere Bononienſi ab Verona Aquileiam.

Verona	
Vicetia	XXXIII
Patauis	XXII
Altino	XXX
Concordia	XXX
Aquileia	XXX

Iter litorale ab Altino Adrianum.

Altino	
Ad Portum	XVI
Maio Meduaco	III
Mino Meduaco	VI
Eurone	VI
Foſſis	XVIII
VII Maria	VI
Radriani	VI

Ex itinere Romano ab Aquileia ad Alpem Iuliam.

Aquileia	
Ponte Sonti	XIIII
Fl. Frigido	—
In Alpe Iulia	XV

Iter litorale ab Aquileia ad Arſiam fl.

Aquileia	
Fonte Timaui	- -
Tergeſte	XIIII
Parentio	XLVIII
Quaeri	- -
Siluo	- -
Pola	XXX
N.	VI
Arſia fl.	VIII

LIGVRIA

Ex itinere Romano a Varo ad Vada Sabatia.

Fl. Varum	
Gemenello	VI
In Alpe Maritima . . .	VIIII
Albentimillo	VIIII
Coſta Bellene	XVI
Luco Boramni	- -
Albincauno	XV
Vadis Sobates	XXIX

Iter a Vadis Genuam.

Calanico	XII
Crixia	XX
Aquis Tatelis	XXII
Dertona	XXVII
Libarnum	– –
Genua	XVI

Iter a Genua Lunam.

Genua	
Ricina	VII
Ad Solaria	XV
Ad Monilia	VI
Boron	XIII
Lunae	– –

Iter a Vadis Sabatiis per oram Genuam.

Vico Virginis	VIIII
Alba Docilia	X
Ad Naualia	XIII
Hasta	VII
Ad Figlinas	XIII
Genua	XXVII

Iter ab Aug. Taurinorum Dertonum.

Augusta Taurinor.	
Polentia	XXXV
Alba Pompeia	– –
Hasta	XV
Foro Fului	XXII
Dertona	– –

Iter a Dertona Placentiam.

Dertona	
Iria	– –
Cameliomagus	XVI
Placentia	– –

CISPADANA

Iter a Placentia Mutinam.

Placentia	
Florentia	XV
Fidentia	X
Parna	XV
Tannetum	II
Lepido Regio	XVI
Mutina	XVII

Iter a Mutina Ariminum.

Foro Gallorum	VIII
Bononia	XVII
Isex fl.	IIII
Claterna	VI
Silarum fl.	VII
Foro Corneli	VII
Sinnium	VI
Fauentia	III
Foro Liui	X
Foro Populi	VII
Curua Cesena	VII
Ad Confluentes	VIII
Arimino	XII

Iter a Cremona Mutinam.

Cremona	
Lepido Regio	– –
Mutina	XVII

Iter litorale ab Adriano Rauennam.

Radriani	
Corniculani	VI
Neronia	– –
Sacis ad Padum	IIII
Augusta	XV
Rauenna	VI

Iter a Rauenna Ariminum.

Rauenna	
Sabis	XI
Ad Nouas	XI
Rubico fl.	IIII
Arimino	XII

T V S C I A.

Ex itinere Romano litorali a Luna ad Vada Volaterna.

Lune	
Ad Taberna frigida . . .	X
Foſſis Papirianis	XII
Piſis	XI
Turrita	VIIII
Piſcinas	XVI
Ad Fines	VIII
Velinis	XIII
Vadis Volateris	X

Iter a Vadis Volaternis Coſam.

Populonio	X
Maniliana	XII
Saleborna	VIIII
Vmbro fl.	XII
Haſta	VIII
Telamone	VIII
Albinia fl.	IIII
Coſa	VIIII

Iter a Coſa ad Martam fl.

Coſa	
Succoſa cō	- -
Ad Nouas	II
Armenita fl.	III
Foro Aureli	IIII
Marta fl.	III

Iter a Luna Florentiam.

Lunę	
Foro Clodi	XVI
Luca	- -
Ad Martis	XII
Piſtoris	VIII
Hellana	VI
Ad Solaria	VIIII
Florentia Tuſcorum . . .	VIIII

Iter a Piſis Florentiam.

Piſis	
Valuata	VIII
In Portu	XVII
Arnum fl.	IIII
Florentia Tuſcorum . . .	—

Iter a Velinis ad Aquas Volaternas.

Velinis	
Vadis Volateris	X
Aquas Volaternas	—

Iter a Florentia Cluſium.

Ad Aquileia	- -
Biturita	XIIII
Vmbro fl.	- -
Adretia	XV
Ad Nouas	XXIIII
Cluſio	VIIII

Iter a Populonio Cluſium.

Populonio	
Maniliana	XII
Aquę Populanię	VII
Ad Sextum	XXXIII
Sena Iulia	XII
Vmbro fl.	VI
Ad Menſulas	XVI
Manliana	XVIII
Ad Nouas	VIII
Cluſio	VIIII

Iter a Biturgia Clusium.

Bituriha	
Vmbro fl.	--
Ad Ioglandem	x
Ad Grecos	xii
Ad Nouas	viiii
Clusio	viiii

Iter a Cosa Martam.

Cosa	
Succosa cō	--
Saturnia	viii
Materno	xviii
Tuscana	xii
Marta	--

Iter a Clusio Tuder.

Clusio	
Pirusio	--
Vetona	xiiii
Tuder	xx

Iter a Clusio ad Aquas Passaris.

Clusio	
Pallia fl.	viiii
Volsinis	--
Aquas Passaris	viiii

E T R V R I A

Ex itinere Romano litorali a Marta fl. ad Castrum Nouum.

Marta fl.	
Tabellaria co.	ii
Mindo fl.	--
Grauisca	v
Centum Cellis	--
Aquas Tauri	iiii
Castro Nouo	vii

Iter a Castro Nouo Romam.

Aquas Apollinaris	viiii
Punicum	--
Pyrgos	v
Alsium	x
Bebiana	vi
Lorio	--
ROMA	xii

Iter a Marta Romam.

Marta	
Blera	viiii
Tarquinis	--
Aquas Apollinaris	xii
Turres	viii
Bebiana	--
Lorio	--
ROMA	xii

Iter a Pyrgis Romam.

Pyrgos	
Alsium	x
Ad Portum	viiii
ROMA	xvi

Iter a Volsiniis Romam.

Volsinis	
Aquas Passaris	viiii
Foro Cassi	xi
Vico Matrini	iiii
Sutrio	--
Vacanas	xii
Careias	viiii
Ad Sextum	viiii
Ad Pontem Iulii	iii
ROMA	vi

Iter a Blera Romam.

Blera	
Foro Clodo	XVI
Sabate co.	- -
Ad Nouas	- -
Vacanas	VIII
Careias	VIIII
Ad Sextum	VIIII
Ad Pontem Iulii	III
ROMA	VII

Iter a Tarquiniis ad Caſtrum Nouum.

Tarquinis	
Lacus et mons Ciminus	- -
Aquas Tauri	XII
Caſtro Nouo	VII

Iter a Tudere Romam.

Ameria	VI
Caſtello Amerino	VIIII
Faleros	XII
Nepe	V
Vacanas	VIIII
Veios	VIIII
Ad Sextum	VI
Ad Pontem Iulii	III
ROMA	III

Ex itinere a Spoletio Romam per Ocriculum.

Ocriculum	
Aqua viua	VI
Ad Viceſimum	- -
Ad Rubras	XI
Ad Pontem Iulii	VI
ROMA	III

V M B R I A

Ex itinere Mediolanenſi a Ceſana ad Forum Sempronii.

Curua Ceſena	
Ad Confluentes	VIII
Arimino	XII
Piſauro	XXIII
Fano Fortunae	VIII
Foro Semproni	XVI

Iter a Foro Sempronii Spoletium.

Ad Interciſa	XII
Agubio	VIIII
Ad Enſem	VIII
Haluillo	X
Nucerio	XV
Foro Flamini	XII
Meuanie	XVI
Spoletio	- -

Iter a Spoletio ad Aquam viuam.

Fano Fugitiui	VI
Ad Tine Recine	II
Interamnio	XI
Intermanana	VI
Interocrio	XII
Aqua viua	VII

Iter litorale a Fano Fortunae Anconam.

Fano Fortunae	
Mataurum fl.	II
Ad Pirum Filumeni	VIII
Sena Galli	VII
Seſtias	XII
Ancone	XIIII

Iter a Meuania ad Cutilias.

Meuanie	
N.	XII
Ad Martis	VII
Palacrinis	XVI
Foro Ecri	IIII
Interocrio	XII
Aque Cittillie	VII

P I C E N V M

Ex itinere Romano ab Ancona ad Caſtellum Firmanum.

Ancone	
Numana	XII
Miſco fl.	IX
Polentia	V
Sacrata	- -
Fluſor fl.	VI
Tinna	- -
Caſtello Firmani	II

Iter a Caſtello Firmano Hadriam.

Cupra Maritima	XII
Caſtro Trentino	XII
Caſtro Nouo	XII
Hadria	XII

Iter ab Ancona Nucceriam.

Ancone	
Auſimo	XII
Ricina	XIIII
Vrbe Saluia	XII
Camellaria	XII
Nucerio	- -

Iter ab Heluillo Anconam.

Haluillo .	
Ad Calem	VII
Ad Pirum Filumeni . . .	- -
Sena Galli	VII
Ad Enſem	X
Ancone	- -

Iter a Septempeda ad Caſtrum Truentinum. (a)

Vrbe Saluia	- -
Aſclopiceno	- -
Firmo Viceno	- -
Caſtro Trentino	- -

Ex itinere Vrbano a Macrino Aſculum Picenum.

Macrinum	
Caſtro Nouo	XVIII
Caſtro Trentino	XII
Aſclo Piceno	- -

Iter a Falacrinis Fidenas

Palacrinis	
Foro Ecri	IIII
Interocrio	XII
Aque Cittillie	VII
Reate	VIIII
Ad Nouas	XVI
Ereto	XIIII
Fidenis	XIIII

Iter a Pollentia Firmum.

Polentia	
Pauſulas	VIIII

(a) Iter hoc cum praecedenti eſt ſecundum Hodocporicon.

Afclo Piceno	XIIII
Ad Aquas	X
Surpicano	IX
Firmo Viceno	XV
Caftello Firmani	- -

Iter ab Afculo Interocrium.

Afclo Piceno	
Ad Aquas	X
Ad Martis	VII
Palacrinis	XVI
Foro Ecri	IIII
Interocrio	XII

Iter ab Interocrio Amiternum.

Interocrio	
Fifternas	X
Erulos	III
Pitinum	VII
Priferno	XII
Amiternus	XII

S A M N I V M

Ex itinere Brundufino litorali a Caftro Nouo Ortonam.

Caftro Nouo	
Hadria	XII
Pinna	VII
Salinas	VI
Oftia Eterni	V
Ortona	XVI

Iter ab Ortona Iftonium.

Ortona	
Anxano	XI
Annum	III
Pallanum	IIII
Iftonium	XII

Iter via Valeria ab Adria Albam.

Hadria	
Teano Marrucino	XII
Inter Pinum	V
Corfinio	VII
Cirfenna	- -
Alba	- -

Iter ab Alba Romam.

Carfulis	- -
Lamnas	X
Varię	V
Tibori	VIII
Ad Aquas Albulas	- -
ROMA	XVI

L A T I V M

Iter via Salaria ab Vrbe Reate.

ROMA	
Fidenis	- -
Ereto	XIIII
Ad Nouas	XIIII
Farfar fl.	XVI
Reatę	XVI

Iter a Reate Falacrinas.

Reate	
Aquę Cittillię	VIIII
Interocrio	VII
Foro Ecri	XII
Palacrinis	IIII

Iter a Priuerno ad montem Imeum.

Priferno	
Aueia	VII
Fruftenias	II
Alba	XVIII
Marrubio	XIII
Cirfenna	VII
Mons Imeus	V

Iter a Corſinio Albam.

Corſinio	
Statule	VII
Mons Imeus	- -
Cirſenna	V
Marrubio	VII
Alba	XIII

Iter a Carſeolis Sublaqueum.

Carſulis	
In monte Grani	VI
In monte Carbonario	V
Vignas	V
Sublacio	VII

Iter via Praeneſtina ab Vrbe Carſeolos.

Cabios	XII
Preneſte	XI
Treblis	XII
Carſulis	XV

Iter via Lauicana ab Vrbe Fabrateriam.

Ad Quintanas	XV
Ad Statuas	III
Ad Pactas	VII
Ad Birium	V
Conpito Anagnino	X
Ferentinum	VIIII
Febraterie	VII

Iter a Fabrateria Teanum Sidicinum.

Febraterie	
Melſel	IIII
Aquino	IIII
Caſinum	VIIII
Ad Flexum	VIII
Teano Scedicino	VIIII

Iter via Appia ab Vrbe Terracinam.

Bobellas	X
Aricia	III
Sublanubio	- -
Tres Tabernas	- -
Foro Appi	X
Terracina	- -

Iter a Terracina Sinueſſam.

Terracina	
Fundis	XIII
Formis	XIII
Menturnis	VIIII
Sinueſſa	VIIII

Iter ab Vrbe per Oſtiam Terracinam.

Hoſtis	XVI
Laurento	XVI
Lauinium	VI
Antium	XVII
Aſtura	VII
Cloſtris	VIIII
Ad Turres Albas	III
Circeios	XII
Ad Turres	IIII
Terracina	XI

C A M P A N I A

Iter via Lauicana a Teano Sidicino Beneuentum.

Teano Scedicino	
Ad Leſas	- -
Teleſie	- -
Benebento	- -

Iter ab Aufidenà Beneuentum.

Aufidena	
Eſernie	IX
Bobiano	- -

Sepinum	XII
Sirpium	XII
Benebento	XVIII

Iter a Sinuessa Capuam.

Sinuessa	
Ad Ponte Campano	- -
Vrbanis	III
Ad Nonum	III
Casilino	VI
Capuae	III

Iter a Flexo Beneuentum.

Ad Flexum	
Ad Rotas	VIIII
Esernie	VIII
Cluturno	VIII
Ebutiana	- -
Ad Lesas	IX
Sepinum	VI
Sirpium	XII
Benebento	XVIII

Iter a Minturnis Capuam.

Menturnis	
N. N.	- -
Teano Scedicino	- -
Cale	III
Casilino	VII
Capuae	III

Iter a Teano per Alifas Capuam.

Cluturno	VIIII
Ebutiana	- -
Ad Lesas Gahatie	IX
Syllas	VI
Ad Diana	VI
Capuae	III

Iter a Capua Beneuentum.

Capuae	
Calatie	VI
Ad Nouas	VI
Claudio	VIIII
Benebento	XI

Iter a Capua per Equum Tuticum Beneuentum.

Calatie	VI
Ad Lesas Gahatie	VIIII
Sepinum	VI
Aequo Tutico	- -
Foro Nouo	XII
Benebento	X

Iter a Terracina Beneuentum vsque Telesiam.

Fundis	XIII
Formis	XIII
Menturnis	VIII
Teano Scedicino	- -
Cluturno	VIIII
Ebutiana	- -
Ad Lesas Gahatie	IX
Telesie	- -
Syllas	VI

Ex itinere Neapolitano a Terracina Liternum.

Menturnis	
Sinuessa	VIIII
Saso fl.	VII
Vulturno	XII
Literno	XII

Iter a Literno Neapolim.

Cumas	VI
Aquis	III

Inuinias	III
Puteolis co.	– –
Crypta	V
Neapoli	– –

Iter a Capua Neapolim.

Capuae	
Atella	VIIII
Neapoli	VIIII

Iter via Appia a Capua Salernum.

Capuae	
Sueſſula	VIIII
Nola	VIIII
Ad Teglanum	V
Nuceria	VIIII
Salerno	VIII

Iter a Neapoli Salernum.

Herclanum	XI
Oplontis	VI
Pompeiis	III
Nuceria	XII
Salerno	VIII

Iter ab Oplontis Nuceriam.

Oplontis	
Stabios	III
Nuceria	XII

Iter a Pompeiis ad Templum Mineruae.

Pompeiis	
Stabios	III
Surrento	– –
Templ. Mineruę	–

Iter a Beneuento Salernum.

Benebento	
Abellino	XVI
Icentię	XII
Salerno	XII

Iter a Beneuento Aeculanum.

Benebento	
Nuceriola	IIII
Calor fl.	VI
Eclano	V

A P V L I A

Ex itinere Anconitano litorali ab Iſtonio Auſinum.

Iſtonium	
Larinum	XXIII
Teneapulo	XII
Ergitium	XVIII
Siponto	XXV
Anxanum	VIIII
Salinis	XII
Auſinum	VIII

Iter ab Auſino Gnatias.

Bardulos	VI
Turenum	VIIII
Natiolum	VI
Barium	VIIII
Turris Ceſaris	XX
Dertum	IX
Gnatie	IX

Ex itinere Hydruntino a Beneuento Venuſiam.

Benebento	
Nuceriola	IIII
Calor fl.	VI
Eclano	V
Subromula	XVI
Aquilonia	XI
Ponte Auſidi	VI
Venuſie	XVIII

Iter a Venusia Sublupatiam.

Venusie	
Silutum	XXXV
Sublubatia	XXV

Ex itinere Tarentino ab Corsinio Aeserniam.

Corsinio	
Sulmone	VII
Iouis Larene	VII
Ausidena	XXV
Esernie	IX

Iter a Teano Apulo Bouianum.

Teneapulo	
Geronum	VIII
Ad Pyrum	VIIII
Ad Canales	VIII
Bobiano	XI

Iter a Sipunte Beneuentum.

Siponto	
Arpos	XXI
Pretorium Lauerianum *seu*	
Nucerie Apule	VIIII
Aecas Hercul. Rani	– –
Aequo Tutico	XVIII
Foro Nouo	XII
Benebento	X

Iter a Beneuento Rudas.

Benebento	
Foro Nouo	X
Treuico	– –
Furfane	XII
Erdonias	XVIII
Ad Pirum	XII
Rudas	– –

Iter a Rudis Egnatiam.

Rudas	
Rubos	XII
Butuntos	XIIII
Celia	VIIII
Ehetium	VIIII
Norue	– –
Ad Veneris	VIII
Gnatie	VIII

Iter a Venusia Egnatiam.

Venusie	
Silutum	XXXV
Sublubatia	XXV
Norue	XX
Ad Veneris	VIII
Gnatie	VIII

CALABRIA

Ex itinere Anconitano ab Egnatia Brundusium.

Gnatie	
Speluncis	XXI
Brindisi	XXVIII

Iter ab Egnatia Hydruntum.

Gnatie	
Speluncis	XXI
Brindisi	XXVIII
Balentium	X
Luppia	XV
Ydrunte	XXV

Iter a Brundusio Tarentum.

Brindisi	
Scamnum	XV
Vrbius	VIII
Mesochoro	X
Tarento	X

Iter a Tarento Hydruntum.

Tarento	
Manduris	XX
Neretum	XXIX
Baletium	X
Vhintum	X
Veretum	X
Castra Mineruę	XII
Ydrunte	VIII

L V C A N I A

Ex itinere Mediolanensi a Venusia Anxiam.

Venusie	
Silutum	XXXV
Pisandes	XVI
Lucos	XXIIII
Potentia	XII
Anxia	XV

Iter ab Anxia Interamnium.

Anxia	
Crumento	XVIII
Cosilianum	XXV
Vico Mendicoleo	XVI
Nerulos	XXVI
Interamnio	XVIII

Iter via Appia a Salerno Cerelim.

Salerno	
Pestum	IX
Cesernia	XXXVI
Blanda	VII
Lauinium	XVI
Cerelis	VIII

Iter a Tuticense a Luco Heracleam.

Lucos	
Potentia	XII
Anxia	XV
Crumento	XVIII
Heraclea	XX

Iter a Salerno Potentiam.

Salerno	
Icentię	XII
Silarum fl.	VIIII
Nares Lucanas	VIIII
Acerronia	VIIII
Foro Populi	V
Mons Balado	- -
Lucos	- -
Potentia	XII

Iter a Tarento Thurios.

Tarento	
Turiostu	- -
Heraclea	XXV
Semnum	IIII
Turis	- -

Iter a Thuriis ad Castra Annibalis.

Turis	
Petelia	XXXVIII
Crontona	- -
Lacenium	XL
Annibali	XXXVI

Iter a Caulone Regium.

Caulon	
Lucis	XXX
Scylę	LX
Leucopetra	XX
Regium	V

Ex itinere Mediolanensi ab Interamnio Vibonam.

Interamnio	
Caprasis	VIII

Crater fl.	XXVI
Conſentia	XVIII
Temſa	XX
Aque Ange	XI
Annicia	VIII
Vibona Balentia	- -

Iter a Vibona ad Columnam.

Vibona Balentia	
Tauriana	XXIII
Arciade	XII
Columna	XII

Iter a Blanda Valentiam.

Blanda	
Lauinium	XVI
Cerelis	VIII
Clampeia	XL
Temſa	X
Tanno fl.	XIIII
Vibona Balentia	XI

Iter a Caſtris Annibalis Valentiam.

Annibali	
Scilatio	XXX. XXX
Vibona Balentia	XXV

I N S V L A E

C O R S I C A

Ex itinere a Mariana Palas.

Marianis

Iter Hodoeporici.

Aleria	XL
Praeſidio	XXX
Portu Fauoni	XXX
Palas	XXV

S A R D I N I A

Fx itinere a Tibulis Caralim.

Neapoli	- -
Sulci	- -
Vttea	- -
Nura	- -
Turribus	- -
Caralis	- -
Crucis	- -

S I C I L I A

Ex itinere Meſſanenſi a Lilybaeo Syracuſas.

Lilybeo	
Aquas Labodes	XLV
Agrigento	XL
Caluiſiana	XLIIII
Hible	XXIIII
Agris	XVIII
Siracuſis	XXIIII

Iter a Syracuſis Meſſanam.

Siracuſis	
Catina	XLIIII
Tauromenio	- -
Meſſana	- -

Ex itinere litorali a Lilybaeo Panormum.

Lilybeo	
Drepanis	XVIII
Segeſta	XIII
Panormo	XXXVI

Iter a Panormo Meſſanam.

Salunto	XII
Thermis	- -

Cephaledo	XXIIII
Haleſa	XVIII
Calacte	XII
Agatinno	XII
Tindareo	XXIX
Meſſana	XXXVI

Iter a Thermis Catinam.

Thermis	
Enna	— —
Agurio	XVIII
Centurippa	XII
Aethna	XII
Catina	— —

GRAECIAE

ILLYRIS

Ex itinere Dalmatico a Scodra Dyrrachium.

Scodra	
Liſſum	XXX
Piſtum	XXV
Dyrratio	XXX

Iter a Dyrrachio Oricum.

Dyrratio	
Geneſis fl.	— —
Hapſum	XX
Apollonia	XVIII
Aulona	XVI
Ocrocenaurio	XXXIII

Iter ab Apollonia Nicopolim.

Apollonia	
Amatria	XXX
Hadrianopoli	LV
Ilio	XXIIII
Tomarus mons	XII
Actia Nicopoli	XLV

Iter a Dyrrachio Niceam.

Dyrratio	
Petris	XV
Clodiana	XXVI
Scampis	XX
Geneſis fl.	VIIII
Ad Dianam	VII
In Candabia	VIIII
Pons Seruili	VIIII
Lignido	XIIII
N.	XVI
Nicea	— —

MACEDONIA

Ex itinere Dyrrachino a Nicea Amphipolim.

Nicea	
Heraclea	XI
Cellis	XXXII
Edeſſa	XLV
Pella	XLV
Theſſalonice	XXVII
Meliſurgin	XX
Apollonia	XVIII
Amphipoli	XXX

Iter a Scupis Stobos.

Scunis	
Aquis	XXI
Anauſaro	XII
Ad Fines	XXXII
Ad Herculc	VIII
Preſidio	VIIII
Ad Cephalon	VIIII
Gurbita	XIII
Stopis	VIII

Iter a Stobis Serdicam.

Stopis	
Tranupara	XXX
Altibo	XX
Peutalia	L
Aelea	XX
Sertica	IIX

Iter a Stobis Thessalonicam.

Stopis	
Antigonia	XII
Stenas	XI
Idomenia	XII
Tauriana	XX
Gallicum	XVII
Thessalonice	

Iter ab Heraclea Sintica Philippos.

Heraclea Santica	
Scotusa	IIII
Sarxa	XVIII
Strymon	XIII
Darauescos	VIII
Philippis	XII

Iter aliud indidem eodem.

Heraclea Santica	
Euporea	XVII
Graero	VIII
Truilo	XVII
Philippis	X

Ex itinere Aulonensi a Nicopoli Dium.

Actia Nicopoli	
Larissa	LXX
Olympum	XV
Stenas	X
Sabatium	XV
Dium	XII

Iter a Dio Thessalonicam.

Hatera	XII
Anamo	XII
Bada	VII
Arulos	(*)XII
Acerdos	XV
Beroea	XII
Pella	XXX
Thessalonice	XXVII

E P I R V S

Ex itinere Aulonensi ab Orico Nicopolim.

Aulona	
Ocrocenaurio	XXXII
Phenice	XLI
Rutharoto	LVI
Ad Dianam	VIII
Ciclis limen	XIII
Actia Nicopoli	XX
Perdioricto	XV

Iter a Nicopoli Ilium.

Actia Nicopoli	
Tamarus mons	XLV
Ilio	XII

Iter a Nicopoli Larissam.

Actia Nicopoli	
Larissa	LXX

H E L L A S

Ex itinere Aulonensi a Nicopoli Megaram.

Actia Nicopoli	
Perdioricto	XV

(*) Alias XX.

Halisso	XV
Acitoum fl.	XXXIIII
Evvenos fl.	X
Calidon fl.	X
Naupactos	IX
Euanthia	IIX
Anticirra	XV
Erusa	XII
Pache	XX
Megara	XV

Iter a Megara Elatiam.

Megara	
Eleusina	XV
Plateas	XL
Cronias	XXVII
Ceroni	VII
Elatta	XXV

Iter a Megara Athenas.

Eleusina	XV
Athenas	XIIII
Pyreo	V

Iter a Larissa Elatiam.

Larissa	
Grannona	XV
Falera	XXXVIII
Thapedon	XXVII
Thermopylas	XXVII
Scarpias	VII
Elatta	XX

PELOPONNESVS

Iter a Megara Corinthum

Megara	
Isthamo	XXIII
Corintho	VIII

Iter ab Olympia Corinthum.

Olympia	
Netido	— —
Cyllene	XIIII
Dyme	XIIII
Pathras	XV
Agion	XXV
Agira	XII
Sicione	XXV
Lethi	XX
Corintho	III

Iter a Corintho Epidaurum.

Corintho	
Cleonas	V
Micenis	— —
Argos	XII
Epitauro	XXVII

Iter a Corintho Cenchrias.

Corintho	
Cencris	VII

Iter ab Olympia Spartam.

Olympia	
Melena	XII
Megalopoli	XXII
Lacedemone	— —

Iter ab Olympia Boas.

Samaco	XV
Cyparissa	XXIIII
Pylios	XV
Methone	XXX
Asine	XV
Messene	XXX
Lacedemone	XXX
Cythion	XXX
Asopos	XXVII
Boas	XXV

Iter a Sicyone Argos.

Sicione	–
Nemea	XII
Tegeas	– –
Argos	X

C R E T A

Iter a Cisamo Gortynam.

Cisamos	
Cydonia	XXXII
Cisamos	VIII
Lappa	VIIII
Eleuterna	XXXII
Subrita	VIII
Cortina	XXXII

Iter a Gortyna Hierapytnam.

Cortina	
Cnoso	XXIII
Cresonesso	XVI
Litium	XVI
Arcade	XVI
Blenna	XXX
Hiera	XX

Iter aliud indidem eodem.

Cortina	
Inata	XXIIII
Hiera	XXXII

Iter a Cisamo Ledenam.

Cisamos	
Cantuno	XXIIII
Liso	XVI
Ledena	XXX
Cortina	XII

Iter a Gortyna Lisiam.

Cortina	
Lisia	XVI

T H R A C I A

Ex itinere Dyrrachino ab Amphipoli Porsulos

Amphipoli	
Philippis	XXXIII
Fons cō.	– –
Neapolis	– –
Acontisma	XLIIII
Topiro	XVIII
Consinto	XIII
Porsulis	XXIII

Ex eodem itinere a Porsulis Plotinopolim.

Brendici	XX
Micolito	XII
Dymis	XXIII
Aenos	XX
Zirinis	XX
Plotinopoli	XXIIII

Ex itinere Nicomediensi litorali a Mesembria Sycas.

Mesembria	
Ancialis	XII
Appollonia	XVIII
Thera	XII
Buatico	X
Scyllam	XII
Philias	XII
Thiniea	XX
Sycas	XII

Iter ab Anchiali Perinthum.

Ancialis	
Pudiho	XVII
Viſurgas	XLII
Cenopurio	XXX
Perintus	XXVIIII

Iter a Perintho Byzantium.

Perintus	
Ad Statuas	XXVIIII
Melontiana	XVIIII
Regio	XXIIII
Conſtantinopolis	XII

Ex itinere Sirmienſi a Serdica Philippopolim.

Sertica	
Sarto	XX
Egirca	XVIII
Zyrmis	XIIII
Phinipopolis	XXIIII

Ex eodem itinere a Philippopoli Hadrianopolim.

Phinipopolis	
Ranilum	XXVII
Piho	XXV
Arſum	XII
Caſtris	XVIIII
Burdenis	XVI
Hadrianopoli	XX

Iter ab Hadrianopoli Perinthum.

Hadrianopoli	
Hoſtiho	XVIII
Durtiho	XVIII
Bergule	XVIII
Dryſiporo	XII
Syrallo	XII
Perintus	X

Iter a Philippopoli Nicopolim Moeſiae.

Phinipopolis	
Sub Radice	XII
Montemno	VII
Ad Radices	VIII
Soſtra	X
Melta	XIII
Nicopoliſtro	L

Iter a Philippopoli Anchialum.

Phinipopolis	
Ranilum	XXVII
Berone	XXXVI
Cabilis	LII
Aquis Calidis	L
Ancialis	XII

Iter a Traianopoli Callipolim, ab Aeno Seſtum.

Aenos	
Colla	XX
Zorlanis	XVII
Syraſcelle	XVI
Apris	XXV
Aprodiſia	XXXIII
Callipoli	XXIIII
Seſtos	XII

A S I A E

B I T H Y N I A

Ex itinere Nicomedienſi a Chryſopoli Artanem.

Chriſopolis	
Pouisurius	--

Ad Promontorium xxv
Ad Herbas fl. xv
Melena xvi
Artane xviii

Iter ab Artane Tium per litus.

Artane
Philium xviii
Chelas xxvii
Sagaris fl. xxviii
Hyppium fl. xxxix
Byleum fl. . . . . . . - -
Lygum fl. ii
Heraclea iiii
Scylleum xxx
Tium xii

Iter a Chalcedone Nicomediam.

Chalcedonia
Liuiſſa xxxvii
Nicomedia xxiii

Iter ab Artane Hadrianopolim.

Artane
Templ. Herculis xxx
Sagar fl. x
Hadrianopoli . . . . . . - -

Iter a Nicomedia Soram.

Nicomedia
Lateas . . . . . xvii. xxiiii
Demetriu xviii
Duſepro xiii
Solympum . . . . . . - -
Hadrianopoli xxx
Manoris xx
Potomia Cepora xxxii

Iter a Nicomedia Iuliopolim.

Nicomedia
Eribulo xii
Nicea xxxiii
Tateabio xl
Dablis xxiii
Dadaſtana xl
Iuliopoli xxviiii

Iter a Pronecto Dorylaeum.

Pronetios
Nicea xxviii
Agrillo xxiiii
Dorileo xxxv

Iter a Pylis Miletopolim.

Pylae
Cio . . . . - -
Pruſa ad Olympum xv
Apollonia . . . . . . - -
Mileopoli xx

P H R Y G I A

Iter a Nicea Peſſinuntem.

Nicea
Agrillo xxiiii
Dorileo xxxv
Mideo xxviii
Tricomia xxviii
Peſinunte xxi

Iter a Dorylaeo Alyddam.

Dorileo
Cocleo xxx
Agmonia xxxv
Aludda xxv

Iter a Dorylaeo Sabatra.

Dorileo	
Fl. Sagar	- -
Docymeo	- -
Synnada	XXXII
Lullae	XXXII
Philomelo	XXXV
Laudicia Tacecaiumeno	XXVIII
Caballucome	XXIII
Sabatra	XXXII

Iter a Sabatris Iconium.

Sabatra	
Pyrgos	XXIII
Yconio	XX
Baratha	L

Ex itinere Amurienſi a Bagro Vbinnacam.

Bagrum	
Vetiſſo	XX
Egdaua	XX
Pegella	XX
Conguſſo	XX
Petra	XV
Comitanaſſo	XX
Vbinnaca	XII

Iter a Synnada Apameam.

Synnada	
Euforbio	XXXVII
Apamea Ciboton	XXXVI

Iter ab Apamea Antiochiam.

Apamea Ciboton	
Appollonia	XXIIII
Antiochia Piſidia	XLV

Iter a Dorylaeo Apameam.

Dorileo	
Nacolea	XX
Conni	XL
Eucarpia	XXII
Eumenia	XXX
Pella	- -
Ad Vicum	XII
Apamea Ciboton	XIIII

Ex itinere a Philadelphia Apameam, a Tripoli ad Vicum.

Tripoli	
Hierapoli	XII
Trallis	XV
Socratu	XXVIII
Ad Vicum	IX

Iter a Trallis Cormaſſam.

Trallis	
Laudicium Pilycum	VI
Temiſſonio	- -
Cormaſſa	XXXIIII

Ex itinere a Lampſaco Laodiceam, a Tripoli eodem.

Tripoli	
Hierapoli	XII
Laodicia	VI

A S I A

Ex itinere Lampſaceno, a Lampſaco Gargara.

Lamaſco	
Auido	XXIIII
Dardano	VIIII
Ilio	- -

Alexandria Troas	XVI
Smynthium	IIII
Affos	XV
Gargara	XXIIII

Iter a Gargaris Hierapolim.

Antandros	XVI
Adrimittios	XVI
Pergamo	– –
Gerame	XXV
Tyatira	XXXIII
Sardis	XXXVI
Philadelphia	XXV
Tripoli	XXXIIII
Hierapoli	XII

Iter a Lampsaco Cysicum.

Lamafco	
Parium	XXII
Priapos	XV
Cranico	XXVII
Cyhico	XLVIII

Iter a Cysico Pergamum.

Cyhico	
Lamafco	XXIIII
Prufias	XX
Phemenio	XXV
Argefis	XXX
Pergamo	XXXV

Iter a Prusa Pergamum.

Prufa ad Olympum	
Appollonia	– –
Mileopoli	XX
Hadrianuteba	XXXIII
Pergamo	VIII

Ex itinere Dorylaeano ab Agmonia Philadelphiam.

Agmonia	
Aludda	XXV
Clanudda	XXX
Philadelfia	XXXV

Iter ab Adramyttio Smyrnam.

Adnimittios	
Corifanio	XV
Elatia	V
Attalia	XV
Ela	X
Marinna	XII
Cyme	VIIII
Themnum	XXXIII
Smyrna	– –
Metropolis	– –

Iter a Thyatira Smyrnam.

Tyatira	
Smyrna	XXXVI

Iter a Sardis Laodiceam.

Sardis	
Ypepa	XX
Anagonie	VIIII
Magnefia	– –
Antiochie	LXXI
Carura	– –
Laudicium Pilycum	XX

Iter a Smyrna Ephesum.

Smyrna	
Metropolis	– –
Anagonie	– –
Ephefum	XXXIIII

Iter aliud indidem eodem.

Smyrna	
Teos	XXII
Lebedo	XX
Colofon	XV
Ephefum	XX

Iter Laodicenfe a Themifonio Siden.

Temiffonio	
Cormaffa	XXXIIII
Perge	XII
Syllio	X
Afpendo	XI
Sidi	XVII

Iter ab Antiochia Siden.

Antiochia Pifidia	
Sidi	LX

Iter ab Antiochia Selinuntem.

Antiochia Pifidia	
Selinunte	LXXX

Iter ab Ephefo Patras.

Ephefum	
Lince	LXXI
Miletum	LVI
Minde fl.	LVI
Chidum	XXVII
Lorimna	LXX
Cano	LXII
Patamo	XV
Patras	- -

Iter a Patris Attaleam.

Patras	
Antefillon	XXX
Coridillo	LIII
Phafelis	XXIX
Atalia	XLVII

G A L A T I A

Ex itinere Nicaeenfi a Dablis Ancyram.

Dablis	
Dadaftana	XL
Iuliopoli	XXIX
Valcaton	XII
Fines Cilicie	X
Lagania	XXVIII
Mihago	XXXVIII
Ancyra	XXVIII

Iter ab Ancyra Gorbeuntem.

Ancyra	
Nitabo	XXX
Afpafi	XXXI
Afpona	XII
Garmias	X
Corueunte	XII

Iter ab Ancyra Tauium.

Ancyra	
Acitorihiaco	XXXVI
Eccobriga	XXXIII
Laffora	XXV
Slabiu	XVII
Tauio	- -

Ex Itinere Peffinuntino a Tricomia Vetiffum.

Tricomia	
Pefinunte	XXI
Abroftola	XXIIII
Amurio	XXIII
Abroftola	XI

Tolofocorio	XXIIII
Bagrum	VII
Vetiffo	XX

Ex itinere Prufiadenfi ab Anadynata Pompeiopolim.

Anadynata	
Gangaris	XXXVI
Pompeiopolis	XXXV

PAPHLAGONIA

Iter litorale ab Tio Nauftathmum, ad Sinopen.

Tium	
Maftium	XII
Tycae	XX
Cereas	XV
Mileta	XV
Sinope	XVIII

Iter a Sinope Nauftathmum.

Cloptafa	VII
Orgibate	– –
Zacoria	– –
Helega	XXV
Nautagmo	XII
Ehene	XX

Iter ab Hadrianopoli Sinopen.

Manoris	XX
Potomia Cepora	XXXII
Antoniopolis	XV
Anadynata	XXVIII
Gangaris	XXXVI
Pompeiopolis	XXXV
Sinope	XXVII

Iter ab Antoniopoli Sinopen, ad Egilan.

Antoniopolis	
Anadynata	XXVIII
Otrefa	XXX
Virafia	XXV
Amafia	XVI
Cromen	XI
Cythero	VII
Egilan	VIII

Iter ab Egila Sinopen.

Egilan	
Carambus	XXVIII
Stefane	XXIIII
Thomia	XXVIII
Syrtas	XX
Sinope	XXIII

PONTVS

Iter litorale a Nauftathmo Polemonium.

Nautagmo	
Ehene	XX
Miffos	VIII
Ancon	XXIIII
Heracleon	XL
Caena	XXX
Camila	VII
Pytane	VIII
Polemonio	XX

Iter a Polemonio Reilam.

Melantum	VIII
Carnaffo	XXXVI
Zepyrium	XXIIII
Philocalia	XI
Cordile	XXX
Trapehunte	XVI

Hyſſilime	XXIIII
Opiunte	XVIII
Reila	XV

Iter a Tauio Amaſiam.

Tauio	
Tonea	XIII
Varſi	XXX
Amaſia	XXX

Iter ab Amaſia Polemonium.

Amaſia	
Palalce	XV
Coloe	XII
Pidis	X
Mirones	XVI
Neoceſaria	X
Bartae	XXXVIII
Polemonio	– –

Iter a Tauio Neocaeſaream.

Tauio	
Rogmon	XXXVI
Aegonne	XXXVI
Ptemari	XXVIII
Zela	XXVI
Stabulum	XXII
Seranuſa	XXII
Neoceſaria	XVI

Iter a Trapezunte Satalam.

Trapehunte	
Magnana	XX
Gihenenica	X
Bylae	XVIII
Frigidarium	VI
Patara	VIII
Medocia	XIIII
Salonenica	XII
Domana	XVIII
Satala	XVIII

Iter a Nicopoli Satalam.

Nicopoli	
Draconis	XIIII
Cuniſſa	XIII
Haſſis	X
Zihiola	XIII
Satala	XII

Iter a Polemonio Nicopolim.

Polemonio	
Sauroniſena	– –
Matuaſco	XVI
Anniaca	XVIII
Nicopoli	XVIII

Iter a Tauio Comanam.

Tauio	
Tomba	XVI
Eugoni	XXII
Ad Stabulum	– –
Meſila	XXII
Comana Pontica	XV

Iter a Comana Pontica Nicopolim.

Comana Pontica	
Gagonda	XVI
Magabula	V
Danae	XXV
Speluncis	XXV
Meſorome	– –
Nicopoli	XIII

Iter a Sebaſtia Nicopolim.

Seuaſtia	
Comaſſa	XXIII

Doganis xv
Megalaſſo xxv
Meſorome xxii
Nicopoli xiii

CAPPADOCIA

Ex itinere Caeſareenſi a Taio Donam.

Tauio
Euagina xvi
Saralio xxiiii
Zama xxii
Aquas Arauenas xxxv
Dona xx

Iter a Dona Caeſaream.

Dona
Sermuſa xx
Siua xvi
Cambe xxii
Mahaca Ceſarea xvi

Iter a Mazaca Sebaſtiam.

Mahaca Caeſarea
Sorpara xiii
Foroba xiiii
Armaha xiiii
Eudagina xvi
Magalaſſo xxxii
Comaralis xxxii
Seuaſtia xxi

Ex itinere Caeſareenſi ab Ancyra Caenam.

Ancyra
Nitabo xxx
Aſpaſi xxxi
Aſpona xx
Garmias x
Corueunte xii
Nyſſa xxii
Salaberina xx
Caena xvi

Iter a Caena Mazacam

Tracias xvi
Tyana xvi
Addaualis xxvii
Scolla xv
Cibiſtra xxii
Tetra ix
Mahaca Ceſarea . . . . - -

Iter a Podando per pylas Cilicias Tetrapyrgium.

Paduando
Aquis Calidis xii
Coriopio xxii
In Monte xii
Fines Ciliciae xx
In monte Tauro xxv
Ad Fines . . . . . . - -
Tetrapyrgia xvi
Pompeiopolis xviii

Iter a Mazaca Comanam.

Mahaca Ceſarea
Siniſpora xxiii
Araſaxa xiii
Lariſſa x
In Ciliſſa xiii
Comana Capadocia xx

Iter a Comana Cocuſum.

Catura xxi
Salandona iii
Cilea Nouum v
Arianodum v
Haſtae v
Octacuſcum v

Iter Melitense a Comana Singam.

Comana Capodocia	
Afarino	xxiiii
Caftabala	xxiiii
Pagrum	xx
Arcilapopoli	xxx
Singa	xxx

Iter á Singa Melitenen.

Singa	
Arega	xiiii
Nocoteffo	xii
Lagalaffo	xxiiii
Sema	xviii
Melentenis	xiii

Iter a Nicopoli Zimaram.

Nicopoli	
Oleoberda	xxi
Caleorfiffa	xv
Analiba	xxiiii
Zimara	xv

Iter a Satala Zimaram.

Zihiola	xii
Haffis	xiii
Cuniffa	x
Draconis	xiii
Haris	xvi
Elegarfina	xvii
Bubalia	viii
Zimara	xxvii

Iter a Zimara Melitenam.

Zenocopi	xviii
Vereufo	xviii
Saba	xiii
Dafcufa	xviii
Hifpa	xviii
Arangas	xviii
Ciaca	viii
Melentenis	xxviii

C Y P R V S

Iter litorale a Papho Salaminem.

Paphos	
Soloae	xxiiii
Lapheto	xxxiii
Cerinia	viii
Citari	xxiii
Salamina	xxiiii

Iter aliud indidem eodem.

Paphos	
Palephato	xi
Curio	xxii
Amathus	xvi
Cito	xxiiii
Salamina	xviii

Iter a Solois Citium.

Soloae	
Tamifo	xxix
Thremitus	xxiiii
Cito	xxiiii
Salamina	xviii

C I L I C I A

Ex itinere Alexandrino a Selinunte Pomzeiopolim.

Selinunte	
Animurio	--
Arfinoe	xxiii
Celendenis	--
Seleucia	xxii
Corioco	xviii
Pompeiopolis	xx

Iter ab Iſaura et Side Selinuntem.

Iſaria	
Sidi	- -
Taſpa	XXIIII
Selinunte	XV

Iter litorale a Pompeiopoli Alexandrinam.

Pompeiopolis	
Soloe	XXXII
Zephyrio	XIII
Mallo	X
Aregea	XXV
Catabolo	XXVIII
Iſſos	V
Alexandria Catiſſon	VI

Iter a Podando Tarſum.

Paduando	
Aquis Calidis	XXX
Tarſo Ciliciae	XII

Iter a Tarſo Epiphaniam inde Alexandriam.

Tarſo Cilicie	
Puramum	XVI
Adana	XXVIII
Mompſiſtea	XIX
Anaharbo	XI
Epifania	XXX
Alexandria Catiſſon	XXX

Ex itinere a Mopſueſtia Samoſatam.

Mompſiſtea	
In Comacenis	XXVII

C O L C H I S

Iter litorale ab Opiunte ad Phaſin, Apſarum vſque.

Opiunte	
Reila	XV
Ardineo	XVIII
Athenis	XIII
Abgabes	VIIII
Ciſſa	XI
Apſaro	XVI

Iter ab Apſaro ad Phaſin.

Apſaro	
Portu altu	VI
Apaſidam	XVI
Nigro	III
Phaſin	VI

Iter a Phaſi Sebaſtopolim.

Phaſin	
Cariente	III
Chobus	XVI
Sicanabis	XVIIII
Cyanes	IIII
Taſſiros	XII
Stempeo	IIII
Sebaſtopolis	IIII

Ex itinere Artaxatenſi a Sebaſtopoli Miſium.

Sebaſtopolis	
Ad Fontem felicem	LX
Ad Mercurium	XXXV
Caſpiae	XLV
Apulum	V
Pagas	VII
Gaulita	XL
Miſium	XIIII

ARMENIA

Ex itinere a Sebaſtopoli Artaxata, a Gaulita iſthuc.

Gaulita	
Miſium	XIIII
Condeſa	X
Strangira	XIIII
Artaxata	XXX

Ex itinere Andagenſi a Satala Calcidauam.

Satala	
Salmalaſſo	XX
Darucinte	XX
Aegea	XX
Lucus Baſaro	XV
Sinara	XXII
Calcidaua	XII

Iter a Calcidaua Andagam.

Autiſparate	XII
Tharſidarate	XV
Batamiſſa	XX
Ad Confluentes	X
Barantea	XXX
Andaga	XXVI

Iter ab Andaga Artaxatam.

Andaga	
Armarias	XII
Chadas	XVI
Colchion	XXIIII
Raugonia	XXIIII
Hariha	XXIIII
Coloceia	XXIIII
Paracata	XXXIII
Artaxata	XXXIII

Iter ab Artaxata Sanoram.

Artaxata	
Geluina	XX
Sanora	XXIIII

Iter a Sanora Philadum.

Sanora	
Lalla	XII
Vgubre	X
Teleda	XL
Lehela	XLIIII
Philado	VIIII

Iter a Sanora Lahum.

Sanora	
Buſtica	XXIIII
Satara	XVIII
Laho	XVI

Iter ab Artaxata Philadelphiam.

Artaxata	
Catiſpi	XXXVIIII
Soruae	XXVII
Anteba	XXIIII
Naſabi	XXIIII
Gobdi	XVII
Filaderlſia	XXIIII

Iter ab Artaxata Iſumbum.

Artaxata	
Catiſpi	XXXVIIII
Sorue	XXVII
Anteba	XXIIII
Naſabi	XXIIII
Iſumbo	XVII

Iter a Tigranocerta Ifumbum.

Triganocarten
Zanferio xxx
Cymiha xx
Dyhanas xxiiii
Patanfana xxvii
Vaftauna xxvi
Molchia xxxii
Dagneuana xxvi
Flegofina xv
Ifumbo xv

Iter a Triganocerta Sardebar.

Triganocarten
Thelbafaris xv
Sitae x
Adipte xii
Sardebar x

Iter aliud indidem eodem.

Triganocarten
Colchana xv
Nararra xlv
Ad Tygrem xiii
Sardebar xiii

Iter a Melitena Sardèbar.

Melentenis
Ad Aras . . . . --
Thirtonia viiii
Mahara viii
Colchis xvi
Coruilu xiii
Arfinia xiiii
Coiffa xiiii
Amida xvi
Ad Tygrem xxvii
Sardebar xiii

MESOPOTAMIA

Ex itinere Artaxatenfi a Philadelphia Niniuen.

Filadelfia
Trispeda xx
Parefaca xlv
Arabum iiii
Eneca vii
Rhafum iiii
Ad Tomenta iiii
Naucanio iiii
Nicea Nialia vi

Ex itinere Tigranocertano a Sardebar Singaram.

Sardebar
Arcaiapis x
Sammachi xviiii
Aque Frigide xvii
Arcamo . . . . --
Singara xxx

Iter a Zeugmate Reffainam.

Zeugma
Thiar xii
Batius xxxii
Charris xxx
Sahal xxxii
Reffaina xxxv

Iter a Reffaina Singaram.

Reffaina
Rene xxxvi
Macharta xxviii
Nifibi xxxiii
Thebeta xxxiii
Baba xviii
Singara xxxiii

Iter a Singara Hatras.

Singara	
Zagure	XXI
Ad Pontem	XVIII
Abdeae	XVIII
Ad fl. Tigrem	XX
Hatris	XX

Iter a Singara Thelſer.

Singara	
Arcamo	XXX
Thamandi	– –
Niſibi	XVI
Sarbane	X
Sapham	XXVIII
Ad fl. Tigrem	– –
Vica	X
Belnar	XX
Siher	XXX
Concon	XXIIII
Biturs	XX
Thelſer	LXXV

Iter a Thelſer Albaniam.

Thelſer	
Fl. Ramma	XL
Niſiſtu	XXIII
Danas	XXXVI
Titana fl.	XXVII
Albania	XX

Iter ab Edeſſa Singaram.

Edeſſa	
Barbare	XL
Minnocerta	X
Chanmaudi	XXII
Thilapſum	XVI
Sihinnus	XXII
Singara	XXX

Iter aliud indidem eodem.

Edeſſa	
Charra	XXVI
Fons Scabore	XXVII
Birrali	XLIIII
Thallaba	XXVIII
Thubida	XXVIII
Lacus Beberaci	XVIII
Zagurae	XVIII
Singara	XXI

Iter ab Edeſſa Tharranam.

Edeſſa	
Thalama	– –
Halia	XII
Sathena	VIII
Simtita	XII
Vicus	XXX
Thelbon	VIII
Banata	XXIIII
Aladin	XX
Tharrana	XVIII

Iter idem per Hoſtram.

Edeſſa	
Hoſtra	XII
Tharrana	XVIII

Iter a Tharrana Carras.

Tharrana	
Roſchirea	XVIII
Tigubis v. Rigubbi	XVII
Ad fontem Scorborem	XVI
Charra	XXVII

Iter a Thergubi ad lacum Beberaci.

Tigubis	
Hadia	XVI
Themeſſata	XV

Hafte	VIII
Magrus	XX
Amoftac	XX
Batitas	XXIIII
Lacus Beberaci	XII

Iter ab Obeidia Hatras.

Batitas	
Alainia	--
Sirgora	XX
Zogorra	XII
Dicat	X
Ad Herculem	XII
Hatris	XXII

Iter ab Hatris per Peloriacam Albaniam.

Hatris	
Sabbin	XXVIII
Phalcara	XXVIII
Gibrata	--
Peloriaca	XX
Charra	XLVII
Albania	XXIIII

Iter a Peloriaca Ctefiphontem.

Peloriaca	
Artemita	XX
Cefiphun	LXXI

Iter a Naharra per Seleuciam Babylonem et Vologefiam.

Naharra	
Naharre	XXIIII
Monumenta Regum	XXIIII
Sohene	XL
Seleucia	LVII
Babylonia	XLIIII
Volocefia	XVIII

Iter a Seleucia Ecbatana.

Seleucia	
Rache	LX
Rutarata	XL
Berdanna	XX
Ecbatanis Partiorum	CXX

Iter a Seleucia ad Characem Pafini.

Dorifta	XLVII
Abara	XX
Carrapho	XX
Thamara	XXXV
Cybate	XX
Donantilia	XL
Dablan	XX
Aferga	XIII
Anar	XL
Affabe	XXV
Epara	XXV
Spafinucara	XV

Iter a Charace Teredonem.

Diotahi	--
Derta	LX

S Y R I A

Ex itinere Satalenfi a Melitene Samofata.

Melentenis	
Corne	VIII
Matita	XIIII
Glaudia	XII
Barfalium	XLVI
Heba	VIIII
Charmodara	XXX
Samofata	XII

Ex itinere Comanensi ab Hastis Samosata.

Hastae	
Octacuscum	v
Capriandas	IIII
Pordonnium	IIII
Perre	v
Carbanum	II
Samosata	IIII

Ex itinere Antiochensi ab Aquis Samosata.

Aquae v. *Daphne*	
Pagaris	VI
Meleagrum	X
Metridatis regnum	VI
Thanna	VII
Cesum	VII
Heracome	VII
Samosata	- -

Iter a Mopsuestia Samosata.

Mopsistea	
In Comacenis	XXVII
Heracome	XIIII
Samosata	- -

Iter ab Antiochia Samosata.

Gephyra	XXII
Gendarum	XXII
Cyrro	XXXVI
Channunia	XX
Dolica	XXVII
Frima	XXVIII
Sugga	XX
Tarsa	XXI
Samosata	XVIII

Iter ab Antiochia Zeugma.

Gephyra	XXII
Gendarum	XXII
Thurae	- -
Regia	XVII
Ad Serta	XX
Ad Zociandem	XII
Zeugma	XII

Iter ab Antiochia per Hierapolim Zeugma.

Antiochia	
Emma	XXXIII
Calcida	XX
Berya	XXIX
Bannis	XXVII
Thiltauri	XV
Bathna	XII
Hierapoli	XVIII
Zeugma	XXIIII

Iter ab Hierapoli Zeugma.

Hierapoli	
Ceciliana	XXIIII
Europos	XV
Zeugma	XXIIII

Iter aliud indidem eodem.

Hierapoli	
Eraciha	XXV
Apammari	XVIII
Serre	VIII
Betammali	XIII
Ceciliana	XIIII
Europos	XVI
Zeugma	XXIIII

Iter ab Hierapoli Tharranam.

Hierapoli	
Eraciha	XXV
Barbalisso	XVI
Attas	XII
Risapa	VIII
Sure	XXI
Tharrana	II. VIII

Iter ab Alexandria Balaneas.

Alexandria Catisson	
Rosos	XXVIII
Seleucia	XV
Ad Orontem	XII
Laudicie	XV
Gabala	XI
Palto	VIII
Balneis	VIII

Iter a Laodicea Antiochiam.

Laodicie	
Bacataiali	– –
Antiochia	XXVII

Ex itinere Caesariensi a Balaneis Berytum.

Balneis	
Andarado	XXIIII
Ortosias	XXX
Tripoli	XII
Botrus	XX
Biblo	XII
Balbyblos	– –
Beritho	VII

Iter a Beryto Caesaream.

Beritho	
Sydone	XXIX
Tyro	XXIIII
Ptolemaide	XXXII
Thora	XX
Cesaria	VIII

Iter a Byblo Apameam.

Biblo	
Botrus	XII
Tripoli	XX
Ortosias	XII
Andarado	XXX
Iammura	X
Raphanis	– –
Orontem fl.	XXI
Apamia	XII

Iter ab Antarado Apameam.

Andarado	
Demetri	XII
Carion	XIIII
Raphanis	X
Orontem fl.	XXI
Apamia	XII

Iter ab Apcmea Hierapolim.

Apamia	
Teumenso	XXIIX
Cahi	XX
Dersera	XX
Bathna	VIII
Hieropoli	XVIII

Iter ab Apamea Palmyram.

Apamia	
Theleda	XLVIII
Occaraba	XXVIII
Centum Putea	XXVII
Palmyra	– –

Iter a Palmyra Tharranam.

Palmyra	
Harae	XVIIII
Oruba	XXII
Cholle	XXII
Risapa	XX
Sure	XXI
Tharrana	II. VIII

Iter a Beryto per Emesam Apameam.

Beritho	
Eliopoli	LVIII
Heldo	XX
Fl. Eleuter	XXVIII
Laudicia Scabiosa	XXII
Hemesa	XX
Aretusa fl.	XVI
Epifania	XX
Apamia	XIIII

Iter ab Heliopoli Damascum.

Eliopoli	
Abila	XXXII
Damaspo	XVIII

Iter a Tyro Damascum.

Tyro	
Cesarea Paneas	XXXII
Adammontem	XXVIII
Damaspo	XXVIII

Iter a Damasco Emesam.

Damaspo	
Ad Medera	XXV
Adarin	X
Ocurura	XV
Deleda	XV
Laudicia Scabiosa	X
Hemesa	XX

Iter a Damasco Palmyram.

Damaspo	
Ad Medera	XXV
Adarin	X
Adamana	XII
Casama	XX
Cehere	XX
Danoua	XVIII
Nehala	XX
Heliaramia	XLIIII
Palmyra	XXXII

Iter a Caesarea per Scythopolin Hierichuntem.

Cesaria	
Caporcotani	XXVIII
Scytopoli	XXIIII
Coabis	XII
Arcelais	XII
Herichonte	XII

Iter a Tiberiade Bostra.

Tyberias	
Cadara	XVI
Capitoliade	XVI
Adraha	XVI
Bostris	XXIIII

Iter a Bostris Damascum.

Thautia	XXIIII
Gadda	XI
Hatita	IX
Rhose	XL
Chanata	XX
Aenos	XXXVII
Damaspo	XXIIII

Iter a Caesarea Rhinocorura.

Cesaria	
Apolloniade	XXII

L 2

Ioppe	- -
Lamnia	XII
Ahoton	X
Aſcalone	XII
Rinocorura	XV

Iter ab Aſcalone Caeſaream.

Aſcalone

Ahoton	XII
Luddis	XII
Ceſaria	XII

Iter idem per Neapolim.

Ahoton	XII
Luddis	XII
Amauante	XII
Coſna	XVIIII
Neapoli	XX
Ceſaria	XXXIIII

Iter ab Aſcalone Neapolim.

Aſcalone

Betogabri	XVI
Caperaria	XIII
Herusalem v. Helya Capitolina	XXIIII
Coſna	XVI
Neapoli	XX

A R A B I A

Iter ab Arſinoe ad Dianam.

Arſinoe

Lacus Mori	- -
Medeia	XL
Phara	LXXX
Haila	L
Ad Dianam	XVI

Iter a fano Dianae Hieroſolymam.

Ad Dianam

Raſa	XVI
Cypſaria	XVI
Lyſa	XXVIII
Oboda	XLVIII
Eluſa	XXIIII
Heruſalem ñc Helya Capitolina	LXXI

Iter a fano Dianae Petras.

Ad Dianam

Poſidio	XXI
Hauarra	XXIIII
Zadagatta	XX
Petris	XVIII

Iter a Petra Eluſam.

Petris

Negla	XXII
Thornia	- -
Rababatora	XLVIII
Thamaro	LXVIII
Eluſa	LIII

P E R S I S

Ex itinere Suſiano ab Oroatide fl. Ragas.

Onoadas	- -
Darathe	XVI
Concobas	X
Beltra	XV
Hecantopolis	VIIII
Spane	L
Paſcara	XXXII
Europos	X
Nagae	XV

Iter ab Seleucia Ecbatana.

Rache	LX
Rutarata	XL
Berdanna	XX
Ecbatanis Partiorum	CXX

Iter ab Ecbatanis Perſepolim.

Ecbatanis Partiorum	
Rapſa	XXX
Bregnana	XXII
Siacus	XXX
Niſaci	X
Portipa	XII
Perſepolis conmercium	XII

Iter ab Ecbatanis Tahoram.

Ecbatanis Partiorum	
Anarus	XXXVII
Seuauicina	XX
Thermantica	XI
Orubicaria	XX
Pyctis	XVIII
Ange	XXVII
Rages	XVI
Tahora	X

Iter a Ragis Antiochiam.

Nagae	
Catippa	XX
Fociana	XX
Stai	X
Sapham	XXXV
Oſcanidati	XXXV
Aſbana	XXII
Alexandria	XX
Antiochia	LX

Iter a Ragis Negaram.

Nagae	
Palitas	XLV
Parhe	XV
Propaſta	LXXV
Aris	XXV
Thubraſſene	XL
Aſpacora	LII
Parthona	XV
Magaris	L

Iter ab Aſpacora Carſaniam.

Aſpacora	
Scobaru	LXX
Carſania	LV

Iter a Tahora Ariam.

Tahora	
Cetrona	X
Bacinora	XXXV
Arate	XX
Pharca	XVII
Aris	XXV

Iter a Perſepoli Beſtiam.

Perſepolis conmercium Perſarum	
Pantyene	LX
Arciotis	XXX
Caumatis	XX
Aradarum	X
Taharene	XX
Beſtia deſelutta	XX

Ex itinere a Beſtia Paluram.

Rhana	
Alcon	X
Pericea	LXX
Nincildae	CLX
Elymaide	LXX

I N D I A

Iter a Tahora Bucephalam.

Tahora	
Spatura	LXX
Alexandria Bucefalos	- -
Arni	XX
Pileiam	XX
Ora	XX
Phara	XV
Ochirea	XX
Cotrica	XVI
Bauterna	XX
Rana	XX
Bestia deselutta	XX

Iter a Tahora Elymaidem.

Tahora	
Palibotra	CCL
Ad fl. Gangem	D
Elymaide	CCL

Ex itinere Ragensi ab Aspacora Nagaram.

Aspacora	
Parthona	XV
Magaris	L

Iter ab Aspacora Tharmatam.

Aspacora	
Scobaru	LXX
Carsania	LV
Antiochia Tharmata	- -

Iter a Bestia Embolima.

Besti deselutta	
Rhana	XX
Alcon	X
Pericea	LXX
Nincildae	CLX
Elymaide	LXX

Iter ab Embolimis Paluram.

Elymaide	
Colcisindor	DCXXX
Thimara	DCXXV
Calippe	CCCCL
Palura	CCXX

Oppida Piratarum et regni Pandionis.

Pisauta	
Tundis	- -
Templ. Augusti	- -
Patinae	- -
Muziris	- -
Cotiara	- -
Blinca	- -

A F R I C A E

MAVRITANIA

Ex itinere litorali ab Icosio Saldas.

Icosium colon.	
Rusgunie colon..	XV
Rusibricari Matidie	XII
Cissi municipio	XXII
Rusuccuru colon.	XII
Lominio municipio	XXVIII
Rusippisir municipio	XLII
Rusahu municipium	XXIII
Saldas colonia	XXVI

Iter ab Saldis ad Paccianas.

Saldas colonia	
Musiubio Horreta	XXVI

Choba municipium xxviii
Igilgili colonia xxxviii
Paccianis Matihe xxiiii

Iter a Rusuccuro Saldas.

Rusuccuru colon.
Tigisi xii
Syda municipium xxxii
Ruha municipium xl
Saldas colonia xxv

Ex itinere Caesariensi ab Castris Tamannunam.

Castra
Galaxia xx
Equeheto . . . . . . – –
Tamascani municipium . . x
Tamannuna municipium et castellum x

Iter a Tamannuna Saldas.

Tamannuna munic. et castellum
Ad Saua municipium . . . xxv
Ad Oliuam xxv
Ruha municipium xxx
Saldas colonia xxv

Iter ab Tatilti Tamannunam.

Tatilti
Lemelli presidium c
Tamannuna munic. et cast. . . vi

Iter a Tamannuna Igilgili.

Tamannuna munic. et castellum
Steisi col. . . . . . . – –
Monte xii
Culchul colonia xiii
Mopti municipium xi
Ad Ficum xxvii

Ad Basilicam xv
Choba municipium xv
Igilgili col. xxxiii

Iter a Basilica Igilgili.

Ad Basilicam
Igilgili col. xxxiii

Iter ab Culchul Igilgili.

Culchul colonia
Tucca Fines Africe et Mauritanie lx
Igilgili col. xlvi

Iter a Praesidio Sitisi.

Presidium
Salinas Nubonenses l
Vaccis xvi
Ad oculum Marinum . . . xxv
Steisi col. xl

Iter ab oculo Marino ad Centenarium.

Ad oculum Marinum
Ad capsu Iuliani xviii
Zaras xvi
Swaddurusi p̃sidium xii
Ad Centenarium x

N V M I D I A

Ex itinere litorali ab Igilgili Tacatuam.

Igilgili col.
Paccianis Matihe xxiiii
Chulla lx
Ruficade colonia l
Paratianis xxv
Culucitani xvi

Zaca	VII
Muharur	VIII
Tacatua	VII

Iter a Tacutua Tunizam.

Sublucu	XVIII
Hyppone Regio	XXXIII
Vbus flumen	V
Armoniacum fl.	X
Ad Dianam	XV
Tuniha	XV

Iter a Rufſicade Hipponem Regium.

Rufſicade colonia	
Nedibus	XLIIII
Ad Plumbaria	XVII
Hyppone Regio	XV

Iter aliud per Cirtam a Rufſicade Hipponem.

Rufſicade colonia	
Ad villam Sele	XXX
Ad Palmam	XXV
Cirta colonia	XII
Aquis Thibilitanis	LIIII
Ad villam Seruilianam	XV
Hyppone Regio	XXX

Iter ab Culchul Cirtam.

Culchul colonia	
Caput Budelli	VII
Modolana	VII
Berzeo	IIII
Fons Camerata	IIII
Nobas Fuſciani	IIII
Zimiſes	XII
Mileu colonia	VII
Numituriana	VI
Aquartille	- -
Cirta colonia	VIIII

Iter ab Hippone Naraggara.

Hyppone Regio	
Vico Iuliani	XXV
Tipaſa	XVIII
Ad Molas	XII
Vaſidice	VI
Thacora	V
Gegetu	- -
Naraggara	V

Iter a Cirta Tipaſam.

Cirta colonia	
Caſtellum Fabatianum	- -
Thibili	XXV
Capraria	VII
Tipaſa	XII

Iter ab Hippone ad Aquas.

Hyppone Regio	
Odiana	L
Ad Aquas	XXV

Iter Tibilenſe a Sitiſi Viſaltam.

Steiſi col.	
Ad Portum	XXXV
Ad ſtabulum Olearium	- -
Baccarus	V
Ad Sturnos	X
Thadute	XII
Saluiana	XXV
Lucullianis	- -
Viſalta	XII

Iter a Viſalta Tibilim.

Buduxi	VIIII
Sigus	V

Thigifi	VIIII
Thenebrefte	VI
Ad Centenarium	VI
Ad Rubras	VI
Gafaupula	VI
Ad lapidem Baium	VI
Thibili	- -

Iter a Gafaupala Siguefen.

Gafaupala	
Fonte Potamiano	- -
Magri	III
Ruftici	IIII
Ad Pifcinas	VIIII
Velefi	VI
Vatari	III
Vico Valeriani	XXV
Ad Arualla	VIII
Sibus	XVI
Flacciana	XIIII
Siguefe	XIIII

Iter a Vatari Theuefte.

Vatari	
Flauia Marci	XVI
Vafampus	XX
Moua	XII
Theuefte	XV

Ex itinere Theueftenfi a Zaris ad vicum Aurelii.

Zaras	
Swaddurufi p̃fidium	XII
Ad Centenarium	X
Ad Dianam	XV
N.	XII
N.	X
Lampfilii	III
Ad Lali	- -
Vico Aureli	XII

Iter a vico Aurelii Theuefte.

Zyrnas Mafcli	XIIII
Ad Cahalis	X
Ad Germani	VI
Ruglata	X
Ad Mercurium	VIIII
Ad Aquas Cafaris	XVI
Theuefte	VII

Iter a Centenario ad vicum Aurelii.

Ad Centenarium	
Lamafbua	X
Lambiridi	- -
Lambefe	- -
Lambafudi	XVIII
Thamugadi	V
Popleto	VIIII
Liuiana	V
Vico Aureli	VIII

Iter a Lambefe Theuefte.

Lambefe	
Ad Bafilicam Diadumene	- -
Symmachi	XV
Ad duo Flumina	VIIII
Ad calceum Herculis	VIIII
Ad Aquas Herculis	VIIII
Mefar filia	VI
Ad Pifcinam	XVIIII
Gemellas	XXXIII
Thabudeos	XXIIII
Badias	XXIII
Ad Medias	XXV
Ad Maiores	XXVIII
Vbaha	XLII
Theuefte	LVIIII

A F R I C A

Iter litorale a Tuniza Carthaginem.

Tuniha	
Cabraca	XXIIII
Ipponte Diarito	LX
Tuniſa	XX
Membione	X
Vtica colonia	VI
Fl. Bagamada	– –
Gallum Gallinatium	VI
Chartagine colon.	XV

Iter ab Hippone Regio Carthaginem, ad Vicum Aug.

Hyppone Regio	
Odiana	L
Ad Aquas	XXV
Sunitu colonia	V
Bulla Regia	– –
Ad Silma	XII
Armaſcla fl.	XII
Nouis Aquilianis	VI
Picus	VIIII
Vico Auguſti	VII

Iter a vico Auguſti Carthaginem.

Teglata	VII
Eleſantaria	XIII
Clucar	X
Thuburbi minus	XVI
Thuraria	III
Ciciſa	XV
Chartagine colon.	XVIIII

Iter litorale Tacapenſe ab Carthagine Hadrumetum.

Charagine colon.	
Thuni	X
Maxula	XII
Ad Aquas	XXI
Ad Mercurium	VIIII
Vina vicus	VI
Siagu	XV
Pudput	III
Lamniana	X
Ad Horrea	XXII
Hadrito	XXII

Iter ab Hadrumeto Vſillam.

Hadrito	
Ruſpina	XXV
Lepte minus	– –
Tapſum	VIII
Sullecti	XV
Aholla	XII
Ruſpe	– –
Vſilla mun.	VI

Iter ab Vſilla Tacapam.

Vſilla mun.	
Taparura	– –
Thenis	XX
Macomades minores	XXVII
Ad Oleaſtrum	XXVII
Preſidio Siluani	XVIII
Lacene	VIII
Ad Palmam	VI
Tacape	XII

Iter aliud Hipponenſe a Naraggara Tignicam.

Naraggara	
Sicca Veneria	XII
Sigueſe	XXX
Druſiliana	VII
Thacia	VII
Mubſi	VII

Aobia	VII
Tignica	VI

Iter a Tignica Carthaginem.

Tichilla	XII
Membriſſa	XVI
Chiſiduo	VIII
Thurris	IIII
Sicilibba	V
Inuca	XIII
Ad Mercurium	II
Pertuſa	IIII
Chartagine colon.	XIIII

Iter a Tignica Thurris.

Muſti	VI
Choreua	VIII
Ad Aticille	X
Vallis	X
Thurris	VI

Iter a Muſti Maxulam.

Muſti	
Choreua	VIII
Riſca	X
Auitta	X
Tuburbo maius	V
Onellana	XV
Vthica	XV
Maxula	XX

Iter a Thurris Tuburbo maius.

Thurris	
Sicilibba	V
Tuburbo maius	XXVIII

Iter a Pudput Miſuam.

Pudput	
Neapoli	XII
Clipeis	XVI
Miſua	XII

Iter a Pudput Hadrumetum.

Pudput	
Orbita	XVI
Cubin	XXII
Hadrito	VII

Iter a Tuburbo maiore Hadrumetum.

Tuburbo maius	
Onellana	XV
Bibae	XVI
Mediocera	XVI
Aggerſel	VI
Vliſippira	VIII
Gurra	– –
Hadrito	VII

Iter ab Hadrumeto Thenas.

Hadrito	
Auidu vicus	XXV
Saſſura vicus	IX
Thiforo col.	XII
Bararus mun.	VIIII
Vſilla mun.	– –
Taparura	– –
Thenis	XX

Iter a Theueſte Druſilianam.

Theueſte	
Ad Mercurium	XI
Ad Medera	XIIII
Mutia	XVI
Orba	XVI
Larabus	VII
Druſiliana	XII

Iter a Theueſte Tyſdrum, a Mutia Auulam.

Mutia	
Altuburos	XVI
Alteſſera	XVI
Aſſures	X
Zama Rigia	X
Seggo	XX
Auula	X

Iter ab Auula Tyſdrum.

Autipſidam	VII
Vhappa	VI
Manange	VI
Aggar	VII
Aquas Regias	XIIII
Terento	XVI
Aeliae	X
Thiſdro col.	– –

Iter a Thabudis Thelepte.

Thabudeos	
Badias	XXIII
Ad Medias	XXV
Ad Maiores	XXVIII
Ad Palmam	XLVIII
Theleote col.	– –

Iter a Maioribus Thelepte.

Ad Maiores	
Vbaha caſtellum	XLII
Theleote col.	XX

Iter a Theueſte Thelepte.

Theueſte	
Vbaha caſtellum	LVIIII
Theleote col.	XX

Iter a Thelepte Tacapam.

Theleote col.	
Vico Gemellas	XX
Capſa colonia	XXIIII
Vereſuos	XXIII
Thaſarte	XVIIII
Sileſua	XII
Ad Aquas	XIX
Tacape	XVI

Ex itinere Tacapenſi a Capſa Thuſurum.

Capſa colonia	
Preſidio Lele	XX
Ad Pretorium	XVIII
Cerua	XXIII
Ad Turres	XXXIII
Speculum	XVIII
Thiges	XV
Thuſuros	XXV

Iter a Thuſuro Tacapam.

Aggar Selnepte	XXX
Agarſel	CXV
Puteo	XIIII
Mahatanhur	VII
Timehegeri Turris	VI
Auibus	X
Tacape col.	XVIII

Iter a Thelepte ad Ceruam.

Theleote col.	
Alonianum	XXI
Cerua	XX

Iter a Tacape Sabratam.

Tacape col.	
Templ. Veneris	XXVI
Gigti	XV

Liha municipium	XVII
Putea Pallene	XV
Prefidio	XVIII
Pifida municipio	XV
Ad Cypfaria Taberna	XX
Ad Amonem	XVII
Sabrata	XVI

Iter a Tacape Gigti.

Tacape col.	
Fulgurita	XXV
Gigti	XXV

Oppida Girbae infulae.

Girba	
Tipafa	- -
Haribus	- -
Vchium	- -

Iter a Tacape ad tabernam Veri, et Rufini.

Tacape col.	
Martae	X
Afas Luperci	XXVI
Augarmi	V.
Aufere fl.	XXV
Putea	- -
Laminię	- -
Veri	- -

Iter litorale a Sabrata ad Leptim magnam.

Sabrata	
Pontos	XVI
Affaria	XIII
Ofa col.	XX
Turris ad Algam	XII
Getullu	XV
Quintiliana	XXIII
Ad Palmam	XIIII
Lepti magna	XII

Iter aliud indidem eodem.

Sabrata	
Villa repentina	XXVII
Ofa col.	XVIII
Flaui Taberna	XVI
Cercar	XX
Subututtu	XV
Lepti magna	XXV

Iter li o ale a Lepti magna ad Praetorium.

Lepti magna	
Sugolin	XXX
Niuirgitab	XV
Simnana	XV
Tubactis mun.	XXII
Cafa Runoniana	XXV
Ad Ciflernas	XXV
Naladus	XV
Diffio Aqua amara	XXV
Chofol	XXX
Ad Ficum	XXXV
Pretorium	XVIII
Rufini Taberna	- -

Iter a Voraginibus Tubactim.

Niuirgitab	
Virga	XV
Tubactis	X

Iter a Ciflernis ad Praetorium.

Ad Ciflernas	
Diffio Aqua amara	XXXV
Mufula	XXX
Pretorium	XXV

Iter a Praetorio ad Capſum vltimum, per litus.

Praetorium	
Putea nigra	XXVIII
Macomad. Selor.	XIII
Zure	XIII
Ad Speluncas	XIII
Stina locus	XIII
Iudeor Augti Aulahon	- -
Ad Palmam	XX
Ad Capſum vltimum	XVII

Iter a Capſo vltimo ad Aras Philaenorum.

Ad Capſum vltimum	
Ad Turrem	XII
Preſidio	XX
Digdida Municipium Selorum	XII
Tagulis	- -
Are Philenor.	XXX

Iter a Capſo ad Tagulos.

Ad Capſum vltimum	
Zagahania	- -
Turris et Taberna	XXII
Tagulis	VI
Are Philenor.	XXX

L I B Y A

Ex itinere litorali ab Aris Philaenorum ad Berenicen.

Are Philenor.	
Anabucis Preſidium	XXV
Ad Puteum	XXX
Priſcu Taberna	XXX
Corniclanu	XVIII
Phenica	XXV
Noetu	XXV
Zautaberna	XXV
Ampalaontes	XXIII
Berenicide	XV

Iter a Berenice Cyrenen.

Berenicide	
Hadrianopol.	XXVIII
Tauchira col.	XXV
Ptolomaide	- -
Callis	XX
Cenopolis	XII
Balacris	XXI
Cyrenis	XII

Iter a Cyrene Antipyrgum.

Cyrenis	
Apollonia	XIII
Agabis	XVII
Matidis	XXXVI
Paliuris	XXXVI
Meciris	XXXIII
Antipego	XXII

Iter a Didonia inſ. ad Ardanaxem promont.

Ardanaxes	
Gonia	III

Iter ab Ardanaxe ad Paraetonium.

Ardanaxes	
Cardu	XXVII
Nemeſeo	XXXVI
Catabathmo	XXIIII
Aratu	XXVIII
Neſus	XXVI
Pretonio	XXIII

Iter a Paraetonio Tapoſirin.

Pretonio	
Philiſcu	XXIIII
Patrico	XXVIII
Comaru	XV
Monogami	XV
Tapoſtri	IX

A E G Y P T V S

Iter litorale a Tapoſiri Rhinocoruram.

Tapoſtri	
Ermupoli	XXV
Buto	XVI
Tinu	XII
Thilu	XVI
Heracleo	XVI
Peluſio	– –
Gerra	VIII
Caſſio	XXIII
Oſtracine	– –
Rinocorura	XXIII

Oppida inſulis Delta interiecta.

Serapeum	
Iſeum	– –
Curis	– –
Iſeum	– –
Delta	– –
Iſcopolis	– –
Iſeum	– –
Vacreus	– –
Serapeum	– –
Subaſto	– –
Serapeum	– –
Atribi	– –

Iter a Tapoſiri Memphin.

Tapoſtri	
Melcati	XXIIII
Naucrati	XXXII
Niciu	XLIII
Auleu	XXXVI
Memphis	XXIIII

Iter a Peluſio Memphin.

Peluſio	
Phacuſi	XXXVI
Senphu	VII
Simiati	– –
Stratonicidi	XXIIII
Babilonia	XXXIII
Memphis	– –

Iter a Memphi Hermucopton.

Memphis	
Taſdri	– –
Telmi	XLI
Acori	XC
Antino	XVII
Tyconpoli	XII
Panopoli	– –
Ananu	XVII
Cenoboſcio	XXVIII
Hormucopto	XLIII

Iter ab Hermucopto ad Hiera-ſycaminon.

Hormucopto	
Diospoli Quetibe	XXV
Lato	XX
Tentira	XVI
Ombos	XX
Syene	XII

Spelci XLII
Heraſicamina VI

Iter ab Hermucopto Berenicen, ſinu Arabico.

Hormucopto
Phenice XII
Affrodites XXIIII
Dydymos XX
Conpaſin XV
Dios XXII
Xeron XXIII
Philacon XXIIII
Apollonos XXIIII
Cabau XXVII
Cenonnydroma XXIIII
Pernicide portum XXII

Iter a Babylonia Medeiam.

Babilonia
Arſinoe . . . . . . – –
Cliſma . . . . . . – –
Medeia XL

ITINERA

ex Hodoeporico, qua parte Tabula deficit.

BRITANNIA

Iter a Vallo et Bremenio ad Praetorium.

Bremenio	
Corſtopitum	XX
Vindomora	IX
Vinouia	XIX
Cataractoni	XXII
Iſurium	XXIIII
Eburacum	XVII
Deruentione	VII
Delgouitia	XIII
Pretorio	XXV

Iter a Vallo et Blato Bulgio ad portum Ritupis.

Blato Bulgio	
Caſtra Exploratorum	XII
Luguuallo	XII
Voreda	XIIII
Brouonacis	XIII
Verteris	XIII
Lauatris	XIIII
Cataractoni	XIII
Iſurium	XXIIII
Eburacum	XVII
Calcaria	IX
Camboduno	XX
Mamucio	XVIII
Condate	XVIII
Deua	XX
Bouio	X
Mediolano	XX
Rutunio	XII
Vroconio	XI
Vxacona	XI
Pennocrucio	XII
Etoceto	XII
Mandueſſedo	XVI
Venonis	XII
Bennauenna	XVII
Lactodoro	XII
Magiouinto	XVII
Durocobriuis	XII
Verolamio	XII
Sulloniacis	IX
Londinio	XII
Nouiomago	X
Vagniacis	XVIII
Durobriuis	VIIII
Duroleuo	XIII
Durouerno	XII
Ad portum Ritupis	XII

Iter a Londinio ad portum Dubris.

Londinio	
Durobriuis	XXVII
Durouerno	XXV
Ad portum Dubris	XIIII

Iter a Londinio ad portum Lemanis.

Londinio	
Durobriuis	XXVII
Durouerno	XXV
Ad portum Lemanis	XVI

Iter a Londinio Luguuallium ad Vallum.

Londinio	
Ceſaromago	XXVIII
Colonia	XXIIII
Villa Fauſtini	XXXV
Icianos	XVIII
Camborico	XXXV
Duroliponte	XXV
Durobriuas	XXXV
Cauſennis	XXX
Lindo	XXVI
Segeloci	XIIII
Dano	XXI
Legeolio	XVI
Eburaco	XXI
Iſubrigantum	XVII
Cataractoni	XXIIII
Lauatris	XVIII
Verteris	XIII
Brocauo	XX
Luguuallio	XXII

Iter a Londinio Lindum.

Londinio	
Verolami	XXI
Durocobriuis	XII
Magiouinio	XII
Lactodoro	XVI
Iſannauatia	XII
Tripontio	XII
Vennonis	VIIII
Ratis	XII
Verometo	XIII
Margiduno	XIII
Ad Pontem	VII
Crococalano	VII
Lindo	XII

Iter a Regno Londinum.

Regno	
Clauſentum	XX
Venta Belgarum	X
Calleua Atrebatum	XXII
Pontibus	XXII
Londinio	XXII

Iter ab Eburaco Londinium.

Eburaco	
Lagecio	XXI
Dano	XVI
Ageloco	XXI
Lindo	XIIII
Crococalano	XIIII
Margiduno	XIIII
Vernemeto	XII
Ratis	XII
Vennonis	XII
Bannauento	XVIII
Magiouinio	XXVIII
Durocobriuis	XII
Verolamio	XII
Londinio	XXI

Iter a Venta Icenorum Londinium.

Venta Icenorum	
Sitomago	XXXII
Combretonio	XXII
Ad Anſam	XV
Camuloduno	VI
Canonio	VIIII
Ceſaromago	XII
Durolito	XVI
Londinio	XV

Iter a Clanouenta Mediolanum.

Clanouenta	
Galaua	XVIII

Alone xii
Galacum xix
Bremetonaci xxvii
Coccio xx
Mancunio xvii
Condate xviii
Mediolano xviii

Iter a Segontio Deuam.

Segontio
Conouio xxiiii
Varis xix
Deua xxxii

Iter a Calleua per Muridonum Viroconium.

Calleua
Vindomi xv
Venta Belgarum xxi
Brige xi
Sorbioduni ix
Vindogladia xii
Durnouaria viii
Muriduno xxxvi
Ifca Dumnuniorum xv
Leucaro xv
Nido xv
Bomio xv
Ifcae xxvii
Burrio ix
Gobannio xii
Magnis xxii
Brauinio xxiiii
Viroconio xxvii

Iter ab Ifca Calleuam.

Ifca
Burrio ix
Bleftio xi
Ariconio xi
Cleuo xv
Durocornouio xiiii
Spinis xv
Calleua xv

Iter aliud ab Ifca Calleuam.

Ifca
Venta Silarum ix
Abone ix
Traiectus ix
Aquis Solis vi
Verlucione xv
Cunetione xx
Spinis xv
Calleua xv

Iter a Calleua Ifcam Dumnuniorum.

Calleua
Vindomi xv
Venta Belgarum xxi
Brige xi
Sorbioduni viii
Vindogladia xii
Durnonouaria viii
Muriduno xxxvi
Ifca Dumnuniorum xv

HISPANIA

Ex itinere Mediolanenfi ad Leg. VII Geminam, a Pyreneo.

Ad Pyreneum
Iuncaria xvi
Gerunda xxvii
Barcinone lxvi
Stabulo nouo li
Tarracone xxiiii
Ilerda lxii
Tolous xxxii

N 2

Pertuſa	XVIII
Oſca	XVIIII
Ceſaraugusta	XLVI
Calagurra	XXIX
Verela	XVIII
Tritium	XVIII
Libia	XVIII
Segeſamunclo	VII
Virouesca	XI
Segeſamone	XLVII
Lacobriga	XXX
Camala	XXIIII
Lance	XXIX
Ad Leg. VII Geminam	IX

Ex itinere Arelatenſi a Pyreneo Tarraconem.

Summo Pyreneo

Iuncaria	XVI
Cinniana	XV
Aquis Voconis	XXIIII
Secerras	XV
Pretorio	XV
Barcinone	XVII
Fines	XX
Antiſtiana	XVII
Palfuriana	XIII
Tarracone	XVII

Iter a Tarracone Carthaginem Spartariam.

Tarracone

Oleaſtrum	XXI
Traia Capita	XXIIII
Dertoſa	XVII
Intibili	XXVII
Ildum	XXIIII
Sepelaci	XXIIII
Saguntum	XXII
Valentia	XVI
Sucronem	XX
Ad Statuas	XXII
Ad Turres	VIIII
Adello	XXIIII
Aſpis	XXIIII
Ilici	XXIIII
Thiar	XXVII
Carthagine Spartaria	XXV

Iter a Carthagine Spartaria Caſtulonem.

Eliocroca	XLIIII
Ad Morum	XXIIII
Baſti	XXVI
Acci	XXVI
Acatucci	XXVIII
Viniolis	XXVIII
Menteſa Baſtia	XX
Caſtulone	XXV

Iter a Corduba Caſtulonem.

Corduba

Calpurniana	XXV
Vrcaone	XX
Iliturgis	XXXIIII
Caſtulone	XX

Iter aliud indidem eodem.

Corduba

Epora	XXVIII
Vcienſe	XVIII
Caſtulone	XXXII

Iter a Caſtulone Malacam.

Caſtulone

Tugia	XXXV
Fraxinum	XVI
Hactara	XXIIII
Acci	XXXII

Alba	xxxii
Vrci	xxiiii
Turaniana	xvi
Murgi	xii
Saxetanum	xxxviii
Cauiclum	xvi
Menoba	xxxiiii
Malaca	xii

Iter a Malaca Gades.

Malaca	
Siuel	xxi
Cilniana	xxiiii
Barbariana	xxxiiii
Calpe Carteiam	x
Portu albo	vi
Mellaria	xii
Belone Claudia	vi
Besippone	xii
Mergablo	vi
Ad Herculem	xii
Gadis	xii

Iter a Gadibus Cordubam.

Gadis	
Ad Pontem	xii
Portu Gaditano	xiiii
Asta	xvi
Vgia	xxvii
Orippo	xxiiii
Hispali	ix
Basilippo	xxi
Carula	xxiiii
Ilipa	xviii
Ostippo	xiiii
Barba	xx
Antiquaria	xxiiii
Angellas	xxiii
Ipagro	xx
Vlia	x
Corduba	xviii

Iter ab Hispali Cordubam.

Hispali	
Obucula	xlii
Astigi	xvi
Ad Aras	xvi
Corduba	xxiiii

Iter ab Hispali Italicam.

Hispali	
Italica	vi

Iter ab Hispali Emeritam.

Hispali	
Carmone	xxii
Obucula	xx
Astigi	xv
Celti	xxvii
Regiana	xliiii
Emerita	xxvii

Iter a Corduba Emeritam.

Corduba	
Mellaria	lii
Artigi	xxxvi
Metellinum	xxxii
Emerita	xxiiii

Iter ab Olisipone Emeritam.

Olisipone	
Equabona	xii
Catobriga	xii
Ciciliana	viii
Malceca	xvi
Salacia	xii
Ebora	xliiii

Ad Adrum flumen	VIIII
Dipone	XII
Euandriana	XVII
Emerita	IX

Iter a Salacia Offonobam.

Salacia	
Offonoba	XVI

Iter ab Olifipone Emeritam.

Olifipone	
Aritio pretorio	XXXVIII
Abelterio	XXVIII
Matufaro	XXIIII
Ad feptem Aras	VIII
Budua	XII
Plagiaria	XII
Emerita	XXX

Iter aliud indidem eodem.

Olifipone	
Ierabrica	XXX
Scalabin	XXXII
Tubucci	XXXII
Fraxinum	XXXII
Mundobriga	XXX
Ad feptem aras	XIIII
Plagiaria	XX
Emerita	XXX

Iter ab Olifipone Bracaram Auguftam.

Olifipone	
Ierabrica	XXX
Scalabin	XXXII
Sellium	XXXII
Conembrica	XXXIIII
Eminio	X
Talabrica	XL
Langobrica	XVIII
Calem	XIII
Bracara	XXXV

Iter a Bracara Afturicam.

Bracara	
Salacia	XX
Prefidio	XXVI
Caladuno	XXVI
Ad Aquas	XVIII
Pinetum	XX
Roboretum	XXXVI
Compleutica	XXIX
Veniatia	XXV
Petauonium	XXVIII
Argentiolum	XV
Afturica	XIIII

Iter per loca maritima a Bracara Afturicam.

Bracara	
Aquis Celenis ftad.	CLXV
Vico Spacorum ftad.	CXCV
Ad duos Pontes ftad.	CL
Grandimiro ftad.	CLXXX
Trigundo M. P.	XXII
Brigantium	XXX
Caranico	XVIII
Luco Augufti	XIIII
Timalino	XXII
Ponte Neuiae	XII
Vttari	XX
Bergido	XVI
Afturica	L

Iter ab Efuri Pacem Iuliam.

Efuri	
Balfa	XXIIII

Olfonoba	XVI
Aranni	LX
Rarapia	XXXII
Ebora	XLIIII
Serpa	XIII
Fines	XX
Arucci	XXII
Pace Iulia	XXX

Iter aliud a Bracara Afturicam.

Bracara	
Salaniana	XXI
Aquis Originis	XXVIII
Aquis Querquennis	XIIII
Geminas	XIII
Salientibus	XVIII
Prefidio	VIII
Nemetobriga	XIII
Foro	XIX
Gemeftario	XVIII
Bergido	X
Interamnio Flauio	XX
Afturica	XXX

Iter aliud indidem eodem.

Bracara	
Limia	XIX
Tude	XXIIII
Burbida	XVI
Turoqua	XVI
Aquis Celinis	XXIIII
Pria	XII
Afleconia	XXIII
Breuis	XII
Martiae	XX
Luco Augufti	XVI
Timalino	XXII
Ponte Neuiae	XII
Vttaris	XX
Bergido	XVI
Interamnio Flauio	XX
Afturica	XXX

Iter ab Efuri per compendium Pacem Iuliam.

Efuri	
Myrtili	XL
Pace Iulia	XXXVI

Iter ab oftio fluminis Anae Emeritam.

Prefidio	XXIII
Ad Rubras	XXVII
Onoba	XXVIII
Ilipa	XXX
Tucci	XII
Italica	XVIII
Monte Mariorum	XLVI
Curica	XLIX
Contributa	XXIIII
Perceiana	XX
Emerita	XXIIII

Iter ab Emerita Caefarauguftam.

Emerita	
Ad Sorores	XXVI
Caftris Celicis	XX
Turmulos	XX
Rufticiana	XXII
Capara	XXII
Cecilionico	XXII
Ad Lippos	XII
Sentice	XII
Salmatice	XXIIII
Sibariam	XXI
Ocelloduri	XXI
Albucella	XXII
Amallobrica	XXVII
Septimanca	XXIIII
Niuaria	XXII
Cauca	XXII

Segouia . . . XXVIIII
Miacum . . . XXIIII
Titulcia . . . XXIIII
Complutum . . . XXX
Arriaca . . . XXII
Ceſada . . . XXIIII
Segontia . . . XXVI
Arcobriga . . . XXIII
Aquae Bilbitanorum . . . XVI
Bilbili . . . XXIIII
Nertobriga . . . XXI
Segontia . . . XIIII
Ceſaraugusta . . . XVI

Iter aliud indidem eodem.

Emerita
Betunia . . . XX
Brigecio . . . XX
Vico Aquario . . . XXXII
Oceloduri . . . XII
Titulciam manſionibus ſupra ſcriptis . . . CXCIIII
Ceſaraugustam manſionibus ſupra ſcriptis . . . CCXV

Iter ab Asturica per Cantabriam Caeſaraugustam.

Asturica
Brigecio . . . XL
Intercatia . . . XX
Tela . . . XXII
Pintiam . . . XXIIII
Rauda Cluniam . . . XXVI
Vaſamam . . . XXIIII
Voluce . . . XXV
Numantia . . . XXV
Augustobriga . . . XXIII
Turiaſſone . . . XVII
Caraui . . . XVIII
Ceſaraugusta . . . XXXVII

Iter a Turiaſſone Caeſaraugustam.

Turiaſſone
Balſione . . . XX
Allobone . . . XX
Ceſaraugusta . . . XVI

Iter per Lusitaniam ab Emerita Caeſaraugustam.

Emerita
Contoſolia . . . XII
Mirobriga . . . XXXVI
Siſalone . . . XIII
Carcuuium . . . XX
Ad Turres . . . XXVI
Mariana . . . XXIIII
Lamiui . . . XXX
Alces . . . XL
Vico Cuminario . . . XXIIII
Titulciam . . . XVIII
Ceſaraugustam manſionibus ſupra ſcriptis . . . CCXV

Iter a Laminio Toletum.

Laminio
Murum . . . XXVII
Conſabro . . . XXVIII
Toletum . . . XL

Iter a Laminio Caeſaraugustam.

Caput fluminis Anae . . . VII
Libiſoſia . . . XIIII
Parietinis . . . XXII
Saltici . . . XV
Ad Putea . . . XXXII
Valeponga . . . XL
Vrbiaca . . . XX
Albonica . . . XXV
Agiria . . . VI
Carae . . . XX

Sermone	VIIII
Cesaraugusta	XIX

Iter ab Asturica Tarraconem.

Asturica	
Vallata	XVI
Interamnio	XIII
Palantia	XIIII
Viminacio	XXXI
Lacobriga	XV
Desfobriga	XV
Segisamone	XV
Deobrigula	XV
Tritium	XXI
Virouesca	XI
Atiliana	XXX
Barbariana	XXXII
Graccurris	XXXII
Balsione	XXVIII
Cesaraugusta	XXXVI
Gallicum	XV
Bortinae	XVIII
Oscam	XII
Caum	XXIX
Mendiculeia	XIX
Ilerda	XXII
Ad Nouas	XVIII
Ad Septimum decimum	XIII
Tarraconem	XVII

Iter a Caesaraugusta Beneharnum.

Cesaraugusta	
Foro Gallorum	XXX
Ebellino	XXII
Summo Pyreneo	XXIIII
Foro Ligneo	V
Aspaluca	VII
Ilurone	XII
Beneharnum	XII

G A L L I A E

AQVITANIA

Iter ab Asturica Burdigalam.

Asturica	
Vallata	XVI
Interamnio	XIII
Palantia	XIIII
Viminacio	XXXI
Lacobriga	XV
Segisamone	XV
Deobrigula	XV
Tritium	XXI
Virouesca	XI
Vindeleia	XII
Deobriga	XIIII
Beleia	XV
Suissatio	VII
Tullonio	VII
Alba	XII
Araceli	XXI
Alantone	XVI
Pompelone	VIII
Turissa	XXII
Summo Pyreneo	XVIII
Imo Pyreneo	V
Carasa	XII
Aquis Tarbellicis	XXXIX
Mosconnum	XVI
Segosa	XII
Losa	XII
Boios	VII
Burdigalam	XVI

Iter ab Aquis Tarbellicis Burdigalam.

Aquis Tarbellicis	
Coequoſa	XVI
Tellonum	XVIII
Salomaco	XII
Burdigala	XVIII

Iter ab Aquis Tarbellicis Toloſam.

Aquis Tarbellicis	
Beneharnum	XVIIII
Oppido Nouo	XVIII
Aquis Conuenarum	VIII
Lugdunum	XVI
Calagorris	XXVI
Aquis Siccis	XVI
Vernoſole	XV
Toloſa	XV

MAVRITANIAE
TINGITANA

Iter ab Exploratione Mercuriorum Tingin.

Exploratione ad Mercurios	
Salaconia	XVI
Thamuſida	XXXII
Banaſa	XXXII
Frigidis	XXIIII
Lix col.	XVI
Tabernis	XVI
Zili	XIIII
Ad Mercuri	VI
Tingi colonia	XVIII

Iter a Tingi ad Ruſadder.

Tingi colonia	
Ad ſeptem Fratres	LX
Ad Abilem	XIIII
Ad Aquilam minorem	XIIII
Ad Aquilam maiorem	XIIII
Ad promuntorium Barbari	XII
Taenia longa	XXIIII
Cobucla	XXIIII
Parietina	XXIIII
Promuntorium	XXV
Ad ſex inſulas	XII
Promuntorio Cannarum	XXX
Promuntorio Ruſſadi	L
Ruſſadder col.	XV

Iter a Ruſadder Caeſaream.

Ruſſadder col.	
Ad tres inſulas	LXV
Flumen Malua	XII

Flumen Malua dirimit Maure-
tanias duas; incipit Ceſarienſis.

Lemnis	XXII
Popleto flumen	XXX
Ad Fratres	VI
Portu Cecili	XII
Siga municip.	XV
Portu Sigenſi	III
Camarata	XII
Ad ſalſum Flumen	XII
Ad Criſpas	XXV
Gilua colonia	V
Caſtra Puerorum	XXIII
Portus Diuinos	XVIII
Portum Magnum	XXXVI
Quiza municip.	XL
Arſenaria	XL
Cartenna col.	XVIII
Lar caſtellum	XIIII
Cartili	XV
Gunugus	XII
Ceſarea colonia	XII

Ex itinere litorali a Caesarea Saldas, Rusubricari usque.

Cesarea colonia	
Tipasa colonia	XVI
Casae Caluenti	XV
Icosium colon.	XXXII
Rusguniae colon.	XV
Rusubbicari	XXIIII

Iter a Tocolosida Tingin.

Tocolosida	
Volubilis col.	III
Aquis Dacicis	XVI
Gilda	XII
Vopiscianis	XXIII
Tremulis	XVIIII
Oppido Nouo	XII
Ad Nouas	XXXII
Ad Mercuri	XII
Tingi colonia	XVIII

CAESARIENSIS

Iter a Sitifi Caesaream.

Sitifi	
Perdices	XXV
Cellas	XXVIII
Macri	XXV
Zabi	XXV
Aras	XXX
Tatilti	XVIII
Auza	XLIIII
Rapidi	XVI
Tirinadi	XXV
Caput Cilani	XXV
Sufasar	XVI
Aquis	XVI
Cesarea	XXV

Iter a Calama Rusuccurum.

Calama	
Ad Rubras	XX
Ad Albulas	XXX
Ad Dracones	XIIII
Ad Regias	XXIIII
Tasaccora	XXV
Castra Noua	XVIII
Ballene presidio	XX
Mina	XVI
Gadaum castra	XXV
Vagal	XVIII
Castellum Tingitii	XVIII
Tigauda municipio	XXII
Oppido Nouo col.	XXXII
Tigaua castra	II
Malliana	XVI
Sufasar	XVIIII
Velisci	XV
Tanaramusa castra	XVI
Tamariceto presidio	XVI
Rapida castra	XVI
Rusuccuro colonia	XII

Iter per limitem Tripolitanum Africae a Tacapis Leptim magnam.

Tacapis	
Ad Aquas	XVIII
Agariabas	XXX
Turre Tumalleni	XXX
Ad Templum	XII
Berezeos	XXX
Ausilindi	XXXII
Agma	XXII
Augemmi	XXX

Tabalati	XXX	Thenteos	XXX
Thebelami	XXV	Auru	XXX
Tillabari	XX	Vinaza	XXXII
Adaugmagdum	XXX	Thalalati	XVI
Tabunagdi	XXV	Thenadaſſa	XXVI
Tramuſduſim	XXV	Meſphe	XXX
Tamaſcaltin	XXX	Lepti magna	XL

ORBIS ANTIQVI
EX
TABVLA ITINERARIA
LIBER I
EVROPA

EVROPA, e tribus orbis terrarum partibus, quae antiquis innotuere, nobilissima, ab occasu et borea Oceano, ab exortu Tanai, Ponto Euxino, Bosporo, et Propontide, mari Aegaeo, Aegyptio, isthmo Aegyptiaco, et sinu Arabico qui terminus Asiam ab Africa et Europa separat, ab austro Africa, et memorato isthmo ad Columnas Herculis, mare quippe vicinis commune erat, describitur. Prouincias magis praecipuas, quae Romano parebant imperio, numerat Hispaniam, Britanniam, Galliam, Rhaetiam, Noricum, Pannoniam, Italiam cum Venetis, Istris, Carnis, Illyricum, Daciam, Moesiam, Thraciam, Macedoniam, Graeciam cum Epiro, et Peloponneso, insulas maiores, Corsicam, Sardiniam, Siciliam; quarum plerasque Tabula rite exhibet, cum viarum militarium, oppidorum, fluminum, montium, et id genus rerum, ad geographiam spectantium, designatione, praeter Hispaniam et Britanniam, quas cum prima Tabulae sectione, auulsa a reliquo corpore membrana, iniuria temporum abstulit, paucis earum reliquiis demptis, quas recensere et illustrare operae pretium fore putabamus. Pro his deperditis sunt populi Germaniae, Sarmatiaeque, non pauci, et regio Bosporana fere integra, Scythia praeterea Asiatica, ad Seras vsque et Indos, cum incolis, fluminibus, montibus; quam Barbarorum orbis portionem, quod Romano nomini non parebat, occasione Germaniae et Sarmatiae, hoc libro sumus complexi; Asia vrbibus et viis ornata, etsi partem Scythiae contineat maiorem, separatim libro sequenti pertractata. Haec de Europa in vniuersum monuisse sufficerit.

CAPVT I

BRITANNIA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. NOMEN prouinciae huius, cum potiore eius parte, in Tabula desideratur; imam dumtaxat plagam, a Venta Icenorum ad Iscam Dumnoniorum, habemus. Iactura, quam accisione hac passum est insigne vetustatis monumentum, est irreparabilis. Exstat quidem Britannia Romana in Hodoeporico Antonini, quod non raro Tabulae vestigia sectatur; sed, ex nuda locorum in eo recensione, ad mentem auctoris antiqui refingere prouinciam, ne diuinando quidem licuerit. Epigraphe Hodoeporici est, ITER BRITANNIARVM. Plinius tradit, insulas omnes, quae Gallis a septemtrione imminebant, *Britannias* esse nuncupatas. Vnde Catullus, epigrammate in Caesarem: Hunc Galliae timent, timent *Britanniae*. In epigraphis veteribus vna comparet; in quadam Tiburtina, quam in Geographia epigraphica, prouincia Moesia, dedimus, Tib. Plautius, legatus et comes Claudii Caesaris in BRITANNIA. Quaedam alia, inter Dacicas relata, Romae reperta, in qua M. Statius Priscus, legat. Aug. propr. PROV. BR[illegible]TANNIAE. Nonnunquam simplice consona *Britania* in marmoribus notatur. [illegible]colae *Brittones*, aut *Britones*. Epigraphe Camerina, quam in Pannonia d[illegible]mus, inter alia habet M. Maenium Campestrinum, praef. coh. II. BRITTON. [illegible]ssum in expeditionem BRITANNICAM. Mitrouicii, in Pannonia, milites legionis BRITTANICIAN. Aetate posteriori in plures diuisa erat portiones; Rufus ternas censet: maximam Caesariensem, primam item et secundam Britanniam. In Notitia imperii quinque sunt: Caesariensis maxima, Valentina, prima, secunda, et Flauia Caesariensis. Tabula, more lapidum, vt facere solet, *Britanniam* nuncuparit vnam; in prouinciarum quippe recensione pari cum Ptolemaeo gressu plerumque incedit.

II. Patet prouincia, quatenus Romano parebat imp[illegible] vrbibus frequentata, a 12 longit. gradu ad 21. et a 50 latit. [illegible] 5[illegible] [illegible]n rationes a magistro hac in palaestra Danuilleo, quem in his [illegible] [illegible]litas. Summa regionis amplitudo, a promontorio Bolerio ad [illegible] [illegible]nis ostium, quam Tabulae fragmentum fere metitur, est cccc M. P. [illegible] ae iniuriam temporum euasit, pro suscepta ab architecto monumenti [illegible], qua prouincias et itinera ab occasu in orientem promouet, [illegible] spicit; vt Venta Icenorum in boream, Isca Dumnoniorum in austrum con[illegible]ere videantur.

§ II

Insulae, flumina.

I. IN freto Gallico, ex aduerso Duroaueri, medio notatur insula quaedam, cum inscriptione NS nnen inferius ? lenur. vt in Scheibiana editione videre licet; Noribergensis editio Velseri, ad latus, apud ostium Sequanae, *Flumen.* infra insulam, *hic nascitur.* Schedarum, quae Peutingero viuo aeri sunt incisae, sed manu desumtae imperita, altera ad ostium Patabi (Mosae) *a allarum*, infra insulam *nasenus*, habet; altera insulam ne signat quidem. Doctissimo Velsero insula ea Vectis recte videbatur; (a) qui cum A. ALLAME NASENVR legit, aliam prae manibus schedam habuerit, quam quae cura Arnoldi in lucem prodiit. Vtraque scheda, quae hoc in opere Tabulae praemittitur, summam scribae oscitantiam arguit, vt iam Velserus est iure questus. Si Scheibium, qui in praeclaro illo monumento non pauca vsu attrita deprehendit, vt Salomon Kleiner, qui opus desumsit, aerique incidit, non raro titubaret, non numquam erraret etiam, ceterum imagine monumenti ad archetypon rite expressa, si Scheibium, inquam, sequimur, NS nnen. licebit *Dumnen.* ? Lenur. *Por. Lemauior.* seu insulam Dumnensium, portum Lemauiorum, interpretari. Erant quidem Vectae vicini Belgae, a quibus Venta Belgarum est nuncupata; sed eo tempore, quo Tabula est conscripta, fuerit iuris Dumnoniorum, qui orientalem prouinciae angulum tenuere. Vectis, Ptolemaeo *Οὐηκτὶς*, Suetonio Vecta, conseruat nomen, *Wigt*, *Wight*, incolis dicta, in qua Ortelius sex numerat loca. Nouit insulas Diodorus, de plumbo differens, *Ἴκτιν*, *Ictim*, apud Britannos; quod praue scriptum Mannertus ait, (b) Strabonem quoque, qui insulae non meminit, citans; Plinium dicere voluerit, qui: Timaeus historicus, inquit, (c) a Britannia introrsus sex dierum nauigatione abesse dicit insulam Mictim, in qua candidum plumbum proueniat.“ Ad eam Britannos vitilibus nauigiis corio circumsutis nauigare; queis continuo addit: sunt, qui et alias prodant, Scandiam, Dumnam, Bergos, maximamque omnium Nerigon, ex qua in Thulen nauigetur.“ Ex quibus Dumna habet cognationem cum insula nostra.

II. Fluuius, Ratupim inter et Ansam pelago immersus, est *Tamesa*, vt Tacito, Dionique audit; Caesari *Tamesis;* qua forma Danuille vtitur. Ptolemaeo *Ἰάμισσα*, *Iamissa*, *Ιαμησὰ*, *Iamesa*, pro *Ταμησὰ* *Tamesa*, scribarum naeuo; Cassius, vocali simplice, *Ταμέσαν*, *Tamesam*, vocat non vno historiae suae loco. Nobiscum sentit Velserus, cui *Thamesis*, ex commentariis Caesaris. (d) Qua ratione Tabula nuncuparit amnem, e fragmento superstite elici nequit; hodie *Themsa* vocatur. (e)

(a) Pag. 721. edit. Norimb. 1682. (b) Britann. p. 267. (c) L. IV. c. 30. (d) L. V. B. G. c. 6. (e) Conf. Mannert. Britann. p. 206.

§ III

Populi Britanniae.

I. EA prouinciae regione, quam pars Tabulae residua exhibet, censentur populi complures, vt Iceni, Trinobantes, Cantii, Atrebates, Belgae, Dumnonii; quorum in Tabula, postremis demtis, mentio non habetur. Et illhic etiam non seorsim, vt alias, populus nominatus, sed iuncto eius vocabulo vrbi.

Iscadumnomorū. schedae, *Iscadumnomor. Iscadumnomorū.* Vels. *Iscadumnomorў.* Velserus, e scheda posteriore, ISCADVMNONIORVM legit. Hodoeporicon, *Isca Dumnunniorum*, vt e Blandiniano codice Surita exprimit, sed simplice consona, et syllabis reuulsis, *Iscadum Nuniorum.* in ceteris praue, *Scadum Inminorum*, *Mumiorum*, *Iscadum Nuniorum*, *Scadum Nonniorum*, *Scarlum Nonniorum.* Ptolemaeo, *Δάμνιοι*, *Damnii*, et *Δουμνόνιοι*, *Dumnonii*, sunt diuersi; vt ex oppidorum, quae vtrisque tribuuntur, recensione colligere licet. Apud Schottum, vtrobique *Δαμνόνιοι Damnonii* perperam dicuntur. Proinde non erat, cur ab Cellario, Mannerto, aliisque, populi diuersi committerentur, aut Erasmi Ptolemaeus erroris postularetur; iuuant enim Dumnonios Ptolemaei Tabula et Hodoeporicon; alius populi huius non meminit.

II. In editione Itala Ptolemaei, quam Io. Malombra e MSS. correxit, priores *Damnii*, Itala dialecto *Dannii*, vtroque loco, posteriores *Domnonii*, more suo *Donnonii*, adpellantur. Oppida illorum, Colania, Vanduara, Coria, Alauna, Lindum, Victoria; horum Voliba, Vxela, Tamare, Isca. Priorum regionem *Maraniam*, posteriorum *Dauoniam* adpellat Ruscellius apud Malombram.(a) Plaga, quam Dumnonii tenebant, hodie *Dewonshire*, et *Cornwallis* nuncupatur.

§ IV

Oppida, mansiones.

I. ITER primum est fragmentum eius, quod in Hodoeporico inscribitur a Venta Icenorum Londinum. In Tabula, ab Ansa pars mare, portumque, pars Londinum versus tendit. Locus hoc itinere primus, ad tavm. absque nota numerali. Velserus e schedis Peut. AD MVM. legebat, vbi nunc *ad mum*, et *Ad Mum*, comparet. Is putabat, *ad municipium* reddi posse; sed *Tauum* vocabatur locus, quem Hodoeporicon praeteriit. Mannert ex interuallis opinatur, Tauo *Loddon* in *Norfolk*, respondere posse; cum Ventam Icenorum,

(a) Pag. 79. 81. ed. Venet. 1571.

alios secutus, *Caster*, ad fluuiolum *Ventsum*, ab vrbe *Norwich* in austrum, interpretatus fuisset. Taum a Venta, vt e sequenti numero colligitur, distabat x M. P. interuallo, quo situ est *Wyndham* oppidum, in occasum hibernum; Danuille, quia Tabula correctiore carebat, locum praeteriit, Venta Icenorum in vrbe *Norwich* recte constituta.

Simomagi. XXII. scheda prior, *Simomagi.* 22. posterior, *Sinomagi.* XX. Tabula Velseri et Scheibii consentit, nisi quod apud hunc Simomagi. penultima notatur maiuscula. Hodoeporicon, *Sitomago;* quibusdam *Sitimago*, *Situmago.* Tabula insignia vrbis exprimit, quae municipii iura tenuerit, Ptolemaeo praeterita. Thomas Gale, *Wulpit* esse ait; Mannert in boream non nihil procedit, ad exitum *Blyty* amnis, regione *Suffolk*, prope vicum *Blithburg;* sed M. P. 31 deceptus est, quem censum editi Basileae et Lugduni exhibent, ceteris XXXII praeferentibus. Danuilleo, *Sitomagus*, dextra amnis *Cuse* fluuium petentis, situ oppidi *Thetford*, XXII M. P. a Venta in occasum hibernum; chartae recentiores quinque mill. Germ. interponunt, et numeri Tabulae ad *Harling* oppidum pertingunt; sed Danuillei positioni subscribendum censeo. *Wolpit* longius in austrum abest, quam vt huc referri queat.

Conuetoni. XV. Vels. *Conuetom.* XV. scheda prior, *Cōuecin.* altera *Conuetroni.* Hodoeporicon, *Combretonio.* XXII. MSS. *Combretouio*, *Compretouio.* Wesselingius, *Convetroni* ex Tabula legit, cum id scheda perperam desumta promat. Thomas Gale, *Bretenham;* Wesselingius *Stretfort*, ad fluuium *Breton;* Mannert sub *Woodbrige* in austrum regione *Suffolk.* Videtur hic respexisse Danuilleum, cui *Cambretonium*, XXII M. P. a priore in exortum hibernum, situ oppidi *Wolpit;* in chartis eo interuallo *Cockfield* vicus conspicitur, ad *Breton* amnis exortum. Tabulae numerus ad Ansam refertur; heic autem X aut XII. scribi oportebat, si per Icianas itum fuit, Danuilleo *Icianis*, *Ixwort*, laeua amnis recentis, Sitomagum praefluentis. *Woodbrige* longius in meridiem abscedit, via litorali situm.

Adansam. XV. Vels. *Adansam.* XV. scheda altera, *Adansani.* XV. Hodoeporicon, *Ad Ansam.* XV. Galeus, *ad Pansam,* Brutonus *ad Arcam*, in Hodoeporico legi volebant; quos vt Tabula manifesto refellit, sic merito Wesselingius abiicit. Galeus *Barklow*, alii *Witham*, interpretantur; Mannert, ostio fluuii *Stour*, prope vicum *Dadham*, admouet; Danuilleo, *Ansa*, laeua amnis memorati, XVI M. P. in austrum paullisper ortiuum, situ oppidi *Nayland.*

II. Camuloduno. V. sic Vels. et schedae. Hodoeporicon, *Camuloduno.* VI. Rauennali, qui Tabula integriore vsus est, vt Wesselingius credit, *Camulodulo Colonia.* Cusani MS. *Candodinis*, corrupte. Plinio, *Camaldunum;* (a) Tacito, *Camalodunum;* (b) vt Cellarius legit, aliis *Camulodunum;* Ptolemaeo Καμουδό-

---

(a) L. II. c. 77. (b) L. XII. c. 32.

λανον, *Camudolanum.* Schotti edito, *Καμουδολὰν*, *Camudolan*, Italus *Camudulano* habet, cum interpretatione, *Colceſtria.* Dio Caſſius, *Καμουλόδουνον τὸ τοῦ Κυνοβελλίνου βασίλειον*, *Camulodunum Cynobellini regiam* vocat; vbi nonnulli *Καμαλόδουνον Camalodunum* legunt; (a) qua formá vetus apud Gruterum epigraphe vtitur: (b) Cn. Munatius Baſſus, cenſitor ciuium Romanorum COLONIAE VICTRICENSIS QVAE EST IN BRITANNIA CAMALODVNI. Plerique cum Guil. Cambdeno *Maldon* eſſe volunt; Galeus *Walden;* Danuilleo, *Camalodunum,* VI M. P. in occaſum hibernum, ſitu vrbis *Colcheſter;* quod et Mannerto placuit.

Canonio. VIII. Velſ. cum ſchedis, *Caunonio* VIII. Mannert ex Tabula *Caunoium* legit. Hodoeporicon, *Canonio.* VIIII. Qui Britanniam Romanam tractauere, in terminando ſitu non conueniunt; nec poterat ſecus accidere, poſtquam in Camuloduno diſſenſere. Cambdenus *Chelmsford*, Galeus *Canfield*, auctor Britanniae Romanae *Fambridge*, interpretantur. Mannert prope vicum *Kelvedon*, a *Witham* in ſeptemtrionem, quaerit. Danuilleo, *Canonium*, a priore in occaſum paullisper hibernum, M. P. VIII. ſitu vici *Kelvedon*, vbi et hodie viae veteris veſtigia.

Baromaci. XII. ſic Velſ. et ſchedae. Hodoeporicon, *Caeſaromago* XII. De hac manſione Velſerus: Deſcriptorem oculos parum intendiſſe, inquit, B loco S accepiſſe, priores literas in lituris delitefcere, et CAESAROMACI pro *Caeſaromagi* reſtituendum eſſe contenderim. Suadet Ant. qui praeter primam manſionem, reliquum iter iisdem ſtationibus, numeris diuerſis deſcribit.“ Quae Weſſelingius ad aliud Hodoeporici iter repetit; (c) addens, hanc fuiſſe volunt, vbi *Chelmsford*, aut certe, quo loco *Writtle* conſpicitur.“ Poſterius adſeruit Gale; prius tuetur Mannert, ſubiungens, vetus loci nomen *Baromacus* fuiſſe, quod Tabula longe vetuſtiori aeuo, quam Hodoeporicon Antonini, conſtructa erat. Equidem loci vocabulum in Tabula, vt paſſim, vulgari militum vſu, in Hodoeporico conſuetudine Romana, ſcriptum cenſeo; qua de re in Prooemio dictum. Danuilleo, *Caeſaromagus*, XIV M. P. in occaſum hibernum, dextra recentis *Chelmer* amnis, apud vrbem *Chelmsford*, vbi plures viae concurrunt.

III. Ab Caeſaromago via Nouiomagum tendit, quae in parte auulſa expreſſa erat, vt concurſus viarum oſtendit, et poſteriores loci ſyllabae *Madus;* quod et Velſerus obſeruat. Sed cum haec vocabula, *Madus* et *Rotibus*, maiuscula, pro more, litera incipiant, mutilati nominis veſtigia haud facile dixeris; niſi quis, voces eas manu recentiore, tam quam integrae forent, deſcriptas velit. Adde M. P. XVII. quae a Nouiomago ad locum *Madus*, Hodoeporico Vagniacas, referri debent; vt via diuerſa, quod non raro euenit, progredi videantur. In Nouiomagi ſitu non conuenit inter geographos. Londino

(a) Vid. Reim. in L. LX. c. 21. (b) CCCCXXXIX. 5. (c) Pag. 474.

auſtraliorem eſſe debere, iam Marinus Tyrius, apud Ptolemaeum, docuit. Galeo eſt *Woodcote;* cui adſentitur Mannert, prope *Croydon* notabilia vrbis antiquae veſtigia ſupereſſe perhibens, quod Cambdenus ante cenſebat. His accedere interualla, locis adcurate reſpondentia. Danuille minutis aliquot Londinio orientaliorem facit, vt cum Durolito Hodoeporici, quod circiter *Rumford* quaeri oportere inquit Mannert, triangulum aequilaterum formet. Danuilleo, *Nouiomagus*, XII M. P. a Londinio, in exortum hibernum, ſitu oppidi *Dartfoord*, vici *Foots Cray* rectius; apud quem haec Angliae veteris pars, inde ab Anſa, tabula Atlantis III. cum deſignatione viarum eſt expreſſa.

Madus. XVII. ſic Velſ. cum ſchedis. Hodoeporicon, *Vagniacis.* XVIII. in Vaticano, *Bagniacis.* XVIIII. Danuille, Hodoeporicon cum Tabula conciliaturus, *Madviacis* ſcripſit; vt Galeo, Cambdeno, Burtono, *Maidſton* locum eſſe iubentibus, obſecundaret. Auctor Britanniae Romanae vult *Nortfleet;* cui Mannert, diſtantiae reſpectu, libens accedit, non nihil auſtralius tamen, circiter *Longfield*, ſtatui debere arbitratus. Danuilleo, vti monebamus, *Maduiacis*, XXIV M. P. a Nouiomago in exortum hibernum, dextra amnis, infra Tameſin effluentis ripa, ſitu vrbis *Maidſton. Lonfield* extra viam eſt, ad X a *Foots Cray* in exortum lapidem, quem ſitum menſurae reſpuunt. Numerus Tabulae et Hodoeporici eſt ad Durobriuin, quae ſequitur.

Rotibus. VII. Velſ. *Raribus.* VII. ſcheda prior *Roibis*, altera *Rorilus;* ad quas Velſerus: Quid ſi Ant. *Durobrouis, Dubobrus*, aut *Durobius?* Nam vnum idem nomen varie apud hunc legitur. Et fieri potuit, vt prima ſyllaba extrita, reliqua contracte ſcripta, deſcriptorem feſellerint.“ Hodoeporicon, *Durobriuis.* VIIII. alias *Durobrouis, Duroprouis, Durobrabis, Durobrius, Dubobrius, Duropronis.* Coniectura Velſeri, vt in priore, improbanda quidem non eſt; ſed, vt haec vocabula in Hodoeporico variant, ſic locus militari vſu aliquando *Rotibus* adpellari potuit, in primis, quod nulla deminutae vocis ſigna adparent. *Rocheſter* oppidum eſſe Durobriuas, Beda, et veteres chartae teſtantur. Vbi vides, *Rocheſter* cum Tabulae *Rotibus* non male conuenire. Danuilleo, *Durobriuis*, VIII M. P. in boream, impoſita flumini memorato, ſitu oppidi *Rocheſter.* Huc exierit via a Nouiomago, vt numerus praecedens indicat.

IV. Duroleuo. VII. ſcheda prior, *Duroleuo.* quod rectius quidem videatur, ſed in Tabula primum elementum eſt B. quamquam in ea B et D Longobardica manu ſaepe permutantur. Hodoeporicon, *Duroleuo.* XIII. Quoad ſitum loci inter geographos eſt diſſenſio; Cambdenus et Galeus *Lenham;* auctor Britanniae, *Milton;* Danuille, numeros Tabulae, et diſtantiam oppidi ſequentis contemplatus, *Durolenum*, VII M. P. in exortum ſtatuit a Meduiacis, ad XIII a Durobriui, lapidem, viae curſu ad Durobriuim non ſignato; eo ſitu eſt oppidum *Lenham.* Et ſane, adiunctis in conſiderationem ſumtis, interuallum VII M. P. Tabulae non ad Durobriuas, ſed ad Duroleuum a Vagniacis referri de-

bet. Auctor Tabulae, ſeu errore, ſiue compendio, numerum vna expreſſit vice, quem geminare debebat; pari enim ſere interuallo Durobriuae in boream, et Duroleuum in exortum, a Vagniacis abſunt, angulum rectum efformantes, cui oppoſitum latus, a Durobriuis Duroleuum ductum, eſt M. P. XIII.

Buroauerus. absque numero; inſignia municipii; ſchedis *Duroaueri* Hodoeporicon, *Durouerno.* XII. alias, *Drouerno*, *Durouarno*, *Duraruenno*, *Duraruenno.* Rauennas, *Durouerno Cantiacorum.* Beda, *Dorouernenſem ciuitatem*, *imperii totius metropolim*, item *regiam ciuitatem*, adpellat. (a) Ptolemaeus, in Cantiis, *Δαρόυερνον*, *Daruernum;* Surita legebat, *Δαρόυενον*, *Daruenum*, quod vetus interpres *Daruernum* reddiderit. Sed *Δαρόυερνον Daruernum* et Schotti et Eraſmi editio, Italus quoque interpres e MSS. *Daruerno*, habent. *Canterbury*, latine *Cantuariam* eſſe, conuenit inter omnes. Danuilleo, *Durouernum*, XXV M. P. a priore in exortum paulliſper borealem, amni impoſitum, ſitu memoratae vrbis *Canterbury*.

V. A Durouerno via ad tres portus, Ritupis, Dubris, Lemauis, ducens ſinditur; vt Danuille, Galeum ſecutus, rite expreſſit; quae in Tabula, ſtructura id exigente, in longum tenditur, a Durouerno Ratupis, cum alia, quae a Dubris venit, iuncta procedens, a Dubris autem Lemauis; ſed numeris, quod aegre feras, incuria librarii, exmiſſis. Hodoeporicon a Durouerno ad portus ſeorſim progreditur, non item ab vno portu ad alterum, vt Tabula.

Ratupis. absque numero; inſignia municipii. ſic Velſ. ſcheda prior, *Rauipis.* Hodoeporicon, *Ad portum Ritupis.* XII. Velſerus legit etiam, *ad portum Ritupium.* Ptolemaeo, poſt Daruernum, *Ρουτόυπιαι*, *Rutupiae*, Schotti edito *Ρουτουπίαι.* Ammiano, *Rutupiae;* Iuuenali, epitheton, *Rutupino edita fundo oſtrea.* (b) Notitia imperii, *Rutupis*, *Ruttupis.* Oroſio, *ciuitas*, *quae dicitur Rutubi portus.* (c) Galeus, *Stonar*, ceteri, cum Battely, *Richboroug*, aliquantum borealius ab *Sandwich*, interpretantur. Danuilleo, *Rutupiae*, ad oſtium fluuii, inſulam *Thanet* efficientis, x M. P. a Durouerno in exortum, ſitu oppidi *Sandwich.*

Dubris. absque numero; inſignia municipii. Velſ. *Dubris*, ſic etiam ſchedae. Kleiner propter adfinitatem B et D literarum in ſcriptura Longobardica, D notauit; quod pluribus locis ab eo factum obſerues. Hodoeporicon, itinere a Londinio ad hunc portum, Durouerno, *Ad portum Dubris.* XIII. Eadem forma vtitur Notitia imperii. *Dubrae* caſu recto exprimi oportere, putat Mannertus. *Dover* eſſe, communis eſt geographorum opinio. Danuilleo, a Durouerno in exortum hibernum XV. a Rutupiis in auſtrum x M. P. *Dubris*, ſitu oppidi *Dover*, cuius portus *Dover-Harb.*

(a) L. I. Hiſt. Eccl. c. 25. 33. (b) Conf. Weſſel. p. 473. (c) L. I. c. 2.

Lemanio. absque nota numerali; insignia municipii. Velf. *Lemauio.* scheda posterior *lemauio.* Hodoeporicon, a Londinio ad portum hunc, Durouerno, *Ad portum Lemanis.* XVI. editio Schotti, *Ad pontem Lemanis*, quod Wesselingio displicet. In vita S. Cadroës, *portum, qui Limen dicitur.* Rauennas in fluuiis Britanniae *Lemanam;* in Chron. Saxon. *Limine mund.* Quam ob rem putat Wesselingius, locum ad fluuii cognominis ostium exstitisse, cuius alueus exaruit. Signat fluuium Danuille in mediterraneis, iunctum alteri, portum *Lemanis* nuncupans, x M. P. a Dubri in occasum hibernum. Si Hodoeporici scriptura bene habet, Tabula quoque *Lemani* pro *Lemauio* habuerit, literis *n* et *u*, quod frequenter euenit, permutatis. Quamquam locus olim ori latino adcommodatius *Lemauium* dici potuit. Ptolemaeo, post fluuii Trisantonis ostium, *καινὸσ λιμὴν*, *Nouus portus*, Italus, *Douer porto, onde si passa in Francia;* sed positio Cosmographi nostro portui magis conuenire videtur. Est prope *Hythe* oppidum vicus *Limne*, dextra amnis exitu palustri, in cuius ostio *Hythe Haven*, portus ab oppido vicino nuncupatus, ad quem chartae quaedam XII M. P. numerant, tabula Europae cum Danuilleo x. M. P.

VI. In angulo Dumnoniorum, extrema viae ab Calleua ad Iscam superant, ex qua duo modo loca nominantur. Mannertus de via hac longam texit orationem, vnam Iscam Damnoniorum, perperam ad Dumnonios translatam, probaturus. Sed binas agnouit vrbes Ptolemaeus, binas Hodoeporicon, et fragmentum Tabulae, cum insignibus municipii, in angulo prouinciae, itineris fine, Iscam Dumnoniorum clare exprimit. Proinde, quidquid de itineribus Hodoeporici aliis censeri velis, fragmentum nostrum ad Dumnonios, de quibus supra dictum, spectare, nulli dubitamus.

Ridumo. absque nota numerali. Velf. *Ridumo;* scheda posterior, *Riduno;* quod Velsero probatur, addenti: Prima syllaba periit, est enim *Muriduno* Ant. quod ille mansioni *Scadum Nunniorum*, aut *Iscadum Nunniorum* (vtroque modo corrupte habet) bis proxime anteponit. Lemanis autem portus a Muriduno, et Isca, multo plus distat, quam scheda praeferat.“ Sed in ea scheda perperam ducitur via ab Isca ad Lemanem, quae in priore Scheda et Tabula recte abest. Rauennati *Moriduno*, Hodoeporico *Muriduno*, item *Conriduno;* Ptolemaeo, *Μαρίδουνον*, *Maridunum.* Galeus, *Seaton;* auctor Britanniae Romanae, *Eggerton*, interpretantur; ille *Moriduno*, collem maritimum, qualis *Seaton*, significare adserens; hic Seaton extra viam militarem esse, *Eggerton* in ea, praetcdens. Danuilleo, *Muridunum*, ad oram, prope laeuam exeuntis amnis, situ castelli *Sidmouth.*

Iscadumnoniorũ. XV. Velf. *Iscadumnomorȳ.* XV. scheda prior, *Iscadumnomor.* posterior, *Iscadumnomorũ.* Velserus ex illa, *Iscadumnomorum;* ex hac, *Iscadumnoniorum*, legit. Hodoeporicon, *Isca Dumnuniorum.* XV. varias lectiones in populis dedimus. Kleiner quoque ita scripsit, vt **dumnomorũ** legi debere videatur; sed *dumnoniorum* esse legendum, supra ostendimus, pro-

bante altera Velſeri ſcheda. Ptolemaeo, Ἴσκα, *Iſca*, in Dumnoniis. Interuallum xv M. P. probat Hodoeporicon, et Danuille. Plerique cum Galeo *Exeter*, ad Iſcam fluuium, ſtatuunt; quos Danuille ſequitur, Iſca Dumnoniorum eo interuallo, in occaſum aeſtiuum, amni memorato ad VIII ab oſtio lapidem, impoſita. Auctor Britanniae, quod *Exeter* in via Romana haud eſſet, variis de cauſſis, circa *Chiſelborough* poni oportere cenſet. *Exeter* eſt in regione *Devons*, quae Dumnoniorum veſtigia ſeruet. Atque haec de fragmento Britanniae in Tabula ſuperante; quod exiguum quidem eſſe videtur, ſed magni in geographia veteri momenti.

C A P V T II

H I S P A N I A

§ I

Nuncupatio et fines.

I. EXTREMAM ab oriente Hiſpaniae portionem, ad montes Pyrenaeos, vbi Ceretanos Hiſpaniae, et Sardonas Galliae dirimunt, in Tabula expreſſam tenemus; in quam Velſerus paucis, ſed, vt ſolet, erudite commentatur. Nomen prouinciae regno epigraphico notum. Inſcriptiones Norici et Pannoniae memorant, Titum Varium, praefectum auxiliorum, ex HISPANIA in Tingitaniam miſſorum. Tibure, lapis apud Moeſos relatus, promit Tib. Plautium Siluanum, ex praefectura Vrbis ab ſenatu in HISPANIAM miſſum. Tergeſte, apud Carnos, Q. Petronius Modeſtus, propr. HISPANIAE. Nonnulli hoc loco SPANIAE legunt; quae nuncupatio, in primis aetate poſteriori, inualuerat; ſed et Graecorum quidam antiquiores hac forma vtuntur, vt Paulus in epiſtolis, (a) Plutarchus de fluminibus, (b) alii. Pluratiue meminit epigraphe in Dalmatis relata, in qua Q. Didius Marinus, procur. familiae gladiatorum per HISPANIAS. Incolae Hiſpani. Carlouicii, in Pannonia, Tib. Valerio, decurioni Alae II. Arauacorum, domu HISPANO. Camerini, in marmore apud Pannonios adducto, M. Maenius Campeſtrinus, praef. coh. I. HISPANOR. In tabellis Veſprimienſibus Pannoniae, Ala I. HISPAN. Arauacorum. Taurini, Q. Glitius Agricola, legatus legionis HISPAN. Hiſpanicae.

(a) Rom. XV. 24. 28. (b) Geogr. Hudſon. T. II. p. 32.

II. Diuifio vulgaris in Lufitaniam, Baeticam, et Tarraconenfem, vocabula regno epigraphico non ignota. Poetouione, in Pannonia, T. Varius Clemens, procurator LVSITANIAE. Romae, lemma in Dalmatia productum, in quo Vettius Agorius, confularis LVSITANIAE. Tarracone, marmor in Moefia relatum, in quo M. Valerius Cerealis, honores a repub. Acci LVSIT. accepit. Epitheton Lufitanus; Spalati, Frenfimoni, puero LVSITANO. In tabellis Budae in Pannonia repertis, coh. I. et II. LVSIT. Lufitana, aut Lufitanorum. In epigrammate Romano, apud Moefos depromto, C. Marius Sabinus, procur. prouinc. BETICAE. Alias diphthongo prima fcribi confueuit, vt apud Gruterum faepius legas. In quadam Zagaroli, apud Dalmatas, producta, Cn. Arrius Aximius, procur. in BAETIC. In marmore quodam Italico, apud Noricos relato, quidam procurator PROVINC. TIRACON. In pluribus apud Gruterum, TARRACON. In vrbe huius nominis, Q. Aelius Ianuarius, praef. prouinc. HISPA. CITERIORIS TARR. Alias Citerior dumtaxat nuncupatur; Tergefte, in Carnis, Q. Petronius Modeftus, propr. HISPANIAE CITER. Zagaroli, marmor in Dalmatia relatum, in quo Cn. Arrius Aximius, procur. Augg. HISPAN. CIT. ET VLTE. Non raro fingularibus literis fcriptum videas. Tarracone, M. Valerius Cerealis, flamen P. H. C. prouinciae Hifpaniae citerioris, cui honores fecit P. H. C. Leguntur infuper Afturia et Callaecia, a populis, borealem ab occafu prouinciae partem tenentibus, dictae. Tergefte, Q. Petronius Modeftus, propr. Hifpaniae citerioris, ASTVRIAE ET CALLAECIARVM. Alii, fimplice vocali, Calleciarum legunt. Romae, Baffaeus Rufus, procur. prouinciarum Noricae, ASTVRIAE ET GALLECIAE. Populi nomen legitur in tabellis Vefprimienfibus Pannoniae, coh. V. CALL. aut CALLAEC. LVCENS. Callaecorum Lucenfium.

III. Prouincia, mari vndique circumdata, fi partem in exortum borealem ad Pyrenaeos, queis Galliam contingit, demas, expanditur, corii inftar, inter gradus longit. 8 et 21. latit. 36 et 44. Summa eius longitudo a promontorio Artabro ad Pyrenaeum, DCLXXX M. P. Latitudo a freto Gaditano ad Trileucum promontorium, DLXXX M. P. (a) Tabulam Hifpaniae, fecundum obferuationes aftronomicas, adcuratiffimam vna et elegantiffimam dedit celeberrimus geographorum Danuille, menfe Iunio an. 1741. Hiftoriae Romanae Rollini adcommodatam, in folio chartae Hollandicae minori. Eft praeterea Hifpania amplior in Atlante, qui eius nomine circumfertur, folio, vt dicimus, regali, ex officina Weigeliana an. 1784 protrufo; fed qui nomen tanti viri praeferre non mereatur, vtpote elegantia et adcuratione deftitutus.

(a) In tabula Atlantis maioris longitudo 765. latitudo 600 M. P.

§ II

Montes, promontoria, insulae.

I. MONS Pyrenaeus, quem hinc Ausetani, Indigetes, Ceretani, Hispaniae populi, inde Sardones, Galliae Narbonensis incolae, tenebant, extrema in exortum parte, ab Aquis Voconiis, ad promontorium a Pyrenaeo dictum, interuallo LV M. P. productus conspicitur. Quamquam, si viae ratio spectetur, ea iugorum eius latitudo est, non item longitudo. Mansio quaedam trans montem, in parte Galliae, conspicitur, *In summo Pyrenaeo* nuncupata, Hodoeporico sine praepositiua, *Summo Pyrenaeo*, vt Wesselingius edidit; Velserus, *Pyrenaeo*, vt in Tabula, exprimit. Sic autem ibi notatur:

In summo pyreneo. Vels. *In summo Pyreneo.* scheda, *In summo pyreneo.* Vocabulum Herodoto, historiarum patri, cognitum, qui Istrum *ἐκ Κελτῶν καὶ Πυῤῥήνης πόλιος*, *ex Celtis et Pyrrene vrbe*, deducit. Dalecampe putat, *πρυγήνης χώρας* legi oportere, quod tractus, in quo Danubius sumit originem, *Pregena* diceretur. Forsan rectius *Πυῤῥήνης ὄρεος* reddi valeat. Cum enim Celtas eos extra Columnas Herculis, Cynesiis finitimos, omnium in Europa ad occasum habitantium vltimos, esse dicit, procul dubio Pyrenen, de quo fama quaedam perceperat, respicit. Straboni *Πυρήνη*, *Pyrene*, Galliam ab Hispania dirimens; qua forma et Latini quandoque vtuntur; vt Silius: *Pyrene celsa nimbosi verticis arce.* Alias Pyrenaeus, et frequentius pluratiue, Pyrenaei montes nuncupantur. Incolae quoque ab eo Pyrenaei sunt dicti. Hodie Hispanis *los montes Pyrenéos*, teste Thoma de Pinedo, notis in Stephani *Πυρήνην*, cui *Πυρύνη*, *ὄρος Εὐρώπης*, *Pyryne mons Europae*, altera praue scripta vocali. Extenduntur, inquit Thomas, a portu Veneris, Galliae Narbonensis, vulgo *port. Vendres*, in ora maris Mediterranei, vsque ad fanum S. Sebastiani, quod Hispani dicunt *S. Sebastian.* Varia pro locorum ratione sortitur nomina. "

II. Promontorium Pyrenaei adcurate exprimit Tabula, maiusculis literis, caractere Longobardico, sine vsu attritis, **PROMONTOR. PYRENEN.** scheda *Promont.* Vels. PROMONT. *Pyreneo.* quae sunt oscitantium scribarum menda. Itaque secundum Tabulam, *promontorium Pyrenense* audit, alias *Veneris* dictum: Strabo, *τὸ Ἀφροδίσιον τὸ τῆς Πυρήνης ἄκρον*, *promontorium Pyrenes Venereum.* a) Et libri quarti principio, a Varo flumine oram maritimam protendi ait, *μέχρι τοῦ ἱεροῦ τῆς Πυρηναίας Ἀφροδίτης*, *vsque ad templum Veneris Pyrenaeae, quod limes est Galliae et Hispaniae.* Mela Pomponius, in-

(a) L. IV. p. 181.

ter Pyrenaei promontoria portus Veneris inſignis ſano, et Ceruaria locus finis Galliae.“ (a) Plinius: Flumen Tichis; ab eo Pyrenaea Venus in latere promontorii altero.“ (b) Quae ſunt adcuratius dicta, quam ea Strabonis; qui portum Veneris cum promontorio commiſiſſe videtur, vt Cellarius recte obſeruat. Danuille XII M. P. bina ea loca ab ſe ſe diuellit. Hodie *Capo di Cruz*, *Cabo de Creus*, promontorio nomen, portui autem *port Vendres*, vti dicebamus.

III. Inſularum vna intra Pyrenaeum, ex aduerſo Declanae, HS SVORON. voce attrita. Velſero integrius, *Inſ. Suoron.* ſed caractere vulgari, vt vniuerſa ea tabula expreſſa eſt, notatur. Scheda Peutingeri, quam Velſerus prae manibus habebat, inſulam ſine cognomine poſuit; quam ob rem de ea vir doctus nihil dicere valebat. Inſula, quae id vocabuli praeferat, in mari Balearico nulla eſt. Solet Tabula, vt priore vidimus capite, inſulas a populo, cui ſuberant, nuncupare. Celebres erant iſthic Pityuſae, de quibus Plinius: Inſulae per haec maria primae omnium Pityuſae a Graecis dictae, a frutice pineo; nunc Ebuſus vocatur vtraque.“ (c) Pomponius Mela: Ebuſus e regione promontorii, quod in Sucronenſi ſinu Ferrariam vocant, eodem nomine vrbem habet.“ (d) Patere eas XLVI M. P. abeſſe a promontorio Dianio DCC ſtadiis, Plinius tradit. Secundum rationes Danuillei, abeſt ea inſula a promontorio memorato CCCXX ſtadiis, ſeu XL M. P. longa XXXII M. P. Ab Sucronis fluuii oſtio, et adſita cognomine vrbe, diſtat LXXX M. P. ſeu DCXL ſtadiis Ebuſus, quod ſcriptor innuere voluerit. Sub Antoninis, cum Tabula conficeretur, inſulam tenuerint Sucronii, vt ſcriptum HS SVCRON. *Inſula Sucroniorum*, fuiſſe videatur. Literae quippe VC. vt e veſtigiis adparet, vſu olim iam vitium paſſae fuerint. Vtraque inſula hodie ab incolis, *las Iſlas de Iviça*, ſpeciatim maior, in boream ſita, *Iviça*, *Ibiza*, minor *la Formentara*, vocantur.

§ III

Populi Hiſpaniae.

I. OLIM Sucronem, cum reliquo agro, ab amne Sucrone ad Iberum tenebant Edetani, a quibus regioni quoque Edetaniae nomen. Sucronem fluuium, et *πόλιν ὁμώνυμον*, vrbem cognominem, Strabo nouit. Plinii aetate oppidi fama euiluerit, Geographo laudata; ſcribit enim Secundus: Sucro fluuius, et quondam oppidum, Conteſtaniae finis; regio Edetania, amoeno praetendente ſe ſtagno, ad Celtiberos recedens.“ (e) Poſtea, oppido reſtituto, nomen populi in-

(a) L. II. c. 5. (b) L. III. c. 4. (c) L. III. c. 11. (d) L. II. extr. (e) L. III. c. 4.

claruerit, vt, qui Edetani ante dicebantur, Tabulae aeuo Sucronii nuncuparentur. Hodie fluuio nomen *el Xucar*, agro *R. Valence.*

II. Superiora, Pyrenaeum versus, ad oram, a Segobriga ad Dertosam, et flumen Iberum, Ilercaones, deinde ad Tarraconem, Cosetani, ad Barcinonem Laletani, et in regione, quam Tabulae fragmentum exhibet, Indigetes. Aetate nostra, ad Iberum, *Ebro*, *R. de Valence*, inde ad Pyrenaeum *Catalogne.* In fragmento Hispaniae superante, prioris loci pars altera est voconi. scheda *Voconi*, Velf. *Vocom.* Sed *Voconi* pro *Voconii* legi oportere, Hodoeporicon monstrat, in quo *Aquis Voconis*, pro Voconiis, scribitur, vt Wesselingius rite obseruat. Danuilleo *Aquae Voconis*, quam formam Tabula improbat. Aquae hae a Vocontiis forsan, vicinae Galliae Narbonensis populo, sunt nuncupatae. Quamquam, si ratio vocis habeatur, a Voconio quopiam, vt Forum Voconii, eae adpellari poterant; a quo et ipse populus olim, cum heroes regnarent, nomen sit mutuatus.

§ IV

Oppida, *mansiones.*

I. VIA, quae superat, est portio itineris a Narbone Tarraconem. Serie inflexa, a Barcinone erant, Praetorium, Secerrae, oppida Laletanorum. Ab Secerris ad xv M. P. Aquae Voconii. In fragmento nostro voconi. procul dubio scriptum fuerit, Aquis Voconi. Velf. *Vocom.* rectius scheda *Voconi.* pro *Voconii*, familiari Tabulae et marmoribus, in id genus vocabulis, syncope. Hodoeporicon, *Aquis Voconis*, pro *Voconiis*, Wesselingio probe monente. Surita iam *Aquas Voconias* dixit; sed Aquicaldenses Plinii, et Ὕδατα θέρμα Ptolemaei, vt ipse dubitabat, a nostris distingui debent. Hae enim sunt in regione Barcinonensi, prope Praetorium, Danuilleo *Aquae calidae*, hodie *Caldes Aquas*, XLV M. P. interuallo ab Aquis Voconii remotae. Voconiae, P. de Marca teste, vulgo *Caldes de Malavella* audiunt. (a) Mannertus, Hodoeporicon et Tabulam, queis in Britannia non male vsus est, Ptolemaeo abreptus, heic deseruit; in Ausetanis sunt ipsi *Aquae Vocanae*, quas cum Aquis Calidis easdem facit, oppidum *Vique* interpretatus; quod interuallum ab Gerunda, cuius situs extra controuersiam est, nullo pacto admittit. Ausam in *Vique* recte posuit Danuille.

Cer- nda. XII. scheda, *Gerunda.* XX. Velf. *Gerunda* XII. Kleiner in prima litera caudulam omisit, C pro G scribens; ad haec, media vocalis apud eum euanuit, cum Velseri tempore vox integra legeretur. Hodoeporico, itinere de

(a) L. II. M. H. c. 22.

Italia in Hiſpanias, a Vapinco in Galleciam ad Leg. VII Gem. *Gerunda.* XXVII. a Iuncaria, de qua mox acturi ſumus, nominatur. Ptolemaeo, in Authetanis, *Γερoῦνδα*, *Gerunda.* Prudentio: Parua Felicis decus exhibet artubus ſanctis locuples Gerunda." (a) Incolae *Gerundenſes* Plinio; in veteri lapide Tarracone, C. Mario, GERVNDENSI. Hodie *Girona* oppidum, aliis *Gerona*, *Girone*, dextra Sambrocae, *le Ter*, amnis ripa, ad quintum viceſimum ab oſtio lapidem, XII ab Aquis Voconiis in occaſum aeſtiuum.

Cenuiana. XII. ſcheda, *Senuiana.* Velſ. *Cemuana.* Hodoeporicon, *Cinniana.* XXIIII. ab Aquis. Rauennas lectionem Hodoeporici firmat; proinde in Tabula ſcriptum fuerit olim Cenniana. Literae quippe *n* et *u* in MSS. frequentiſſime permutantur. Cincenſes Plinii, et Cinna Ptolemaei, huc minime ſpectant. *Cervianum*, haud procul riuo, cui *Cignianae* cognomen, eſſe volunt; vulgo *Ciurana* vicus, prope dextram fluuii memorati ripam. Mannert loci meminiſſe oblitus eſt, quia apud Danuille non vidit. Riuus is, prope quem Cerviana eſſe fertur, petit *Clodianum*, *Fluvia*, Melae et Ptolemaeo notum; Mannerto *Lobregat*, apud *Empories*, latere boreali, in mare effuſus. Tabulae numeri ad amnem hunc adcurate pertingunt, aliquantum in boream ab eo procedentes. In Ortelianis, circiter ſitum eum, *Figueiras* locus notatur, vbi Iuncariam geographi ſtatuunt.

II. Luncaria. XV. ſcheda, *Luncaria*, absque numero; Velſ. *Iuncaria.* XV. Hodoeporicon, *Iuncaria.* XV. Strabo, de Emporia ſcribens: „Emporienſes, inquit, mediterranea habent partim bona, partim iunci feracia; *καλοῦσι δὲ Ἰουγγάριον πεδίον*, *vocant autem Iungarium campum.* (b) Eſt etiam Ptolemaeo. circiter haec loca, oppidum *Ἰουγγαρία*, *Iungaria;* quod, numerorum habita ratione, in eum campum incidit, in quo noſtra Iuncaria ſtatuitur. De ſitu libet Cellarium, ex P. de Marca differentem, audire: (c) Hodie vicus ibi eſt, nomen retinens, V M. P. a ſummo Pyrenaeo; ſed alium oportet eſſe a veteri Iuncaria, quia, ſecundum Antonini Itinerarium et Tabulam Peutingerianam, XVI M. P. ab illo vertice montis aberat, quae diſtantia cadit potius in oppidum *Figueras*, ſiue Ficaria, ſita in extremo Iuncarii campi meridiano, ſicut vicus eius nominis in campi boreali extremitate, eo loco fere, quo eſt *Deciana* Ptolemaei et Peutingerianae." Danuilleo, *Iuncaria*, ſub Pyrenaeo XXII M. P. ab Emporia in occaſum aeſtiuum, ſitu vici *Iunquera*, *Ionquires*, laeua amnis *Vidaſſe* recentis, XVIII M. P. ſupra oſtium. Ortelianis, *Ionqveras*, ad oram; Mannert quoque *Junquera* interpretatur. Caſaubonus, ad Strabonem, ſpartum, non iuncum, qui in paluſtribus creſcit, neque vſui nautico eſt idoneus, vult accipi. Et *Iungaria*, vt Graeci efferunt, aliam vocis deriuationem expoſcit; niſi euphoniae rationem ii ſecuti fuere. *Figuieres*, vbi de Marca Iuncariam conſtitiſſe

(a) Periſteph. hym. IV. 29. (b) L. III. pag. 160. (c) L. I. c. 1. pag. 115.

putabat, abeſt a *Ionquires* in auſtrum x M. P. tantundem ab oppido *Caſtillon*, vbi is amnis effluit, et a mari in occaſum. Danuillei poſitionem ratio itineris, et numeri non admittunt; qui, cum difficultatem animaduertiſſet, ſequentem manſionem Decianam, cum interuallo, exmiſit.

III. **Beciana.** XII. ſcheda, *Beclana.* Velſ. *Declana.* Ptolemaeo, his locis, *Δεκιάνα*, *Deciana.* Velſerus iam Ptolemaei oppidum et Tabulae idem eſſe putabat. Hodoeporicon, et cum eo geographorum *παῖδες*, praeteriuerunt; *Iunquera* dederit ambigendi occaſionem, cuius poſitum haec *Deciana* obtinere debet.

In ſummo. pyreneo. IIII. ſic ſcheda. Velſ. *In Summo Pyrenaeo.* IIII. Hodoeporicon, *Summo Pyrenaeo.* XVI. a Iuncaria; quem cenſum Tabula firmat. De vocabulo ſupra in montibus dictum. Velſerus putat, plura Pyrenaei iuga, et proinde plures etiam manſiones hoc nomen habuiſſe; cuius adſerti indicium non habemus. Danuille, *Sum. Pyren.* in parte Gallica, VI M. P. ab Iuncaria, quod ab Deciana eſſe deberet, ſitu vici *le Bellegarde.* Sed manſio, *in ſummo Pyrenaeo* nuncupata, ſecundum numeros, et phraſim Strabonis, citerius ad iuga montis reuocanda eſt, vbi tropaea Pompeii fuere poſita, de quibus mox dicemus. Eſt in Hodoeporico, itinere alio, locus *Ad Pyrenaeum*, cum eodem XVI M. P. a Iuncaria interuallo; quem eumdem cum priori eſſe, numeri, et ratio itineris, monſtrant. Videbatur nobis olim via haec ſecus mare progreſſa, propter manſiones Tabulae ſubſequentes; ſed ea, quae hactenus in medium ſunt prolata, non admittunt; niſi aliam quoque in Tabula viam olim exſtitiſſe velis, quae incuria ſcribarum ſit exmiſſa; cuius tamen indicia nulla ſuperſunt. Mannert anguſtias Pyrenaei ſubire noluit, locis omnibus a Iuncaria ad Illiberim vſque praetermiſſis. Viae huius, per montium anfractus, vbi fines Galliae et Hiſpaniae, meminit Strabo, de Emporiis ſermone inſtituto: (a) Quidam et extrema Pyrenes adcolunt, *μέχρι τῶν ἀναθημάτων τοῦ Πομπηΐου*, vſque ad tropaea Pompeii, per quae iter eſt ex Italia in exteriorem, vt vocant, Hiſpaniam, maxime Baeticam. Hoc iter aliquando adpropinquat mari, aliquando recedit, maxime in partibus occiduis; tendit ad Tarraconem a tropaeis Pompeii per Iungarium campum, et Veteres, et campum fenicularium, latine a feniculi ibi naſcentis copia, dictum." Tropaea haec Cellarius monumenta lapidea victoriae e bello Sertoriano fuiſſe dicit, quae nonnulli pro termino Galliae et Hiſpaniae habebant, Strabone teſte, *vere limes* earum prouinciarum eidem nuncupatus. De fine ad promontorium Pyrenaei, XXVIII M. P. in exortum remoto, haec ipſe: Portus Veneris eſt poſt Caucoliberum, auſtrum verſus, in Gallia incluſus duobus paruis promontoriis; vltra Ceruariam vero ex Gallia proficiſcenti promontorium maius eſt, ex Pyrenaeis procurrens, veteribus *Aphrodiſium*, a Veneris templo, quod habebat, dictum, nunc *Crucianum*, ſiue *Cap. de Creus.*

(a) L. III. p. 160.

Huius promontorii vertex, non ille portus, limitem Hiſpaniae conſtituit, vt Ceruaria vltima Galliarum ſit; ſicut ex altera Pyrenaei parte ad Oceanum nunc fluuius Vidaſſo eſt, non memoratus ab antiquis, quibus finis Hiſpaniae, vt apud Ptolomaeum eſt, in Vaſconum promontorio *Oeaſo* ſiue *Oiarſo*, iuxta oppidum eiusdem nominis; initium Galliae Aturii fluuii oſtia fuerunt, quo tempore Vidaſſo, vtpote ex boreali latere ſummi Pyrenaei ortus, ſecundum Petrum Marcanum in veteri Aquitania extra antiquae Hiſpaniae limitem in mare ſe exonerauit.“ (a) Haec Cellarius ex Petro de Marca. Danuille, in tabella Galliae Narbonenſis, *Summus Pyrenaeus*, *Tropaea Pompeii*, eodem loco, intra montium anguſtias notat, tab. III Atlantis, ad latus. Haec de Hiſpania.

C A P V T III

G A L L I A

I. AVCTOR Tabulae vocabulum quidem Galliae non prodit, in ſuas tamen prouincias populosque diſtinctam rite exhibet. Nos heic Galliam proprie ſumtam, quae Romanis transalpina dicebatur, accipimus. Graeci antiquiores *Κελτῶν Celtarum* nomine, non Gallos modo, verum et vicinos iis Germanos, comprehendebant; ſic Herodotus, Iſtrum *ἐκ Κελτῶν*, *ex Celtis*, oriri ait; et Strabo *τὴν ὑπὲρ τῶν ἄλπεων Κελτικὴν*, *trans alpes Celticam*, nuncupat; alias quoque id dictionis familiariter vſurpans. Erant, quibus *Γαλάτας Galatas*, et *Γαλατίαν Galatiam*, ad populorum prouinciarumque diuerſitatem, dicere placuit; quales Polybius, Diodorus, Ioſephus, Pauſanias, Dio Caſſius, alii. Nomen, tam populi, quam prouinciae, regno epigraphico celebratum. In Noricis retulimus epigramma, in quo T. Valerius Clemens, praef. coh. II. GALLORVM. Macedoniae. In Dacia, marmore Puteolano, Tib. Claudius Ilus. praef. coh. II. GALLORVM. In Pannonia, lapide Camerino, M. Maenius, praef. alae I. GALLOR. Caietae, inſcriptio apud Rhaetos adlata, in qua L. Plancus agros diuiſit in Italia, in GALLIA colonias deduxit. Környeſd, in Dacia, C. Curtius Rufinus, procos. PROVINCIAE GALLIAE. Legitur et pluratiue; apud Venetos, Petronius Probus, praef. praet. GALLIAR. In Dalmatia, idem Petronius praef. praet. GALLIARVM. In marmore Veronenſi, Petronius Probus, praef. praet. GALLIAR. II. Galliarum duarum. Epitheton Gallicus; in quodam epigrammate Dalmatico, F. Candidus, dux exercitus in expeditione GALLICA. Romae, in marmore apud Dacos producto, M. Statius Priſcus, praef. leg. IV. GALLICAE. Poetouione, in Pannonia, quidam trib. coh. x praet. profectus ad opprim. fact. GALLI. Gallicam.

(a) L. II. c. 1. p. 153.

II. Diuiſionem Galliae Caeſar hanc prodidit: Gallia eſt omnis diuiſa in partes tres; quarum vnam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum lingua Celtae, noſtra Galli, adpellantur. Hi omnes lingua, inſtitutis, legibus inter ſe differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona, et Sequana diuidit." Singularem Galliae tabulam, commentariis Caeſaris adcommodatam, dedit illuſtre decus geographiae Danuille. Pro Celtica deinde Lugdunenſis inualuit, addita Narbonenſi, quibus auctor Tabulae Batauiam adiungit; omnes regno epigraphico notae. Poetauione, in Pannonia, F. Varius Clemens, procurator prouinciae BELGICAE. In Dacia, quidam legatus propr. prouinc. BELGICAE. Nonnumquam pluratiue effertur; Albae, in Dacia, Petronius Pollianus, legat. propr. BELGICAR. Tarracone, epigraphe in Dalmatia producta, Fl. Claud. Candidus, procur. xx hered. per GALLIAS LVGDVNENSEM ET BELGICAM. Romae, lapis in Pannonia relatus, in quo M. Pontius, quaeſtor prouinc. NARB. In Moeſia, M. Statius Priſcus, proc. xx hered. prouinc. NARBONENS. ET AQVITA. Batauorum meminerunt epigraphae Pannonicae; prope Budam, in monumento Sorani Bataui: Inter mille viros primus fortisque BATAVOS. Viennae, Albanus, Balbi filius, domo BETAVOS.

III. Definitur Gallia, ab occaſu Oceano Aquitanico, a ſeptemtrione Britannico, ab exortu Rheno, et alpium tractu ad amnem Varum, a meridie ſinu Gallico, et montibus Pyrenaeis. In longum procurrit ab grad. long. 15 ad 27. in latum ab grad. lat. 42 ad 52. Longitudo ſumma, ab Agnotibus et Briuatibus ad lacum Acronium DCC M. P. Latitudo a promontorio Pyrenaei ad oſtium Rheni borealis apud Lugdunum, DCCXXX M. P. Eſt proinde latior aliquantum quam longior. Celeberrimum in geographis nomen, Danuille, patriam ſuam compluribus tabulis, elegantiſſime vna et adcuratiſſime expreſſis, illuſtrauit; cuius Atlantem, folio regali, XII chartis conſtantem, Weigeliani ante hos ſeptem et decem annos recuderunt, ſed omni gratia et venuſtate Danuilleana carentem.

SECTIO I

PATAVIA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. BATAVI, gens origine Germana, ſeditione domeſtica pulſi, Tacito perhibente, (a) extrema Gallicae orae, vacua cultoribus, ſimulque inſu-

(a) L. IV. c. 12

lam, inter vada fitam, occupauere, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit.“ Noti funt etiam regno epigraphico; in marmore Viennenfi, Albanus, Balbi filius, DOMO BETAVOS. populari expreffione fortaffe. In monumento, ad Budam reperto, Soranus Batauus fic de fe: Inter mille viros primus fortisque BATAVOS. penultima metri gratia producta; quod etiam Silio et Iuuenali placuit; rectius Lucano: *Vangiones Batauique truces.* In quadam, apud Gruterum, epigraphe, (a) CIV. BATAVI FRATRES ET AMICI P. R. Batauiam inter primos Dio Caffius nuncupaffe videtur, cum equites peregrinos Batauos effe dictos refert, *ἀπὸ τῆς Βαταούας τῆς ἐν τῷ Ῥήνῳ νήσου, a Batauia infula Rheni;* vt Reimarus reddit, apud Leunclauium *Βαταουΐας* legi perhibens. Recentiorum plures id vocabuli vfurpauere, vt Eumenius et Pacatus in Panegyricis, *Batauiam* nuncupantes. Tabulae auctor duram pro molli elegit, cui PATAVIA. veteri caractere Romano, qualis in omni illo monumento olim adhibitus fuerit, adpellatur. Id genus literarum permutatio, in epigraphis praefertim, eft frequens.

II. De amplitudine infulae Plinius: In Rheno ipfo prope centum millia paffuum in longitudinem nobiliffima Batauorum infula.“ Sed is etiam Fleuum accipit lacum, quae menfura centum millibus amplior aliquantum euadit. Tacitus: Rhenus, vno alueo continuus, aut modicas infulas circumueniens, apud principium agri Bataui, velut in duos amnes diuiditur.“ (b) Alueum Rheni fequendo, vt infulam ad commentarios Caefaris formauit Danuille, cenfentur omnino mill. paff. centum. Tabula Lugduno Nouiomagum LXXIV. a Foro Hadriani Nouiomagum LXXXIV M. P. cenfet. Alueum feptemtrionalem veteres Rhenum adpellant, auftralem Vahalim; fed Bataui ad Mofam vfque fedes protulere; nonnulli tres alueos Rheno tribuunt, Fleuo reliquis addito, vt Plinius facit.

§ II

Infulae, flumina.

I. DE infula, quae fedem Batauorum continebat, paullo ante quaedam dicebamus. Tacitus infulam inter vada fitam vocat, quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. (c) Caefar alueum Rheni auftralem nuncupat Vahalim: Mofa, parte quadam Rheni recepta, quae adpellatur Vahalis, infulam efficit Batauorum.“ (d) In antiquioribus editis *Vualis* legitur. Ceteri, vt Plinius, Tacitus, Zofimus, alueis Rheni infulam contineri aiunt. Tabulae architectus Rhenum vno deducit alueo, Patabum altero,

---

(a) LXXIII. 9. (b) L. II. Annal. c. 6. (c) L. IV. Hift. c. 12. (d) L. IV. B. G. c. 2.

quem in mediterraneis Mosam nuncupat, vt ex ductu quoque amnis, apud coloniam Traianam in austrum flexi, colligere licet. Danuille Mosam prope ostium cum Vahali committit, nuspiam cum Rheno. Nonnuli, Caesaris verba interpretaturi, aiunt, Rhenum saepius mutasse alueum, et cum Mosa fuisse coniunctum. Sed Caesar alueum Rheni australem *Valim* clare vocat, qui cum Mosa supra ostia committitur. Recte proinde, mea quidem sententia, Mannert, de insula hac differens, ait, olim iis eam alueis interiectam fuisse, quibus fere hodie; et nominis antiqui vestigia in *Betuwe* superesse; quae expressio veteri epigrapha, superius relata, firmatur, in qua Albanus, Balbi filius, domo *Betauos* esse dicitur. Sed, cum is Nouiomagum, laeuo Vahalis latere, ditionibus Batauorum vult exclusam, fallitur; clare enim Rhegino, ad an. DCCCVI. *Neomagum in Batua* statuit. Danuille Batauicam insulam seorsim, ad latus eiusdem ortiuum, in Atlante tab. III expressit.

II. Flumina, clare nominata, sunt Rhenus et Batauus. Prior fl.' Renus. in mari, eodemque modo laeua amnis ripa, prope ostium; sic et Velseri editio; scheda prior, in Oceano dumtaxat, *fl.' renus.* posterior, dextra eius ripa, *FL. Renus.* Caesar vnus ex primis est, qui fluminis meminerint, cui, vt aliis quoque, more graeco, *Rhenus* audit; auctori Tabulae, sine adspiratione, *Renus.* Circa numerum ostiorum non conuenit inter veteres. Mela, Plinius, Ptolemaeus, tria censent; Asinius Pollio, apud Strabonem, Rhenum *δίστομον εἶναι, duobus ostiis* effluere, perhibet, reprehendens eos, qui pluribus dicant; cuius sententiam Geographus probat. Sunt vero bina illa, quae proprie insulam Batauorum efficiebant, de quibus hactenus dictum. Libet prae ceteris in hanc rem audire Tacitum: Rhenus vno alueo continuus, aut modicas insulas circumueniens, apud principium agri Bataui velut in duos amnes diuiditur, seruatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam praeuehitur, donec Oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens, verso cognomento Vahalem adcolae dicunt; mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, eiusque immenso ore eumdem in Oceanum effunditur.“ (a) Tabula, vt monebamus, vno alueo deducit Rhenum, qui apud eos quoque, qui tria flumini tribuunt ostĩa, Rhenus audit, medio, Fleuum inter et Mosam Vahali iunctum, alueo mari immersus; hodie *Rhein.* His forsan Fletionem, *Ysel*, addere licebit, ad cuius exortum mansio ea occurrit. *Fletio*, Plinii *Fleuus*, est alueus *Vleuten*, vicum praefluens, qui nexum cum lacu *Harlemer* habet. *Ysel* amnis cum Fleuio Tabulae cognationem habeat. Idem de Leuae fano dixeris, quod ad fluuium *Leck*, cuius vestigia adcurate notat Danuille, prostiterit.

III. Alter e praecipuis amnium, fl. patabus. Vels. *Fl.' Patabus.* scheda prior, *fl' patabus;* posterior, *FL. Batabus.* Velserus, cum videret, Rheni,

(a) L. II. Annal. c. 6.

Vahalis, et Mosae nomina iam apud veteres confusa, quid vocabulo Batavi heic accipi debeat, terminare ausus non est. Cellarius quoque ambigue, Mosa vel Vahalis, inquit. Si Velserus pro schedis illis integram prae manibus habuisset Tabulam, et veterum testimonia exactius expendisset, Mosam in Tabula exprimi, nullus dubitasset. Vahalis quippe non singularis fluuius est, sed alueus Rheni australis, qui Mosae iunctus nomen amittit. Et flumen in Tabula, flexu ab colonia Traiana sinistrorsum facto, vt reapse Mosa facit, in austro, prope fontes, VIII M. P. ab Nouiomago, locum *Mose* dictum, Hodoeporico *Mosa*, praeterlapsus, paullo deinde esse definit. Proinde, Mosam in Tabula eo alueo notari, nihil ambigimus. Mosae, vt Rheni, primus meminit Caesar, cuius locum adponere iuuat: Mosa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum, et parte quadam Rheni recepta, quae adpellatur Valis, insulam efficit Batauorum, neque longius ab eo millibus passuum LXXX in Oceanum transit." (a) Plinius, Helio et Fleuo memoratis: Ita adpellantur ostia, inquit, in quae effusus Rhenus ab septemtrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit; medio inter haec ore modicum nomini suo custodiens alueum." (b) Tacitus fluuii meminit frequens; inter alia: Ad Gallicam ripam, inquit, Rhenus latior et placidior adfluens, verso cognomento Vahalem adcolae dicunt; mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, eiusque immenso ore eumdem in Oceanum effunditur." Graecis, praeter quam Ptolemaeo, flumen ignotum; cui vt monoptoton, *Μόσα ποταμοῦ ἐκβολαί*, *Mosa fluuii ostia;* quod mirum videatur, cum Plinius inter amnes claros, in Oceanum defluentes, Mosam numeret. Ex iunioribus nouit amnem Ammianus. (c) Mosa, Vahali iunctus, terna hodie efficit ostia, quorum australia duo vasta sunt omnino, vt medium, quod Rheni nomen gerit, tenue. Ita fere ostia Mosae signauit Danuille in tabula, commentariis Caesaris adcommodata; nam in Atlante, a Weigeliis represso, omnia sunt tenuia, contra quam auctor cum antiquis tradiderit. Hodie Gallis *la Meuse*, Germanis *die Maas*, audit. Haec de fluuiis.

§ III

Populi Batauorum.

I. IN Batauorum insula, si Plinium audimus, plures habebant populi; quosdam Tabula quoque, sed extra Batauiae fines, recenset. Plinii haec sunt: In Rheno ipso, prope centum M. passuum in longitudinem, nobilissima Batauorum insula, et Cannenufatum, et aliae Frisiorum, Chaucorum, Frisiabo-

(a) L. IV. B. G. c. 10. al. 2. (b) L. IV. c. 29. (c) L. XVII. c. 2.

num, Sturiorum, Maraciorum, quae fternuntur inter Helium ac Fleuum." In Tabula funt Chauci, Chamaui, Chrepftini, Vapii, Varii, Quielpranii; quorum priores huc fpectant, ceteri alio referuntur.

Chaci. literis minio pictis. Velf CHACI. fcheda prior, *chaci.* pofterior non habet. Velferus putabat, in autographo CHAVCI. vt Rhenanus legebat, fcriptum effe; fed ibi quidem *Chaci* comparent, librariorum vitio, aut vulgari nuncupandi ratione. Nam apud veteres quoque non eodem modo audiunt; quidam *Cauchos* vocant, Lucanus *Caicos*, Claudianus *Chaycos* dixere. Neque in fedibus eorum ftatuendis conueniunt. Ptolemaeus, maiores inter Albim et Vifurgim, minores inter Vifurgim et Amafium, fluuios ponit. Spartianus, in Diocletiano, Albim adcoluiffe fcribit; Plinius Tabulae refpondet; Cellarius Tacitum et Ptolemaeum fequitur; Danuille Cellarium.

II. Vapu. Varii. fcriptura minio picta. Velf. VAPLIVARIJ. fcheda prior, *vapliuaiij.* pofterior exmifit. Velferus e fcheda legit VAPLIVARII. Rhenanus VAPLUARII. Putat Velferus, APSIVARII aut APSVARII legi oportere; quos Tacitus Aufibarios, Ammianus Anfuarios, Ifidorus Amfiuarios, adpellent, Notitia Ampfiuarios. In Ammiano quidem *Attuarii* leguntur hodie, quos Cellarius cum Chaffuariis eosdem cenfet. Partem horum transiffe Rhenum, atque apud Lingones pofuiffe fedes, Hadrianus Valefius in Galliae Notitia probat. Anfibarios, qui ab his fuere diuerfi, a vicinis male acceptos, in Cattis tandem et Cherufcis periffe, ex Tacito colligere licet. (a) Ad haec, ex *Vapii varii*, Anfibarios, aut Ampfiuarios effingere cautum; Attuarios ante reddideris; in primis, quod Rhenum transiffe dicuntur, quorum pars infulam petierit. Et videtur Tabulae auctor fcripfiffe *Chauci*, *Chattuarii*, qui et Chafuarii, et Chaffuarii, populus Francorum, audiunt. Sane, Rheno fuiffe vicinos, ex Ammiano quoque intellexeris. Ceteros in Germania difpiciemus.

§ IV

Oppida, manfiones.

I. AGER Patauiae oppida bina cum infignibus, vnum praetorium, loca alia decem et quatuor, comprehendit. Hodoeporicon a Lugduno fecus Rhenum progreditur, interiora non accedit; nos ductum Tabulae, primum iuxta Rheni ripas, deinde in mediterraneis, fequemur. Principium itineris eft ab vrbe ipfa, ductu ad mare non patente, cum infcriptione huius modi:

Lugduno. infignia vrbis. Velf. *Lugduno.* fic etiam fchedae, et Hodoeporicon. Ante Ptolemaeum oppidi nemo meminit, cui *Λουγόδεινον Βατανῶν*,

(a) L. XIII Annal. c. 55.

Lugodinum Batauorum, apud Schotum perperam *Βατάνων* pro *Βατάνων*. Velſerus e Ptolemaeo *Lugodunum* vocat, Italus *Lugodino*. Videtur oppidum recens inſtitutum, ſub Antoninis municipii iura obtinuiſſe, vt inſignia eius innuunt. Medio, vt aiunt, aeuo *Leithis* vocabatur; hodie *Leyden*, Gallis *Leide*. Danuille, in ſpeciali inſulae tabella, ripa Rheni laeua ſignat oppidum, VII M. P. ab oſtio, quod hodie dextram tenet; vrbs bonarum artium cultura celebris.

Pretoriū. agrippine. II. aedes quadra. Velſ. *Pretorium Agripine*, absque numero, ſcheda prior, *Pretorium agrippine*. 2. poſterior, *Prætoriū Agrippinæ. II.* Alius Praetorii huius non meminit; putat Cellarius, id ab Agrippina, cum in Claudii connubio eſſet, exſtructum, fratris Caii exemplo, qui teſte Suetonio, (a) in exſtructionibus praetoriorum, atque villarum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quam quod poſſe effici negaretur." Ad hoc Praetorium hiſtoriam SS. Vrſulae et ſociarum Britannidum referri putat Velſerus, argumentis non prorſus contemnendis ductus. Plura in loco Romanae habitationis ſigna eſſe reperta, memorat, quae oſtendant, aliquid ſupra militare praeſidium fuiſſe. Profecto aedes, quae in Tabula praeſidiis tribuuntur, loci celebritatem innuunt. Non raro quippe praeſidia absque inſignibus occurrunt, vt ab oppidis ſecernerentur. Danuilleo, *Prætor? Agrippinæ*, ripa eadem laeua; *Roomburg*, aut, vt hodie loquuntur, *Roemburg*, eſſe putant; apud Bertium *Noomburg* ſcriptum.

Matilone. III. Velſ. *Matilone*. III. ſic ſchedae. Velſerus, *nullibi legere memini*, inquit; Bertius, *Matilo*, *Coudekerck*, quod olim *Kirckwerba* dictum fuerit; Rhenus ei quondam fuit ſeptemtrionalis." Danuille, in Batauorum inſula, *Matilo*, ripa laeua, interuallo expreſſo.

Albamanis. V. Velſ. *Albamanis*. V. ſic et ſchedae. Hodoeporicon, *Albinianis*. X. in Regio, *Albanianis*, vt in Tabula. Cellarius, *Albiniana caſtra* vocat; neque tamen iis, neque Matiloni, ſitum tribuit. Danuilleo, *Albiniana*, ripa laeua; Bertio, et Mannerto, *Alphen;* quorum hic, ſe locis minoribus, quae nomine tenus modo noſcerentur, ſitum non eſſe adſignaturum profitetur, quod id pretium operae non videretur. (b)

Nigropullo. II. Velſ. *Nigropullo*. II. ſic ſcheda prior. Velſerus: Nomen fortaſſis, inquit, caſu inditum; vti a gallina alba Caeſarum villa, *Ad gallinas* dicta, Plinio. Bertius, vbi nunc *Woerden*. Fuit inſigne diuerſorii. Talia in Moeſia ad Scrofulas, ad mulam, et in Sarmatia (Dacia) caput bubali. Danuilleo, *Niger pullus*, ripa fluminis laeua.

II. Lauri V. Velſ. *Lauri*. V. ſic ſcheda. Velſerus: Si numeros conferas, inquit, incidit in Traiectum Ant. Quid ſi eius vrbis ſuburbanum, vt Daphne ad Antiochiam Syriae?" Sed Velſerus in expoſitione ſchedarum nume-

---

(a) Cap. 33. (b) Gall. pag. 215.

ros ſubſequentium manſionum praecedentibus adplicando, ſitum locorum deprehendere non potuit. Laurus enim, ſeu Lauri, a Nigropullo non XII ſed V M. P. diſtabant. Bertius locum Lauris reſpondentem non reperit; forſan *Oudewater* oppidum, in occaſum hibernum eo interuallo deflectens, manſioni reſpondebit. Danuilleo, *Lauri*, ſitu fere eodem; Ortelio, *Oude Waeter* nuncupatur locus.

Fletione. XII. Velſ. cum ſcheda *Fletione.* XII. Velſerus, aut cum Manaricio conuenire, aut non procul abeſſe, ait; ab Traiecto, quod non dum attigimus, in exortum abeſt Manaritium M. P. XV. Bertio *Vleuten* eſt, oppidum prope dextram Rheni, menſura conueniente. Danuille, *Fletio*, ripae adpoſita, eo interuallo in exortum aeſtiuum abſcedens. Videtur vox habere cognationem cum *Fleuo* Plinii; profecto alueus, ad cuius laeuam eſt *Vleuten*, a Fleuo lacu decurrit, nexu interrupto, vt Danuille quoque ſignauit; in quibusdam alteri alueo iunctus, aquas cum lacu miſcet.

Leuefano. XVI. Velſ. et ſcheda, *Leuefano.* XVI. Velſerus, niſi geographicae tabulae fallunt, huius fani memoria in *Lee* ad Rhenum, nomine fere nihil mutato, ſupereſt." Bertio, *Levæ Fanum*, *Leewen.* Cellarius, vbi de Batauoduro in *Wyck* poſito, dixerat: Proxime Batauodurum vicum, ait, aut in ipſo vico fuit *Leuaefanum*, id eſt, fanum Batauorum deae Leuae dicatum, quem locum ſola Tabula Peutingeriana habet. Id idolum etiam ab adcolis inſulae Batauorum cultum fuiſſe, locus trans amnem *Leuendaal*, id eſt, vallis Leuaë, oſtendit." Hos Danuille ſecutus, *Leuae Fanum*, ripa fluminis dextra, XXIX M. P. interuallo ſignauit. Tabulae numerus petit oppidum *Leerdem*, Ortelio *Leerdam*, dextra *Leck* amnis ripa, a Fletione in exortum hibernum. Tabula Traiectum non adiit, neque alia Rheno adſita loca, vias ſingulares, pro inſtituto perſecuta. Alueus hic *Leuae* nomen tuliſſe videtur, qui *Leck* et *Yſel* vocabulo venit hodie.

III. Caruone. VIII. ſic Velſ. cum ſcheda. Hodoeporicon, Albinianis, *Traiecto.* XVII. *Mannaritio.* XV. *Caruone.* XXII. Rhenanus *Caruo*, caſu recto; in Regio, XVI. quibusdam, *Carnone*, cum XXII aut XXV. Bertius, *Grave* Simlero, quod non probo; forte Cellern." Simleri apud Weſſelingium ſunt, *Graſſen an der Maas.* Idem putabat Cluuerius; quem Cellarius, Altingium ſecutus, refellit, ſitum tamen loco non adſignat; neque rectum adſignare potuit, cum dicat: Grinnibus locum deſignat Peutingeriana Tabula inter Leuaefanum et Caruonem, atque adeo octo circiter vel nouem millibus ſupra Batauodurum." Grinnes quippe alio itinere ponuntur, vt poſtea viſuri ſumus. Mannert, menſura XXII M. P. deceptus, *Aarnheim* interpretatur. Altingius, apud Weſſelingium, circa *Rawyk* veſtigia Caruonis quaeſiuit; quod is probat, addens: Sunt, fateor, numeri iuſto ampliores; nec longe tamen a vero aberunt, ſi Regii MS. XV M. P. recipiantur." Danuilleo, Caruo, ripa Rheni laeua, non integra III M. P. a Leuae Fano, vbi chartae vicum *Lee* ſignant; quae poſitio videtur

arbitraria. Numeri Tabulae ducunt ad viciniam oppidi *Buren*, Ortelio *Bueren*, ad Leuae ripam dextram, a priore in exortum aequinoctialem; quo et Hodoeporici XVI M. P. ab *Utrecht* fere pertingunt; vt viae ibi videantur commiſſae. Abeſt *Buren* oppidum a *Wyck*, dextra Rheni ripa, in auſtrum V M. P.

Caſtra. Herculis. XIII. ſic Velſ. ſcheda, *Caſtra herculis.* 13. Nouit *Caſtra Herculi* Ammianus. (a) Rhenano Vtrechtum; quod Velſerus quidem reprobat, nihil tamen de ſitu addit. Altingius, apud Cellarium, *Waterburg*, ſeu Burgum ad aquas, eſſe voluit. Mannert, Cellarii et Ammiani verba reſpiciens, Caſtra Herculis, locum paruum munitum, ad Rhenum, et inſulae Batauorum principium, interpretatur, nominare oblitus; vt ante eum Bertius fecit. Caſtra haec, habita itineris ratione, ad initium inſula poni nequeunt, quod id a Nouiomago XII M. P. in exortum abſcedit. Danuilleo, *Caſtra Herculis*, XIV M. P. a priore in exortum aeſtiuum, ripa Rheni laeua, ſitu oppidi *Hueſſen*, ex aduerſo exeuntis *Yſſel* amnis, quod noſtram viam deſerit. Numeri Tabulae ferunt ad *Wynſen* vicum, laeua amnis *Waal*, ſeu Vahalis, ripa, in qua et Nouiomagus conſiſtit.

Nouiomagi. VIII. inſignia municipii. Velſ. cum ſcheda, *Nouiomagi* VIII. Rhenano, *Nouiomagus;* Ortelio, apud Velſerum, Nouiomagium, Neomagium, Numaga. Meminit oppidi Notitia, Ptolemaeus in Biturigibus. Cellarius in tabula Belgicae, Cluuerium ſecutus, notauit; in commentariis memorare neglexit. Cluuerius, Bertius, Mannert, oppidum *Nimweg* recte adſerunt; quorum poſtremus cum addit, Batauos eorum opinione, qui Batauodurum *Batenberg* eſſe volunt, duo minimum oppida amiſſuros, quod ea extra inſulam forent; non meminit, inſulam eam ad Moſam vſque pertinuiſſe, vt ſupra diximus; et Batauorum agros vlterius etiam fuiſſe propagatos. Sane apud Rheginonem ad ad an. DCCCV. *Neomagum in Batua*, legeris. (b) Danuilleo, *Nouiomagus*, IX M. P. ab *Hueſſen* in auſtrum, laeua fluminis *Waal* ripa, ſitu oppidi *Nimmegen*, vt vulgo ſcribitur, alias *Nimweg;* idem interuallum ab *Wynſen* vico eſt adcuratum. Apud Nouiomagum prodit via a Lugduno altera, binae abeunt; illam heic diſpicere iuuat.

IV. Altera ab Lugduno procedens via, ſecus foſſam Corbulonis dictam, promouet gradum in auſtrum, verſus *Delft* et *Roterdam* oppida, inde Moſae regione in exortum vadit. Signauit eam Danuille, ſed non integram, neque manſionum ſitu vbique idoneo prouiſam. Hodoeporicon hac progreſſum non eſt, et pleraque in ea occurentia loca aliunde ſunt ignota; ſic autem a Lugduno vadit:

Foro Adriani. absque numero. Velſ. *Foro Adriani.* ſcheda prior, *foro adriani.* poſterior, *forū Hadriani.* Ptolemaeus Fori huius non meminit, neque

(a) L. XVIII. c. 2. (b) Vid. Weſſel. l. A. p. 371.

ſcriptorum alius; fortaſſe, quod propinquum Lugduno erat, vtpote ad alterum modo lapidem; quare auctor Tabulae ſub iisdem municipii inſignibus cum Lugduno vrbem poſuit, numero exmiſſo. Mentio eius fit in marmore duplici, altero apud *Monſter* vicum, VIII M. P. a *Delft* in occaſum, prope oram maritimam, ſitum reperto, in cuius baſi haec leguntur: A. M. A. F. C. M. XII. quae inſcriptio, vt Cellarius refert, varie ab eruditis accepta fuit; mihi legi debere videtur: *A municipio Aelio Foro conſtituta millia XII.* Altero, in in Pannonia relato, in quo Victoriae Verinae, DOMV FOROHADRIANENSI. prouincia Germania inferiore; quod huc ſpectare, nullus dubitem. In ſitu terminando diſcrepant geographi; Cellarius, duce Altingio, *Vorburg*, ad VII a Lugduno milliare putat; quos Bertius ſequitur. Sed neſcio, ex quo denario numero Altingius quinarium feciſſe dicitur; cum nullus in Tabula a Lugduno ad Forum Hadriani numerus compareat. Forſan ſchedam priorem ante ſe habuit, in qua *foro adriani* 17. perperam ſcribitur, qui in Tabula XII eſt, ad Flenum pertinens. Danuille, *For. Hadriani*, dextra foſſae Corbulonis, in flexu, ad vicum *Ryswyk;* quod Mannert amplectitur; qui locus apud Danuille a Lugduno eſt ad VIII. in chartis ad XI. in auſtrum nonnihil occiduum, a *Monſter* vero, vbi lapis repertus, in exortum aeſtiuum VIII M. P. qui ſitus et columnae milliariae, et Tabulae repugnat. Bertius cum ſociis rectius cenſuit; nam *Voorſhuten* vicus, dextra foſſae memoratae, ad alterum fere a Lugduno lapidem, interuallo tam columnae, quam Tabulae, adcurate reſpondet; heic igitur Forum Hadriani ſtatui oportere putes.

Flenio. XII. Velſ. *Flenio.* XII. ſcheda prior, *flenio.* 17. Nihil de ſitu Velſerus; Cluuerius, dextro foſſae latere, vbi Forum Danuillei; hic autem numero XII apud Monſter ſignato, *Flenium* vrbi *Rotterdam* admonet; Mannert citerius, ad *Vlaerdingen* vicum reuocat; Bertius *Delft* oppidum recte arbitratur, menſura et itineris ratione ſitum probante. Abeſt id ab *Rotterdam*, vbi Danuille Flenium ſtetiſſe putabat, VIII M. P. in occaſum aeſtiuum, in diuortio foſſae poſitum, quae forſan Flenii vocabulo apud vulgus veniebat.

V. **Tablis.** XVIII. ſic Velſ. cum ſchedis. Tacent locum geographi. Bertius, e cognatione vocis, *Alblaſs* vicum, ad Moſam, prope *Dortrecht*, interpretatur; Danuilleo, *Tablae*, XVII M. P. a priore in exortum, oppidi *Gorcum* regione. Interuallum Tabulae fauet opinioni Bertii.

Caſpingio. XII. Velſ. *Caſpingio.* XII. ſic etiam ſcheda prior. Cellarius e Cluuerio loca recenſet, ſed vt momenti minoris interpretatione non dignatur. Bertio eſt *Gieſſen;* Danuilleo, *Caſpingium*, XVIIII M. P. a priore in exortum, circiter vicum *Deyl.* Menſura Tabulae *Gorcum* petit, ad VI a *Gieſenburg* vico in exortum lapidem, prope dextram Moſae ripam.

Grinnibus. XVIII. ſic Velſ. ſcheda, *Grimib'.* 18. vnde Velſerus *Grimibus* legit. Cellarius, Cluuerio duce, Grinnes Rheni ripae admouit, itinere duplici turbato; Bertius: Non eſt *Rhenen*, inquit, niſi alueus Rheni probetur

transpoſitus; ipſe de ſitu nihil addens. Mannert, Grinnes Taciti, quod Velſerus negarat, eumdem eſſe locum recte arbitratus, ad Vahalis hodierni effluxum in Moſam, apud *Drumel*, ſtatuit. Danuilleo, *Grinnes*, XVII M. P. a priore in exortum, ad flexum Vahalis, ripa dextra, ſitu oppidi *Tiel*, quae poſitio bene habet.

Ad duodecimum. VI. Velſ. *Ad duodecimum.* VI. ſcheda, *ad duodecimum.* 6. De ſitu manſionis nihil geographi. Mannert, locum Taciti, qui Grinnibus Vada iungit, reſpiciens, putat *Vada* caſtra huic lapidi conuenire, qui ab Nouiomago cenſeri debeat. Cellarius, Cluuerium ſecutus, Vada et Grinnes ad Rhenum promouit. Danuilleo, *Duodecimum*, VII M. P. a Grinnibus in exortum, ripa Vahalis dextra, vbi hodie locus quiſpiam non comparet, prope ſiniſtram eſt vicus *Leuwen;* Mannert *Druyten* interpretatur, vicum forſan, quem hoc tractu non conſpicor.

Nouiomagi. XVIII. ſic Velſ. cum ſcheda. Interuallum hoc eſt a Grinnibus, duplicem indicans viam, quarum altera dextram Vahalis ripam, altera ſiniſtram tenuerit; nam a mutatione ad Duodecimum ſunt etiam Danuillei calculo vſque huc M. P. XII. quae VI prioribus iuncta efficiunt haec M. P. XVIII. Quare vtraque haec in Tabula via eſt integra, et probe conſeruata. De Nouiomago itinere priori egimus. Atque haec de Patauia in medium proferre licebat.

SECTIO II

BELGICA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. CAESAREM, qui hos populos propius nouit, primum audire iuuat. „Gallos ab Aquitania Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana diuidit. Horum omnium fortiſſimi ſunt Belgae, propterea, quod a cultu atque humanitate prouinciae longiſſime abſunt, minimeque ad eos mercatores ſaepe commeant, atque ea, quae ad effeminandos animos pertinent, important.“ (a) Sunt etiam regno epigraphico noti, ſed prouinciae dumtaxat vocabulo; Poetouione, apud Pannonios, T. Varius Clemens, procur. prouinc. BELGICAE. Tarracone, F. Claud. Candidus, procur. XX hered. per Gallias Lugdunenſem et BELGICAM.

(a) Bell. Gall. L. I. c. 1.

Nonnunquam pluratiue legitur id nominis; Albae, in Dacia, Petronius Pollianus, legat. propr. BELGICAR. vt prouincia in partes diuisa videatur. Sane, iuxta institutionem Augusti, Sequanos etiam et Heluetios comprehendebat; nos aliorum vestigia secuti, montanis hos adcensuimus. In Tabula, caractere Romano, literis minio pictis, BELGICA. inter fluuios Patabum seu Mosam, et Sequanam, ab ora maritima ad Heluetios.

II. Fines proinde Belgicae sunt, ab occasu fretum Gallicum, a septemtrione insula Batauorum, ab exortu Rhenus, a meridie Matrona et Sequana; explicatur inter gradus longit. 19 et 26. quem nonnihil egreditur, latit. 48 et 52. qui mediam fere insulam diuidit. Summa longitudo a freto et portu Icio ad Rhenum, vbi Argentouaria, CCCL M. P. latitudo a fonte Mosellae ad Mosam et insulam, CCC M. P. Exhibet figuram trianguli aequicruri, cuius vertex Argentouaria, latus oppositum ora maritima freti.

§ II

Montes, siluae, flumina.

I. EXPRIMIT quidem Tabula montes, ex quibus Matronam, Mosam, et Mosellam deriuat, sed eos nominare neglexit. Vogesum esse, ex quo Mosa oritur, iam Caesar docuit: Mosa profluit ex monte Vogeso, qui est in finibus Lingonum." (a) Curuam Vogesi rupem Lucanus memorat. Medio aeuo, inflexa nonnihil voce, *Vosagum* dixerunt; qua forma in Tabula silua nuncupatur, vt mox videbimus. Quidam *Vogasum* et *Vosegum* dixere. Apud Caesarem aiunt in optimis MSS. *Vosegum* scribi; metaphrastes quoque *Βόσηκος*, *Vosecus*, habet; quam expressionem Tabula firmat. Hodie Gallis *la Vosge* aut *Vauges*, Germanis *das Vogesische Gebürg.*

Silua Vosagus. Vels. *Silua Vosagus.* epigraphe minio picta, Mogontiacum inter et Argentoratum, literis siluae eleganter expressae arbusculis interiectis. Hac eadem vocabuli forma vtitur Venantius Fortunatus: (b)

Ardenna an Vosagus cerui, caprae, ibicis, vrsi
Caede sagittifera silua fragore sonat.

Turonensis Gregorius, eodem nomine siluam compellat: Dum ipse Guntheramus rex per Vosagum siluam venationem exerceret." (c) Haec montis et siluae adpellatio indigenis natiua fuisse videtur, quod metaphrastes Caesaris, antiquis codicibus vsus, sic locum scriptoris reddit: Ὁ δὲ Μόσης ποταμὸς ἀπὸ μὲν τοῦ

(a) L. IV. B. G. c. 10. (b) L. VII. c. 4. (c) L. X. c. 10.

Βοσήκαν, ὄρουσ τῆσ Λιγγονικῆς, καταῤῥεῖ, Moſes fluuius a Voſeco Lingonicae monte decurrit.

II. Amnes, Moſa, Scaldis, Moſella, Sarauus, Sequana, Axona, Matrona, Iſara. De Moſa in Batauis dictum; Scaldis fit mentio itinere a portu Geſoriaco Bagacum Neruiorum, Ponte scaldis. quae manſio incidit in oppidum *Valenciennes*, ad Scaldim recentem; norunt amnem Caeſar, Plinius, Hodoeporicon, Fortunatus, alii; Caeſar, *ad flumen Scaldim, quod influit in Moſam.* (a) Ptolemaeo *Tabuda, μετὰ τὸν Ταβούδαν Τούγγροι, poſt Tabudam Tungri;* Schotti libro *Ταβοῦλλα Tabulla.* Plinius Scaldim et Scaldem vocat. Oritur in Veromanduis, per Neruios, aliosque populos fertur in Oceanum; hodie Gallis *Eſcaut*, Germanis *Schelde.* Sequana totus fere Lugdunenſium eſt, ramis quibusdam in Belgicam prolatis. Straboni *Σηκουανὸς, Sequanus*, in alpibus ortus, de quo in Lugdunenſi agemus. Auctor Tabulae Matronam eo intellexerit alueo, quem apud Sueſſionas incoat, apud Venetos in mare deducit; proinde fontibus Axonam, oſtio Sequanam expreſſit; quamquam Veneti olim Ligeri vicini colebant. Axonam Caeſar et Auſonius norunt; ille: Flumen Axona, quod eſt in extremis Rhemorum finibus.“ (b) Hic in Moſella: *Non tibi ſe Liger anteferet, non Axona praeceps.* (c) Tabula, itinere a Bagaco Durocortorum, *Auxenna*, Hodoeporicon *Axenna*, ad fluuium cognominem. Oritur in Catelaunis, prope Moſam recentem, immittit aquas Sequanae apud Velocaſſes; hodie *Aiſne.* Matronam Caeſar et Sidonius memorant; Ptolemaeus fines Belgicae et Lugdunenſis deſcribens, Sequanam modo nominat, cum Matrona proprie ſit earum prouinciarum terminus. Exurgit in Lingonibus, apud Andematunum, ingreditur Sequanam apud Lutetiam; hic *Seine*, ille *Marne* audiunt.

fl'. Muſalla. ad fontem, literis minio pictis. Velſ. Fl. Musalla. Nominatur Tacito, Auſonio, Floro, Venantio, aliis; prioribus *Moſella*, Floro *Moſula*, Fortunato *Muſella*, prope ad Tabulae normam. Putant eruditi, Obringam Ptolemaei huic reſpondere amni; neque enim Moſellae meminit; alii vicinum minutum fluuium accipi volunt; prior opinio ſimilis vero eſſe videtur, ſitu amnium expoſcente. Ceterum habet Coſmographus vocabula non pauca ſingularia, quae apud alios non compareant. Oritur Moſella in Vogeſo, in Tabula ſeſqui vnciam patente, vbi et Moſa prodit, in finibus Rauracorum, exit in Rhenum ad Confluentes oppidum, *Koblenz* vulgo, ex aduerſo Mattiacorum, populi transrhenani; hodie Gallis *Moſelle*, Germanis *Moſel*, vocatur. Iſaram ſequenti dicemus ſectione.

Ponteſarauı. in via ab Diuoduro Argentoratum, ad originem Sarae, *Sare* amnis, qui Auſonio *Sara* vel *Sarra*, Hodoeporico *Saruix*, *Sarnix*, geographis e Tabula *Sarauus;* manſio incidit in vicum *Sarbourg*, paullo ſupra *Salm* oppidum; effluit in Moſellam ad VII a Treueris in occaſum lapidem.

(a) L. VI. B. G. c. 33. (b) L. II. B. G. c. 5. (c) L. X. c. 10.

§ III

Populi Belgicae.

I. AEVO Caesaris regio in populos diuisa complures horum censebat; praecipui sunt, Menapii, Ambiuarii, Aulerci, Morini, Neruii, Atrebates, Remi, Treueri, Vangiones, Nemetes, Caleti, Ambiani, Belouaci, Suessiones, Catelauni, Mediomatrici, Leuci. Tabulae Auctori ex his nominantur quidam, vocabulis non nihil inflexis, seu militari loquendi more, seu culpa scribarum; sunt etiam, qui huc aliunde irrepserint. Nominantur autem Osismi, Veneti, Menapii, Nitiobriges, Parisii, Treueri, Mediomatrici, Suessones. De singulis, pro instituti ratione pauca dicemus, additis Viromunduis et Neruiis.

Osisim. Vels. *Osismi.* scheda prior, *Osisinu.* posterior, *Osini.* De his Velserus adcurate commentatus est. Caesari *Osismii;* Straboni et Ptolomaeo *Οσίσμιοι Osismii.* Notitia habet praefectum militum Osismiacorum, *Osismiis.* Verum hi cum Venetis maritimam plagam in Lugdunensi coluere, vt e Ptolomaeo colligas; Strabo vtrosque Belgis tribuit; quod Tabulae auctor spectarit, quamquam sedibus non rite adsignatis, ad laeuam Patabi exeuntis, quae regio Menapiorum erat.

II. **Veneti.** Vels. VENETI. scheda prior, *Veneti.* posterior vt Vels. sub ante memoratis, ad Sequanam; de quibus Caesarem audire libet: Q. Valenius missus in Venetos; huius ciuitatis est longe amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum illarum, quod et naues habent Veneti plurimas, quibus in Britanniam nauigare consueuerunt; et scientia atque vsu nauticarum rerum ceteros antecedunt; et in magno impetu maris atque aperto, paucis portubus interiectis, quos tenent ipsi, omnes fere, qui eodem mari vti consueuerunt, habent vectigales." (a) Idem sequenti capite regionem eorum *Venetiam* adpellat. Strabo, vocabulorum cognatione ductus, putat hos cum Venetis Adriae eiusdem esse originis; quam opinionem Polybius, qui utrosque nouerat, refellit, Venetos Italiae antiquum populum, lingua ab Gallis distinctum, clare adserens; qua de re nos alias disseruimus.

Menapiorũ castellum, in via; Vels. *Mennapiorum.* Sedes populi huius describit Caesar: Vsipetes et Tencteri complures annos Sueuorum vim sustinuerunt; ad extremum tamen agris expulsi, ad Rhenum peruenerunt, quas regiones Menapii incolebant, et ad vtramque ripam fluminis agros, aedificia, vicosque habebant; sed tantae multitudinis aduentu perterriti, ex his aedificiis, quae trans flumen habuerant, demigrauerunt, et, cis Rhenum dispositis prae-

---

(a) L. III B. G. c. 8.

fidiis, Germanos transire prohibebant.“ (a) Agros Batauis ab auſtro vicinos tenuere, vbi hodie pars ducatus Brabantiae borealis. *Μεναπίων*, Menapiorum Strabo meminit, Morinis, Belouacis, Ambianis, Sueſſionibus vicinos faciens, eorumque regionem laudans, cui ſimilem Morini habuerint. Clarius Ptolemaeus, *μετὰ τὸν Μώσαν ποταμὸν, Μενάπιοι, poſt Moſam fluuium Menapii*, quorum oppidum Caſtellum, cuius Tabula cum Hodoeporico mentionem facit.

III. Rervges. Veſl. *Reruiges.* ad Moſam recentem, epigraphe minio picta. Forſan *Neruii* ſunt, clarus Belgicae populus, aut *Remi*, aeque non ignobiles. Niſi a Teruanna ſint *Teruiges* dicti; Theruingi, Gothicus populus, huc referri nequeunt. Paullo ſuperius comparet Bacaconervio. ſcriptum, ſeu Bagacum *Neruiorum;* ponuntur ad flexum amnis Moſae. De his Tacitus: Treueri et Neruii circa adſectationem Germanicae originis vltro ambitioſi ſunt, tamquam per hanc gloriam ſanguinis a ſimilitudine et inertia Gallorum ſeparentur.“ (b) Forſan in Tabula Neruii Geſſoriacenſes legi queant; niſi e duabus vocibus vnam fecit ſcriba oſcitans. Vtrique erant ad Scaldim et mare vicini, in quorum poſteriores Morini abierint.

Treveri. Velſ. TREVERI. colore atro, regione propria. Vrbem tenebant cognominem, aetate Pomponii Melae clariſſimi; queis Veſpaſianus, ob Ciuilis tumultum, libertatem ademit. Poſtea tamen rurſus inclaruerunt, epigraphico etiam regno memorati. Lapis Graecii in Noricis relatus, T. Vario Clementi CIVITAS TREVERORVM optimo praeſidi, ſub Antoninis. Ptolemaeo, *Τριβιροὶ, Tribiri*, Schotti libro, *Τρίβηροι, Triberi.* Germanicam originem cum Neruiis adfectabant, vt paullo ante dicebamus; hodie *Trier*, ciuitas libera.

Nitiobro.ges. Velſ. NITIOBROGES. Norunt Nitiobriges apud Garumnam, in Aquitania, Caeſar, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, quorum metropolis Aginnum; noſtri ſupponuntur Neruiis, inter Durocortorum et Auguſtobonnam. Meminit Ptolemaeus *τοῦ Ὀβρίγκου ποταμοῦ, Obrinci fluuii*, quem pro Moſella in Rhenum deriuat. Poterat is vulgo ſic dici, adcolisque nomen tribuere; verum vt Veneti et Oſiſmii e Lugdunenſi huc illati erant, ſic et Nitiobriges ex Aquitania in haec loca migrare poterant.

IV. Viro Muduoy Auguſta; Velſ. *viro Muduon.* ſcriptum in via; ſcheda, *uiro muduor.* Hodoeporicon, Auguſta *Veromandorum.* quidam editi, *vero Mandorum.* Caeſar Veromanduos dixit; recentiorum nonnulli Viromandos et Virmandos. Ptolemaeo, ſyllaba priore miſſa, *Ῥομάνδυες, Rhomandyes*, ciuitas Auguſta *Ῥομανδυῶν, Rhomandyum*, Schotti libro, ciuitas *Ῥομανδύσσων, Rhomandyſſorum*, Auguſta *Ῥομανδύσσα, Rhomandyſſa*, Italo ſunt *Romandui*, quae lectio ceteris praeſtat. Nomen in *Vormandois* ſupereſt, populo modico, plaga orientali hodiernae Picardiae.

(a) L. IV. B. G. c. 4. (b) Mor. Germ. c. 28.

Aug. Sueſſor. Velſ. *Aug. Sueſsor.* in via, inſcriptio vrbis. Hodoeporicon, *Auguſta Sueſſonum.* Caeſar in quibusdam editis, Sueſſones, in melioribus Sueſſiones, habet; quam lectionem metaphraſtes firmat, *Σουεσσίονες* ſcribens; Lucano Sueſſones; Ptolemaeo, ſibilante miſſa, *Ουέσσονες*, *Veſſones*, quorum vrbs Auguſta *Ουεσσόνων Veſſonum.* Aetate ſequiori Sueſſonae quoque dicebantur, Axonae fluminis adcolae; hodie ipſorum ager *Soiſſonois* vocatur.

Mediomatrici. Velſ. *Mediomatrici.* ſub Treueris, ad Moſellam recentem, literae minio pictae. Populus antiquorum pluribus notus; fines eius ad Rhenum vſque pertinuiſſe, Caeſar tradit; quod nonnulis recentiorum diſplicet. Straboni *Μεδιοματρικοὶ*, *Mediomatrici*, etiam ad Rhenum, ſupra Sequanos. Ptolomaeo, diuerſa inflexione, *Μεδιομάτρικες*, *Mediomatrices*, quorum vrbs Diuodurum; hodie regio *Loraine* audit.

Pariſi. Velſ. PARISI. ſcriptum minio pictum, loco alieno, ſub Veteribus, cum ad Lugdunenſem ſpectent; forſan Gugernos, quos inferius Rerviges dicit, heic ſcribere volebat architectus. Caeſar, concilium Galliae, quod indixerat, Lutetiam Pariſiorum transfert. Confines hi erant Senonibus, ciuitatemque patrum memoria coniunxerant.“ (a) Straboni, *Παρίσιοι*, *Pariſii*, circa Sequanam flumen. *Παρισίων*, *Pariſiorum* mediocre oppidum memorat Iulianus in Miſopogone. Populus aetate poſteriore celebratus.

§ IV

Oppida, manſiones.

I. IN recenſione locorum ſubſtitimus apud Nouiomagum, vrbem Batauorum, non quod ager ipſorum eo finiebatur loco (non dum enim Rheni fiſſionem attigimus) ſed quod viae ibi concurrebant, et praecipuus erat locus gentis, vnde vicini Gugerni, ad Belgicam ſpectantes; petebantur. Proinde Arenatium, quod ſequitur, cum fines ditionis Batauicae non excedat, ceteris adcenſeri poterit.

Arenatio. X. Velſ. *Arenatio.* X. ſcheda, *Arenacio.* Hodoeporicon, *Harenatio.* XXII. a Caruone. Velſerus et Cellarius negant eſſe *Arnhem*, ſeu *Arnheim*, trans Rhenum, vbi Mannert Caruonem poſuit, de ſitu nihil adferunt. Altingius, apud Weſſelingium, vicos *Herwert* et *Aert*, non multum diſſonare putat. Danuilleo, *Arenatium*, XII M. P. intra inſulam, ad Rhenum, proxime Vahalis confluentem, ſtatuit. Mannert eodem parallelo, ſed auſtrali Vahalis ripa, vbi is ſe ſe a principe alueo ſeiungere incipit, apud *Werthuyſen*, idque

(a) L. VI B. G. c 3.

Tacitum ſecutus; ſed menſurae rationem habuiſſe non videtur, cum in Hodoeporico pro XXII M. P. accipi vult XII. Tabula quippe a Caruone per Nouiomagum progreſſa XXXI M. P. vſque ad Arenatium cenſet; et Cuſani Codex cum mendoſa XII M. P. lectione ceteris praeferri nequit. Tabulae numeris reſpondet vicus *Hulhuiſſe*, alias *Sluys*, dextra Vahalis ripa, ad quartum ab *Harwart* pago in occaſum nonnihil aeſtiuum lapidem, vbi Danuille, maiores ſecutus, Arenatium poſuit. Sonus vocum, vbi menſurae diſcrepant, nihil prodeſt.

Burginatio. VI. Velſ. *Burginatio.* VI. ſcheda, *Burginacio.* 6. Rhenanus *Burginatium* legit, et *Burcinatium.* Hodoeporicon, *Burginatio* VI. Kleiner apud Scheybium *r* pro *t* acceperit, quae literae in MSS. eamdem prope figuram habent; recta proinde lectio eſt *Burginatio.* Geographorum παῖδες poſtquam in prioribus diſſenſere, neque in hac manſione conuenire poterant. Cluuerius ad ſiniſtram Vahalis ripam quaeſiuit; Cellarius, duce Altingio, intra inſulae iugulum; Mannert, Quadriburgium et Burginatium, Altingio et Cluuerio praeceptoribus, idem arbitratus, *Schenkenſchanz* vicum, in confluxu Rheni et Vahalis, nonnuli in inſula ponunt, interpretatur. Danuilleo, *Burginatium*, in eodem confluente, intra inſulam, ſed Arenatio paene contiguum; cum VI M. P. intercedere debeant, quae a vico *Sluys* vſque huc adcurate cenſentur.

II. **Colō. traiana.** V. inſignia coloniae. Velſ. *Colon. Traiana.* V. ſcheda, *Colo Tra-* ſpatio deficiente. Rhenanus, *Colonia Traiana.* XI. qui numerus eſt vitioſus, vt iam Velſerus obſeruarat. Nam XIII in Tabula ad ſequentem manſionem Aſciburgium ſpectat, eodem Rhenano vade, cum in autographo, aduerſo flumine, ſequi ait, *Vetera.* XIII. *Aſciburgium.* XIV. *Noueſium.* XVI. *Agrippina.* quae ſuo videbimus loco. Hodoeporicon, *Colonia Traiana.* V. Ptolemaeo, Τραϊανὴ λεγίων, *Traiana Legio*, Schotti liber addit XXII. vbi Τραϊνὴ *Traine* perperam legitur. Longa eſt inter geographos de ſitu coloniae huius diſputatio. Pighius, in Hercule Prodicio, multis contendit, Traianam aut Vlpia Veteribus fuiſſe vicina; quod Tacitus olim docuit. Situm Veterum putabat Cluuerius in *Santen* ab ſe repertum; quem Cellarius, cum reliqua geographorum turba, preſſo pede ſequitur. Sed hi itinerum rationem prae oculis non habebant. Ceterum in eo conuenit omnibus, in vico *Kellen*, ſeu *Cöln*, *Cleve* arci proximo, eius coloniae veſtigia ſuperare. Danuilleo, *Colonia Traiana*, VIIII M. P. a priore in exortum hibernum, in tabella Batauiae, rectius alias VI. in chartis *Kellen* vicus ab *Schenkenſchanz* abeſt V M. P. ab arce *Kleef* in exortum II fere, a ripa Rheni in occaſum IV M. P. interuallo.

Veteribus. absque numero; (a) inſignia municipii. Velſ. *Veteribus. XI.* Rhenanus legebat XI. Hodoeporicon, itinere Lugdunenſi, *Veteribus.* I. vt in

(a) Vſi ſumus exemplari Veccleſienſi; in noſtro exerte xl. ponitur, interuallum ab Atvaca iſthuc ducens; neque enim huic loco adplicari poteſt.

Regio; in ceteris nota numeratis abeſt, Surita, Pighio, Weſſelingio perhibentibus. Confirmat haec iter aliud, ab Tauruno per Pannoniae ripam in Gallias ad Leg. XXX Vlpiam: Calone, *Veteris. Leg.* VII. *Ala. Caſtra. Leg.* XXX *Vlpia. Burginatio. Leg.* VI. *Ala.* Heic loci, quae Cluuerius, Cellarius, et nouiſſime Cl. Schoenuiſner, de Veteribus Vlpiae Traianae admouendis, Pighium ſecuti, diſſeruere, ne actum agam, quod id iam Tacitus non obſcure indicauit, praetereo; vnum circa numeros notaſſe, operae pretium fore arbitror. Weſſelingius, relatis Pighii verbis, qui ſe inter Vetera et Vlpia vel coloniam Traianam in nullis exemplaribus aliam diſtantiam adnotatam inueniſſe ait, quam M. P. M. id eſt, *milliare plus minus*, haec addit: Hinc vero cogit, Traianum coloniam ſuam et caſtra huic iuncta Veteribus ad vnius milliaris ſpatium vicina conſtituiſſe; cui ſententiae ex Regio Suritae qualecumque robur accedit; nec validum tamen; infringitur enim a Tabula, quae Coloniam Traianam XL M. P. a Veteribus diſterminat, graui quidem peccato, ſed facile, modo obſeruetur, ex XV ductu dextro literae V in planum inclinato, nata eſſe XL M. P. eluendo; atque hoc ſitus, qui *Coln* et *Santen* disiungit, vt Ph. Cluuerius, (a) et M. Altingius itidem viderunt, expoſtulat.“ Haec poſtrema et ipſi ſententiae Weſſelingianae, qua Vetera Coloniae vicina dicebat, et diis viarum praeſidibus, vim faciunt. Hodie, cum nullus inter Coloniam Traianam et Vetera numerus in Tabula compareat, de cenſu eius cum Hodoporico, et vtriusque auctoritate ac dignitate nulli dubitamus. Proinde *Santen*, quod XVIII M. P. ab ſitu Coloniae Traianae in exortum hibernum abſcedit, Veteribus adſignari haud poteſt. Mannert, cuius oſcitantiam non raro experiare, heic dormitauit, cum Vetera tam ex diſtantiis, quam deſcriptione Taciti, apud *Santen*, vbi arx *Forſtenberg* eſt, conſtituit. Idem ei accidit apud Coloniam Traianam, cum dicit, apud Ptolemaeum Legionem (forſan XXX) Veteribus errore poni; rectius dicturus, Τραϊανὴν Λεγίων, *Traianam Legionem*, vt diuerſum ab Colonia oppidum, vno amplius gradu in auſtrum perperam remoueri. Traiana quippe Legio Vlpia, eadem fuit XXX. quam apud Vetera recte poſuit Ptolemaeus, omni vitio cariturus, ſi haec admouiſſet Traianae. Mihi adiuncta rerum ſpectanti videntur haec bina oppida ſic olim conſtitiſſe, vt hodie *Cleef* et *Kellen*, duum M. P. interuallo, amne quodam, Rhenum petente, diremta conſiſtunt, vt *Cleef* ſit Colonia Traiana, *Kellen* Vetera caſtra.

III. Aſciburgia. XIII. Velſ. *Asciburgio.* XIII. Hac forma vtitur Tacitus, qui loci, inter quinquaginta Druſi caſtella, iterum meminit: Aſciburgium, quod in ripa Rheni ſitum, hodieque incolitur.“ (b) Et in hiſtoriis: *Rapiunt in transitu hiberna alae, Aſciburgii ſita.* (c) Cluuerius, vocabulorum ſono deceptus, vico *Asburg*, longe inde in auſtrum remoto, adſcribit;

(a) L. II. G. A. p. 91. (b) Mor. Germ. c. 3. (c) L. IV. c. 33.

quem Bertius, Cellarius, alii, nulla numerorum habita ratione, sequuntur; et, quod mirere, Mannertus, quem ego vt insignem geographum suspicere soleo, heic alto sopore oppressus, idem censuit, eum Asciburgium apud vicum *Essenberg*, ex opposito *Duysburg* oppidi, constituit; repugnante toto caelo Tabula, quam heic laudare non debuit. Abest is locus ab *Cleve* seu *Cleef* oppido, ductu recto, sex mill. geogr. in quibusdam chartis octo; quae distantia numeris Tabulae conuenire nequit. Danuille, maiorum vestigia secutus, Calonem Hodoeporici Asciburgio praeposuit, VI. M. P. interuallo, sic vt Asciburgio *Asburg* respondeat. Mihi auctor Tabulae per agrum oppidi *Geldern*, ad ripam *Niers* amnis, processisse videtur; abscedit a *Cleve* in austrum tribus mill. geogr. in charta Europae recenti, a ripa Rheni in occasum XII M. P. Locus Taciti, quo Asciburgium in ripa Rheni situm dicitur, non obstat positioni; seu quod locus in via ripensi erat, seu quod in eo opere Tacitus adolescens ibi constitisse credebat, cuius rei postea in historiis mentionem non facit. Adde, quod si Asciburgium in ripa Rheni fuisset, id Hodoeporicon praeteriturum non erat; praeteriit autem itinere vtroque.

Novesio. XIII. Vels. *Nouesio.* XIIII. Hodoeporicon, itinere ripensi, ab Tauruno ad Leg. XXX. Veteris, *Calone.* Leg. VII. *Gelduba.* Leg. IX. *Nouesio.* Leg. IX. itinere Lugdunensi, Veteribus, *Calone.* XVIII. *Nouesiae.* XVIII. Tabula ab *Geldern* processit per oppidum *Mörs*, *Meurs*, X M. P. remotum, a ripa Rheni laeua III M. P. cui *Gelduba* Hodoeporici respondet in Tabula cum interuallo exmissa. In Regio Suritae, *Nouensio;* aliis, *Venensio*, *Nouesio*, *Neuensio*, Vaticano *Alaneuenico.* Tacito, Nouesium: Legio XIII cum auxiliis simul deditis a Nouesio in Coloniam Treuirorum transgredi iubetur." (a) Ammiano, *Niuesium*, vt Surita legit; hodie: Ciuitates occupatae sunt septem: Castra Herculis, Quadriburgium, Tricesimae, Nouesium, Bonna, Antunnacum, et Bingio." (b) Annalibus, *Castellum Nouesium;* Caesario Heisterbachensi, In ciuitate Nussia, quae quinque milliaribus distat a Colonia ciuitate magna." (c) Danuilleo, *Nouesium*, XIII M. P. a *Gelduba*, quae in *Ordingen* incidit, situ oppidi *Nuys*, *Neuss*, prope ripam Rheni, *Erst* amnis laeua.

IV. Agripina. XVI. insignia coloniae. Vels. *Agripina.* XVI. Hodoeporicon, itinere Lugdunensi, *Colonia Agrippina.* XVI. ripensi autem, Nouesio, *Burunca. Leg.* V. *ala. Durnomago. Leg.* V. *ala. Colonia Agrippina. Leg.* VII. *ala.* Colonia Agrippina, etiam Agrippinensis, absque addito, nuncupata, olim Ara Vbiorum, quam Agrippina, Germanici filia, Claudii vxor, inde oriunda, in coloniae dignitatem exexit, memoratur Tacito, (d) Ptolemaeo, epigraphis. Ptolemaeus Erasmi, post Vetera, inde *Αγριππινησίς*, *Agrippinensis*, Schotti *Αγριππινησῆς*, *Agrippinenses*, in tabula *Agrippensis colonia*, Italo *colonia*

(a) L. IV. Hist. c. 62. (b) L. XVIII. c. 2. (c) L. I. Hist. c. 40. (d) L. XII. Annal. c. 27.

Agrippinese. In veteri, apud Lipsium, marmore, quod in Macedonia retulimus, Claudia vocatur: M. Marius Rufinus, curat. COL. CLAVD. AVG. AGRIPPINENSIVM. Volunt etiam numos meminisse vrbis; Neronis, apud Golzium, AGRIPPINA COL. Claudii, apud Harduinum, COL. AGRIPPINA VBIOR. vtrumque spuriis mercibus adcenseri, nemo ambigat. Danuilleo, *Colonia Agrippina*, xxiv M. P. a Nouesio, situ vrbis *Cöln*, *Köln*. Sunt autem ab *Nuys* ad *Köln* mill. geogr. quatuor cum semisse; quare tam in Tabula, quam Hodoeporico, itinere Lugdunensi, Buruncum, *Greven-broch*, in mediterraneo, cum viii M. P. desiderabitur; et Durnomagus, non ad Rheni, cum Danuilleo, sed *Erft* amnis ripam, apud *Bergen* oppidum, statui debebit. Apud Agrippinam concurrunt viae mediterraneae tres, ab Atuaca, Durocortoro, Treueris, quas deinde perlustrabimus.

Bonnae. xi. insignia municipii. Velf. *Bomae* xi. Hodoeporico, itinere Lugdunensi, *Bonna*. xi. ripensi, *Bonna*. absque censu. Wesselingius putat M. P. xviii circiter desiderari; itinere priori, Simlero, *Bonnae*. Tacitus oppidi, Nouesio plerumque iuncti, frequens meminit. (a) Quodam loco: Cerialis profectus Nouesium Bonnamque ad visenda castra, quae hiematuris legionibus erigebantur." (b) Ptolemaeo, a colonia Agrippinensi, *Βῶννα*, Schotti edito *Βόννα*, *Bonna*; sic Floro, Ammiano, aliis. Quod interuallum M. P. xi. spectat, exile cuipiam videri possit; quare nonnulli pro M. P. Leugas accipi volunt; verum id oppidi *Bonn* distantia ab *Köln*, vtpote duorum mill. geogr. cum tribus quintis, non admittit. Danuilleo, *Bonna*, xvii M. P. ab Agrippina, in austrum. Etiam illud heic obseruari velim; Bonnae et Agrippina, auctori Tabulae, eadem prorsus ratione, cum insignibus vrbium, notantur, qua colonia Traiana et Vetera, numero demto; vnde id cuipiam in mentem venire queat, doctissimum Rhenanum, qui Tabulam apud amicum suum Peutingerum obiter inspexit, numerum xi ab Agrippina ad coloniam Traianam transtulisse; quem esse mendosum iam Velserus obseruarat, sed e scheda, quae vltra coloniam Traianam non progreditur, nihil certi elicere potuit; tamen seu auctoritate Rhenani, siue Ptolemaei, quod vero propius censeas, motus pro xi in Tabula sua xl effinxit; quem numerum Scheibius non reperit.

V. **Rigomagus**. viii. Velf. *Rigomagus*. viii. Hodoeporicon praeterit; de situ Ammianus, vastationem Germaniae, in Gallico solo, enarrans, haec habet: Per quos tractus nec ciuitas vlla visitur; nec castellum; nisi quod apud Confluentes, locum ita cognominatum, vbi amnis Mosella confunditur Rheno, Rigomagum oppidum est, et vna prope ipsam coloniam turris." (c) Sic restituit Lindenbrogius ex MSS. antea *Rigodulum* legebatur, vt quodam apud Tacitum loco. (d) Lipsius hoc *Rigol*, vno mill. Germ. infra Agrippinam, *Rigo-*

(a) L. IV. An. c. 19. 20. 25. 77. (b) L. V. Hist. 22. (c) L. XVI. c. 3. (d) L. IV. Hist. c. 71.

magum Cluuerius, cum aliis *Rimagen*, ſeu *Rheinmagen*, Bertius *Reiñegen*, ad effluxum *Ahr* amnis, quem nonnulli Obringam Ptolemaei eſſe volunt, interpretantur. Danuilleo, *Rigomagus*, XII M. P. a Bonna, VIII ab Ara Vbiorum, in auſtrum nonnihil ortiuum, ſesqui milliari ſupra effluxum *Ahr* amnis, quem Obringam vocat.

Antunnaco. VIIII. Velſ. *Antunnaco*. VIIII. Hodoeporicon, *Antunnaco*. XVIIII. itinere Lugdunenſi, *Antunnaco*. XVII. a Bonna; in quibusdam *Antonaco*, *Anturnaco*, *Autonnaco*, *Antunago*. Ammianus, Bonna, *Antunnacum*, Bingio, inter ſeptem ciuitates occupatas. Venantius Antonnacenſis caſtelli vocabulo vtitur. Annales Bertiniani Antunacum, Fuldenſes Anternacum vocant, Notitia imperii Antunacum. Danuilleo, *Antunnacum*, XII M. P. a priore in exortum hibernum, ſesqui milliare ſupra amnem exeuntem, ſitu oppidi *Andernach;* forſan *Nach*, aut *Nack*, illi fluuio nomen olim erat. Danuille heic Leugas pro M. P. accipiendo, ſpatia ampliauit.

Confluentes. VIIII. ripa Muſalae exeuntis dextra. ſic Velſerus. Hodoeporicon, itinere Lugdunenſi, *Confluentibus*. VIIII. ripenſi autem, quod hoc loco turbatum eſt, vt viri docti recte obſeruarunt, manſio haec deſideratur. Situm loci ad Moſellae exitum notat Ammianus. In Notitia imperii, praefectus militum defenſorum, *Confluentibus*. Volunt iam Plinium oppidi meminiſſe, qui apud Suetonium, de Caio Caeſare, *vico Ambiatino*, *ſupra Confluentes*, natum refert. (a) Danuilleo, *Confluentes*, XII M. P. in exortum hibernum, ſitu vrbis *Coblenz*.

VI. Bontobrice. VIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, loco non ſuo, *Baudobrica*. XXII. a Bonna, XVIIII ab Antunnaco; quae ſunt mendoſa et turbata, vt viri docti dudum obſeruarunt. Idem factum itinere a Treueris Argentoratum, vbi *Baudobriga*, Saliſſone, Bingio, alieniſſimo ponuntur loco. In Regio Suritae exemplari, *Boudobrica;* nonnullis *Boudobrica* XVIII. *Bandobrica*, *Bodobriga*. In imperii Notitia, praefectus militum balliſtariorum, *Bodobriga*, vt Cellarius legit; Surita *Bodobrica*, Schoenuiſner *Baudobricae*. Tabula finali ſimplice pro diphthongo, vti plerumque alias, *Bontobrice*, pro *Bontobricae*, aut *Boutobricae*, expreſſit. Eo interuallo eſt vicus *Boppart*, Danuilleo *Baudobrica*, XIV M. P. minus recte; neque enim amplius quam duo milliar. geogr. eo ſpatio cenſentur. Si Tabula iſthic deſtitueremur, ex Hodoeporico ſitum manſionis cognoſſe non liceret; Notitia quippe, quamuis in recenſione ſtatiuorum militarium geographicum plerumque ſequitur ordinem, cenſu tamen M. P. eſt priuata. Numeri, qui oppidum hoc in Hodoeporico vtrimque ſtipant, vnde irrepſerint, aut quorſum referri debeant, non facile terminaris. Cl. Schoenuiſner duplicis viae indicium eſſe putat, modum non oſtendit. Baudobrica ſuo poſita

---

(a) Calig. c. 8.

loco, M. P. XVIIII erunt Antunnaco admouenda, vt distantiam a Baudobrica indicent; M. P. XXII interuallum Bonnae ab Antunnaco erit. Tabula vtrobique M. P. XVII habet.

Vosavia. VIIII. sic Vels. Cellarius legit xl. loco alio, vbi de Bingio agit, rectius. Idem putat, quia in martyrologio Hrabani, (a) *Wasalia* habetur, qui locus hodie *Oberwesel* sit, omnium consensu, facilem duci coniecturam, in Tabula forte etiam *Vasalia*, vel *Vasallia*, esse legendum. Nihil quidem magis, quam locorum nuncupatio, est mutationibus obnoxia, sed, antiqua vocabula ex recentioribus resingere, antiquariae leges non admittunt. Danuilleo, *Vasalia*, xv M. P. in exortum hibernum, situ oppidi *Ober-Wesel.*

Bingiū. VIIII. sic Vels. Cellarius, pro more, *Bingium*, legit. Hodoeporicon, *Bingio.* XVIII. itinere ripensi, a Baudobrica, vti restitui debere censebamus; nonnunquam *Vingio*, vt itinere a Treueris Argentoratum, Simlerus et Cusani codex. Bingium ibi loco alienissimo est. Itinere Lugdunensi, *Vinco.* XXVI. a Confluentibus; quae est Tabulae mensura. Heic etiam *Bingio* reddi debere, Wesselingius recte aduertit. Ex hoc itinere, distantiae via ripensi turbatae, restitui possunt. Oppidi meminerunt, Tacitus, Ammianus, Notitia; prioris haec sunt: Tutor, Treueris comitantibus, vitato Mogontiaco, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Nauae fluminis abruperat.“ (b) Ammiani locum apud Nouesium dedimus, cui recto casu *Bingio* vocatur. Notitia, praefectus militum *Bingiensium*, *Bingio.* Danuilleo, *Bingium*, XIV M. P. a Vosalia, ripa Nauae, vulgo *Nahe*, amnis exeuntis laeua, *Bingen* oppidum dextram tenet.

VII. **Mogontiaco.** XII. insignia municipii. sic Vels. Hodoeporicon itinere ripensi est vitiatum, vrbe exmissa; Lugdunensi, angulo praeterito, Nouiomagum petit; a Treueris autem Argentoratum, *Magontiaco.* XII. a Bingio, vt in Tabula; itinere a Mediolano Magontiacum, *Magontiaco.* XI. a Bauconia; sic e Regio expressit Surita, eumque secutus Wesselingius; in aliis *Mogontiacum*, *Moguntiaco*, *Mocontiacum*, *Mogontiaco.* Tacitus oppidi frequens meminit; (c) locum eius vnum in Bingio adduximus; ei et Hieronymo *Moguntiacum;* Eutropio et Notitiae *Mogontiacum*, sub duce *Mogontiacensi;* in ciuitatum et prouinciarum recensione, *Moguntiacum.* Ptolemaeo, *Μοκοντίακον*, *Mocontiacum*, Surita *Μογοντίακον Mogontiacon* legit. Ammiano, forma feminea, *Mogontiacus.* (d) Iunioribus, *Moguntia*, *Mogontia*, *Maguntia.* Coloniam fuisse, negat Mannert; municipii insignia tribuit Tabula. Idem geographus putat, Caesaris *ad Magetobria* (e) isthuc forsan spectare. Hodie *Maynz*, ex aduerso fluuii *Mayn* seu Maeni, dextram Rheni petentis; Danuilleo, *Mogontiacum*, XVIII

(a) Prid. Kal. Iul. (b) L. IV. Hist. c. 70. (c) L. IV. Hist. c. 15. 33. 61. 70. (d) L. XV. c. 27. (e) L. I. B. G. c. 31.

M. P. in exortum aestiuum, a Bingio, cum non sint integra tria mill. geogr. eo interuallo. Inter Mogontiacum et Bingium prodit via mediterranea a Treueris, quam postea dispiciemus.

Bonconica. VIII. sic Vess. Hodoeporicon, itinere a Mediolano Magontiacum, *Bauconica.* XI. in Regio, XIII. scriptis *Bouconica*, quod ex Bonconica originem accepisse putat Wesselingius. *Oppenheim*, Cluuerius, Cellarius, Danuille, Mannert, censent; Altingius mauult *Alsheim*, quod Wesselingio displicet. Danuilleo, *Bonconica*, XII M. P. in austrum nonnihil ortiuum, situ oppidi *Oppenheim;* charta Europae numeris Tabulae respondet.

Borgetomagi. XI. sic Vess. Hodoeporicon, *Borbitomago.* XIII. alias *Bormitomago*, *Bornittomago*, *Bornutomago*, *Bormitago*, *Brotomago;* itinere a Treueris Argentoratum, *Borbitomago.* XVIII. a Nouiomago totidem; quae sunt mendosa. Ptolemaeo, *Βορβητόμαγος*, *Borbetomagus.* Posteriori aetate *Vangiones* dicebantur; Ammianus: Prima Germania, vbi praeter alia municipia, Mogontiacus est, et *Vangiones*, et Nemetae. Ex Borbitomago nata *Bormatia*, deinde *Vormatia;* hodie *Worms.* In prouinciarum Notitia, *ciuitas Vangionum;* item *ciuitas Vangionum Warmatia;* aut *ciuitas Vangionum*, id est, *Warmatia*, vel *Garmatia*, aut *Guarmatia;* et *ciuitas Vangionum*, *id est*, *Warmacia.* Rauennati, *Gormetia*, quam formam is ex Tabula, simili nostrae, haurire nequiuit. *Borgetomagus* militari vsu dicta fuerit. Danuilleo, *Borbetomagus postea Vangiones*, XVII M. P. a priore in austrum, interfluente amne, cuius fons *Eyssenwag* audit; in charta Europae *Worms* abest a *Maynz* quatuor mill. geogr. cum semisse, seu M. P. XXII. qui census Tabulae numeris proxime accedit.

VIII. **Nouiomag.'** XIII. sic Vess. Cellario, *Nouiomagus*, XII. Hodoeporicon, itinere a Mediolano Maguntiacum, *Nouiomago.* XIIII. qui numerus omnibus libris est idem; itinere a Treueris Argentoratum, *Nouiomago.* XVIII. Lugdunensi, Nouiomago. XXXVII. Vinco seu Bingio, sed Treueros versus. Itinere ripensi, M. P. XXV a Bingio; quod nullo pacto sustineri potest, vt post Simlerum et Cluuerium doctissimus Wesselingius recte obseruat. Sunt enim ductu mathematico a Bingio Spiram M. P. L. vt in adcuratissimis Danuillei tabulis, et, qua vtor, Europae recentissima, mill. geogr. omnino decem. Proinde nihil magis probabile videri, quam itinere hoc mansiones, quas recensuimus, cum numeris intercidisse, si non omnes, minimum vnam; Saletione, Bingio, Nouiomago, Borbitomago, ad iter a Treueris Argentoratum perperam translatis, vt infra dicemus. Adiuncta enim rerum consideranti videtur via itinere ripensi Bonconicam omnino adisse, vt M. P. XXII Bingio a Nouiomago adscripta indicant, quae est distantia Bingii a Bonconica. Vtrum Moguntiacum adierit, ex his, quae superant, elici nequit; videtur tamen angulum eum declinasse. Ptolemaeo, inter oppida Nemetum, *Νοιόμαγος*, *Noeomagus*, forsan *Νοϊόμαγος*, *Noio-*

magus, pro *Nouiomagus*, legi oporteat; interpretes *Neomagus* reddunt. Aufonius, Mofellae fub initium:

Et tandem primis Belgarum confpicor oris
Niuomagum, diui caftra incluta Conftantini.

Alias oppidum Nemetes dictum aiunt; Ammiano, Vangiones et *Nemetae*, vt fupra vidimus; Notitiae imperii, praefectus militum Vindicum, *Nemetis;* in prouinciarum Notitia, *ciuitas Nemetum;* fubinde recentius vocabulum, claritatis gratia, additur, *ciuitas Nemetum Spira*, aut *ciuitas Nemetum*, id eft, *Spira*. Libet et Rauennatem audire: Iuxta Rhenum funt ciuitates, id eft, Gormetia, quae confinalis eft cum Maguntia, ciuitate Francorum, item ciuitate Altripe, Sphira, Porca, Argentaria, quae modo Stratisburgo dicitur.“ (a) Danuilleo, *Nouiomagus poftea Nemetes*, XXIV M. P. in auftrum, prope Rheni ripam, ad *Speirbach* amnis exitum, fitu vrbis *Speyer*, *Speir*. Interuallum Tabulae pertingit ad Valentiniani munimentum, Manhemio adfitum, cuius nomen vetus intercidiffe aegre feras. Sunt a *Worms* ad *Speyer*, in Europae charta, tria mill. geogr. cum quatuor quintis, feu XIX M. P. Danuille fpatium, fecundum Leugas, producit.

Tabernis. XII. fic Velf. Hodoeporicon, *Tabernis.* XI. Aliae Tabernae funt itinere ex Pannonia in Gallias, per loca mediterranea, a Sirmio Treueros, ad XIIII ab Argentorato lapidem, quas vocant Alfaticas, quarum Ammianus meminerit, vt fuo dicemus loco. In imperii Notitia, praefectus militum Menapiorum, *Tabernis;* quae fint noftrae, quas Cluuerius, Bertius, Cellarius, Mannert, *Rhein-Zabern* interpretantur; et hic quidem, Cluuerio duce, Ammiani Tabernas ifthuc referri putat; Cellarius, Weffelingius, cum Lindenbrogio, et Henr. Valefio, ad Alfaticas. Hodoeporicon, itinere ripenfi, hanc manfionem praeteriit, ab Rheno in mediterranea deflectens, vt recte fignauit Danuille, cui *Tabernae*, XVI M. P. a Nouiomago in auftrum nonnihil occiduum, fitu vici *Rhein-Zabern*, laeua *Elbach* amnis.

IX. **Saletione.** XI. fic Velf. Hodoeporicon, itinere a Mediolano Magontiacum, *Saletione.* XIII. Simlerus, vel *Saliffo;* in Regio, *Salentione;* Neapolitano *Salitione.* VII. Longoliano, *Saletione.* VII. fed plura M. P. cenferi debere, Tabula oftendit. Itinere a Treueris Argentoratum, loco alieniffimo, *Saliffone.* XXIII. a Bingio; quae funt corruptiffima. Ammiano, *Salifo*, vt mox videbimus; in imperii Notitia, praefectus militum Pacenfium, *Saletione.* Danuilleo in II Atlantis tabula rectius ad XI M. P. *Saletio* eft, quam in III ad XVIII. quod ne Hodoeporicon quidem tradidit. Rheginoni ad an. DCCLXXXVIII. *Caftrum, quod dicicitur Sels.* Simlero *Seltz;* Suritae *Salts;* Bertio *Zelz;*

(a) L. IV. c. 26.

hodie *Selz* oppidulum, dextra exeuntis fluuii cognominis ripa, ex aduerso *Rastadti*.

Brocomacus. xviii. sic Vess. Hodoeporicon, itinere ripensi, cum Tabula, in hac mansione concurrit, sic a Nouiomago progressum: *Concordia.* xx. *Brocomago.* xviii. Regium exemplar, *Brocomagno.* Neapolitanum, *Brocomaco.* Vossii schedae *Broco maco*, vt fere in Tabula, Wesselingio obseruante. Ptolemaeo, in Tribocis, *Βρευκόμαγος*, *Breucomagus;* apud Ammianum *Brotomagus* legebatur ante correctionem; qui de Iuliano: Audiens, inquit, (a) Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, Salisonem, et Vangionas, et Magontiacum ciuitates, barbaros possidentes, territoria eorum habitare, primam omnium Brocomagum occupauit." Cluuerio *Brumt*, ad fluuium *Sorram*, Bertio *Bruomat*, Mannerto *Brumt*, *Brumat;* aeuo medio *Bruochmagat in Elisatia*, chronico Laurishamensi. Cellarius, ex Ammiani oratione, putat, locum Rheno admoueri debere; Mannert in mediterraneis statui oportere censet; Danuilleo, *Brocomagus*, xxv M. P. a Saletione in occasum hibernum, dextra *Sor* amnis, xii M. P. ab effluxu, ad vi infra *Hagenau* lapidem; cui interuallo numeri Tabulae rite respondent, vt ex iis Leugas facere non oporteat. Concordiam, in cuius situ dissentiunt geographi, ad xi in occasum aestiuum ab *Sälz* lapidem, situ oppidi *Reitfeld*, ad amnem *Lauter*, ponit.

X. **Argentorate.** viii. insignia municipii. sic Vess. Hodoeporicon, itinere a Mediolano Maguntiacum, *Argentorato.* vii. a Saletione; in Regio xiii. quem numerum ad explendum id spatii non sufficere, obseruat quidem Wesselingius, neque tamen remedium Itinerario laboranti adfert. Via ripensi, *Argentorato.* xx. a Brocomago; quod interuallum isthuc minime spectare, ex itinere Mediolanensi collegeris. Tabula duce, licebit Hodoeporico sic subuenire: ab Argentorato Brocomagum erant M. P. vii. a Brocomago hinc Saletionem, inde Concordiam itum, xviii aut xx M. P. interuallo. Itinere ripensi, oscitans scriba, Saletionis distantiam Brocomago, itinere Mediolanensi, Brocomagi interuallum Saletioni perperam adscripsit. Poterat quis, etsi Tabula careremus, de remedio simili suspicari, non item decernere. Ante Ptolemaeum vrbis memoria non habetur, cui in Vangionibus, post Borbetomagum, *Ἀργεντόρατον*, *Λεγίων η. Σεβαστή*, *Argentoratum Leg.* viii *Augusta;* municipii iura vrbem habuisse, Tabula indicat. Ammiano, *Argentoratus;* Zosimo, *Ἀργέντορα*, *Argentora;* (b) Notitiae ciuitatum Galliae, *ciuitas Argentoratensium Strateburgo;* item, *ciuitas Argentoratensium*, id est, *Strazeburg;* aut *Argentora*, *id est*, *Strateburgo;* nunc, *ciuitas Argentina*, *id est*, *Strazburgis;* vnde Rauennati, *Argentaria*, *quae modo Stratisburgo dicitur.* A via strata, Germanis *Strasse*, id nominis vrbi accessisse, plerique putant. Danuilleo, *Argentoratum*, xi M. P.

(a) L. XVI. c. 3. (b) L. III. c. 3.

a praecedente in austrum paullisper ortiuum, bis mille pass. a ripa Rheni, situ vrbis *Strasburg*. Heic prodit via mediterranea a Diuoduro Mediomatricorum, quam suo persequemur tempore. Helellum, quod in ripa sequitur, ad hanc quidem prouinciam refertur, sed, commodioris profectionis gratia, alteri seruamus loco, gradu nunc in mediterranea promoto.

XI. In Hodoeporico est iter ab colonia Traiana ad coloniam Agrippinam; in Tabula a Nouiomago ad eamdem coloniam, sed in occasum non nihil abscedens; illud regionem Mosae orientalem perlustrat, hoc laeuam fluminis ripam tenet. Nobis curae est, Tabulam sequi, missa Itinerarii via, nisi vbi concurrunt, aut eadem ambo gradiuntur. Itaque a municipio Nouiomago in Tabula hae mansiones comparent:

Ceuelum. III. scheda, *Ceudū*. 3. Vels. *Ceuelum.* III. Velserus quaterna huius itineris loca, quae in scheda priore notantur, adducit, de suo nihil promens. Buno, in tabulis ad Cluuerii Introductionem, *Cenebium*, dextra Mosae ripa, statuit. Bertio est *Grave*, Ortelianis *Graeue*, ripa Mosae laeua; vbi et Danuillei *Ceuelum*, x M. P. a Nouiomago in austrum, consistit; quae positio est ad numeros mansionum subsequentium exacta; III vero Tabulae indicet distantiam oppiduli *Cuic*, *Cuyk*, a *Grave* in exortum, ripa fluminis eadem, cui *Ceuelum* respondeat, *Grave* oppidi vocabulo veteri amisso; quamquam in charta Europae a *Nimmegen* ad Mosam non nisi vnum mill. geogr. seu M. P. v. interponuntur; vt is numerus ad ipsum municipium non aegre referri valeat, si ab suburbanis initium cepit.

Blariaco. XXII. sic Vels. et scheda. Bertio, *Blatiacum*, *Blerick;* in margine corrigitur *Blariacum*. Danuilleo, *Blariacum*, XXVII M. P. a priore in exortum hibernum, laeua Mosae, situ vici *Blerick*, Ortelio *Bleerick*, ex aduerso oppidi *Venlo*, *Venlon*, ad quod in charta Europae ab situ prioris quinque mill. geogr. numerantur. Cellarius iter hoc ingredi noluit, vnde factum, vt Castelli Menapiorum situm non reperiret.

Catualivo. XII. scheda, *catuali*. 12. Vels. *Catualium.* XII. Cluuerius pro Catualio habet Castellum Menapiorum, quem omnis geographorum turba sequitur, argumento a vocis cognatione ducto. *Kessel* vicus, sesqui mill. geogr. a *Blerick* in austrum remotus, in cognomine agro apud Ortelium, vtrum quidpiam antiquitatis Romanae teneat, incertum; Cellarius nihil eius generis adfert; nihil Mannert, qui secus talia notare consueuit. Nostra via locum, si tamen ea aetate heic exstabat, praeteriit, ad alium lapidem sextum progressa, non decimum, vt Danuille statuit. Bertius *Catauillium*, in margine *Catuallium*, vocabulo recentiori compellare noluit. Danuilleo, *Catualium*, XVIII M. P. in austrum nonnihil occiduum, situ vici *Hoorn*, ex aduerso *Roermonde*, *Roermont*, oppidi, Ortelianis *Horn*, *Ruremonde*, quo tabula Europae mill. duo cum semisse censet. Castellum Menapiorum, quod in *Kessel*, secutus alios, Danuille ponit, alibi quaeremus.

Feresne. xiiii. scheda, *feresne.* 14. Vels. *Feresne.* xiiii. Bertio, *Moseyck;* Danuilleo, *Feresne*, xxii M. P. ab Catualio, in eamdem plagam, ripa Mosae laeua, situ oppidi *Moseyk*, quod chartae duobus mill. geogr. cum excessu quodam ab *Hoorn* remouent; quare Danuilleus, spatia producendo, peccat. In Tabula forsan obliquo casu *Feresnae* legi oporteat.

XII. Atvaca. xvi. insignia municipii. Vels. *Atuaca* xvi. Hodoeporicon, itinere ab Castello ad coloniam Agrippinam, *Aduaca Tongrorum.* xvi. ab Coriouallo; in Neapolitano, *Aduagantogrorum;* Cellario, *Aduocam Tongrorum.* Ptolemaeo, in Tungris, *Ατουάκουτον*, Surita legit *Ατουάκουτον*, *Atuacutum*, Wesselingius *Ατουάτουκον*, *Atuatucum*, per metathesin, vt iam Cellarius reddi debere putabat; in tabula Schotti *Atuacum*, in textu *Ατουάκουτον*, *Atuacutum*, vt aliis. Caesaris *Atuatucam* huc pertinere, Cellarius cum Wesselingio nihil ambigunt; Surita et Mannert negant; ego, Tabulae auctoritate iuncta, priorum sententiae pollicem adprimo. In situ terminando non conueniunt. Tungrorum nomen fecit, vt vicum *Tongern*, aliis oppidum, ad tertium fere a *Mastrich* in occasum mill. geogr. laeua amnis *Iecker* ripa, pro situ vrbis eligerent; ita Cluuerius, Cellarius, et cum iis Mannert. Bertius, Tabulae ductum pressius secutus, ciuitatem *Mastricht* est amplexus; quem situm et Hodoeporicon probat, vt mox videbimus. Tabula positionem perspicue monstrat, cum vrbem ipsi Mosae ripae, eo loco, quo in occasum flectitur, adsistuit. Danuilleo, *Atuaca postea Tungri*, xviii M. P. a Feresne in occasum hibernum, situ memorati *Tongern* oppidi. *Mastricht*, vbi Atuacam ponimus, est ad confluxum *Iecker* amnis cum Mosa, quatuor mill. geogr. a *Moseyk;* Danuille id spatium viii M. P. metitur, quod arbitrarium putes. Apud Atuacam prodit via a Bagaco Neruiorum, quam postea dispiciemus.

Cortovallio. xvi. sic Vels. Bertio, *Cortouallium.* Hodoeporicon, *Coriouallum.* xvi. Sic etiam itinere a colonia Traiana Agrippinam; vt vera lectio haec esse videatur; quamquam vsu militari etiam Cortouallium dici potuit. In situ discrepant; neque conuenire possunt, postquam Atuacam alieno posuerunt loco. Simlero et Cluuerio *Falckenburg*, ad sesqui mill. geogr. in exortum, a Mastricht; Altingio *Keyer*, chartis *Keer*, ad quartum a dextra Mosae ripa lapidem; rectius Bertio *Aken*, seu, vt hodie scribitur, *Aachen*, *Acken*, quatuor mill. geogr. in exortum hibernum; Danuilleo, *Coriouallum*, xiii M. P. a *Mastricht*, vbi pons Mosae, situ vici *Carliels*, non longe a parallelo *Aachen* oppidi.

Juliaco xii. Vels. *Iuliaco.* xii. Bertio, *Iuliacum.* Hodoeporicon, itinere ab Castello Coloniam, *Iuliacum.* xviii. alio autem, a colonia Traiana Agrippinam, *Iuliacum.* xii. vt in Tabula; Vaticanus codex, *Iuliaco.* xii. itinere priori x. vt Wesselingius notat; quod vero propius accedit, quam xviii. Nemo veterum loci meminit, ait Cellarius; satis vetustus est Ammianus, quem ipse post Suritam laudat; qui Remos, inquit, Seuerus magister equitum per Agrip-

pinam petens et Iuliacum, Francorum validiſſimos cuneos, vacua praeſidiis loca vaſtantes, offendit.“ (a) Vtrum ab Iulio Caeſare, an ab Iulia Agrippina, ſit locus ita nuncupatus, certo dici nequit; alterum vero propius videatur. Eginharto, Iuliacus, antiquum municipium, a vico Aquenſi VIII Leucarum ſpatio diſparatum.“ (b) Gobelinus, a Iulio Caeſare, inquit, Iuliacum dictum eſt, et a vulgo corrupto nomine *Guleke* dicitur, ſitum inter Coloniam et Aquisgranum.“ (c) Orteliano *Gulick*, recentiores *Jülich* vocant oppidum, duo mill. geogr. et quatuor quintas ab *Aachen*, in exortum aeſtiuum abſcedens, amni *Roer* impoſitum. Danuilleo, *Iuliacum*, XVIII M. P. ab Corіouallo, ſitu eodem.

Agripina. XVIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere Caſtellano, *Colonia*. XVIII. Traianenſi autem, *Tiberiacum*. VIII. *Colonia Agrippina*. X. Tiberiaco oppidum *Berchem*, ad fluuium *Erp*, reſpondere, Cluuerius recte cenſebat; ſed, quod Romani ex *Berchem* Tiberiacum formarint, id enimuero antitheſi eget. *Bergen* oppido, dextra *Erſt* amnis ripa (ſic enim hodie voces illae ſcribuntur) a borea vicinum eſt *Beaburg* oppidum, quod Tiberiaco conueniat; nam *Bergen* Durnomago Hodoeporici dedimus. Danuilleo, *Tiberiacum*, XIV. Colonia Agrippina, XIV. in charta Europae tria mill. geogr. cum duabus quintis inter *Iulich* et *Cöln* interſeruntur. Hoc fuit Tabulae iter a Nouiomago Batauorum, per Atuacam Tungrorum, ad coloniam Agrippinam Vbiorum; ſequitur a portu Geſſoriacenſi Bagacum Neruiorum.

XIII. Geſogiaco quod nunc Bononia. absque numero; ſcheda prior, *Geſogiaco Quod nunc Bononia.* poſterior, *Geſogiaco q̃d ñc Bouilla.* Velſ. *Geſogiaco quod nunc Bononia.* Rhenanus, *Geſſoriaco quod nunc Bononia.* Hodoeporicon, *Iter a portu Geſſoriacenſi Bagacum.* in quibusdam, *Geſorienſi*, *Geſorigenſi*, *Geſorigenſi;* oppidum, *Geſſoriaco*, *Geſoriaco*, *Ceſoricia*, et quidem in Regio. Celebris eſt hic apud antiquos portus; Mela: Ad ſeptemtriones frons litorum reſpicit, pertinetque ad vltimos Gallicarum gentium Morinos, nec portus, quem Geſoriacum vocant, quidquam habet notius.“ (d) Suetonius de Claudii Britannica expeditione: Maſſilia Geſſoriacum vſque pedeſtri itinere confecto, inde transmiſit.“ (e) Plinius, de Britannia: *Haec abeſt a Geſſoriaco Morinorum gentis litore, proximo traiectu quinquaginta M.* (f) Florus, Fregellas olim dictas innuit: Idem nemus Aricinum, quod Hercynius ſaltus; Fregellae quod Geſoriacum.“ (g) Ptolemaeo, *Γισοῤῥίακον ἐπίνειον Μορίνων*, *Giſorriacum nauale Morinorum;* Schotti edito, *Γησορίακον*, *Geſoriacum;* Italo quoque, *Geſoriaco nauale.* Phraſin Tabulae, de mutato loci vocabulo, firmat Anonymus Valeſii ſcriptor, de Conſtantino diſſerens: *ad patrem Conſtantium venit apud Bononiam, quam Galli prius Geſoriacum vocabant.* Olympiodorus, apud Photium,

(a) L. XVII. c. 2. (b) Translat. S. Marcellini c. 6. (c) In Coſmod. (d) L. III. c. 2. (e) Cap. 17. (f) L. IV. c. 30. (g) L. I. c. 2.

Βονωνίαν, πόλιν παραθαλασσίαν, καὶ πρώτην ἐν τοῖς τῶν Γαλάτων ὅροις κειμένην, *Bononiam, vrbem maritimam et primam in Gallorum finibus positam*, vocat, de Constantino tyranno, sub Honorio, agens. Ammianus quoque, in Iuliano, *Bononiam* adpellat. (a) Cellarius, Constantinorum aetate, aut paullo maturius, Bononiam e Gessoriaco factam putat; potuit ea nuncupatio esse antiquior. Danuilleo, *Gesoriacum postea Bononia*, *Gesoriacus pagus*, dextra effluentis *Liane* amnis, situ oppidi *Boulogne sur mer*, orae proximi; quam ob rem in Tabula numerus praecedens recte nullus ponitur, via ab litore rite ducta.

Castello. Menapiorū. XXIIII. insignia municipii. scheda prior, *Castello. menapior.* posterior, *Castellum Menapiorū.* numeris vtrobique neglectis. Vels. *Castello Menapiorum.* XXIIII. Velserus ad hunc locum: Reliquias viarum militarium his locis superesse, partim saxis grandibus, partim silice minuto et glarea stratas, intellexi ex Ortelii et Viviani itinerauio.“ Hodoeporicon, a Taruenna, *Castello.* VIIII. Castellum hoc Surita, et Harduinus, Menapiis tribui oportere, recte iudicant; Hadr. Valesius auctorem Tabulae erroris postulat, Castellum id Morinorum interpretatus; quod nemo veterum nouit. Vt mirere, Cellarium, et cum ceteris Danuilleum, Mannertum, in eius sententiam pedibus isse. Sed, Ptolemaeus Castellum in Menapiis ad Mosam posuit, inquiunt; etiam Ammianum volunt, Castelli ad Mosam meminisse; quod hodie in scriptore illo non comparet, loco eius ante prauato, vt Wesselingius quoque obseruat. Ptolemaeus, si rite examinetur, Tabulae phrasin firmat; memoratis quippe a Tabuda, quem Scaldim volunt, Tungris, *εἶτα μετὰ τὸν Μώσαν ποταμὸν, Μενάπιοι, καὶ πόλις αὐτῶν, Κάστελλον. Κέ νβ. δ'. Deinde post amnem Mosam, ab iis remotiores sunt Menapii, quorum oppidum Castellum*, 25. 52, 15. A Mosa fuere Menapii etiam aliorum sententia; ad Mosae ripas locum, Castelli nomine, nemo veterum nouit. Ptolemaeus Castellum Menapiorum Lugduno australius vno gradu, decem minutis, occidentalius itidem gradu et minutis decem facit; quae positio, secundum aetatis nostrae geographiam, incidit in concursum 21 longit. et 51 latit. graduum, M. P. XL ab *Cassel* oppido, vbi Castellum Menapiorum erat. Ab hoc situ in exortum abest Mosa cum fictitio Castello tribus gradibus et semisse; quare, nisi geographiae veteri vim inferri, et Ptolemaeum turpiter hallucinatum, Tabulamque ei respondentem abiici velis, Castellum Menapiorum, non ad Mosam, sed prope Scaldim, statui debere admittes. Adde, quod Morinorum caput Teruanna erat, Menapiorum Castellum, vt hoc Tabula clare adseruit, Ptolemaeus vtrumque. Henricum proinde Valesium, qui geographicas rationes subuersas voluit, multisque auctoritate sua imposuit, nihil moramur. Danuille in tabula III Atlantis, priorum vestigia secutus, *Castellum Morinorum* signauit; cautius in II *Castellum* dumtaxat; vt de sententia Valesii merito du-

(a) L. XX. c. 9.

bitasse videatur. Tabula, municipii insignia exhibens, caput Menapiorum clare indicat; nec Ptolemaeus aliam in Menapiis vrbem nouit. *Mont Cassel* est oppidum Flandriae, ad exortum *Peene* fluuii, in colle, sex mill. geogr. a *Boulogne*, in exortum nonnihil aestiuum; Danuille nimius est, XLII M. P. interponens; sed is Leugas per Galliam in Tabula sumit, non minima vi astronomicis rationibus illata. Ceterum, M. P. XXIIII ad Marci, *Marg*, oppidum pertingunt, vnde via a portu vicino in exortum hibernum isthuc aeque duxerit; vt ex tractu altero in Tabula colligere licet. Prostant agro huius oppidi viae lapidibus stratae vestigia in Ortelianis.

XIV. Virouino. XII. scheda prior *Viroumo.* Vels. *Virouino.* XII. Hodoeporicon, *Viroviacum.* XVI. Aeuo posteriore, *Wervi*, *Virouiacum*, vt Gualterus in vita Caroli Boni Flandrorum comitis, percussorem eius Guillielmum *Virouiacensem*, vocat. Surita, Weruiacum super Lysam fluuium tradi, ait; Ortelius, in tabula Flandriae, sinistra *le Lis* fluuii ripa VIROVIACVM *Werueken.* Danuilleo, *Virouiacum*, XXVII M. P. ab Castello in exortum, situ vici *Werwik.* Interuallum Tabulae est ab Castello ad Mineriacum, *Merwille*, in exortum hibernum, Hodoeporici vero a Mineriaco Virouiacum; via vtrobique accisa; nam ab *Cassel* ad *Werwick* sunt mill. geogr. quinque.

Turnaco. XI. scheda et Vels. *Turnaco.* XI. Hodoeporicon, *Turnacum.* XVI. Wesselingius in notis, et Velserus, *Tornacum.* Audoënus, *Tornacensem vrbem, quae quondam exstitit ciuitas regalis*, memorat. Ortelius, in Flandriae tabula, *Tournay*, *Dornick*, olim Neruiorum sedes; hodie Gallis *Tournai*, Germanis *Dornick*, laeua Scaldis, *Escaut*, *Schelde*, amnis ripa, tria mill. geogr. in exortum hibernum; Danuilleo, *Turnacum*, XXII M. P. a praecedente. Numerus Tabulae ducit ad Origiacum, *Orchies*, quo via olim duxerit, in occasum hibernum.

Pontes caldis. XII. sic scheda et Vels. Hodoeporicon, *Ponte Scaldis.* XII. Velserus legit, *Pontis Scaldis;* in quibusdam, *Pontis caldis*, *Pontis Scaldis;* Cusani MS. *Ponte Scaldis.* XVI. ceteri, apud Wesselingium, *Ponti Scaldis.* In diplomate Childerici, Francorum regis, fit mentio *telonei de ponte super flumen Scalt.* Surita, Valentianas oppidum esse ait; Wesselingius *Escaupont;* oppidum *Valenciennes* Gallis, tria mill. geogr. cum semisse, in exortum hibernum, dextra Scaldis ripa; Danuilleo, *Pons Scaldis*, XVII M. P. a priore, situ eodem. Hoc loco, si chartae non fallunt, XII numerum in Leugas conuertere liceret; sed haec interpretatio alias locum habere nequit. M. P. XII sunt Bagacum vsque adcurate. Cellarius *Conde* putabat, cui ea mensura responderet; verum id adiuncta reliqua non patiuntur.

Baca conervio. X. insignia municipii. sic scheda et Vels. hic tamen e scheda *Baga conervio* legit; Bertius, *Baganum Neruiorum*, secundum Ptolemaeum. Hodoeporicon, *Bagacum.* XII. Simlero, *Baiacum*, *Bauacum*, vti Surita quoque notat. Est etiam iter a *Bagaco Neruiorum* Durocortoro Remo-

rum; Cuſani MS. *Iter ab Agaco Nerulorum;* Flodoardus, *ab Agracco.* Ptolemaeo, in Neruiis, *Βάγανον*, *Baganum*, Schotti edito *Βάσακον*, *Baſacum*, Italus *Bagano* habet; forſan olim *Βάγακον Bagacum* in Coſmographo ſcriptum erat. In actis S. Liborii, *Caſtellum, quod Bauaca nominatur.* Bauacum Hanouiae, vulgo *Bavay*, Ortelianis *Bauay*, *Bavais*, oppidum eſſe, duo mill. geogr. cum ſemiſſe, in exortum hibernum, conuenit inter geographos; Danuilleo, *Bagacum*, M. P. XIV. Ex hoc interuallo accipe, neque in Tabula, neque in Hodoeporico, Leugas accipi poſſe; quod ſecundum Tabulam XV. ſecundum Hodoeporicon XVIII M. P. cenſeri deberent; cum chartae etiam Homannianae ad tertium milliare non pertingant, noſtra Europae duo modo cenſeat.

XV. A Bagaco pars viae abit Atuacam, pars Durocortorum; vtramque poſtea luſtrabimus; nunc alteram, ab Caſtello Menapiorum per Teruannam iſthuc ducentem, diſpicere libet. Hodoeporicon quasdam ex hac via manſiones habet, neque tamen vbiuis pariter incedit; apud auctorem Tabulae haec eſt itineris ratio:

Tervanna. absque numero, inſignia municipii; ſchedae, confuſis viarum ductibus, *Teruanna;* ſic Velſ. Hodoeporicon, *Taruenna.* XVIII. a portu Geſſoriacenſi, VIIII ab Caſtello Menapiorum; qui numerus in Tabula deſideretur; in Neapolitano Suritae, *Taruenne.* Ptolemaeo, in Morinis, *Ταρουάννα*, *Taruanna;* in tabula Schotti *Taruana;* actis S. Scaribergae, *Teruanna;* in vita Vandregiſli, *vrbs Taruenna;* actis S. Treuerici, *vrbs Taruannica.* Hodie locus exilis *Terouene ruin*, dextra *Lys* recentis, duo mill. geogr. et quatuor quintas ab *Caſſel* in auſtrum paullisper occiduum; Ortelianis *Tarwane*, auſtrali viae ſtratae agro, quem fere medium inter has binas vrbes percurrit, *Den nieuwen dyck* nomine; olim forſan communis Morinos inter et Menapios terminus. Danuilleo, *Taruenna*, XVI M. P. ab Caſtello in occaſum hibernum, XXXI a Bononia in exortum. Hodoeporici VIIII M. P. ſunt a Bononia Luttomagum, via litorali; XVIII ad Caſtellum ſpectent: ab Geſſoriaco Taruennam ſunt mill. geogr. quatuor cum tribus quintis, ſeu M. P. XXIII. non XXXI. vt Danuille cenſet. Ab Taruenna pars viae abit Samarobriuam, de qua poſtmodum ſermo recurret.

Nemetaco. XXII. ſic ſcheda et Velſ. Hodoeporicon, itinere ab Caſtello ad Coloniam, *Nemetacum.* XVIIII. a Minariaco, quod ab Caſtello XI M. P. remouetur; in quibusdam, *Menetacum;* Ptolemaeo, in codice Palatino, *Μέτακον*, *Metacum*, Schotti edito *Μέτακον*, Eraſmi *Ὀριγιακόν*, *Origiacum*, Italo interpreti, *Rigiaco.* Inter quas voces cum ſit differentia notabilis, facile quisque intueri poteſt, quid ſcribarum licentia in his valeat. Cenſent geographi, *Nemetocennam* Caeſaris huc referri. (a) Notitia imperii nomen vrbis et populi coniungit, praefectus Laetorum Batauorum *Nemetacenſium*, Atrebatis Belgicae

(a) L. VIII B. G. c. 17.

ſecundae. Eſt vrbs *Arras* Gallis, *Atrecht* Germanis, ad amnem *Scarpe*, in confluente *Crinchen*, quatuor mill. geogr. a priore in exortum nonnihil auſtralem. Danuilleo, *Nemetacum poſtea Atrebates*, XXXVI M. P. ab Taruenna in orientem hibernum.

Samnico. XIIII. ſcheda, *Ermanaco*. 14. Velſ. *Camaraco*. XIIII. viis confuſis; apud Scheibium literae primores ſunt attritae, poſtremae ico. perſpicue leguntur. Olim vox ea fuerit vitiata, vt ſcribarum alter e ſequenti Ermanacum, alter ex Hodoeporico Cameracum, interuallo XIIII M. P. reſpondente, adhiberent. Fraudi eſſe locum, non putem; in primis, quod *Samnicum* nuspiam reperitur alias, et XL M. P. ad ſequentem manſionem, tam in ſcheda, quam editione Tabulae Velſeriana, religioſe ſeruantur. Sciolus, qui praeerat ſcribis, ea vocabula ſupponi iuſſerit. Via haec Tabulae a Nemetaco tendebat in auſtrum, *Bapaumes*, ſeu *Bappames*, oppidum verſus, in cuius vicinia *Sapignies* vicus conſpicitur, qui veſtigium quoddam nominis vetuſti praeferat. Cuſani liber, in Hodoeporico, *Samaracum* habet, priore litera cum noſtro vocabulo conueniente. Danuilleo, *Cameracum*, XXIII M. P. a Nemetaco in exortum paullisper auſtralem, ſitu oppidi *Cambray*, quod mill. geogr. quatuor ab *Arras* recedit. Ex hoc pars viae Auguſtam Viromanduorum, in exortum hibernum, petit, quam ſuo diſpiciemus loco.

Hermomacum. XL. ſcheda, *Hermonacum*. 40. Velſ. *Hermomacum*. XL. ita Bertio quoque, qui recentius vocabulum promere noluit. Eo interuallo, in recentioribus conſpicitur oppidum *Landreci*, *Landrecy*, dextra *Sambre* fluuii recentis, apud Ortelium *Landrechis*, et paullo ſuperius *Cambreſy*, hodie *chateau Cambreſis*, ad quintum in occaſum lapidem, alteri amni adhaerens, cui Hermoniacum noſtrum reſpondeat. Aliud eſt *Cambry*, ſeu *Cambri*, *Cambray*, Germanis *Camerik*, ad ripam Scaldis recentis dextram, cui Cameracum Hodoeporici tribuunt; quamquam maior eſt eius ab *Arras* quam a *Bavais* diſtantia, in Hodoeporico autem minor. Cameracum quippe ad XIIII a Nemetaco, ad XVIII a Bagaco, lapidem comparet; apud Danuille, Cameracum a Nemetaco XXIII. Bagacum ab Cameraro XXVI M. P. remouetur.

Baca conervio. VIII. ſic ſcheda et Velſ. Ex hoc VIII M. P. interuallo etiam colligi poteſt, diuerſam iniſſe viam Tabulae auctorem a via Hodoeporici; vnde Cameracum ſcribae huc perperam intruſere. Diſcrepant enim interualla. *Cambri*, in tabulis recentioribus, ab *Arras* quatuor mill. geogr. abeſt; Hermonacum, ſeu Hermoniacum potius, quod Hodoeporicon praeteriit, ab Cameraco XII. a Bagaco VIII. M. P. ſecundum Europae tabulam, abſcedit; Danaille heic XII. ibi XVI M. P. interponit, cuius Hermonacum circiter *le Quenoy* oppidum comparet. De vrbe Bagaco Neruiorum itinere ſuperiori diximus.

XVI. Duplicem a Bagaco eſſe viam, quarum altera Atuacam in exortum aeſtiuum, altera Durocortorum in auſtrum, petat, ſupra monebamus. Illa

regione Sabis, *Sambre*, occidua primum, deinde ſecus Moſam progreditur, comite Hodoeporico, quamquam non pari vbique paſſu; in Tabula itineris ratio ſic ſe habet:

Vogoborgiaco. xii. ſcheda, *Vogobògiaco.* 12. Velſ. *VogoDorgiaco.* xii. Monet Velſerus, *Vogoborgiaco* legi oportere, nihil praeterea. Hodoeporicon, itinere ab Caſtello Menapiorum coloniam Agrippinam, *Vodgoriacum.* xii. Ex Vaticano legit Weſſelingius *Dodgoriacum*, addens, putari *Vaudre.* Danuilleo, *Vodgoriacum,* xxv M. P. a Bagaco, ſitu pagi *Marie mont*, prope dextram *Harne* recentis; forſan *Mons*, Germanis *Bergen*, manſioni ante reſpondebit, ſi interuallorum ratio habeatur.

Geminico. uico. xvi. ſcheda, *Bemmico vico.* 16. Velſ. *Geminico. vico.* xvi. Hodoeporicon, *Geminiacum.* x. Weſſelingius, Tabulae M. P. memoratis: quae, ſi Gemblacum ſit, quod tamen *Gemellaus* vetuſtioribus adpellatur, vti Sigeberto in vita Guiberti, monaſterii conditoris, nondum ſpatium explent. — *Gominiacum* hoc in tractu habent Hiſt. Marcelli papae, (a) hinc corrigenda." Putat Velſerus, *Geminiacenſes* Notitiae imperii, inter legiones comitatenſes, iſthuc pertinere. Secundum rationes Danuillei, Geminiacum abeſt xxii M. P. a priore in exortum nonnihil aeſtiuum, laeua recentis amnis *Sambre* fluuium a borea petentis, ſitu oppidi *Gemblours;* numeris Tabulae reſpondet oppidum *Charleroi*, *Charleroy*, laeua *Sambre* amnis, in confluente alterius, a ſeptemtrione decurrentis.

Pernaco. xlvi. ſcheda, *Pernaco.* 43. Velſ. *Pernaco.* xliii. Hodoeporicon, *Perniciacum.* xxii. Simlerus, vel *Perticiacum;* Cluuerius, *Peruiciacum*, Diuacus *Peruiacum* reſingit, vt *Pervis* ſit, vi M. P. a Gemblaco, audaci coniectura et damnabili, ait Weſſelingius; Tabulae numerum praeter verum eſſe adauctum; inter Gemblacum et Aduacam eſſe vicum, quem *Montenaken* nominant, cum huius ſitu non male conueniens; qui, ſi olim, quod Altingius ſuſpicatur, *Bergenaken* fuerit adpellatus, *Pernacum* manifeſtiſſime oſtendet. At haec mihi diuinatio videtur." Si talibus in Tabulam obſeruationibus labor Altingii conſtabat, non multum praeſidii ea inde mutuatura erat. Danuilleo, *Perniciacum*, xvi M. P. a priore in exortum aeſtiuum, laeua amnis a borea Moſam petentis, circiter vicum *Bonef.* Menſura Hodoeporici, ſecundum chartas recentiores, paullo vltra *Namur* ciuitatem perducitur; quam heic ſubſiſtere non poſſe, mox oſtendemus. Numeri Tabulae ab *Charleroi* ad vrbem *Liege*, Germanis *Lüttich*, adcurate pertingunt, quae laeua Moſae ripa, in flexu eius boreali, conſiſtit.

(a) L. II. c. 3.

Atvaca. XVI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Aduaca Tongrorum.* XVI. prorſus, vt in Tabula. Simlero numerus iuſto minor eſſe videtur. Surita in omnibus M. P. XIIII legit. Weſſelingius de nomine diſputat, numerum ſeponit. Danuilleo, *Atuaca* XXVI M. P. in exortum aeſtiuum, ſiniſtra *Iecker* amnis, ſitu oppidi *Tongres*, vt alias meminimus. Numeri Tabulae a *Liege* ad *Maſtricht* adcurate pertingunt; quare cenſus Hodoeporici, ſi quidem bene habent, oſtendunt aut manſiones quaspiam exmiſſas, aut ex vicinis itineribus eos iſthuc irrepſiſſe; cui malo, praeter Tabulam, nemo remedium adferre potuit. Weſſelingii factum, XVI pro XIIII M. P. in textu ſubſtituentis, quin lectorem de eo moneret, laudare nequeo; id enim antiquitatis ſtudioſo nefas. De vrbe Atuaca dictum alias.

XVII. Via, quae a Bagaco Durocortorum procedit, eſt ſcribarum culpa vitiata; cui ex Hodoeporico, in quo numeri felicius conſeruati ſunt, mederi conabimur. Viae ductus a Teruanna prodire videtur; ſed eam commodius a Bagaco deriuabimus. Diuortium eſt ab Samnico, quod apud *Landreſi*, *Landreci*, poſuimus, vnde, Auguſtam Sueſſionum verſus, continuo ſequitur,

Aüg. Viro Muduon. absque numero et inſignibus; ſcheda *Aüg. uiro muduor.* Velſ. *Aug. viro Muduon.* Hodoeporicon, *Auguſta Veromandorum.* XVIII. a Camaraco. Schelſtrate, *Auguſta vero Mandorum.* Caeſar *Veromandos* dixit. Ptolemaeo, *Αὐγούστα Ρομανδυῶν*, *Auguſta Romandyum*, Schotti edito, *Ρομανδύσσων Romandyſſorum*, *Αὐγοῦστα Ρομανδύσσα*, *Auguſta Romandyſſa.* Apud recentiores *Viromandos* et *Virmandos* eſt legere. Acta Valerii et Rufini: *Audita famoſitate Quintini Virmandorum Auguſtam aggredi cupiens.* Annal. Bertin. an. DCCCXIII. Auguſtam Viromandorum, quae beati Quintini corpore inſignitur.“ Atque hinc adparet, inquit Weſſelingius, fanum S. Quintini huius locum inſidere, non autem vicum *Vermund*, de quo Ph. Cluuerius cogitauerat.“ Quaedam circa populi nuncupationem ſupra dicebamus. In Tabula numerus XXIIII a Samnico deſideratur, ſi oppidum *S. Quentin*, vti hodie vocatur, Auguſta Viromandorum eſſe debeat. Danuilleo, *Auguſta Veromanduor.* XXVI M. P. ab Cameraco in auſtrum, ad Samarae, *Somme*, amnis exortum; in charta Europae quatuor mill. geogr. eo ſpatio intercedunt. *Vermand* vicus, ſeu *Vermand abaye*, vbi Bertius, Mannert, et nonnulli alii, vrbem exſtitiſſe putant, in occaſum ad VI lapidem abeſt; verum ea, quae adduximus, pro *S. Quentin* pugnant.

Aüg. Sveſſon. XXV. inſignia vrbis; ſcheda, *Aüg. Sueſſor.* 25. Velſ. *Aüg. Sueſſor.* XXV. Hodoeporicon, *Contra Aginnum.* XIII. *Auguſta Sueſſonum.* XIII. Contra Aginnum, quod Tabula praeteriit, Valeſius et Merula, apud Weſſelingium, putant Calnacum, vulgo *Chauny*, ad Iſaram, *Oyſe*, fluuium; Danuille in exortum deflectit, oppidum *Laon*, Ortelio *Laons*, interpretatus, XXVII M. P. a Viromanduis. Tabula, recto progreſſa ductu, vno milliari minus numerauit. Cellarius ambigit, vtrum Sueſſorum an Sueſſonum in Tabula legi debeat.

Verum quidem eſt, literam Ꝩ fine vocum poſitam, apud Tabulae auctorem tam pro X quam pro ſſ accipi; heic tamen per ſſ reddi debet, *Sueſſonum;* de quibus in populis dictum. Recte cenſent eruditi, oppidum Nouiodunum Caeſaris huc pertinere: (a) Poſtridie Caeſar in fines Sueſſionum, qui proximi Remis erant, exercitum duxit, et magno itinere facto ad oppidum Nouiodunum contendit." Ptolemaeo, ſub Veromanduis, qui ei Romandyes, Schotti edito Romandyſſi, *Οὐέσσονες, ὧν πόλις ὁμοίως ἀπ' ἀνατολῶν τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ, Αὐγοῦστα Οὐεσσόνων, Veſſones, quorum oppidum quoque ab orientali plaga Sequanae fluminis, Auguſta Veſſonum,* aphaereſi vſus, facilioris expreſſionis gratia, vt apud Romandyes pro Veromanduis. Hodoeporicon, itinere Mediolanenſi, a Durocortoro Geſſoriacum, *Sueſſonas* nuncupat; in Regio *Siueſſonas*, in Pariſino, *Sueſſionis;* vti vitae S. Medardi auctori. Tabula traiectum amnis, et ſitum vrbis laeua eius ripa, cum inſignibus, adcurate notat. Dictum in fluminibus eſt, hoc tractu Axonam et Matronam hunc in Tabula fluuium exprimere, deinde mare verſus Sequanam. Is fluuius, cuius ripam tenet vrbs Sueſſonum, Axona eſt, Caeſari notus, vulgo *Aiſne*, Ortelio *Diſne*, qui poſtea Iſarae, *Oiſe*, Ortelio *Oyſe*, miſcetur. Danuilleo, *Auguſta Sueſſ. poſtea Sueſſones, antea Nouiodunum*, ſub eodem cum Veromanduis meridiano gr. 21. long. XXXV M. P. interuallo, ſitu oppidi *Soiſſons*, ripa Axonae laeua; in charta Europae interferuntur ſex mill. geogr. cum quodam exceſſu. Tabulae numerus a Veromanduis Aginnum refertur, ſeu ab *S. Quentin* ad *Laon*, inde vero ad *Soiſſons*, in occaſum hibernum, mill. geogr. tria cum ſemiſſe, ſeu M. P. XVII. Vnde adparet, duplex olim inter has binas vrbes iter fuiſſe. De Leucis XXV. quae non incommode in XXXVII M. P. reſolui poſſent, heic cogitare non licet; nam ductu recto ſunt M. P. XXXII. per Aginnum XLII.

XVIII. Ab Auguſta Sueſſonum via quidem exprimitur in Tabula Durocortorum verſus, ſed manſionibus et numeris, incuria ſcribarum, deſtituta. Hodoeporicon, *Fines.* XIII. *Durocortoro.* XII. Itinere Mediolanenſi, a Sueſſonibus, *Durocortoro* XXXVII. *Leugas.* XXV. Synodi, in manſione Finium celebratae, meminit Sirmondus; actis eius praeſcriptum erat: "Synodus, quae fuit acta in loco, qui dicitur Finibus, Rhemenſis paroeciae." Danuilleo, *Fines*, XX M. P. in exortum, ſitu oppidi *Fiſmes*, laeua *Veſle* amnis ripa, in confluxu alterius ab auſtro decurrentis. Haec manſio in Tabula cum numeris deſideretur; inde Durocortorum, de quo alias dicemus, Danuille XVII M. P. numerat, vt in Hodoeporico; in charta Europae *Soiſſons* inter et *Rheims* ſex mill. geogr. intercedunt, ſeu M. P. XXX. Integrius eſt iter a Bagaco Durocortorum, quod etiam in Hodoeporico proſtat; in Tabula ſic exhibetur:

(a) L. II. B. G. c. 12.

Duronum. XI. ſcheda, *Duronū*. 11. Velſ. *Duronum*. XI. Hodoeporicon, *Duronum*. XII. Seruare nominis reliquias *Duran* vicus Tiraſii creditur, inquit Weſſelingius; qui cum M. P. XXII Bagaco diſtet, numeris X M. P. deeſſe videntur." Apud Ortelium *Doren* locus XII M. P. reſpondet; in recentioribus *Aveſnes ſur Hepre*, in exortum hibernum, vbi et Danuille Duronum ſtatuit, ſed interuallo, pro more, ampliato: Quartenſis locus, VII. *Duronum*, XII. cum in chartis recentioribus mill. geogr. duo cum quintis duabus *Aveſne* vſque numerentur. Non erat proinde, cur numeros augere voluerit Weſſelingius.

Vironum. X. ſcheda, *Vironū*. 10. Velſ. *Vironum*. X. Hodoeporicon, *Verbinum*. X. Weſſelingius, Tabula *Vironum*, hinc adiuuanda; nam Had. Valeſius in Notit. Gall. Vironum Tabulae cum Veroduno confundens, ipſo itineris ductu confutatur. Oppidum noſtro tempore *Veroin* adpellatum. — Numeri X M. iuſto minores ſunt." Ortelio, *Verbuin*, *Veruing*, in parallelo *S. Quentin;* recentioribus *Vervins*, ad exortum riui, *Oyſe* amnem petentis; Danuilleo, *Verbinum*, XVI M. P. in auſtrum paullisper ortiuum. Homannianae quidem quatuor mill. geogr. interponunt; ſed ſpatium prioris coarctant, neque pariter vbique incedunt; quare numeros cum Weſſelingio refingere non auſim, in primis, quod vtrobique conueniunt.

Ninittaci. XIII. ſcheda, *Ninticaci*. 13. Velſ. *Ninitcaci*. XIII. Weſſelingio, *Ninttcaci*. XIII. Hodoeporicon, vna manſione amplius, *Catuſiacum*. VI. *Minaticum*. VII. interuallo concordi. Bergerius, apud Weſſelingium, Catuſiacum, *Chaoux*, haud longe infra Monticornetum eſſe ait. Diueus *Cariſiacum*, ſed contra libros, legit." De poſteriore idem: Tabula Ninttcaci XIII M. P. e quo Menſo Altingius notis in Tab. MS. *Ninitiaci* format; cui quamuis hodiernum nomen *Nizi le Comte* fauere videatur, nihil tamen ſinio." Cate. *Montcornet* oppidum, in Picardiae ſinibus, in charta Europae, a *Rheims* abeſt XXVIII M. P. ab ſitu *Bavais* XXXVI M. P. interuallo; Homannianae ampliant ſpatium; Danuilleo, Catuſiacum, X M. P. dextra fluuii Iſuram petentis, ſitu oppidi *Moncornet en Tierrache*, *Minaticum*, X M P. in plano, vbi vicus *Nizy le Comte*, prope riuum exorientem, qui *Aiſne* fluuio poſtea miſcetur; quae opinio Altingii erat.

Auxenna. IX. ſcheda, *Auxeña*. 9. Velſ. *Auxenna*. IX. Velſerus e ſcheda legit *Auxena*. Hodoeporicon, *Muenna*. XVIII. vt in Longoliano; in Neapolitano, *Auennia*. VIII. quem numerum Cuſani codex firmat; itinere a Durocortoro Diuodurum, *Axuenna*, Simlero *Axona*, Vaticano *Arueua*, Pariſino *Auxuenna*. Recte obſeruat Velſerus, Muennam, itinere Bagacenſi, perperam ſcribi, et ex hoc Diuodurenſi, Tabulaque, reſtitui debere. Ad fluuium Axonam, *Aiſne*, Caeſari notum, fuiſſe manſionem, adpellatio indicat. Danuilleo, *Axuenna*, XI M. P. a priore, ripa fluuii dextra, ex aduerſo exeuntis *Retoune*, ſitu vici *Neuchatel*.

Durocortoro. x. insignia vrbis, fani specie. sic schéda et Velſ. Hodoeporicon, *Durocortoro*. x. numeris consonantibus. Antiqua vrbs, quam Caesar, Strabo, Ptolemaeus, praeter alios, norunt; *Exercitum Caesar Durocortorum Remorum reducit.* (a) Strabo: Inter istas gentes Remi nobilissimi sunt, *καὶ ἡ μητρόπολις αὐτῶν Δουρικόρτορα, et eorum vrbs primaria Duricortora.* (b) Ptolemaeus, Suessionibus memoratis, *μεθ' οὓς παρὰ μὲν τὸν ποταμὸν, οἱ Ρημοὶ, καὶ πόλις αὐτῶν, Δουροκόττορον, Post hos, iuxta flumen, Rhemi, et vrbs eorum Durocottorum.* Sic Attice Erasmi liber, sic Schotti; nescio proinde, vnde Cellarius et Mannertus *Δουροκόρτορον Durocortorum* Ptolemaei hauserint; quorum hic *Δουρικόρτορα* Strabonis praue scriptum ait; forsan idem in Ptolemaeo arbitratus. Schottus, et interpres Italus, hoc etiam loco Sequanam adpellant; hic: *E piu oltre presso al fiume Sequana sono i Remi* (Remensi). *Et la città loro, Durocottoro.* Nostri ponunt sub gradu lat. 49 min. 15. Ptolemaeus, apud Italum, 48, 30. Posterius populi nomen vrbi tributum; Ammianus: Secunda Belgica, inquit, qua Ambiani sunt, vrbs inter alias eminens, et Catelauni, et Remi." (c) Notitia prouinciarum, *ciuitas Remorum.* Danuilleo, *Durocortorum postea Remi*, xvi M. P. ab Axuenna in austrum, ripa *Vesle* amnis dextra, situ vrbis *Rheims*, prouinciae *Champagne.*

XIX. Est quaedam e quatuor viis, quae praeterea apud Durocortorum concurrunt, coloniam Agrippinam versus ducens, quae integra quidem videatur, sed vitio scribarum est interrupta, vt mox visuri sumus. Quae ab Augusta Suessionum isthuc fert, mansionibus et numeris destituta, superius est indicata; duae sunt aliae, quarum altera Diuodurum, altera Vesontionem et Gabillionem tendunt; quas suo dabimus tempore; nunc primam lustrare libet.

Nouiomagus. xii. sic Velſ. Hoc iter Danuille ingressus, ad xviii a Remis lapidem, *Nouiomagus*, inde ad xv *Vungus*, ad Axonam, illud situ vici *Geniville*, dextra *Retoune* amnis exorientis, hoc ad vicum *Von*, ripa Axonae dextra, statuit. Vungus est Hodoeporici, itinere a Durocortoro Treueros, quod Danuille cum hoc nostro idem esse putabat; sed mansiones et numeri diuersitatem non obscure indicant; quamquam in vitiato hoc itinere mansiones cum numeris quaedam exmissae videntur.

Mose. xxv. sic Velſ. Danuilleo, *Mosomagus*, xxv M. P. a Vungo in exortum aestiuum, dextra Mosae, situ oppidi *Monzon.* In charta Europae ab vrbe *Rheims* ad Axonam sunt mill. geogr. quinque cum semisse, seu M. P. xxvii. inde ad Mosam tria cum semisse, seu M. P. xvii. Quam ob rem non recte Danuille a Vungo xxv M. P. numerat. Ad quintum inde lapidem signat *Epusum*, Gregorio Turonensi *Eposium*, aliis *Iuosium castrum*, hodie *Ivois;* quod auctor Tabulae praeteriit.

(a) L. VI B. G. extr. (b) L. IV p. 194. (c) L. XV. c. 27.

Meduanto. VIIII. Velſ. *Meduanto.* VIII. Danuille, diuortio viae apud Moſomagum facto, *Meduantum*, XIV M. P. a Moſa, ad *Seniai* amnem, ſitu vici *Chiny*, quod oppiduli inſignia gerit, collocat, via interrupta. Forſan manſio noſtra oppidum *Virton* erit, in exortum aequinoctialem, dextra amnis, *Crune* fluuium petentis, quocum deinde Moſam petit. Certe via haec, aut pars eius, Treuiros verſus cum Hodoeporico tendebat. Si Meduantum eſt vicus *Matten*, paullo infra *Chiny* oppidulum, in occaſum hibernum, erit ex itinere Agrippinenſi, quod hoc exhibetur loco. Danuille id continuare noluit, ſeu quod acciſum viderat, ſeu quod neſciebat, qua verſus, et per quae loca, duci deberet. Nos, quae hoc in genere ſuccurrunt, mox in medium proferemus.

Mmerica. absque numero. Velſ. *Mmerica.* apud Scheib altera litera, quae vocalis videatur, eſt eroſa; ſi Velſeriana lectio non fallit, *Minerica* ſcriptum fuerit. Numerus, ſcribarum incuria, periit; quod ſi nulla deſideratur manſio, cenſus LXXXV M. P. intelligi queat; tantum quippe a vico *Matten* ad proximam Agrippinae manſionem, circiter *Kerpen*, ſpatii intercedit. Quaedam itineris huius veſtigia mox deprehendemus. Erat forſan via militaris deſignata, manſionibus non dum prouiſa, et idcirco poſtea neglecta, altera per Treueros, longiore quidem, ſed commodiore electa; quare, tam in Tabula, quam Hodoeporico, accedente ſcribarum inſcitia, eſt partim acciſa, partim cum vicinis commiſſa. Hodoeporicon a Durocortoro Treueros, quodam ſpatio cum Tabula pariter progreſſum, has numerat manſiones: *Vungo vicus.* XXII. *Epoiſſo.* XXII. *Orolauno vicus.* XX. *Andethannae vicus.* XX. *Treueros ciuitas.* XV. vniuerſim XCVIIII. vt in epigrapha praefertur, addita toto itinere voce *Leugas.* Sed Romanam heic menſuram accipi debere, ex eo videas, quod *Rheims* inter et Trier vnum et viginti mill. geogr. ſeu M. P. CV. ſenis nimirum plura cenſentur. In Tabula venit

Agripina. VI. ſic Velſ. Interuallum reſpondet vico, olim oppido, *Kerpen*, laeua *Erſſt* amnis, ad confluentem cum altero, ab vrbe in occaſum hibernum, fere VIIII M. P. ſecundum Homannianas, VI M. P. a *Bergen*, cuius itinere ripenſi meminimus, in auſtrum; quod interuallum ſi aequum eſt, Tabulae numerus eo fortaſſe ſpectabit; vt hae viae ſpatio quodam ſimul progreſſae videantur; cuius rei indicia mox proferemus alia.

XX. Ab colonia Agrippina Treueros Tabula cum Hodoeporico vna vadunt; vtrobique nonnulla ſunt impedita, ſic tamen, vt vnum alteri opituletur. Bina Hodoeporici loca, Tolbiaco vicus ſupernorum, et Belgica vicus, ex vicino itinere a colonia Agrippina Durocortorum iſthuc traducta videntur; numerus quippe ſexdecim in vtroque itinere primus viſitur; et a Marcomago tam numeri, quam interualla, concordant. Praeterea, in codicibus magna eſt hoc loco numerorum diſſenſio; in Blandiniano, *Marcomago vicus M. P.* LVIII. *Leg.* XXVIII. in Vaticano, *Marcomago vicus M. P.* LVII. in aliis, *Marcomago vicus Leg.* LVIII. *Leg.* XXVIII. Ad quae Surita: In Neapolitano, inquit, et Longo-

liano librarii ex ea manſione duas commenti ſunt, vnam *Marcomago vicus Leg.* LVIII. alteram ſine nomine manſionis lacunam vacuam relinquunt, et adiiciunt ei *Leg.* XXVIII. In hac manſione deſtituimur a Regio exemplari, in quo reliqua omnia huius itineris deſunt; in qua re magna iactura facta eſt.“ Weſſelingius, relata numeri duplicis lectione; Quae mihi differentia, inquit nata videtur, quod primitus M. P. et Leugae hoc itinere eſſent ſignata; nam nihil hic deeſſe, Tabula argumento eſt, numeros poſt hanc manſionem ſeruans, ſed nominibus caſſos.“

Ex his mihi ſic ratiocinari liceat: in Regio codice ſcriptum erat, *Marcomago Leg.* VIII. reliquis omnibus, id eſt, Belgica et Tolbiaco vicis, et Agrippina ciuitate, cum numeris, exmiſſis. Marcomagus vicus erat coloniae proximus, indice Tabula; numeri quippe VI et X pictoris ingenio, aut errore, disiuncti oſtendunt interuallum coloniam inter et Marcomagum; niſi etiam ad Minericam referri debeant; certe viae geminae ſigna praeferunt. Proinde vero ſimile videri, binas manſiones iſtas, quae in Regio deſunt, a ſcribis e vicino itinere ſurreptas eſſe, et huc perperam translatas, vna cum numeris LVIII et X. quibus iunge XVI. qui ab colonia ad Marcomagum cenſentur, lacunam, quam priore inſinuauimus via, adcurate explebis. Nam inter Meduantum et Minericam LXXXV M. P. recta progreſſo, deſiderari dicebamus; heic autem LXXXIV ad explendum hiatum praeſto ſunt. Heic porro Vaticanus codex et Blandinianus ceteris praeferuntur; quod in hoc ſcriptum *Marcomago vicus M. P.* LVIII. in illo, *Marcomago vicus M. P.* LVII. et quidem absque Leugis, quae vox hoc loco, vt plerumque alias, eſt otioſa, et periculi plena; vt ex Tabula perſpicue elicueris. Neque enim M. P. LVIII cum Leugis XXVIII componi queunt. His iam notatis, manſiones ſic disponemus: prima ſit Minerica VI. altera Marcomagus X. heic diuortium viae Durocortorum verſus; deinde Tolbiaco vicus VIII. Belgica vicus VIII. Meduanto LVIII. Eamus per ſingulas vtriusque itineris manſiones.

XXI. Prima eſt Minerica, de qua itinere praecedente dictum; numerus VI. quem ſeorſim ſcriptum videmus, ad Minericam referri debet, vt ex via ſuperiore cognoſcas. Minericam ſcriba heic ideo non adpoſuit, quia eodem itinere occurrebat, et hoc in Tabula loco ex aduerſo ſcripta conſpiciebatur; vt idem vocabulum, eadem via occurrens, iterare, inutile putarit auctor, et operi deſtinato contrarium; quamquam poſtremi Tabulae artificis hanc legem nonnunquam ſunt transgreſſi. Haec de manſione itinerum prima; ſuccedit

Marcomagus. X. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Marcomago vicus*, vel *Mariomagum vicus*, apud Simlerum, qui addit: Poſt Marcomagum deeſt nomen manſionis.“ De numero, qui huic manſioni additur, paullo ſuperius dictum; denarium eſſe debere, cum Tabula, tum Hodoeporicon haud obſcure innuunt; in hoc quippe numerus X. Tolbiaco adſcriptus, iſthuc referri debet. XVI Agrippinae adiunctus, indicat Marcomagi ab ea colonia diſtantiam, ſcribarum oſci-

tantia, aut ingenio iteratus, vt viae duplicis signum foret. Interuallum ad *Erfft* amnis exortum ducit, circiter *Münster Eyssel* oppidulum, vnde duo mill. geogr. in occasum hibernum *Marmagen* abest, in quo nominis antiqui vestigia supererent, ad *Roer* amnis originem. Cluuerius, Marcodurum Taciti et Marcomagum Hodoeporici eumdem censebat locum; Taciti haec sunt: Actae vtrobique praedae, infestius in Vbiis, quod gens Germanicae originis, eiurata patria, Romanorum nomen, Agrippinenses, vocarentur; caesae cohortes eorum in vico Marcoduro, incuriosius agentes, quia procul ripa aberant." (a) Danuille distinguit, Marcodurum oppido *Dueren*, Marcomagum vico cognomini adscribens, ad amnem *Roer*, XXVI M. P. interuallo. Apud Marcomagum viae diuortium erat, pars Durocortorum, vti dicebamus, pars Treueros petebat; illam heic dispicere libet.

Tolbiaco vicus supernorum. VIII. Simlero etiam *Tolpia Supernorum*, quod is *Zulg* interpretatur; in Neapolitano, *Tolpiaco vicus Supemorum;* Lipsius *Tobiaci* legit, ad Tacitum. Supernorum aut Supenorum, forsan *Sunicorum* erit, qui pars Vbiorum fuere. Meminit loci Tacitus: Cohors, quae ex Chaucis Frisiisque composita, Tolbiaci, in finibus Agrippinensium, agebat." (b) Nonnulli, *Colbiaci*, *Calbiaci*, *Galbiaci*, legunt; Rhenanus restituit formam, qua Hodoeporicon vtitur. Danuilleo, *Tolbiacum*, XIV M. P. supra *Marmagen*, dextra recentis aluei occidui *Erfft* amnis, situ oppiduli *Zulch* vel *Zulpich;* forsan *Bullingen*, *Billingen*, ad *Bill* amnis exortum, e ratione itineris, ante erit.

Belgica vicus. VIII. Simlero, *Belgia*, *Bullingen;* in Longoliano quoque *Belgia;* Vaticano, *Vicus Belgica Leugas.* VIII. Additum his mansionibus *Leg.* Surita Legiones interpretatur, alii *Leugas;* istud quidem recte; sed numerus non Leugis, verum M. P. vt in quibusdam scribitur, conuenire, ex Tabula, itinere altero, didiceris. Mensura oppido *Limburg* respondet, quod est ducatus cognominis caput. Cluuerius, sed alia ratione Hodoeporico vsus, *Balchusen*, Roram inter et Rhenum, esse putabat. Danuilleo, *Belgica*, inter *Zulch* et *Marmagen*, vbi nullus hodie locus, VIII M. P. a Tolbiaco, quod Leugis, quas adhibere consueuit, vim infert. *Liege* seu *Luttich* abest a *Limburg* in occasum tria mill. german. quo viam olim institutam fuisse, probabile putes; siquidem Belgica in *Limburg* rite consistit.

Meduanto. LVIII. sic in Tabula olim scriptum opinere; rationem numeri huius et praecedentium supra dedimus. *Matten* a *Limburg*, ductu recto, vndecim mill. geogr. abscedit cum semisse, quae M. P. LVIII adcurate respondent. Numerum hunc apud Marcomagum positum, isthuc spectare, ex Tabula quoque colligere licet, in qua is Meduantum inter et Minericam, cum duabus praeterea mansionibus, totidemque numeris aliis, est exmissus; quamquam ibi

(a) L. IV. Hist. c. 28. (b) L. IV. Hist. c. 79.

ſigna id genus omiſſionis, praeterquam numeri, non comparent. Olim haec duo itinera, ignorantia ſcribarum, qui poſtremum Tabulam produxere, fuerint vitiata; vt ex Hodoeporico quoque, quod e ſimili Tabula exſcriptum fuerit, colligere licet. Nunc alteram, ab colonia Agrippina Treueros, viam perſequamur; in ea a Marcomago haec habentur:

XXII. Icorigium. VIII. ſic Velſ. Weſſelingius, *Igorgio*, ex Tabula legit; Ekhardus, vt *Kerpen* faciat, *Egoripium* vult exprimi. Hodoeporicon, *Egorgio vicus.* VIII. Quoad ſitum non conuenit geographis; Cluuerius *Ruid*, Altingius *Ionkeraid*, Ekhardus *Kerpen*, eſſe volunt. Profert Crombachius, apud Weſſelingium, lapidem Woringae infra (ſupra) Coloniam effoſſum, cum hac epigraphe:

IN. H. D. D
DEAE REGIN
VICANI SE
GORIGIENSES

Forſan Egorigium vicum eo tracturus. *Wering*, Ortelio *Woeringen*, vicus duo mill. geogr. ſupra Coloniam, oppido *Zons* ab auſtro vicinus in chartis conſpicitur, vbi id monumentum vicani Segorigienſes Deae, forſan Dianae, nam et DEANA ſcribitur, et lapis Dacicus Reginam vocat, in honorem Domus Diuinae, ſeu Auguſtae, poſuerint; etſi vicus eorum alio foret ſitu. Secundum iter noſtrum, Egorigium, reſpectu *Marmagen*, incidit in oppidulum *Kerpen* inferius, duo mill. geogr. in auſtrum, ad exortum amnis Rhenum petentis, Danuilleo Obringa Ptolemaei, et *Egorigium*, XIII M. P. a Marcomago, ad ripam Gelbis recentis, ſitu vici *Ionkerad*, non longe a *Kerpen* in occaſum.

Auſaua. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Auſaua vicus.* XII. in Regio, *Auſaba Leg.* XII. *vicus.* Bland et Longol. *Auſaua vicus Leg.* VII. Neapol. *Auſaua vicus Leg.* VIII. Simlerus, *Auſana*, vt Cuſani membranae, cum *Leug.* VII. Cluuerius, *Palleſcheid*, Ekhardus vicum *Oes*, interpretantur, opinionem poſterioris probante Weſſelingio. Danuille, *Auſaua*, XV M. P. a priore in auſtrum paulliſper occiduum, dextra Nemeſae, ſitu oppidi *Schoneck*, *Schöneck*, paullo ſupra *Palleſcheit* vicum. Leugas heic geographus absque neceſſitate ſumit; nam ab *Manderſcheit* oppido, quod eſt in parallelo oppidi *Schoneck*, ad *Trier* quinque mill. geogr. ſeu XXV M. P. cenſentur; Tabula et Hodoeporicon vno minus habent, XXIV. M. P.

Beda. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Beda vicus.* XII. in Regio, *Leda. Leg.* XII. in documentis literariis, *pagus Bedenſis*, *pagus Pedonis;* Annal. Bertin. ann. DCCCLXXX. *Bedagowa;* hodie *Bidburg* eſſe cenſetur, chartis *Bidbourg*, *Bibrich;* Danuilleo, *Beda*, XV M. P. laeua Nemeſae, ſitu eiusdem oppidi, Ortelio *Bitburg*, *Bitzburg*.

Aug. Tresviron. XII. insignia coloniae. Vess. *Aug. Tresviror.* XII. Hodoeporicon, *Treueros ciuitas*, itinere a Durocortoro, quod supra dedimus; praesens, *a Treueris Agrippina* inscribitur, M. P. XII. a Beda; in Regio, *a Treueros Agrippina*, *Leg.* LXVI. in Longoliano, *a Treueris Agrippinam Leg.* XVIII. Nostro e Tabula censu sunt M. P. LX. sex, quae his adduntur, scribarum oscitantia, e principio itineris, vbi VI binis occurrit vicibus, isthuc irrepserint. Leugae hoc itinere, vti paullo superius ostendimus, accipi nequeunt; nemo quippe rerum peritus prudenter sibi persuaserit, Romanos in viis militaribus prouinciarum peregrina vsos mensura. Libet etiam Wesselingium in hoc iter differentem andire: Cum plurima, inquit, in hoc libello turpissime sint foedata, credibile sit, notas M. P. a librariis fuisse neglectas, et Leugas in eorum locum migrasse, Leugis ipsis, quae M. P. fuerant postponendae, praeteritis.“ Qui, nisi Tabulam prae oculis habuisset, id cogitaturus non erat; quod vulgo vt hoc, sic aliis quoque itineribus, pro M. P. Leugae sumuntur, vt Danuilleum fecisse videmus.

Treueri vrbs inde a vetustissimis temporibus clara; neque tamen ante Melam Pomponium scriptoribus memoratur, alio nomine olim fortasse insignita, quod ignoratur. Mela: Vrbes opulentissimae, in Treueris Augusta, in Aeduis Augustodunum, in Auscis Climberrum.“ (a) Plinius, populi nomine, *Treueri liberi antea;* (b) ante Ciuilis tumultum, ob quem a Vespasiano libertate sunt priuati. Tacito, *colonia Treuerorum* audit; (c) Ptolemaeo, *Αὐγούστα Τριβιρῶν, Augusta Tribirorum*, Cellarius *Τρηβιρῶν Trebirorum*, Schotti liber *Τριβήρων Triberorum*, Italus *Augusta de i Treueri;* vt in Cosmographo scriptum fuisse putes, *Τρηβηρῶν Treberorum.* Meminerunt vrbis epigraphae, apud Gruterum, (d) COL. AVG. TREVER. item C. AV. TREVE. in marmore Poetouionensi, Pannoniae, Nammonia, NAT. TRIV. nata *Triueris.* Numus, apud Cellarium, COL. AVG. PAT. TREVIROR. inscriptus, est suppostititius; officinas monetarias ab Diocletiano isthic fuisse, pecunia loquitur. Iuniores populi vocabulo vsi, Treueros dixere; Ammianus: Belgica prima Mediomatricos praetendit, et Treuiros, domicilium principum clarum; (e) Ausonius: *Treuericae vrbis solium;* (f) Fortunatus, *moenia celsa Treuerum.* (g) Saluianus Massiliensis, *Treuerorum vrbs excellentissima;* idem: Expugnata est quater vrbs Gallorum Treuer opulentissima.“ Hodie *Trier,* dextra Mosellae ripa, supra confluxum Saraui, *Saar*, vt in Tabula quoque, ad fluuium *Musalla*, adcurate exprimitur; Danuilleo, Augusta Treuerorum, XX M. P. a Beda in austrum.

XXIII. Ab Treueris pars viae Mogontiacum, pars Diuodurum petit; illa est portio itineris Hodoeporici a Treueris Argentoratum, sed alia directione,

---

(a) L. III. c. 2. (b) L. IV. c. 31. (c) L. IV. Hist. c. 62. (d) P. 111. 225. (e) L. XV c. 27. (f) De clar. vrbib. c. 4. (g) L. X. carm. 12.

et mendoſo itineris titulo, vt poſtea dicemus. In Tabula itineris ratio ab Auguſta Treuerum ſic ſe habet:

Nouiomago. VIII. ſic Velſ. Cluuerius, apud Cellarium, M. P. XIII. Hodoeporici *Nouiomago*, ad octauum decimum ab Argentorato lapidem, iſthuc ſpectare nequit; et totum illud in Hodoeporico iter, imperita ſcribarum manu, eſt male conſarcinatum, vt poſtea viſuri ſumus. Neque *Nouomagus*, ſeu *Niuomagus* Auſonii in Moſella, huc ſpectat, vtpote *diui caſtra incluta Conſtantini, primis Belgarum oris;* quae phraſis viciniam Argentorati arguit. Noſtra fuit mutatio, illud oppidum, in Rheni ripa memoratum; itinere a Lugduno Argentoratum, Nouiomago XXXVII. a Vinco ſeu Bingio, XIII a Treueris, vtrobique vitioſe. Danuille, itineribus commiſſis, et Tabernis etiam, quae ſub alio ſunt poſitae caelo, iſthuc translatis, adcumulat hoc tractu loca, quae numquam exſtabant. Cluuerius, apud Cellarium, *Nümagen* vicum ad Moſellam, interpretatur; Danuille, *Nouiomagus*, XIIII ab vrbe in exortum aeſtiuum, dextra Moſellae ripa, ſitu oppiduli *Numagen;* quod ſpatium charta Europae duobus mill. geogr. metitur.

Belginum. XX. numeris ſibi mutuo incumbentibus. ſic Velſ. Cellarius X exprimit, *Baldenau*, duce Cluuerio, interpretatus; qui ſi X M. P. locum hunc a priore diſtantem reperit, vt is numerus apud Cellarium viſitur, Belgino adcommodare nequiuit; in chartis *Baldenau* abeſt a *Numagen* in exortum tribus mill. germ. vbi Belginum Danuillei conſiſtit, XIIII M. P. a Nouiomago, quod eſt arbitrarium. Cenſus Tabulae paullo vltra *Trarbach* oppidum porrigitur, ad fontem *Nahe* amnis patulum, vbi *Bel* vicus comparet, infra oppidum *Caſtelaun*, qui et ſono vocis Belginum referat.

Dumno. VIII. ſic Velſ. Cluuerio, *Dumnus*, videtur vicus infra oppidum *Kirchberg*, qui *Denſen* vocatur, vno mill. Germ. ab *Simmern*, vbi Dumno locus. Auſonio Dumniſſus nuncupari videtur; cuius iter ad geographiae leges exigi non debet; quamquam αὐτόπτης horum locorum teſtis eſt, qui Moſellae ſuae principio ſic modulatur:

> Vnde iter ingrediens nemoroſa per auia ſolum,
> Et nulla humani ſpectans veſtigia cultus,
> Praetereo arentem, ſitientibus vndique terris,
> Dumniſſum, riguasque perenni fonte Tabernas,
> Aruaque Sauromatum nuper metata colonis;
> Et tandem primis Belgarum conſpicor oris
> Niuomagum diui caſtra incluta Conſtantini.“

Cellarius, Cluuerio praeceptore, et poſtea Weſſelingius, putant, Auſonium a Bingio Treueros verſus iter heic deſcribere; quod rerum adiuncta non patiuntur.

A Mosella quippe pergit Poeta Dumnissum, in mediterraneo, ad sextum decimum a Rheno lapidem, situm; inde transilit ad Tabernas et Nouiomagum Rheni, vt phrasis perspicue docet. Neque enim Treuiri, in cuius vicinia Tabulae mutatio erat, *primis Belgarum oris* dici possunt. Oppidum is respexit, Nemetes postea nuncupatum, quo itinere sequuntur Tabernae, de quibus in ripa actum. Numeris Tabulae respondet oppidum *Simmern*, *Simeren*, ad alterius Nahae amnis aluei exortum; Danuille, a Belgino, *Salisso*, VIII. *Dumnissus*, XVIII. illa ad ripam Rheni spectat, haec situ idoneo consistit.

Bingiū. XVI. sic Vess. Cellarius, XVII. De mansione hac in ripa dicebamus, cui interuallum ab *Simmern* adcurate respondet; Danuille, praeter morem, XIIII M. P. interponit; sed Tabulae numeri sunt sinceri. Nunc de itinere Hodoeporici, secundum promissa, quaedam subiungere libet. Iter, quod *a Treueris Argentorato* inscribitur, est pars itineris ripensis, ab Antunnaco Argentoratum, neque Treueros vlla ratione respicere valet; nam vrbs Treueri ab Rheno, vbi is vicinissimus est, apud Bingium, Tabula indice, LII M. P. abest; qui ergo M. P. XVIII ab Treueris Baudobricam subsistere possint? Itinere per Pannoniae ripam, ab Tauruno in Gallias ad Leg. XXX. *Baudobrica*, prorsus, vt heic, XVIII M. P. ab Antunnaco remouetur. Est proinde haec Baudobrica eadem omnino, quae Tabulae Bontobrice, vt ratio itineris monstrat.

Salissone. XXII. Eamdem esse mansionem eum *Saletione*, itinere a Mediolano Mogontiacum, ratio adiunctorum ostendit. Simlero quippe teste, eodem itinere Mediolanensi, etiam *Salisso* legitur; quae omnium consensu est Ammiani *Saliso*, ad ripam Rheni, non in mediterraneo, quaerenda. Interuallum XXII M. P. est a Nouiomago Saletionem, duce Tabula, in qua vno amplius censentur. Longe haec absunt a Bingio, cui heic Salisso praeponitur, loco prorsus alieno.

Bingio. XXIII. Bingium, Tabula quoque vade, vnum in Rheni ripa nouimus, a Borbetomago, recta procedenti, XXIII M. P. remotum; itinere Lugduno Argentoratum, XXVI a Confluentibus, quod rectum est; non item XXXVII a Nouiomago, neque hinc ad Treueros XIII. ibi enim defectu, heic excessu peccatur; quamquam simul sumta a Bingio Treueros bene habent. Isthuc autem Bingium omnino referri debere, sequentes ostendunt mansiones:

Magontiaco. XII. Bene habet, Tabula numeros firmante.

Borbitomago. XVIII. Parum est; nam quantumuis recta processuro XX M. P. minimum censeri debent, quam summam Tabula tuetur.

Nouiomago. XVIII. Sumto omni interuallo, bene habet numerus; itinere a Mediolano Magontiacum, XIIII modo censet, Tabula XIII vt heic quoque census aliunde sumtus videatur. Ab Saletione Brocomagum habet XVIII M. P. quae auctor itineris Hodoeporici cum Salissone isthuc transferre debuisset.

Argentorato. XVIII. Nihil mendofius; Tabula XXVI M. P. numerat. Refpexerit auctor itineris interuallum a Brocomago M. P. VIII. ex quo, praecedenti confpecto, XVIII fecerit. De itinere per Pannoniae ripam, quod his locis aeque mendofum eft, et hians, quodque ex Tabula reftituimus, cum de ripenfibus effet fermo, dictum. Iter quoque a Lugduno per Treueros et Diuodurum Argentoratum, eft vitiofum; habet enim a Vinco feu Bingio Nouiomagum XXXVII. inde Treueros XIII. cum priore interuallo fint XLIV. pofteriore VIII. fimul tamen accepta fpatium id bene emetiuntur, duobus modo ad cenfum Tabulae defideratis. Quae in confiderationem fumta perfpicue docent, Itinerarium illud Antonini, tot corruptelis foedatum, vt Weffelingius ait, quoad interuallorum integritatem, Tabulae praeferri non poffe; cum tot corruptelis remedium nufpiam prorfus, nifi in Tabula reperiri queat.

XXIV. Occafum fpectanti, viae a portu Gefforiacenfi ad Caftellum Menapiorum ducentes funt binae; quarum alteram ad portum Marci referri oportere putabamus; ab Caftello funt ternae: vna Bagacum directe, altera per Taruennam et Samnicum eodem; tertia per Duroicum Regum Samarobriuam tendentes. Intermediae funt, ab Samnico Auguftam Sueffonum, ab Taruenna per Samarobriuam Auguftam Sueffonum. Priores abfoluimus; poftrema venit luftranda; in ea ab Turuenna haec notantur:

Teucera. XIII. Sic fcheda et Velf. Bertius *Temera* legit, duce Cluuerio, quem et Cellarius fequitur, *Tieure* interpretatus, vicum in Picardiae limite, alias *Tifeure* dictum, Ortelio *Thieure*, ripa *Authy*, *Autie*, recentis dextra; Danuilleo, *Teucera*, XX M. P. a Nemetaco in occafum hibernum, fitu oppidi *Dourlens*, vt hodie vocatur. Interuallum Tabulae non eft ab Teruanna directe, fed ab Nemetaco, quod iam ab Teruanna XXII M. P. abfcedit; quare is viae tractus, refpectu menfurae, ab Nemetaco initium fumere debebat. Iter hoc in Hodoeporico defideratur.

Sammarobriua. XII. infignia municipii; fcheda, *Sammarobruia.* 12. Velf. *Sammarobriua.* XII. Vrbs antiqua, cuius Caefar, Cicero, Ptolemaeus, meminerunt: *concilio Gallorum Samarobriuae peracto*, inquit Caefar; (a) ifte: Vna mehercule collocutio noftra pluris erit, quam omnes Samarobriuae"; (b) hic, poft Belluacos *Ἀμβιανοὶ, καὶ πόλις ἀυτῶν Σαμαροβρίουα*, *Ambiani*, *et oppidum illorum Samarobriua;* Schotti libro, *Σαμαροβρίγα*, *Samarobriga*; sic etiam Suritae, et interpreti Italo; quae lectio fit in Cofmographo fincera. Hodoeporicon, iter per compendium a Nemetaco *Samarobriuam.* XVI. Simlero, *Samarabriua*, vel *Samara briua;* in Blandiniano et reliquis, apud Suritam, *Samarabriuas.* Proinde in textu *Samarobriua*, e veterum auctoritate, non e lectione codicum Hodoeporici, fcriptum videtur; etfi Weffelingius dicat, ex-

(a) L. V. B. G. c. 45. conf. c. 24. 51. (b) L. VII. epift. 11. ad Trebat. conf. epift. 12.

cerpta MSS. *Samarobriuas*, pro *Samarabriuas*, vt Surita in MSS. reperit, habere. In charta Europae, ab *Arras* ad *Amiens* ſex mill. geogr. interponuntur, ſeu xxx M. P. Tabula quinque minus cenſet; ſed vrbes fuerunt amplae, et ſuburbana late patentia, quae auctor Tabulae plerumque metiri neglexit. Poſteriori aetate vrbs *Ambiani* dicta, vt in ipſo Hodoeporico, itinere a Mediolano Geſſoriacum. Ammianus: Adnexa eſt ſecunda Belgica, in qua Ambiani ſunt, vrbs inter alias eminens.“ (a) In Notitia vrbium et prouinciarum Galliae, *ciuitas Ambianenſium*. Prius vocabulum aiunt a fluuio *Samara*, medio aeuo *Somena*, *Sumina*, hodie *Somme*, et *briua* vel *briga*, ponte, originem traxiſſe; poſterius a populo eſt deſumtum; vt apud plures huius prouinciae-vrbes. Annales, *Samarobriua Ambianorum ciuitas;* Ragenarius, *Samarobrica Ambianorum* epiſcopus. Danuilleo, *Amiens* vrbis ſitu, ripa fluuii laeua, *Samarobriua poſtea Ambiani*, xix M. P. ab Teucera in occaſum hibernum.

In Tabula vrbis vocabulo eſt adnexus numerus xxxi. Auguſtam Veromundorum verſus, tractu viae non ſignato. Per Samnicum eo tetendiſſe viam, numeri oſtendunt; nam recta ab *Amiens* ad *S. Quentin* ſunt xl M. P. quo ſpatio Danuille ductum viae exprimit, Samnico praeterito.

XXV. Eſt iter in Tabula, a portu Geſſoriacenſi Samarobriuam, quod in Hodoeporico vnica manſione conſtat, procedens a portu in auſtrum; in Tabula ad Caſtellum ducit, vt Kleinius ſignauit; rectius editio Velſeri infra id Caſtellum, quod ab hac via longe in boream abeſt. Cellarius manſiones itineris huius recenſuiſſe, ſatis habuit, ex ſuo nihil addens; ratio itineris haec eſt:

Lintomagi. xiii. ſcheda prior, *Lucomagi*, absque numero; poſterior, *Lintomagi.* numero exmiſſo. Velſ. *Luttomagi.* xiiii. Bertio, *Luttomagi*, *Eſtaple* vel *Monſtreul.* Danuilleo, *Luttomagus*, xii M. P. a Bononia in exortum hibernum, ſitu vici *Fren*, iv M. P. ſupra *Cauche* fluuium; nobis eſt *Montreuil* oppidum, dextra memorati amnis ripa, v M. P. ab oſtio; Ortelio, *Monſtreul;* charta Europae quatuor mill. geogr. interponit; aliae minus; interuallum Tabulae eſt ab *Montreuil* ad *Abbe ville* adcuratum; Homannianae heic amplius quinque, ibi fere quatuor mill. geogr. interponunt. Qua in diſſenſione, Tabulae cenſum erroris poſtulare non auſim.

Ad Lullia. vii. ſcheda prior, *adullia.* 7. poſterior, *Adullia.* vii. Velſ. *Ad lullia* vii. ſic Bertio, qui *Argoulles* reddit. Danuilleo, *Adlullia*, xi M. P. a priore, ſitu oppidi *Montrevil*, quod reliquimus; nobis eſt oppidum *Abbe ville*, dextra *Somme* amnis ripa, xii M. P. ſupra oſtium. Hodoeporici manſio *Pontibus* xxxvi. Leugas xxiv ab vrbe Ambianis, xxix a Geſſoriaco, remota, Cluuerio, et adſeclis, eſt *Pont a Selane*, vulgo *Pont Aſſelane*, ad oſtium *Alteiae*, *Autie*, fluuii; ſed menſura

(a) L. XV. c. 11.

pertingit ad ostium Samarae, *Somme*, et vrbis *Abbe ville* viciniam; maior quippe distantia est Pontium ab Gessoriaco, quam ab Samarobriua; et credibile, Pontes in validiore fuisse amne, qualis ea regione praeter Samaram non est. Danuille *Pontes* libero a fluuiis loco, pari vtrimque interuallo, statuit. Leugae L hoc itinere sunt nimiae; quod Tabula adcurate progressa, M. P. XLVI non amplius, numerat. Vt opinere, olim in Hodoeporico M. P. fuisse notata, ex quibus scioli quidam Leugas fecere; vt aliis quoque per Gallias itineribus accidit, quod suis indicabimus locis.

Duroico. Regum. XI. scheda prior. *Duroico regũ.* 11. Vels. *Duroico Regum.* XI. Cellarius, *Duroico Regum.* XII. Bertius. *Duroicum Regum, Rue;* quod est oppidulum ad ostium fluuii tenuis, supra Samaram. Danuilleo, *Duroicoregum*, IX M. P. a praecedente, ripa *Autie* amnis dextra, situ vici *Durier*, *Douriers*, ab situ mansionis nostrae longius remoti. Mensura Tabulae pertingit hinc ad oppidulum *Domart*, prope dextram Samarae, hinc ad *Araines*, prope laeuam; alterum Duroico respondeat.

Sammarobriua. XIIII. eumdem censum scheda et Vels. habent; Bertius, vrbe praeterita, Augustam Suessonum petit. Quinque mill. geogr. quae charta Europae inter *Abbe ville* et *Amiens* interserit, M. P. XXV Tabulae adcurate respondent; cuius rei rationem Danuille non habuit, XL fere M. P. ab suo Duroicoregum ad Samarobriuam numerans.

XXVI. Ab Samarobriua Suessonas iter habet Tabula et Hodoeporicon, sed in mansionibus numerisque discrepant; Danuille quoque diuersam viarum directionem signat. Versus Caesaromagum, quod itinere hoc petit Hodoeporicon, Tabula dirigit viam, sed absque locis, absque numeris. Iter a Samarobriua Augustam Suessonum ex Tabula dicemus ante, tum Hodoeporicon examinaturi.

Setucis. X. sic scheda et Vels. Bertio, *Semcis*, operarum forsan vitio; locum non interpretatur; nihil etiam Velserus. Danuilleo, *Setuci*, XVIII M. P. in exortum hibernum, situ vici *Metieres*, supra fluuium *Avre*, et oppidum *Morevil;* mihi ipsum *Morevil* esse videtur, pari vtrimque *Roye* inter et *Amiens* spatio, ripa amnis dextra, quam iter tenuisse putes.

Rodium. X. Scheda, *Rodiũ* 10. Vels. *Rodium.* X. Bertius interpretatur *Roye*, Ortelianis *Roie*, oppidum *Avre* amni impositum, prope originem. Danuilleo, *Rodium.* XIV M. P. ab Setucis in exortum hibernum, situ eiusdem *Roye* oppidi.

Iura. VIIII. Scheda, *Iura.* 9. Vels. *Lura.* VIIII. Bertio, *Lyra*, absque cognomine. Velserus: Habet, inquit, Caesar, Plinius, Ptolemaeus, Iuram aut Iurassum montem, sed qui ad hanc mansionem nihil pertineat.„ Danuilleo, *Isara*, XIV M. P. ad fluuium cognominem, vulgo *Oyse*, paullo infra *Noyon* oppidum, vbi *Nouiomagum* statuit. Sunt quidem geographi, qui ex Hodoeporico, itinere a Caesaromago Lutetiam, voce *Briua Isarae*, non prorsus vane coniiciant, fluuio, qui hodie *Oyse*, *Oise*, vocatur, Isarae nomen fuisse

olim; tamen hoc loco factum Danuillei, ex Iura aut Lura Isaram formantis, non probarim. Potuit quippe Iura aut Lura loco nomen esse, quin fluuium respiceret significatio. Ceterum litera l in Tabula promiscue I et L notare solet; heic prius ante legerim. *Noyon* oppidum mansioni respondet. Est in Hodoeporico Nouiomagus XXIII Leugis ab vrbe Ambianis, XVIII ab Augusta Suessonum; vbi Leugarum quidem vocabulum est inane, via autem compendium secuta, paullo borealius, per *Chauny* oppidum progressa videtur, cui Nouiomagus ex interuallis respondeat. Diuersa quippe directione procedebant, vt locorum et mensurae ostendit ratio, quemadmodum principo itineris huius monebamus.

Aug. Sveſſon. XV. sic scheda et Vels. Distantia ab *Noyon* oppido est iusta; intercedunt enim tria mill. geogr. cum semisse; Danuille a Nouiomago XXII. ab Isara XX M. P. censet, Leugas, pro more, interpretatus, quibus heic locus esse nequit; nam XVI Leugae non XX M. P. faciunt, sed omnino XXIV.

XXVII. Iter Hodoeporici a Samarobriua per Caesaromagum Suessonas, quod in Tabula quidem exprimitur, sed numeris et mansionibus destitutum, sic habet: *Curmiliaca.* XII. *Caesaromago.* XIII. *Litanobriga.* XVIII. *Augustomago.* IIII. *Suessonas.* XXII. Simlero, Curmiliaca XI. Merula *Corbei*, alii *Cormoiles* reddunt; in chartis eo interuallo est oppidum *Conty*, *Conti*, dextra exorientis amnis, Samaram ab austro petentis, vbi et Danuillei Curmiliaca consistit, sed ad XXI ab Samarobriua in austrum lapidem; cum in chartis duo mill. geogr. eo spatio intercedant, Homannianae semissem addunt. Haec mansio in Tabula desit; sequitur

Caſaromago. absque numero; insignia municipii. scheda, *Casaramago.* Vels. *Casaromago.* Hodoeporicon, *Caesaromago.* XIII. Wesselingium deceperit oculus, cum ad hunc Itinerarii locum: Tabula, inquit, Caesaromago M. P. XXXI a Samarobriua; vnde in numeris vitium insedisse arbitreris." Numerus ille ex aduerso Augustae Viromundorum positus, ad Samnicum spectat, vt supra ostendimus; hoc autem loco, etiam in Velseriana Tabula, et in scheda, ductus viae, absque locis numerisque, signatur. Interuallum XIII M. P. a priore bene habet; nam oppidum *Beauvais*, laeua amnis, ab occasu aestiuo Isaram, *Oise*, petentis, ab *Conti* tribus mill. geogr. abscedit. Meminit vrbis Ptolemaeus, *Βελόυακοι*, *ὧν πόλις Καισαρόμαγος*, *Belouaci*, *quorum vrbs Caesaromagus.* Ante Bratuspantium fuisse nuncupatum, vt Caesar nomen prodidit, (a) communis est geographorum opinio; Danuille tamen loca separat, Bratuspantium ab Caesaromago XV M. P. in exortum aestiuum remouens; quod ante duo secula vrbis antiquae vestigia apud *Breteuil*, Or-

(a) L. II. B. G. c. 13.

telio ***Brettoeul***, nomine ***Bratuſpante***, fuiſſe dicerentur. Quae opinio ſeculi poſterioris communem doctorum ſententiam non elidit. In vrbium Galliae Notitia, *ciuitas Bellouacorum;* aeuo medio *Bellouaci;* vnde *Beluacus*, *Beluagus*, ac demum *Beauvais*, exortum. Danuilleo, *Caeſaromagus poſt Bellouaci.* XVI M. P. ab Curmiliaca in auſtrum nonnihil occiduum, ſitu memorati *Beauvais* oppidi. Sequitur in Hodoeporico

Litanobriga. XVIII. in quibusdam, *Litanobrige*, *Latanobrige*, *Latanobriga.* Conuenit inter geographos, *Verneuil*, chartis *Merlou*, dextra amnis memorati, prope exitum in Iſaram, locum Litanobrigae obtinere; Danuilleo, *Litanobriga*, XXIV M. P in exortum hibernum, laeua Iſarae, ex aduerſo effluentis amnis ſupra dicti. Tabula manſionem praeteriit; in qua ab Caeſaromago venit

Aüg. magus. XXII. ſcheda, *Aüg. mag'* absque numero. Velſ. *Aüg. Magus.* XXII. Hodoeporicon, *Auguſtomago.* IIII. in Neapolitano, et Cuſani MS. III. in Pariſino, *Auguſtamago.* Ptolemaeus, in Subanectis, qui ſint Siluanectes, *Ρατόμαγος*, *Ratomagus*, Italus *Rotomago;* qui etiam cum Schotto ſupplet phraſin, apud Eraſmum deſideratam, vbi Bagano ſubſcribitur *Ρατόμαγος*, *Ratomagus;* ea e codice Coiſliano, apud Weſſelingium, ſic habet: Poſt Neruios, *ὑπὸ δὲ τούτους Σουβάνεκτοι, ὧν πόλις ἀπ' ἀνατολῶν τοῦ Σηκοανᾶ ποταμοῦ Ρατόμαγος*, *ſub his Subanecti, quorum ciuitas ab exortu Sequanae fluminis Ratomagus.* De nomine vrbis geographos diſputare videas. Equidem arbitror, Ratomagum, ſeu Rotomagum vrbem olim populari adpellatione veniſſe, poſtea Auguſtomagum nuncupatam. Nam, vt aliis quoque ciuitatibus accidit, ſerius populi voce dicebatur *ciuitas Siluanectum*, vt in prouinciarum Galliae Notitia legas; item *ciuitas Siluanectenſium.* In Notitia imperii, praefectus Laetorum gentilium, Remos et *Siluanectas*, Belgicae ſecundae. Numeri XXII Tabulae et Hodoeporici conueniunt diſtantiae, quae eſt inter oppidum *Beauvais* et *Senlis;* quamquam directione geometrica quinque mill. Germ. cum ſemiſſe intercedunt; ſed vrbes amplae erant, vtpote capita populorum. Danuilleo, *Auguſtomagus poſt Siluanectes*, VII M. P. a priore in exortum hibernum, ad ripam amnis tenuis, Iſaram petentis, ſitu oppidi *Senlis.*

Ab Auguſtomago ad Sueſſonas cenſet Hodoeporicon M. P. XXII. Simlerus XII edidit. Cluuerius, cum videret, amplius eſſe illud binas inter vrbes ſpatium, adpoſuit XXXVI. Simlerus defectu, hic exceſſu peccauit; in charta Europae ſunt ſex mill. geogr. ſeu M. P. XXX. ſed amplitudinis vrbium meminiſſe oportet; niſi numerus ex vicino itinere latinum ſeu Meldos verſus, aut alio Naeomagum, ſcribarum oſcitantia, huc translatus eſt. Tabula, circiter ſitum Curmiliacae notat viam, quae Iuram petebat, absque locis et numeris. Ab Auguſtomago Sueſſonas non progreditur, ſed Auguſtobonam Tricaſſium; quod iter in Lugdunenſi referemus.

XXVIII. Superſunt itinera ab Durocortoro. Illud, quod coloniam Agrippinam ducebat, abſoluimus, et, quae in eo deſiderabantur, ex Hodoeporico, ſibi reſtituto, ſupplere conati ſumus. Nunc ea, quae per Diuodurum Treueros petebant, videamus. In Hodoeporico eſt iter ab Durocortoro Diuodurum, quod in Tabula deſideratur; nonnulla tamen ex eo ſuperare videntur. Luſtremus.

Baſilia. x. in Tabula deeſt; quoad ſitum diſſident geographi. Valeſius vicum, cui *albae ripae* cognomen, Cluuerius fluuium *Veſle*, eſſe putant; Weſſelingius priori accedit. Danuilleo, *Baſilia*, xvi M. P. circiter vicum *S. Martin*, ſupra amnem *Veſle*, a priore in exortum paullisper auſtralem.

Axuenna. xii. Simlerus, vel *Axona;* in Vaticano *Aruena*, Pariſino *Auxuenna.* Tabulae *Auxenna*, quam hoc loco Weſſelingius adfert, alio eſt itinere, a Bagaco Durocortorum, vt ſupra diximus. Danuille via diuerſa, ſed in vtraque *Axuenna*, heic xxvi M. P. in exortum, dextra Axonae, *Aiſne*, aluei occidui, ad vicum *S. Menehoud;* Valeſio oppidum S. Manechildis; Bergerius *Neufchatel* eſſe volebat; ad fluuium cognominem ſtetiſſe non dubitamus.

Virodunum. xvii. Simlerus, vel *Verodunum;* alias *Viredunum*, *Viridunum;* Notitia Galliae Valeſii, *Verodonum;* hodie vrbs *Verdun*, dextra Moſae ripa, in Lotharingia. Danuilleo, *Verodunum*, xxv M. P. in exortum paullisper borealem, ripa Moſae laeua, alias dextra.

Fines. viiii. Simlerus heic Mediomatricorum fines indicari putabat, loco non adſignato. Tabula habet *Ad Fines*, ſed itinere alio. Fines Virodunenſis comitatus in chartis veteribus nominantur, ſed, qua verſus, incertum. Danuilleo, *Fines*, xvi M. P. in exortum paullisper hibernum, ſitu vici *Frene.*

Ibliodurum. vi. in Regio, *Ibliodorum.* De ſitu nihil geographorum παῖδες. Danuilleo, *Ibliodurum*, x M. P. in exortum nonnihil aeſtiuum, ſitu oppidi *Conſtans*, dextra amnis, Moſellam ab occaſu petentis, in confluente riui cuiuspiam, vt nomen loci indicat.

Diuodurum. viii. Surita legit M. P. vii. in Regio viii. De oppido hoc Mediomatricorum itinere alio dicemus; hodie *Metz*, ripa Moſellae amnis dextra, in confluxu amnis *Seille.* Iter hoc ab Durocortoro in exortum aequinoctialem tendebat.

XXIX. Aliud eſt in Tabula et Hodoeporico iter, in exortum hibernum deflectens, ad Naſium et Tullum, inde in boream Diuodorum; vtriusque manſiones recenſere libet. In Tabula, ab Durocortoro, venit

Tanomia. xix. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Fanum Mineruae.* xiiii. in Pariſino et Cuſani MS. *Foro Mineruae.* Paullus Merula, in Coſmographia, putat, manſionem Tabulae ex Fano Mineruae eſſe corruptam; in cuius opinionem abiere plerique; in ſitu tamen diſcrepant; neque aliter euenire potuit.

Merula circa *Bafones;* Altingius vicum agri Rhemenfis *Vadenay;* Bergerius celebrem pagum *Suippa*, *Suippe*, ad exortum amnis cognominis, accipi volunt. Danuille, Tabulam cum Hodoeporico conciliaturus, ad XXVIII a Remis lapidem, in exortum hibernum, fignat *Fanum Mineruae*, Altingii vestigia fecutus. Numeri Tabulae ducunt ad vrbem *Chalons*, dextra Matronae, *Marne*, amnis ripa. Neque nomina impediunt: quod enim literati Durocatelaunos, aut fimpliciter Catelaunos dicebant, id vfu militari *Tanomia* nuncupari potuit. Refpondet Tabulae Hodoeporicon, itinere Mediolanenfi, Durocortorum inter et Durocatelaunos XVIII M. P. interponens. Firmabit fententiam itineris continuatio. In MS. quodam *Durocaralaunos;* in aliis *Catalaunos*. Eutropius, de Aureliano: *Superauit in Gallia Tetricum apud Catalaunos.* (a) Ammianus: Ambiani vrbs inter alias eminens, et Catelauni, et Remi." (b) Eumenius, in Panegyrico Conftantini, *clades Catalaunica;* Notitia provinciarum Galliae, *ciuitas Catellaunorum.* Ex his putat Cellarius, particulam *Duro* ex vicina vrbe Durocortoro a librariis in hunc locum effe traiectam. Quidquid huius rei fit, *Tanomia* Tabulae ab *Chalons* vrbe remoneri nequit; fiue ea fic vfu militari nuncupata erat, fiue fcribarum pofteriorum ofcitantia, ex *Catalonia*, aut *Catalounia*, in Tanomiam detorta. Danuille M. P. XXVIII. interponit.

Caturice. XXV. fic Velf. Hodoeporicon manfionem *Ariola.* XVI. interferit; quam fe nusquam legiffe ait Weffelingius; praeterit etiam hac via Danuille; oppidum *Vitri le Franc*, *Vitry le François*, dextra Matronae, infra confluentem Ornae, fitum, Ariolae quadrabit. Sequitur, *Caturigis.* IX. MSS. *Caturriges*, *Gaturriges.* Erant etiam populi alpini, hoc nomine infignes, qui huc non faciunt. De noftra manfione nihil παῖδες geographorum. Danuilleo, Ariola et *Caturigis*, circa fluuium Ornam, fed alio fitu. In chartis, dextra Ornae recentis, eft vrbs *Bar le Duc*, Ortelio *Barleduc*, in aduerfa, numeris XXV ab vrbe *Chalons* curate refpondens; intercedunt enim quinque mill. geogr. Olim quoque non ignobilis fuerit locus; fi Tabulae fcriptum confideres, cafu recto, non *Caturigis*, vt Danuille habet, fed *Caturicae* vel *Caturigae* dicendae erunt; plerumque enim his itineribus oblique ponuntur loca. Danuilleo XIV M. P. ab Ariola in exortum hibernum.

Nafic. IX. infignia municipii. Velf. *Nafie.* IX. Hodoeporicon, *Nafium.* IX. Simlero, *Naffium;* in chronico Diuionenfi, *Nafio caftrum, ad Ornam fluuium fitum*, Theodoricus rex Francorum occupaffe perhibetur. Bini funt ad Ornae ripam vici, alter *petit Nanci*, alter *grand Nanci*, tefte Valefio, quorum alteruter Nafio refpondeat. Danuilleo, *Nafium*, XII M. P. a priore in exortum hibernum, fitu vici *Ligny*, ripa Ornae laeua. In Tabula vi-

(a) L. IX. c. 9. (b) L. XV. c. 11.

detur Naſio fuiſſe ſcriptum; quod ab vrbe *Nanci* eſt diuerſum, vt mox viſuri ſumus.

Moſe. XIIII. ſic Velſ. In Tabula numerus superne, locus inferne, apud Naſium ponitur, tamquam ad manſionem Fines pertineat; ſiue id ex ingenio ſcribae factum, ſiue ob anguſtias loci, ad Moſam certe manſio cum finibus quaerenda. Eſt oppidum *Vaucouleur*, ſiniſtra Moſae ripa, in Campaniae et Lotharingiae finibus, ſitu et interuallo manſioni Moſae reſpondens. Hodoeporicon, et cum eo Danuille, a Naſio recta Tullum progreditur; Tabula in auſtrum deflectit. Habet quidem Hodoeporicon Moſam, ad XII ab Andematunno lapidem, ſed ab noſtra diuerſam; cadit enim ad fluminis exortum. Si tamen illud iter bene habet; nam in Danuilleanis, ductu recto, ab Andematunno Tullum ſunt M. P. LXV. In Hodoeporico integrum iter ab Cauillono Treueros, hac verſus tendens, periit; etiam in Tabula heic manſiones et numeri ſunt confuſi. Conabimur tenebras diſſipare.

Ab *Vaucouleur* oppido ad vrbem *Toul* ſunt mill. geogr. duo; in Tabula a manſione *Mose* traiicitur fluuius, poſito numero VIIII. et Nouiomago, quod huc non pertinet. Nam VII. et XV. quae ſequuntur, diſtracta ab ſeſe, innuunt iter aliud. Heic, viae ratione ſpectata, VIIII M. P. quae Moſam excipiunt, ad Tullum referuntur; cetera diſpiciemus deinde. Itaque Tabulae ſeries eſto haec:

XXX. Tulſio. VIIII. ſic Velſ. Heic numerus x poſtpoſitus, ad Scarponnam refertur. Hodoeporicon, *Tullum.* XVI. a Naſio. Eſt in Hodoeporico pars itineris inſcripti, *Iter ab Andematunno Tullo Leucorum.* Sic Annal. Bertin. *Tullum Leucorum.* Firmat dictum Ptolemaeus, ſub Mediomatricis et Remis, *Λευκοῖ, ὧν πόλεις, Τοῦλλον, Νάσιον, Leuci, quorum vrbes Tullum, Naſium;* apud Schottum *Τούλλιον, Tullium,* vt in Tabula. Notitia prouinciarum, in Belgica prima, *ciuitas Leucorum Tullo.* Vibertus, in vita Leonis IX. *Leuca vrbs.* Seruat nomen priſcum *Toul*, vrbs episcopalis, laeua Moſellae ripa, in Lotharingia, quae Gallis *Lorraine.* Danuilleo, *Tullum*, XXVI a Naſio in exortum.

Inde Hodoeporicon recta in boream, Diuodurum verſus, proficiſcitur; Tabula praetorii cauſſa deflectit in exortum, ſequentem praeſerens inſcriptionem:

Indeſina. X. aedes quadra ampla. Velſ. *Indeſina.* Numerus, cum Tullo inferne poſitus, huc refertur. Ptolemaei *Νάσσιον Naſſium* iſthuc ſpectare autumo ea propter, quod in Leucis, et Tullo orientalius, ponitur in editione Schotti, quam ego quoad poſitionem ſaepe adcurationem obſeruaui, quam ſint aliae, quae in longitudine mire variant. Schottus *Τούλλιον*, Tullium, 26½. *Νάσσιον*, *Naſſium*, 27½⅓. id eſt, min. 50. Eraſmus, *Τοῦλλον. κϛ. ∠'. Νάσιον. κδ. ∠γ'.* Tullum, 26, 30. Naſium, 24, 50. Italus, Tullo, 26, 30. Naſio, 25. 50. Adde vrbis nomen hodiernum *Nanci*, quod antiquam Naſii formam aemuletur. In Tabula, quadrum amplumque

aedificium, quali praetoria et aquae notari ſolent, praetorio Agrippinae maius, quod in Batauis habuimus vnum, in Belgica nuspiam alias. Quod nomen vrbis concernit, Andeſinae et Naſii, nemo adhaereſcat; Tabula heic Romanum loquendi morem, Coſmographus vulgi conſuetudinem, ſectatur. Prope abeſt, vt columnam apud Gruterum, in Lingonum vrbe repertam, iſthuc pertinere cenſeam, in qua fine AND. M. P. XXII leguntur. Ait quidem Bimardus, apud Muratorium, columnam in vico *Iſuquemays*, inter Diuionem et Lingonas repertam, putatque (ex memoriis Triuultinis forſan) AND ſyllabam Andematunnum referre. Sed is vicus, medio fere Diuionem inter et Lingonas ſpatio, extra viam militarem poſitus, numeris non reſpondet. Ad haec columna, Tib. Claudio, Druſi filio, inſcripta, cum cenſu XXII M. P. *in Lingonum vrbe*, Weſſelingio quoque teſte, reperta dicitur. Quod ſi reapſe ſic habet, nequit is lapis Andematunno adſcribi, niſi infra eam vrbem ad XXII lapidem detecta monſtretur. Si ſupra *Langres* eruta eſt columna, nihil certius, quam ad hoc praetorium, quod municipii iura tenuerit, eam ſpectaſſe, vt primae vocis literae AND. ANDESINA reddi debeant. Editio Velſeri habet *Indeſina*, ſcribae oſcitantia, qui caudulam a literae, quae apud Scheibium rite notatur, non obſeruarit. Situs vrbis in Tabula eſt ad fluuium recentem, qui tractu vlteriore Moſam exprimit, heic autem pro Moſella accipi debet; quamquam ea ſeorſim cum fonte notatur, et plures fluuii vno iſthic alueo ferri coguntur; ſcilicet praecipui modo expreſſi ſunt, minorum ratio non eſt habita. Haec de *Andeſina*, omni geographiae inaudita. Eſt *Nanci* vrbs, laeua Mortae amnis, Moſellam paullo ſuperius petentis ripa, ad quintum infra confluxum lapidem. Inde procedit Tabula Diuodurum verſus, ad manſionem, cui nomen

Scarponna. X. Tullio vox ante hunc numerum poſita, Andeſinae praemitti debet, vt monebamus; quamquam heic viis vtrimque concurrentibus, numerus in medio poſitus, vtramque deſignare poteſt, vt ab Agrippina Treueros. Superne voci Andeſina adhaeret XVI. quod aut ex vicino tractu viae Agrippinenſis, quae ceteroquin ſub alio eſt caelo, oſcitantia ſcribae iſthuc translatum; aut infra Andeſinam, via Lingonenſi, ponendum arbitrarie; hoc enim loco prorſus otioſum id eſſe, manifeſtum eſt. Hodoeporicon, *Scarponna.* X. Cellarius *Scarponam* legit; Weſſelingius in pleriſque MSS. *Scarpanna* eſſe perhibet, diuerſitate non relata. Ammiano *Scarpona;* (a) quod Cellarius pluratiue dictum cenſet. Paullo Warnefridi: Audientes Hunni, qui duodecimo exinde milliario ſitum caſtrum, quod Scarponna dicitur, obſidebant, Metenſis vrbis moenia corruiſſe.“ (b) Annales Bertin. ad ann. DCCCLXX. *Scarponiſe* formant epitheton. Danuilleo, *Scarpona*, XVIII M. P. a Tullo in boream paulliſper ortiuum, laeua Moſae, ſitu vici *Dieulouart*, chartis antiquioribus *Charpeigne*, Ortelio *Sarpaigne.*

(a) L. XXVII. c. 2. (b) Episc. Metenſ. poſt init.

Diuo. Durimedio. Matricorum. XIIII. insignia municipii. Velf. *Diuo. Durimedio. Matricorum.* XIIII. Hodoeporicon, *Diuodurum.* XII. Tacitus: Diuoduri, Mediomatricorum id oppidum eft, fubitus pauor exterruit.“ (a) Ptolemaeus, in Mediomatricis, *Διουόδουρον*, *Diuodurum.* Tabula, imperita fcribae manu, interpunctionibus et fyllabis praue notatis, loco *Diuoduri Mediomatricorum.* Ammianus *Mediomatricos* vocat; (b) Notitia imperii recentius vocabulum profert, Legio prima Flauia, *Metis.* Fortunatus, forma fingulari, *Mettis* dixit, loci fitum eleganter defbribens. (c) Danuilleo, *Diuodurum poftea Mediomatrici et Mettis*, xx M. P. ab Scarpona in boream nonnihil ortiuum, in confluente *Mofelle* et *Seille* amnium, fitu vrbis *Metz.*

XXXI. Hodoeporicon, abfoluto itinere Mediolanenfi a Durocortoro Gefforiacum, notat, *Iter a Cauillono Treueros.* ex quo praeter titulum nihil habemus; interuallum tamen a Diuoduro Treueros adeft, itinere vno XXVIII. altero XXXIIII. In Tabula funt quaedam reliquiae itineris Cabillonenfis; id per Tullum et Diuodurum iffe, inde colligere licet, quod manfio Caranufca nomine e ceteris fuperftes comparet, cum interuallo XlII M. P.

Caranufca. XlII. fic Velf. Si menfuras Danuillei fequamur, bene habebit numerus; fed eius rationes iufto productiores effe, alias monebamus. In tabula Europae, *Metz* inter et *Trier* non funt integra octo mill. geogr. proinde via in exortum, verfus amnem *Sar*, quem Sarauum nuncupant, forfan ab hac Tabulae manfione deflexerit, vt iam Cluuerio videbatur. Tamen *Saarburg*, ad XVI a *Metz* lapidem, Caranufca dici nequit; vtquae ad X ab Treueris milliare aberat. *Ricciaco* Tabulae, huic itineri perperam eft innexum, fpectans ad iter Argentoratenfe, vt poftea dicendi locus erit. Haec manfio a Danuilleo quoque ifthuc relata, totum iter Tabulae turbauit. Itaque a *Metz* vrbe itum fuit ad oppidum *Sarluis*, iunctum ripae *Sar* fluuii, pone latus eiusdem prope ad effluxum in Mofellam, iter continuauit, eoque paullo infra vicum *Sar*, vbi *Caranufcae* fitus, traiecto, Treueros petiit Tabulae auctor.

Aug. Tresviron. X. fic Velf. fed absque infignibus vrbis, quae alias retulimus. Danuille ductum itineris laeua Mofellae notauit, fluuio paullo infra exitum *Sar* amnis traiecto; fed menfura, vti monebamus, non feruata. Ei quippe Caranufca ab Diuoduro eft ad XX fitu oppidi *Thionville*, inde *Ricciacum* XII. apud vicum *Remich*, tum Augufta Treuerorum XVIII. quae funt arbitrarie pofita; etfi vniuerfa ab Diuoduro ad Treueros menfura non male habet. In Hodoeporico, itinere a Sirmio Treueros, inter Diuodorum et Treueros notantur XII. cum loci perditi figno; inde XVI ad Treueros; quae Danuille ex parte refpexerit. Itinere a Lugduno Argentoratum, a Treueris Diuodorum XXXIIII M. P. numerat.

XXXII. Supereft explicandum iter ab Andematunnno Tullum et Andefinam. Inter Adematunnum et Varciam ponuntur numeri XI. X. fuperne confpi-

(a) L. I. Hift. c. 63. (b) L. XV. c. 27. (c) L. III. carm. 12.

citur *Mose*, de qua ante dictum; quae cum non habeat numerum praecedentem, ostendit, priorem ex his XI ad se pertinere, posteriorem ad Varciam; ductu itineris, Mosam versus, culpa scribae, exmisso. Viae huius principium est in Hodoeporico inscriptum, *Iter ab Andematunno Tullo Leucorum vsque M. P.* XLIII, quod est perparum. Sunt enim has inter binas vrbes omnino mill. geogr. vndecim, ac proinde M. P. LV. secundum Danuillei rationes, M. P. LXV. sed mensuram in his mathematicam isthic spectari non debere, alias monebamus. Hodoeporici sunt haec:

Mosa. XII. Lugduni vulgatus, M. P. XIII. Tabula XI. Intelligitur, inquit Wesselingius, vicus Mosa pagi Bassiniaci, a fontibus Mosae, quibus est vicinus, dictus *Mouse en Bassigni.* Vita Eustasii Luxoviensis: Venit ad quemdam virum, nomine Gundeonem, qui eo tempore ad villam, quam Mosam vocant, ob amnem in loco fluentem, morabatur.“ Sed heic nihil de fontibus; plura enim loca a flumine illo nuncupabantur, vti ab Axona, et aliis. Danuilleo, *Mosa*, XX M. P. ab Andomatunno in exortum aestiuum, ad recentem fluuium, situ vici *Bourmont*, extra fines Belgarum.

Solimariaca. XVI. in quibusdam, *Salimariaca.* Danuilleo, *Nouiomagus*, XX M. P. in eamdem plagam, ad confluxum medii Mosae aluei, situ vici *Neufchateau*, tum ad VI lapidem, ad confluentem ortiui aluei, *Solimariaca.* Habet Ortelius *Lamarche* vicum ad Mosam recentem; sed is est *la Marche*, ad medii aluei fontem, in austrum abscedens. De Nouiomago mox dicemus.

Ad vndecimum fere lapidem occurrit oppidum *Vaucouleur*, Ortelio *Vaucoleur*, de quo superius actum; inde *Toul* ciuitas M. P. prope X. Tabula hunc locum adisse videtur ex eo, quod a Mosa sequitur Nouiomagus, ad VII ab Andesina lapidem, cui oppidum *Chaligny*, dextra Mosellae ripa, ex aduerso effluentis *Colon* amnis, et vici *Pont S. Vincent*, in Ortelianis, *Chaligny* oppido vicinus est pagus *Les neuf maysons*, qui Nouiomagi vestigia seruet. In Homannianis eum fere situm obtinet vicus *Blenod.* Heic viae diuortium erat, pars Tullum M. P. V. pars Andesinam M. P. VII. interuallo petebat. Ab *Vaucoleur* ad *Chaligny* sunt M. P. XV. Omnes hi numeri in Tabula comparent, sed male disiecti, viis, imperitia scribae, confusis. Superne inter mansionem ad Fines et Andesinam V. inferne ad Tullum XV. quod e conuerso poni debebat; ante quippe Tullum occurrerat, quam Andesina. M. P. XVI. quae Andesinae adponuntur, sit intervallum vrbis ad Solimariacam, itinere breuiori, vt in Hodoeporico; quod nomen in Tabula desideratur. Heic praeterea, ob loci angustias, superne ponuntur, quae infra poni debuissent. Hodoeporicon, recta, vt ante, progressum, pauciora M. P. numerauit; quamquam ductu mathematico plura censentur, vti monebamus; sed mansiones intermediae, et suburbana ciuitatium, aliquot M. P. abstulere. Vtrum *Mose* vocabulum in Tabula geminari debeat, non adseuerarim; poterat quippe *Vaucouleur* oppidum *ad Fines* dici, et *Mosa* cum Hodoeporico suo figi loco. Videtur tamen Mosae nomen geminum

ſcribam perplexum reddidiſſe, vt vias cum locis numerisque turbaret. Danuilleo, Tabula cum Hodoeporico commiſſa, ab Andomatunno ad xx Moſa, pari diſtantia Nouiomagus, ad vi Solimariaca, inde ad xxiv M. P. Tullum, ponitur; ceteris cum Andeſina miſſis.

XXXIII. Integrius eſt in Tabula iter ab Diuoduro Argentoratum, quod in Belgica ſolum ſupereſt. Hodoeporicon duplici loco iter hoc refert, vno ab Sirmio Treueros, altero a Lugduno Argentoratum. Tabula plures nouit manſiones, quae ſic habent:

Ricciaco. ad duodecimum. xii. ſic Velſ. Cluuerius Ricciacum ad iter Treuirenſe retulit, quod plures poſt eum fecere; ſed manſio haec iſthuc pertinet, quae Ricciacum dicebatur, vbi lapis ab Diuoduro duodecimus erat poſitus. Danuilleo, *ad Duodecimum*, xvii M. P. in exortum hibernum, laeua recentis *Welſche Nida*, vt Ortelius vocat, qui poſtea Sarauum petit, circiter vicum *Pont a Choſy*, cui vicinus *Rytonſay;* in Homannianis eo ſitu eſt *Berliſe* vicus, ripa dextra.

Ad Decem pagos. xii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Decem pagis*. xx. Simlerus in MS. legebat, *Decem plagis.* Paullus Warnefridi meminit loci: Exinde hoſtes, dum ad oppidum, quod adpellatur Decempagos, quod a Metenſi vrbe xxx M. P. abeſt, perueniſſent." (a) Simlero *Dioſe in Litriagen;* Ortelio eſt *Dieuſe* oppidum, dextra Sellae fluuii, prope exortum ex lacu *Techemful.* Danuilleo *Decem pagi*, xviii M. P. ſitu vici *Dieuſe*, cui *Marſal* oppidum ab occaſu vicinum.

Pontesaraui. x. Velſ. *Ponte Saraui.* x. Hodoeporicon, itinere ab Lugduno Argentoratum, *Ponte Saruix.* xxiiii. a Diuoduro. Vitioſum eſſe numerum, e Tabula recte arguit Weſſelingius. Simlero, vel *Sarnix*, vt Suritae quoque; qui, ſe manſionis rationem adſequi non poſſe, ait. Ad fluuium *Saram* aut *Sarram* Auſonio, Sarauum Tabulae, fuiſſe locum, ex ipſo vocabulo colligere licet; ſed non apud *Sarbruggen*, vt Simlerus volebat, hodie *Sarbruk*, inde longius in boream remotum; verum ad fontes, apud vicum *Sarbourg*, vbi Danuillei *Pons Saraui*, xvii M. P. a priore in exortum, inter binos lacus, ex quibus amnis profluit, cui *Sare* nomen.

Tabernis. xii. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Sirmio Treueros, *Tabernis*. xx. a Decem pagis. Ammiani *tres Tabernas* iſthuc ſpectare volunt geographi; (b) Surita etiam Auſonii; qui tamen Rheni ripam tenere videatur; vt apud Dumniſſum et Bingium dicebamus. Harum Tabernarum meminit etiam Nithardus: Iter per Tullenſem vrbem accelerans, — Elizazam ad Zabarnam introiit." Simlero *Zaberen;* Cluuerio, Cellario, aliis, *Elſas-Zabern;* Danuilleo *Tabernae*, xv M. P. a Ponte Saraui in exortum, ad ripam recentis *Sor* amnis, ſitu oppiduli *Saverne*, *Zabern*, prope *Pfalzbourg* oppidum, monte interiecto.

(a) L. XVI. c. 2. (b) L. XVI. c. 11.

Argentorate. absque nota numerali; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Argentorato.* XIIII. Numerus interuallo bene reſpondet; quamquam omni ſpatio intercepto ſunt fere XVIII M. P. In Tabula, ſcribarum culpa, cenſus periit. Haec de Belgica.

S E C T I O III

LVGDVNENSIS

§ I

Nuncupatio et fines.

I. AETATE Caeſaris ii, qui hanc prouinciam incolebant, Celtae ab ſe ſe, a Romanis Galli, vocabantur; poſtea, diuiſione prouinciarum ab Auguſto inſtituta, a ſede praeſidis Lugduno, nuncupata eſt Lugdunenſis. Plinius: *A Sequana ad Garunnam Celtica, eademque Lugdunenſis.* (a) Vocabulum etiam regno epigraphico cognitum; in marmore Tarraconenſi, apud Illyrios relato, F. Cl. Candidus, procur. xx heredit. per Gallias LVGDVNENSEM et Belgicam. Aquileiae, in Carnis, Tib. Claudius Secundinus, procur. prouinc. LVGDVNENS. et Aquitan. Ptolemaeo, *Λουγδουνησία*, *Lugdunesia*, et *Λουγδουνησία*, *Lugdonesia;* in Tabula, populi nomine, LVGDVNENSES notantur, caractere maiori, atro; niſi ſcribae errarunt; reliquae enim prouinciae patria nuncupatione veniunt; vt heic quoque LVGDVNENSIS olim ſcriptum fuiſſe arbitrere. Elementa ſunt latina, duobus modo NV medio manu Longobardica expreſſis; procedunt a mari ad Viennam, prouinciae Narbonenſis, inter fluuios Sequanam, Ligerim, et Garumnam; quibus Caeſar et Plinius Gallos circumſcripſere. Poſtea, quod ab Ligeri erat, Aquitaniae tributum eſt. Iuxta ripas Ligeris angulum in meridiem facit, ad Sequanos vſque, qui recentem fluuium adcolunt.

II. Ab hoc angulo, gradu lat. 45 min. 15 promouentur in boream ad gradum 50. quae eſt prouinciae latitudo; in longum, ab gradu 13 ad 23 min. 30. patet. Longitudinem maximam metitur gradus 48. a portu Staliocano Agnotium, paullo vltra Moſae fontem, DXX M. P. Latitudo a fontibus Ligeris, ad litus Saxonicum, fere CCCC M. P. procurrit. Ab occaſu prouinciae terminus eſt Oceanus, a ſeptemtrione Matrona, ab exortu Arar, a meridie Liger, flumina; Sequana mediam fere prouinciam pererrat; vt pro termino eius haberi nequeat.

(a) L. IV. c. 31.

§ II

Montes, fluuii.

I. VNVM ſignat auctor Tabulae montem, ex quo Ararim Ligerimque deriuat; rectius Moſam et Moſellam cum Arari deriuaturus, ex Vogeſo nimirum. Reſpexerit autem fontes Matronae et Sequanae; quamquam his diuerſos fontes, diuerſum tribuit alueum, breuiorem, quam ſit alueus Ligeris; ceterum a vero ſitu procul non abeſt. Nam idem tractus iugorum Vogeſi ad Aeduos vſque protenditur, vbi Matrona et Sequana originem accipiunt, non item Liger, qui in Cebenna monte caput recondit. De Vogeſo in Belgica dictum.

II. Sequana e fluminibus, in Tabula ita ſignatur, vt fontes Matronam, aut potius Axonam praeferant, oſtium Sequanam, ſed absque nomine. Fluuium nouit Caeſar: *Gallos a Belgis Matrona et Sequana diuidit.* Straboni *Σηκουανὸς, Sequanus*, quem ex alpibus deducit, quas fontes eius non attingunt; oritur enim apud Aleſiam, in Mandubiis, totusque Lugdunenſium eſt. Ptolemaeo, *Σηκόανα, Secoana*; Schotti libro, penultima acuta, *Σηκοάνα*, qua forma et gignendi caſu vtitur, *Σηκοάνα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Sequanae fluuii oſtia;* ſed accuſandi *Σηκοάναν* vocat. Sidonius, in Panegyrico Maioriani, vno verſu plures complexus: *Rhenus, Arar, Rhodanus, Moſa, Matrona, Sequana.* Excipit a borea decurrentes Matronam cum Axona, medioque fere ſpatio inter 49 et 50 gradus in Oceanum effunditur; incolis *la Seine*, Matrona *Marne.*

III. Liger, auctori Tabulae **fl. Liger.** apud exortum et oſtium, ſed priore loco literis minio pictis. Fonte exhibet Matronam, Sequanam, oſtio Ligerim. Caeſar, *Liger ex niuibus creuerat;* (a) quarto Ligerim ſemper, ſexto Ligeri et Ligere. (b) Straboni, *Λείγηρ Leiger*, oblique *Λείγηρος, Leigeris.* (c) Plinio: *Lugdunenſis Gallia habet flumen clarum Ligerim.* (d) Ptolemaeus *Λίγειρα ποταμὸν, Ligirem fluuium* adpellat. Oritur in Heluiis, monte Cebenna, in Gallia Narbonenſi, prope Ararim, gradu 45 dimidio, eique parallelus fluit tractu longiore, dum prope gradum 48 latit. in occaſum flectitur, apud Namnetas Oceano immerſus; incolis hodie *la Loire.* Influit in eum *Elauer*, quem Caeſar nouit, oblique Elaueris, iunioribus *Elaris, Elauris*, vulgo *Alier*, in eodem Cebenna monte natus.

IV. **fl'. Arar.** literis minio pictis, ad exortum, ex eodem cum Ligeri monte, ſed in partem aduerſam, promanans. Caeſar: Flumen Arar per fines Aeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita vt oculis, in vtram partem fluat, iudicari non poſſit." (e) Plinio: *Rhodanus ſegnem*

(a) L. VII. B. G. c 55. (b) L. III. c. 9. VII. 59. (c) L. IV. p. 189, (d) L. IV. c. 32.
(e) L. I. B. G. c. 12.

deferens Ararim. (a) Straboni et Ptolemaeo ὁ *Ἄραρ*, *Arar;* Dioni Caſſio *Ἄραρις*, *Araris*, caſu recto; (b) *Ἄραριν*, *Ararim*, obliquo, Caeſaris imitatione; Claudiano, *Arar* et *Araris.* Surgit in Vogeſo monte, ex aduerſo Moſellae, exit in mare Graecum, in Gallia Narbonenſi; hodie *Saone.* Habet quemdam fluuium Tabula, ex eodem monte cum Garumna deductum, ſed partem in contrariam, et ab occaſu Arari immixtum; in tabulis Danuillei antiquariis eſt alueus quidam, ſupra Cabillonum ex Arari prodiens, apud Aulercos in Ligerim effuſus, tam quam *Bourbince* Ligerim, *Dehune* Ararim petentes olim coniuncti fuerint; qui nexus neque in recentioribus, neque in Danuilleanis omnibus compareт, ſed in minore dumtaxat Atlante, tabula Galliae gemina, commentariis Rollini et Crevierii Hiſt. Rom. adcommodata; qua ego nihil vſquam elegantius adcuratiusque hoc in genere vidi. De alueo hoc ſermo alias quoque recurret.

Bruuſara. in via, ad xv a Lutetia lapidem, itinere a Rotomago Auguſtobonam; in qua voce *Iſara* latere videatur. Velſ. *Briviſura.* Danuilleo, aliorum veſtigia ſecuto, *Briua Iſarae*, etiam Hodoeporici auctoritate, in quo, itinere ab Caeſaromago Lutetiam, *Briua Iſarae.* Hodiè amni *Oiſe*, manſioni *Pont Oiſe*, nomen; vt in itineribus dicemus.

§ III

Populi prouinciae.

I. EX antiquis populis, qui hanc tenebant regionem, praecipui fuere, Oſiſmii, Veneti, Redones, Vnelli, Lexouii, Caleti, Veliocaſſes, Carnutes, Cenomani, Andegaui, Namnetes, Turones, Pariſii, Senones, Tricaſſes, Lingones, Aedui, Seguſiani. Pro his in Tabula, Cadurci, Cambiouicenſes, et Aulerci nominantur; queis adde Oſiſmios, Venetos, Pariſios, in Belgica, loco alieno, relatos. Et Oſiſmii quidem Venetique extremum in occaſum angulum, inſulae inſtar, quam Erius fluuius ab exortu claudit, coluere, Briuatibus, verticem trianguli obtinentibus, finitimi. Pariſii flumen Sequanam, vbi Matrona exit, ab auſtro habebant a dextris, inter Carnutes, Aulercos, Velocaſſes, Meldos, Senones. Nunc eos, qui in Tabula comparent, videamus.

CADVRCI. literae minio pictae, infra Iuliomagum, ripa Ligeris auſtrali. Cadurci Caeſaris, et Strabonis *Καδουρχοὶ*, inter Duranium et Oldum fluuios, in Aquitania habebant. Ptolemaeo *Καδοῦρχοι*, Schotti edito *Κάδουρχοι*, quorum vrbs Deuona, quae poſtea nomen populi adſumſit. Exprimuntur etiam in ſcheda priore, quos Velſerus in Aquitanica attigit. Nunc ibi ſunt *Agenois* et *Querci* regiones.

(a) L. III c. 6. (b) L. XXXVIII. c. 32. alias.

II. CAMBIOVICENSES. ſcriptura minio picta, inter Aquas Segeſte et Niſincii, ad Ligerim, eique iunctum Elauerim, vbi alias Senones, Boii, Aedui, ponuntur. Noſtros geographia ignorat. Non inſolens eſt auctori Tabulae populos ab vrbibus nuncupare. In hac regione celebris erat ciuitas Cabillonum, auctori noſtro *Cabillione*, Hodoeporico *Cauillono;* a qua hi Cambiouicenſes nuncupati fuerint. Exempla vrbium, populi vocabulo inſignitarum, in Belgica habuimus complura. Vice verſa non raro factum, pluribus doceri poteſt. In quodam lapide Dacico, in Petele prope Tordam reperto, Valerius Slonus, miles numeri CAMBESTRORVM. qui ante huc pertineant, quam ad *Cambes*, oblique Cambetem, vicum Rauracorum. Galli milites in marmoribus Daciae non raro leguntur. Hodie vrbs *Chalon*, regio *Bourgogne* vocatur.

III. Mediolano autercorvm. in via, ad Sequanam, inter Breuodurum et Durocaſſium; ſcheda prior, *Mediolano aurercor.* Velſ. *Mediolano autercorum.* Velſerus e ſcheda legit *Aurercorum.* Vetus populi nomen, Liuio in Gallis Italiae inuaſoribus notum. (a) Erant in tres diuiſi claſſes, in Eburouices, Cenomanos, et Diablintes. *Aulerci Eburouices* Caeſari clare nominantur. (b) Plinio, Aulerci, qui cognominantur Eburouices.“ (c) Ptolemaeo, a Ligeri ad Sequanam vſque, *Αὐλίρκιοι Ἐβουραϊκοὶ*, *Aulircii Eburaici*, Italo *Aulircii Eburaici*, vocabulo recentiore *Aurelianeſi.* Danuilleo, *Aulerci Eburouices*, inter *Ilon* et *Rille* amnes, finibus Normandiae ortiuis, quorum vrbs Mediolanum, hodie *Evreux*, detorto ex *Eburouices* vocabulo, quo poſtea ciuitas audiebat, vt ſuo dicemus loco.

§ IV

Oppida, manſiones.

I. INTER praecipua huius prouinciae itinera eſt vnum ab Carocotino Auguſtobonam, in Hodoeporico; Tabula pluribus locis cum eo ſimul vadit, ſubinde diuerſam tenet viam. Hodoeporicon incipit a portu et oppido *le Havre*, Tabula ſuperius, ab *S. Valeri* et *Feſan* oppidis, ſi Danuilleum ſequamur. Deriuat quidem auctor viam inde a principe portu Geſſoriacenſi, ſed ob coarctationem ductuum, locique anguſtias, e prioribus nihil notat. Quam ob rem Danuille quoque, ſitu *S. Valeri*, ad oram maritimam, ſignat locum abſque nomine. Longius enim in ſeptemtrionem Bononia abſcedit, quam vt x M. P. ad eam referri queant. Principium itineris Tabulae eſt ſequens,

Graumum. x. ſchedae, *Grauinū.* abſque numero; Velſ. *Graumum.* x. ita fere et Kleinius apud Scheibium expreſſit; ſed ſchedae melius habent. Velſerus

(a) L. V. c. 34. (b) L. III B. G. c. 17. (c) L. IV. c. 32.

Grauinū. promit, e vitiofa fchedae fcriptura cum Lintomago in Belgica coniungens. Danuille, *Grauinum*, in mediterraneo, fupra Iuliobonam, fitu vici *Valmont*, ftatuit; putans Grauinum hoc, et Carocotinum Hodoeporici, diuerfa effe loca. In Hodoeporico legitur, *Iter a Carocotino Auguftobonam;* in Neapolitano, apud Suritam, *Caracobino;* in Longoliano, *Corocotino*, *Caracotino*, vt in editis, et fchedis Parifinis effe, Weffelingius ait. In hac vocis diuerfitate potuit etiam *Grauinum* locus adpellari, feu vulgi, fiue militum vfu. Profecto M. P. x hinc ad Iuliobonam vtrobique ponuntur; decem autem M. P. quae locum praecedunt, ad *Feçan* oppidum maritimum referuntur, cuius nomen vetus ignoramus. Adftipulatur fententiae noftrae Guilielmus Briton, Poeta, qui hunc portum *Grauelingam* vocat: Claffis prima quies Calefi fuit; altera portu fit Grauelinga tuo.“ (a) Hodie portum Gratiae, *Havre de Grace*, Weffelingio et Ortelio teftibus, adpellant, oppidum chartis *le Havre*. *Creueceur* Merulae, et *Crotoy* Cluuerii, vt poft Cellarium Weffelingius recte obferuat, longius inde abfunt, quam vt his locis adplicari queant. Mannert etiam Ammiani et Notitiae Gall. *Conftantiam* huc refert, prope *Harfleur* oppidum ftatuens, quod eft *le Havre* oppido ab exortu contiguum; Tabulae non meminit. Sequitur,

Iuliobona. x. fic fchedae, absque nota numerali; Velf. *Luliobona* numero miffo. Haec ratio fuerit praecipua, cur geographi in fitu Iuliobonae terminando diffenferint; quamquam in Hodoeporico perfpicue notatur, *Iuliobona*. x. Vrbem in Caletis ab Sequana ftatuit Ptolemaeus: Κατέχουσι δὲ τὴν μὲν ἀρκτικὴν παράλιον ἀπὸ τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ Καλῆται, ὧν πόλις Ιουλιόβωνα, *Litus feptemtrionale ab Sequana tenent Caletae, quorum vrbs Iuliobona.* Cellarius et Weffelingius, praeter alios, e monumentis aeui medii etiam, Iuliobonam fitu *Lilebonne* fuiffe, egregie probarunt. Ordericus Vitalis, a Valefio productus, refert, Caefarem conftruxiffe munitionem, quam *Iuliam bonam* vocarit, fed barbara locutio *Illebonam* corrupto nomine vocet.“ Danuilleo, *Iuliobona*, xvi M. P. ab Carocotino, *le Havre*, in exortum, fitu *Lillebonne*, ora aeftuarii Sequanae boreali; chartae nonnihil in mediterranea reducunt vicum.

II. Hodoeporicon ab Iuliobona in exortum aequinoctialem abit, Ritumagum verfus, per manfionem Lotum, ad vi a Iuliobona lapidem; Tabula in auftrum deflectit, aliam Hodoeporici viam fecuta, hoc modo:

Breuoduro. xviii. fchedae et Velf: *Breuoduro*. xviii. Hodoeporicon, itinere a Iuliobona Durocafis, *Breuiodurum*. xvii. Simlerus, vel *Brigadorum*. Weffelingius putat, ad Sequanam, ibi ponte iunctum, fuiffe; interuallum vlterius porrigitur. Danuilleo, *Breuiodurum*, eodem interuallo, flexu

---

(a) L. IX Philippidos v. 351.

viae, ſitu oppidi *Pont Audemer*, laeua *Rille* amnis ripa, in auſtrum ab Iuliobona; Ortelio, *Pont Caudemer*. In Tabula biuium exprimitur, hinc Ratumagum, inde Mediolanum verſus; priorem tenebimus.

Ratumagus. xx. inſignia municipii; ſcheda, *Ratumag'*. 20. Velſ. *Rattumagus*. xx. Hodoeporicon, itinere priori, a Loto, ſeu Lolio, vt ſcribitur alias, *Latomago*. XIII. alii XIIII. Ptolemaeo, in Vellocaſſibus, *Rotomagus*, *Οὐενελιοκάσιοι*, *ὧν πόλις Ρωτόμαγος*. *Veneliocaſii*, *quorum ciuitas Rotomagus;* Schotti liber, *Οὐέλιοι Κάσιοι*, *ὧν πόλις Ρατόμαγος*, *Velii Caſii*, *quorum vrbs Ratomagus;* Italus, *Veneliocaſii*, *et la cità loro è Rotomago.* Ammianus, pluratiue, *Rotomagi.* (a) Notitia imperii, praefectus militum Vrſarienſium, *Rotomago.* Nolanus, inter vrbes, ſacratis locis nobiles, cum diuina laude, Rotomagum numerari ait. (b) notitia prouinciarum, *ciuitas Rotomagenſis.* Danuilleo, *Rotomagus*, XXX M. P. a priore in exortum aeſtiuum, dextra Sequanae, ſitu vrbis *Rouen*, *Roan.*

Ritumagus. VIII. ſcheda, *Ritumag'*. 8. Velſ. *Ritumagus.* VIII. Hodoeporicon, *Ritumago*, IX. quidam MSS. *Rotomago.* Weſſelingius e diſtantia putat, oppidum *Lion*, chartis *Lions*, laeua amnis *Lepte*, vt Ortelius adpellat; Danuilleo, *Ritumagus*, XV M. P. in exortum hibernum, eadem fluuii ripa, ſed paullo inferius, ſitu vici *Pont S. Pierre.* Inter hanc manſionem et ſequentem, exemplar Schudii apud Simlerum, interponit *Caeſarotium* vel Caeſortium, *Geſors;* quod manu recentiore adſutum Weſſelingius cenſet.

Petruoi. uiaco. XII. ſcheda, *Petrū uiaco.* 12. Velſ. *Petrum viaco.* XII. Hodoeporicon, *Petromantalum.* XVI. alio itinere, *Petromantalo*, item *Petromantalium.* Nomen loco adhaeſit a petra, cui adcubat, vulgo *Mante*, ait Weſſelingius; apud Ortelium *Mante* eſt ad laeuam Sequanae, *Magni* ad dextram; Danuilleo, *Petromantalum*, XXV. directione eadem, prope laeuam amnis, *Epte* Ortelio, Sequanam a borea petentis, ſitu vici *Magny.*

III. Tabula hinc duplici progreditur via, Caeſaromagum in boream, Lutetiam in exortum, numero, compendii gratia, vt non raro ſolet, ſemel poſito, quod eadem vtrimque diſtantia eſſet a Petromantalo ad Caeſaromagum et Pontem Iſarae. Hodoeporicon, vt mox videbimus, ibi XVII. heic XIV M. P. cenſet. *Beauvais* ab *Giſors* XIV M. P. interuallo abſcedit; quare Petromantalum amni memorato vicinum eſſe oportebat, vt reapſe id poſuit Danuille. De Caeſaromago dictum in Belgica; ſequitur, itinere hoc,

Bruuſara. XV. ſcheda, *Buruſara.* 15. Velſ. *Briuiſura.* XV. Hodoeporicon, itinere ſingulari, a Caeſaromago Lutetiam, Petromantalum XVII. *Briua Iſarae.* XIV. Simlerus, vel *Briga Iſarae;* Surita, *Briuaniſare;* in Blandi-

(a) L. XV. c. 27. (b) Epiſt. 18.

niano, *Briua Isarae;* sic in vetustioribus libris esse, notat Wesselingius. In Ducherii Normannicis, Castrum statuunt super Hisam in loco, qui dicitur ad Pontem Isarae, quod Alteranno committunt custodiendum." Vbi *Isarae pons*, addit Wesselingius, non alius est, ac *Briua Isarae.* Iam Simlerus dicebat *Pontoyse;* Ortelio, *Pont oyse*; Danuilleo, *Briua Isarae*, XVIII M. P. in exortum paullisper hibernum, situ oppidi *Pont Oise*, in confluente riui cuiuspiam, IV M. P. supra exitum Isarae in Sequanam.

Lutect. XV. sic Vess. Hodoeporicon, *Lutitiam.* XV. itinere priori, ab Carocotino Augustobonam, post Petromantalum, *Lutitia.* XVIII. in Neapolitano XVIIII. in Fabriciano, *Lutetia;* vbi Wesselingius addit: Numeri videntur ex alio itinere X M. P. augendi." Non est secus, Tabula indice; nam ab oppido *Monte* seu *Demont*, vt Schottus in tabulis habet, ductu recto, sunt prope sex mill. geogr. ac proinde XXX M. P. vt in Tabula. Nouit vrbem Caesar, de concilio Galliae locutus: Luteciam Parisiorum transfert; confines hi erant Senonibus, ciuitatemque patrum memoria coniunxerant." (a) Vberius de situ oppidi loco alio: Labienus cum quatuor legionibus Luteciam proficiscitur; id est oppidum Parisiorum, positum in insula fluminis Sequanae." (b) Consonat Strabo: *Περὶ τὴν Σηκουάναν ποταμὸν, εἰσὶ καὶ οἱ Παρίσιοι, νῆσον ἔχοντες ἐν τῷ ποταμῷ, καὶ πόλιν Λουκοτοκίαν, Circa Sequanam fluuium sunt etiam Parisii, insulam habentes in flumine, et vrbem Lucotociam.* (c) Ptolemaeus, Carnutis memoratis, *Ὑφ᾽ οὓς Παρίσιοι, καὶ πόλις Παρίσιον Λουκοτεκία, Sub his Parisii, et vrbs Parisium Lucotecia.* Schottus eadem, sed Parisium non habet; editio Vlmensis, *Λευκοτεκία, Leucotecia;* Italus, phrasi ampliata, *Παρισίων* legit: *Verso poi l' Oriente, e presso alla Sequana sono i Parisii, e la città Lutetia de' Parisii.* Proinde legerit is in MSS. quorum plures habuit: *Πρὸς μὲν ἀνατολὰς παρὰ τὸν Σηκοάναν, Παρίσιοι. καὶ πόλις Παρισίων Λουτητία.* Vetus inscriptio, apud Gruterum, (d) in qua Aurelius Demetrius, procur. CIVITATIS SENONVM. TRICASSINORVM. MELDORVM. PARISINORV. ET CIVITATIS AEDVORVM. Haec docent, claram olim fuisse vrbem, quae postea splendorem veterem quadam ex parte amiserit; Tabula quippe, etsi itinera, secundum veterem constitutionem, isthuc deriuat, nulla tamen insignia loco tribuit; nisi scribarum errore factum putes, qui *Parisios* quoque populum Veteribus Belgicae, loco alieno, admouerunt. Ammianus castellum vocat: A Belgis eamdem gentem (Celtarum) Matrona discernit, et Sequana, amnes magnitudinis geminae, qui, fluentes per Lugdunensem, post circumclusum ambitu insulari Parisiorum castellum, Lutetiam nomine, consociatim meantes, protinus prope castra Constantia funduntur in mare." (e) Cellarius

(a) L. III. B. G. c. 3. (b) L. VII. c. 57. (c) L. IV. p. 194. (d) CCCLXXI. 8.
(e) L. XV. c. 27.

heic *Luteciam* legit; editio Ernesti Lipsiensis, *Lutetiam.* Quod idem geographus, relatis veterum, Caesaris et Strabonis, de vrbe locis, aiebat, Lutetiam tunc temporis nondum ad vrbis magnitudinem excreuisse, intra oppidi mediocritatem contentam; id de posteriori aetate rectius dicturus erat, praeter Tabulam, ipso Ammiano teste. Postea Lutetiae nomen euiluit, nuncupatione populi obtinente; Notitia Senoniae, *ciuitas Parisiorum.* Iulianus, *τὴν Παρισίων πολίχνην*, *Parisiorum oppidulum*, inter laudes, vocat. (a) Zosimus *Parisium* dixit, vt Ptolemaeus Erasmi: *Ἰουλιανοῦ ἐν τῷ Παρισίῳ διατρίβοντος, Iuliano Parisii commorante*, quod esse *πολίχνιον*, *oppidulum*, inquit. (b) Danuilleo, *Lutecia postea Parisii*, XXIV M. P. a ponte Isarae, flexu facto per Sequanae ripam; nam, ductu recto, in exortum hibernum, sunt M. P. XX. Hodie PARIS vrbi nomen, sedi regiae, et metropoli Galliarum.

IV. Ab Lutetia iter aliud est in austrum, Genabum versus, quod postea lustrabimus; aliud in exortum hibernum, quod sic in Tabula, et Hodoeporico procedit:

Meteglo. XVII. sic Velss. Hodoeporicon, *Mecleto.* XVIII. Simlerus, vel *Metheto*, *Medeto*, *Metiosedum*; Surita, *Methetum*; in Neapolitano, *Medeto*; in Parisino, *Mecleto.* Gregorio Turonensi, *Mecledonense castrum*, et *Mecledonensis* episcopus; (c) *Mecledone* episcopum ordinare, in epistola Leonis Senonensis ad Childebertum regem. Vrbi *Melun*, dextra Sequanae ripa, conuenire mansionem, par est geographorum sententia; quamquam ductu mathematico quinque mill. geogr. dirimuntur; vt vetus Melodunum Lutetiae nonnihil propius fuisse videatur, quam hodie *Melun* consistat, sequente etiam mansione non obscure indicante. Danuilleo, *Melodunum quod et Metiosedum*, XXVIII M. P. in exortum hibernum, dextra Sequanae, ad confluentem riui cuiuspiam, situ oppidi *Melun.*

Condate. XV. sic Velss. Hodoeporicon, *Condate.* XV. Fuisse ad confluentem Sequanae et Ionnae, Valesium secutus, ait Wesselingius, vbi hodie *Monstereau Fautyonne*, chartis *Montereau Font Yonne*, dextra Sequanae, ex aduerso effluentis Ionnae, aliis laeua vtriusque amnis. Danuilleo, *Condate*, XX M. P. in eamdem plagam, imposita confluenti. In charta Europae non sunt integra tria mill. geogr. *Melun* inter et *Montreau*, vt, quod dicebamus, Melodunum olim propius Parisios fuisse arbitrere.

Riobe. XVIII. sic Velss. Hodoeporicon, *Agredicum.* XIII. Simlerus, in Schudii exemplari, *Agendicum* reperit: Suritae, *Agedincum*, qui in MSS. et Longoliano *Agredicum* esse ait; idem Wesselingius perhibet; tamen, exemplo Suritae, quem Cellarius idcirco reprehendit, propendet in lectionem *Agedinco*, motus auctoritate Caesaris, qui *Agedinci* meminerit, (d) et Tabulae,

---

(a) Misopog. p. 340. (b) L. III. c. 9. (c) L. VI. c. 31. (d) L. VII. B. G. extr. VII. 2. 11.

in qua *Agetincum.* Habet quidem Tabula *Agetineo*, id eſt, *Agetinco*, ſed itinere alio, ab Aquis Segeſte Auguſtobonam, a manſione Riobe, de qua nobis ſermo, XXVI M. P. remotum. Verum, eo loci, Tabula, imperitia ſcribarum, vitium paſſa videtur. Diſpiciemus itinere alio. Danuille, vt ſaluaret vtrumque, cum Riobe in boream abiit, pro auſtro, heic *Agedincum poſtea Senones*, XXIV M. P. in exortum hibernum, dextra Sequanae, ad confluentem riui, ſitu oppidi *Sens* ponens. Recte id quidem, ſi Hodoeporici et monumentorum ratio habeatur, non item Tabulae. Agredicum interea oppido *Sens*, expoſcente Hodoeporici menſura, reſpondere ſupponamus, dum alio itinere iſthuc adpulerimus. Danuillei *Riobe* conſiſtit inter Calagum et Condate, ab hac XVIII M. P. in boream paullisper ortiuum, ſitu vici *Reſoy*.

Tabula a Riobe vias notat plures, in auſtrum Agetincum, in boream Biben et Calagum, in exortum Auguſtobonam verſus; ſed numeris, incuria ſcribarum, eximiſſis, et viis turbatis. De hoc poſtea videbimus. Hodoeporicon ab Agredico habet *Clanum.* XVII. Monet Surita, Clanum eſſe aliud in Salyis Galliae Narbonenſis, quod longe diſtet ab itinere iſto; de ſitu nec ipſe quidquam, nec Weſſelingius. Danuilleo, *Clanum*, XVII M. P. in exortum, dextra amnis recentis, ſitu vici *Villeneuve l' Acheveque*, Ortellio *Villeneuue l' eueſque.*

Aug. Bona. absque numero; inſignia vrbis. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Auguſtobona.* XVI. Ptolemaeo, ſub Pariſiis, *Τρικάσιοι, καὶ πόλις Αὐγουστόμανα*, *Tricaſii, et vrbs Auguſtomana;* ſic editio Eraſmi, prout etiam Surita legit; Palatinus MS. *Αὐγουστόβανα*, *Auguſtobana*, Coiſlianus *Αὐτουστόβανα*, *Autuſtobana;* Schotto, populus *Τριккάσιοι*, *Triccaſii*, vrbs *Αὐγουστοβόνα*, *Auguſtobona;* Mannert quoque in Vlmenſi legit *Auguſtobona;* Italus: *Sotto coſtoro ſono i Tricaſii, la cui città è Auguſtobona;* in textu, errore typi, *Anguſtobona;* quod in indice corrigitur. Poſteriores populi vocabulo vſi; Notitiae Galliarum in Senonia, *ciuitas Tricaſſium;* Sidonio Apollinari, *Tricaſſibus*, oblique. Hodoeporicon, itinere Mediolanenſi, a Vienna Durocortorum, *Tricaſis.* XXII. ab Eburobrica, XII ab Arciaca. Surita *Tricaſes* format, more ſuo, Hodoeporici, ex alio itinere, oblitus. Ammianus *Tricaſſas*, populum *Tricaſſinos* dixit. (a) Poſtea, voce corrupta, *Trecae*, *Treci*, ac demum *Troyes*, exortum, quod vſurpatur hodie. Danuilleo, *Auguſtobona poſtea Tricaſſes*, XXIII M. P. in exortum paullisper aeſtiuum, laeua Sequanae, ex aduerſo confluentis riui, ſitu oppidi *Troyes.*

V. Eſt in Tabula iter ab Caeſaromago per Meldos Auguſtobonam, quod in Hodoeporico deſideratur. *Caſaromago* (ſic ibi audit) *Aug. Magus.*

(a) L. XVI. c. 2.

XXII. de quibus in Belgica dictum, vbi Caeſaromagum *Beauvais*, Auguſtomagum *Senlis*, oppida, exemplo aliorum, interpretati ſumus. Sequitur

Fixtuinum. XVI. Velſ. *Fixtuinum.* XVI. Numeri ad vrbem *Meaux*, dextra Matronae ripa, adcurate pertingunt; vbi Danuilleo *Iatinum poſtea Meldi.* Caeſar, *naues, quae in Meldis factae erant.* (a) Plinius: *Meldi liberi, Pariſii, Trecaſſes.* (b) Ptolemaeo, ab Seguſianis, magis orientales *Μέλδαι, καὶ πόλις Ἰάτιον, Meldae, et vrbs Iatium.* Tabula *Fixtuinum* vocat, militari forſan vſu; idem cum Iatio eſſe, vidit etiam Mannert. Serius populi nuncupatio, vt alias, inualuit; Notitia Senoniae Lugdunenſis, *ciuitas Meldorum;* inde, pro linguae Gallicae natura, *Meaux* exortum. Danuilleo, *Iatinum poſtea Meldi*, XXIII. ab Auguſtomago in exortum hibernum, ripa *Marne* amnis dextra, a Pariſiis in exortum aeſtiuum M. P. XXVIII. quo ſpatio via non ſignatur.

Calagum. XII. ſic Velſ. Hodoeporici Clanum, itinere alio poſitum, iſthuc referri nequit; vt e proſecutione itineris pateſcet Eo fere ſitu, quem numeri poſcunt, eſt oppidulum *S. Fiacre* in Ortelianis; Danuilleo, *Calagum*, XVIII M. P. in exortum hibernum, binos inter amnes, Matronam petentes, ſitu vici *Colomiers*, auſtrali fluuio adhaerentis.

Bibe. XXXI. ſic Velſ. Danuille cum hac manſione Durocortorum verſus abit, directione contraria: cum iter ſit in auſtrum, Auguſtobonam verſus; ab Calago autem Rioben admodum vicinam ponit. Eſt quidem in Tabula ductus viae, ab Calago Rioben, ſed absque numero. Secundum rationes noſtras fuit nouem mill. geogr. ſeu M. P. XLV. paullo ſcilicet breuior, quam ſit altera per Biben, M. P. LIII. *Bibe*, iuxta numeros, in oppidum *Provins*, ripa recentis *Moran* fluuii ſiniſtra, apud Ortelium, adcurate incidit, vt id interuallum in charta Europae ſignatur. Danuilleo, *Bibe*, XXII M. P. ab Durocortoro in auſtrum nonnihil occiduum, ſitu vici *Monmaur*, extra viam noſtram.

Riobe. XXII. ſic Velſ. vbi viae confuſae Danuilleum turbarint, vt, Bibe longe in boream reiecta, Rioben ad XV ab Calago lapidem ſtatueret, itinere Tabulae conuerſo. Interuallum XXII M. P. a *Provins* ad oppidum *Sens* eſt adcuratum; de quo itinere priori dictum, et alio opportunius repetetur. Diſtantia, quae a Riobe Auguſtobonam eſt, numeris in Tabula ſcribae incuria exmiſſis, ex itinere Hodoeporici, ab Agredico Auguſtobonam, M. P. XXXIII peti poſſent, ſed in Tabula quoque veſtigia quaedam ſuperſunt, vt alio dicemus loco. Nunc in occaſum redire libet.

VI. Tabula exhibet viam a Rotomago per Mediolanum Autricum, quae partem ab Hodoeporico quoque tenetur; in ea, itinere a Rotomago Lu-

---

(a) L. V. B. G. c. 5. (b) L. III. c. 32.

titiam, eſt manſio *Vggade.* IX. cui Weſſelingius putat reſpondere *Pont de Larche*, chartis *Pont de l' Arche*, in parallelo *Elbeuf* oppidi, quod eius dignitatem obtinet, laeua Sequanae et *Ilon* confluentium; Danuilleo, *Vggade*, XIII M. P. a Rotomago in auſtrum paullisper ortiuum, ſitu Pontis memorati. Tabula in occaſum hibernum deflexit, Nouiomagum verſus, ad manſionem,

Breuodurо. XX. ſic Velſ. De oppido ſuperius, itinere primo, dictum. Eſt amnis *Rille*, inter *Elbeuf* et *Liſieux* currens, cuius ripa laeua oppidum *Pont Audemer*, ad quem numeri pertingunt, vbi et Danuille *Breuiodorum* ſignat, XXX M. P. a Rotomago in occaſum hibernum. Hodoeporicon, itinere a Iuliobona Durocaſis, *Breuiodorum.* XVII. *Nouiomago.* XVII. Tabula hunc locum non habet, ſed, eo in occaſum miſſo, recta Mediolanum, in exortum hibernum, tendit. De ſitu Nouiomagi nihil adſeuerare audet Weſſelingius; Cellarius, Ptolemaeo, cui *Νοιόμαγος, Noeomagus*, in Lexubiis, et Hodoeporico recte vſus, inſuper Galliae Notitia, in qua *ciuitas Lexouiorum* vrbem *Liſieux* tuto interpretatur; quem Danuille ſecutus, *Nouiomagus poſtea Lexouii*, ſiniſtra amnis, ex aduerſo confluentis riui, XX M. P. a priore, ſignat; chartae dextra amnis, in confluente, exhibent, vt et ipſe geographus in quibusdam tabulis notat. Mannert, vocabulo Leugarum deceptus, *Caen* vrbem, ad XXII inde lapidem in occaſum remotam, inuitis viarum praeſidibus terminis, Nouiomagum interpretatur.

Mediolano aulercorum. XX. inſignia municipii. ſic Velſ. via non rite expreſſa. Numerus, medio poſitus, vtrobique intelligitur; quod compendii gratia ab auctore Tabulae factum. Hodoeporicon, itinere a Rotomago Lutitiam, *Mediolano Alercorum.* XIIII. ab Vggade. Habet iter ſingulare, a Iuliobona Mediolanum M. P. XXXIIII. Pariſinus auget, LXXXVIII. pro XXXVIII. vt in Tabula; quod Weſſelingius non obſeruat. Aulercos in tria genera fuiſſe diuiſos, in populis monebamus; hi Caeſari *Aulerci Eburouices* dicuntur; (a) Ptolemaeo Aulircii Eburaici, *ὧν πόλις Μεδιολάνιον*, *quorum vrbs Mediolanium;* ſic Eraſmi, Schotti, et Itala editio; tamen Mannertus e Ptolemaeo *Mediolanum* legit. Ammiano, Secundam Lugdunenſem Rothomagi, et Taurini, Mediolanum oſtendunt, et Tricaſſini." (b) Notitia Galliae, *ciuitas Ebroicorum*, aut *Ebroicas;* vnde hodierna nuncupatio *Evreux* oppidi; Danuilleo, *Mediolanum poſtea Eburouices*, XX ab Vggade in auſtrum, XLII a Nouiomago in exortum, qua tamen via non proceſſit, niſi per Condate, quae ſequitur.

Condate. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Iuliobona Durocaſis, *Condate.* XXIIII. a Nouiomago; quae eſt diſtantia Mediolani a Nouiomago, qua hoc Tabulae iter omnino progreſſum videtur; vt denarium excidiſſe putes; ſunt enim ſex mill. geogr. cum quatuor quintis, eo interuallo. Weſſelingius

(a) L. V. B. G. c. 34. (b) L. XV. c. 11.

Condé, circa ripam amnis *Honi*, interpretatur; Danuilleo, *Condate*, XVII a Mediolano in auſtrum nonnihil occiduum, XLII a Nouiomago in exortum paullisper hibernum, amnis *Ilon* ſiniſtra, ſitu vici *Damville*. Manſio haec longe diuerſa eſt ab Condate, itinere a Lutetia Auguſtobonam; plura enim huius vocabuli loca in hac prouincia cenſentur, quod veteri Celtarum ſermone confluentem ſignificare aiunt.

Durocaſſio. X. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Durocaſis.* X. itinere a Rotomago Lutitiam, *Durocaſis.* XVII. a Mediolano; quod exiguum eſt; rectius Cuſani codex M. P. XXII. quem numerum Tabula probat. Sunt lapides apud Gudium ex Ligorio bini, in quorum altero, T. Auidio Bloſſo, DVROCASES veterano, ex cohorte VII. altero, L. Longino Macero, DVROCAS. praefecto praetor. forſan adparitori; videtur enim quidpiam deeſſe; niſi ſcriptum erat PRAEF. COH. PRAET. Poſtea *Durocaſinum caſtrum*, *Durocasque*, dixerunt, vnde *Dreux* ortum. Danuilleo, *Durocaſſes*, a Mediolano XX. ab Condate XXII in exortum hibernum, ſitu oppidi *Dreux*, in confluente duorum amnium, *Ilon* fluuium petentium, ripa Honi laeua.

Inde Hodoeporicon in exortum, Lutetiam, Tabula in auſtrum, Autricum, abeunt. In Hodoeporico, intermedia manſio, *Dioduro.* XXII. deinde *Lutitia.* XV. in quibusdam editis *Diuduro;* Weſſelingius, alibi eam non inuenit; menſura ad quintum ab oppido *Verſailles* lapidem pertingit; Danuilleo, *Diuodurus*, inter Durocaſſes et Lutetiam, hinc XXII. inde XXVIII M. P. interuallo, ſitu vici *Chevreuſe*, dextra amnis, Sequanam ab auſtro petentis, prope fontem, ripa. In Tabula ab Durocaſſio venit

Mitricum. XIII. inſignia municipii; ſcheda, *Muricū.* 13. Haec et Velſeri editio exhibet, absque vrbis nomine, cum x modo conſpicuo. Inde factum, vt hoc in Tabula vocabulum omni geographiae manſerit ignotum; Mannerto etiam, qui Scheibiana editione vſus eſt, praeteritum. Erat oppidum in *Carnutis*, vt eos Plinius vocat; Caeſari ſunt *Carnutes;* Plutarcho Καρνουτῖνοι, *Carnutini;* Ptolemaeo Καρνοῦται, *Carnutae;* Schottus Καρνῶνται, *Carnontae*, dedit; apud Eraſmum, Παρὰ δὲ τὸν Σηκοάναν, Καρνοῦται, καὶ πόλις Αὔτρικον, *Iuxta Sequanam Carnutae, et vrbs Autricum.* Id iam Velſerus eſt ſuſpicatus, qui in ſcheda *Auricum* legi oportere cenſebat, pro Autrico Ptolemaei. Magno, apud Cellarium, *Carnotenus Autricum.* Populi vocabulum poſterius obtinuit; Notitia Senoniae Lugdunenſis, *ciuitas Carnotum.* Sulpitio Seuero, *Carnotena ciuitas.* (a) Nolano, de vita Martini: Carnotena iacent patulis qua moenia campis.“ (b) Notitia imperii, praefectus Laetorum Teutonicianorum, *Carnuto Senoniae Lugdunenſis.* Danuilleo, *Autricum poſtea Carnutes*, XXIII M. P. a Durocaſſibus in auſtrum paullisper ortiuum, laeua amnis memorati Honi recentis, in flexu boreali, ſitu oppidi *Chartres.*

(a) Dialogo III. c. 2. (b) L. IV. v. 255.

VII. Occaſum inde repetere libet. Eſt in Tabula iter ab Vnellis, qui ſunt in peninſula ad Oceanum, quod per plures manſiones Mitricum ducit, ſed numeris, loco duplici, incuria ſcribarum, exmiſſis; quos ex Hodoeporico, quod ea non progreditur, reſtituere non licet. Conabimur hiatum aliunde ſarcire, quantum rerum adiuncta patientur. Principium itineris eſt

Alauna. absque nota numerali; ſcheda prior *Alama.* poſterior *Alauna.* Velſ. *Alauna.* Habet Hodoeporicon iter ſingulare ab Alauna Condate; ſed illud in auſtrum, cum alio Tabulae itinere, vadit; noſtrum hoc in exortum progreditur. Cellarius, hoc loco, *Alaunium* legit; Weſſelingius in editis ſcriptisque *Alauna* legi perhibet, opinatus, diuerſam a Tabulae Alauna eſſe, aut certe ordinem in hac perturbatum. Danuille, auſtrali ora inſulae, ex aduerſo *Valogne* oppidi, circiter Ortelii *Giraul*, Homannianae *Carteret*, portum fortaſſe, notant, Alaunam ſignat, XXVI M. P. ab Crociatono; *Valogne*, in occaſum paulliſper hibernum. Mannert, cognatione vocabuli ductus, ipſum *Valogne* oppidum eſſe ait; cuius opinioni viae ratio fauere videtur. Fuerit locus hoc tractu praecipuus, a quo ad portus vicinos viae ducebant; eſt enim in mediterraneo, cum *Cherbourg* et *Barfleur*, oppidis maritimis, triangulum efficiens.

Croneiaconnum. VII. ſcheda prior, *Corucia connū.* 7. poſterior, *Croucia connum.* VII. ſic et Velſ. Mannert, cum ex Tabula legit *Crouciaconnum*, oſtendit, ſe Scheibii editionem non inſpexiſſe. Velſerus, Crociatonum Ptolemaei, recte cenſet; non item *Caracotino* Antonini, quod apud aeſtuarium Sequanae omiſimus. Ptolemaeus Eraſmi, *Κροκιατωνῶν Οὐενελῶν*, *Crociatonorum Venelorum;* Cellarius, ex Palatino codice, *Κροκιατονὸν*, *Crociatonum*, legit; ſic Italus quoque, *Crociatono;* Schotti liber, *Βυενέλλων Κρουκιάτοννον*, *Byenellorum Cruciatonnum.* Italus, *Grauille* interpretatur; quod ſit *Giraul* Ortelii, de quo ſuperius dictum. Cruciaconnum erat prope aeſtuarium *Vire* amnis, ab occaſu, vbi *Carentan* oppidum, Mannerto recte ſentiente; in Ortelianis *Quartan.* Danuilleo, *Crociatonum*, ſitu oppidi *Valogne.* Numerus Tabulae VII etiam ad *Cherbourg* et *Barfleur*, oppida maritima, ſpectarit, cum ſit par vtrimque diſtantia.

Auguſtoduro. XXI. ſcheda poſterior *Auguſtuduro;* Velſ. *Auguſto duro.* XXI. Manſionem hanc *παῖδες* geographorum praetereunt. Danuilleo, *Auguſtodurus*, amni *Vire* impoſita, prope oſtium, ſitu oppidi *Carentan* fortaſſe, XXIV M. P. ab Crociatono in exortum hibernum; numeri ducunt ad viciniam oppidi *Baieux*, laeua amnis alterius, prope exitum, vbi Danuillei *Baiocaſſes*, recte quidem, ſed ab Aris diſtinquendi; in Galliae Notitia, *ciuitas Baiocaſſium*, alias *Vadicaſſes*, *Viducaſſes;* Notitia imperii, praefectus Laetorum Batauorum, et Gentilium Sueuorum, *Baiocas*, et Conſtantiae Lugdunenſis ſecundae.

Araegenue. XXIIII. inſignia municipii; ſcheda prior, *araegenue.* 24. poſterior, *Arargenue.* XXIIII. Velſ. *Araegenue.* XXIIII. Danuille, *Araegenus poſt Baiocaſſes*, eo ſitu, quo Auguſtodurum conſtituimus, XX M. P. a priore, in

exortum. *Baiocaſſes* Notitiae Galliae medii aeui, qui Plinio *Bodiocaſſes*, alias *Vadicaſſes*, *Viducaſſes;* quorum aiunt Ptolemaeum non meminiſſe; ſunt ipſi, poſt Venelos, Βιδουκέσιοι, *Biducesii*, Schotti edito, Οὐιδουκέσιοι, *Viducesii;* ſuperius dixit: Τήτου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ἀργένους Βιδουκεσίων, *Teti amnis oſtia*, *Argenus Biduceſiorum;* Schotti libro, Βιδουκασίων Ἀρηγενοῦα, fl. oſtia; Valeſius, apud Cellarium, ex quodam codice legit, ὧν πόλις Ἀργένους, *quorum vrbs Argenus.* Schotti lectio *Aregenua* cum Tabulae vocabulo conuenit. Forſan fluuius vrbi cognominis erat, quem iuniores Olinam vocant, qui hodie *Orne.* Mannerto, Olina eſt *Vire*, et forſan rectius; vt *Orne* ſit *Argenes.* Notitia Galliae, *ciuitas Baiocaſſium*, quam nonnulli huc referunt, ad Auguſtodurum, quod neglexerunt, ſpectat, vti ſuperius dictum. *Aregenua*, princeps olim Viducaſſium oppidum, numeris Tabulae poſcentibus, reſpondet vrbi *Caen*, laeua *Orne* fluuii ripa, non longe ab oſtio; Danuille, *Viducaſſes* locum adpellat, populi nomine, ſine vade, xx M. P. a priore in exortum hibernum, laeua *Orne* ripa, ab ora iuſto remotius. Mannert, Nouiomagum Lexouiorum iſthuc transtulit, inuitis Ptolemaeo, et Tabula, et Hodoeporico.

NVDIONNVM. absque numero; inſignia vrbis; ſcheda prior, *Nudionnū.* Velſ. *Nudionnum.* Ptolemaeus, Venelis memoratis, In mediterraneo, inquit, magis orientales Venetis, Αὐλίρκιοι Διαυλῖται, ὧν πόλις Νοιόδουνον, *Aulircii Diaulitae*, *quorum vrbs Noeodunum;* Schotti edito, Αὐλίργιοι Διαβλῖται, *Aulirgii Diablitae*, quorum vrbs Νοιόδουννον, *Noeodunnum;* Italus, *Aulircii Diaboliti et la città loro è Neoduno.* In dubium vertunt geographi, vbi hi Diablintae conſtitui debeant. Caeſari, *Diablintes;* Plinio, *Diablindi*, Rhedonibus finitimi. (a) Danuilleo, *Diablintes*, ad Meduanam, *Mayenne*, recentem, in prouincia hodie *le Maine* dicta; qui praeterea e diplomate quodam arguit, prope oppidum *Maienne*, ab exortu eſſe locum *Iubleins*, qui in charta veteri *Iublent* dicatur, vbi olim Nouiodunum ſteterit; in tabula, *Noeodunum poſtea Diablintes*, LXV M. P. ab *Caen* in auſtrum, notat. Weſſelingius, ad hoc iter, (b) Diablintes poſtea in pago Cenomanico, ex actis Pontif. apud Mabillonium, colligi ait, vbi, *oppidum Diablentis*, *iuxta ripam Aroënae fluuioli*, dicitur. Quae ſi bene habent, in Tabula deſiderabitur numerus LXV. ſecundum rationes Danuillei; totidem fere etiam in charta Europae recentiori intercedunt.

Sub dinnum. absque numero; inſignia municipii; ſcheda exmiſit. Velſ. *Subdinnum.* Ptolemaeo, in Aulercis Cenomanis, Οὐΐνδινον, *Vindinum;* quae lectio eſt conſtans. Valeſius, apud Cellarium, putat *Suindinum* legi debere, auctoritate Tabulae; Mannert vtrumque. Tabula plerumque militarem loquendi modum ſequitur, Ptolemaeus Romanum, aut popularem. Iuniores, populi vocabulo, *Cenomanos* dixere. Notitia Galliae, *ciuitas Cenomanorum;* Gregorius

---

(a) L. IV. c. 32. (b) Pag. 386.

Turonenſis, *apud Cenomaniam ciuitatem;* in imperii Notitia, praefectus Laetorum Gentilium Sueuorum, *Cenomanos* Lugdunenſis tertiae. Nepotibus poſtremam ſyllabam retinere placuit, *le Mans*, vt hodie vrbs vocatur, laeua *Sarcre* fluminis ripa, in confluxu *Hulgne*, *Huigne* amnis; Danuilleo, *Suindinum poſtea Cenomani*, XL M. P. ab Noeoduno in exortum hibernum. Interuallum L M. P. quod vſque Mitricum eſt, in Tabula notatum, adcurate reſpondet ſitui, in Europae tabula; in Danuilleanis eſt iuſto amplior menſura, ad LXXV M. P. excurrens; vtitur enim numero Leugarum. Abeſt *Mans* a *Maienne* ſex mill. geogr. proinde XXX M. P. quae in Tabula deſiderentur.

Mitricum. Λ. ſcheda prior, *Muricū.* absque numero, inſignia tamen exprimit; Velſ. nomine et numero exmiſſis, vrbe ſignata. Mirum proinde, Danuilleum, qui e Tabula praeſidium habere nequiuit, de ſitu harum vrbium recte hariolari potuiſſe; nunc autem, L M. P. clare proſtantibus, Mitricum et Autricum vnam eſſe vrbem, hodie *le Mans*, nulli dubitamus.

VIII. Nunc alteram ab Alauna viam, auſtrum petentem, perſequamur. Incipit a vicinia Alaunae, loco maritimo *Giraule*, vt in Ortelianis vocatur, in Homannianis *Carteret*, inſtar portus, fere vbi Danuillei Alauna eſt, XVI M. P. a *Valogne* in occaſum, de qua itinere ſuperiore dictum; manſio itineris prima,

Coriallo. ductu viae intermiſſo; ſcheda prior *Corialle*, cum viae ductu a mari; poſterior, *Coriallo*, cum viae tractu. Velſ. *Coriallo.* cum via. Tractus viae a litore ad Coſediam, quem heic expreſſum videmus, in Scheibio deſideratur; numero tamen ſic poſito, vt eum ad Coſediam referri, non aegre perſpicias. Danuille a penitiſſimo Vnellorum angulo incipit, Coriallum circiter oppidum *Porbail* in Ortelianis, ad promontorium *Cap de la Hague*, ſtatuens, XV M. P. ab oppido maritimo *Giraule*, vbi Coriallum ponimus. Mannert in boreali peninſulae latere, prope litus, circiter oppidum *le Pieux*, quaeri oportere cenſet. Noſtrae opinioni et interualla et nomina locorum adſtipulantur. Falli autem Mannertum egregie, cum in Tabula Leugas pro M. P. heic accipi iubet, in decurſu itineris videbimus.

Coſedia. XXVIIII. inſignia municipii; ſcheda prior, *Coſedia.* 29. poſterior, *Coſebia.* XXIX. Velſ. *Coſedia.* XXVIIII. Velſerus haec loca e ſchedis recenſuiſſe, ſatis habuit, nulla obſeruatione adiuncta. Hodoeporicon, *Coſediae.* XX. ab Alauna. Simlero, *Coſedie*, vel *Coſedia;* Neapolitano, *Conſediae;* Cuſani codex, *Conſedie.* In ſitu terminando non conuenit geographis; Valeſio *Henbont*, Simlero *Cuſſiacum*, Brietio, apud Cellarium, *Coutance*, quae Ortelio *Conſtances.* Mannert, *Coutances* oppidum eſſe, procul dubio, inquit, Leugarum numeris poſcentibus, quas ego heic non agnoſco. Menſura Tabulae eſt ab *Giraule* ad *Coutances* adcuratiſſima; a *Valogne* autem ad *Coutances*, in charta Europae, cenſentur XXVII M. P. Leugas, quas Mannert heic venditat, accipi non poſſe, vel ex hoc loco videas; nam Leugae XXVII faciunt M. P. XL cum di-

midlo; Leugae xx faciunt M. P. xxx. vtrobique peccari, manifestum est. Vt nihil de Tabula dicam, quae hoc loco plura M. P. censere non potuit; quod in charta Europae, quam ego in rationibus astronomicis adcuratam experior, ab *Giraul* ad *Coutances* mill. geogr. sex numerantur. Quod si Leugas heic accipias, quae faciunt XLIII M. P. cum semisse, ad intimum peninsulae angulum, vbi Danuillei Coriallum, peruenies. Nihil proinde mirum, geographum hunc, cetera diligentem, a recta via non raro aberrasse. *Cosediam* postea *Constantiam* esse dictam, arguit vocabulum loci hodiernum, et Danuille Constantiam heic recte posuit; sed *Cossedia*, medio Alaunam inter et Constantiam spatio, ab hac XVII. ab illa XV M. P. non bene signata; cum idem fuerit locus. Ammiano, *Castra Constantia*, prope ostium Sequanae; (a) quod ea ratione sumi debet, qua apud Ptolemaeum, a Venetis in exortum Diablintes, cum vrbe Noeoduno; quae non mediocri a Venetis interuallo absunt; nisi Tetum pro Sequana, aut Olinam dicere voluit; certe *Seine* et *Sienne*, amnium vocabula, quorum hic praefluit Constantiam, sunt adfinia. Ad haec imperii Notitia, Constantiam Baiocassibus vicinam facit: praefectus Laetorum Batauorum et Gentilium Sueuorum, Baiocas et Constantiae Lugdunensis secundae." Mannertus in eo adhaerescit, quod Itineraria heic Constantiae non meminerunt; sed meminerunt Cosediae, quae postmodum Constantia est nuncupata. Antiquiora sunt haec monumenta aeuo Constantinorum; neque in iis omnia recentiora vocabula quaerere oportet. Quare ad aestuarium Sequanae, oppido *Harfleur*, alteri *le Havre* proximo, vbi Grauinum Tabulae posuimus, Constantiae, vt Mannerto videbatur, locus esse nequit.

IX. Legedia. XIX. sic scheda prior; altera, *Lesedia.* XIX. Vess. *Legedia.* XIX. Tacent mansionem hanc geographorum παῖδες. Danuille, Constantia ad latus viae posita, ad quintum inferius lapidem *Legediam*, interposito Fano Martis, statuit; quae omnem itinerum rationem turbat. Quam ob rem Mannert mire fluctuat, nec quidquam, praeter negationes, adfert. Mensura Tabulae exposcit vrbem *Avranches;* cuius situ Danuille, *Ingena post Abrincatui*, laeua Teti, *Sée*, amnis ripa, prope ostium, XXVII M. P. ab Constantia in austrum nonnihil ortiuum, statuit. Hoc adposite; modo Legediam ab Ingena non abstraxisset. Mannert impossibile esse ait, vt Ingena Ptolemaei sit *Avranches.* Videamus. Ptolemaeus, Aulercis, Cenomanis, et Namnitibus memoratis, *εἶτα μέχρι τοῦ Σηκοάνα ποταμοῦ, Ἀβριγκατοῦοι, καὶ πόλις Ἴγγενα, Inde ad Sequanam vsque fluuium Abrincatui, et ciuitas Ingena;* Schotti libro, *Ἀβρινκάτουοι, Ἰνγένα*, Italo *Abricatui*, *Ingena.* Verum quidem est, secundum positionem Cosmographi, Ingenam cum Abricatuis propius Sequanam cadere; sed Cenomanorum et Namnitium, supra quos, Sequanam versus, Abrincatui cum Ingena ponun-

(a) L. XV. c. 11.

tur, obliuiſci non debemus. Ad haec Plinius Abrincatuos Venetis et Oſiſmiis coniungit; vt eos ad Sequanam reiicere non oporteat. Haec cum iam Cellarius egregie monſtrarit, nihil eſt, cur fluctuationi Mannerti immoremur. Poſterius nomen populi, vt alias, vrbi inditum; Notitia imperii, praefectus militum Dalmatarum, *Abrincatis;* quod Cellarius femineo genere vult legi, vt recto ſit *Abrincatae.* Hodie regio haec ad Oceanum, *Normandie* vocatur, plaga vero circa vrbem, quam Abrincatui tenuere, in Ortelianis *Conſtantin*, Homannianis *Avranchin*, audit.

Condate. x^{l}vIIII. inſignia vrbis; ſcheda prior, *Condate.* 48. poſterior, *Condate.* XLIX. Velſ. *Condate.* xlvIIII. Hodoeporicon, interiectis duabus manſionibus, quas poſtea examinabimus, *Condate.* LXXXVIII. ab Coſedia. Ptolemaeus, ſub Aulercis Eburaicis, iuxta Ligerim, *παρὰ μὲν τὸν Λίγειρα ποταμὸν, Ῥήδονες, ὧν πόλις Κόνδατε*, *Iuxta Ligirim amnem Rhedones*, *quorum ciuitas Condate;* Schotti edito, *Ῥηῆδονες, κόνδατε*, *Rheedones*, *Condate;* Italo *Condata.* Caeſari (a) et Plinio (b) populus *Rhedones;* quod nomen poſtea vrbi adhaeſit. Notitia ciuitatum Galliae, *ciuitas Redonum;* Notitia imperii, praefectus Laetorum Francorum, *Redonas.* Danuilleo, *Condate* poſtea *Redones*, XLVIII M. P. ab Ingena in auſtrum paulliſper occiduum, dextra Herii, *Vilaine*, amnis, in confluxu alterius, a borea decurrentis, ſitu vrbis *Rennes.* In charta Europae, ductu mathematico, ſunt mill. geogr. ſeptem, cum exceſſu quodam; ſed ab *Avranches* vrbe, apud aeſtuarium *S. Michael*, circuitus fiebat, quem, inflexo viae ductu, Tabula adcurate ſignat. Mannert, cum Leugas videret iuſto amplius exigere ſpatium, miros viae flexus ſibi imaginatur; neque tamen certi quidquam definit.

X. Aliam ſignat viam Tabula, priore nonnihil breuiorem; incipit ab oppido maritimo *Granville*, Ortelianis *Genes*, vrbeque *Avranches* ad laeuam relicta, cum Hodoeporico vadit ad Fanum Martis, hodie *M. S. Michel*, Ortelio, *le mont S. Michel.* Principium itineris eſt

Regmea. absque nota numerali; ſic ſcheda prior; altera *Reginca.* Velſ. *Reginea.* Danuille, viis diſtractis, partim confuſis, hoc ſitu Grannonum ſtatuit: *Reginea* ſinus parte aduerſa, ſupra oppidum *S. Brieu*, poſita; quem ex parte ſequitur Mannert. Nos interuallorum, et viae ductus, habita ratione, *Regineam* oppido *Genes* adplicamus, cognatione vocum fauente. Hodoeporicon, ab Conſtantia, quae a mari nonnihil recedit, praeterita hac manſione dextrorſum, et oppido Legedia ſiniſtrorſum, Fanum Martis, intimo ſinu poſitum, cum Tabula petiit.

Fanomartis. XIIII. ſcheda prior, *Fanomartſ.* 14. altera vocem exmiſit, numero XIIII expreſſo. Velſ. *Fanomartis.* XIIII. Hodoeporicon, *Fano Martis.*

(a) L. VII. c. 75. (b) L. IV. c. 32.

XXXII. ab Cofedia. Vtraque menfura Fano S. Michaelis rite refpondet. Danuille hoc fitu *Fines* ftatuit; rectius Fanum Martis pofiturus. Valefius, in Galliae Notitia, *le Temple*, interpretatur; quod his locis non comparet; Mannert circa oppidum *Dol* verfatur, nihil certi conftituens.

Inde Hodoeporicon laeuorfum deflectit ad oppidum *Vitrei*, finiftra exorientis *Vilaine* ripa fitum, Ortelio *Vitrun*, alteri amni non recte adftitutum. Huic loco refpondet manfio *Ad Fines*. XXVII. a Fano Martis. Heic concurrunt limites prouinciarum, *Bretagne*, *Normandie*, *le Maine*, et *Anjou*.

Condate. XXV. fic fcheda prior, et Velf. Hodoeporicon, *Condate*. XXIX. a manfione *Ad Fines*. Vtrimque interuallum bene habet; *Rennes* quippe cum *Vitrei* et *M. S. Michel*, fere triangulum aequilaterum efficit, vt haec loca in Europae charta fignantur. Danuille, et cum eo Mannert, in alia abiere. Condate vrbem itinere priore memorauimus.

XI. Habet iter quoddam longius Tabula ab Condate Lutetiam, per Iuliomagum et Cenabum vrbes; in Hodoeporico iter hoc defideratur; vnde factum, vt ab geographis iunioribus negligeretur. Ab Condate occurrit manfio,

Sipia. XVI. fic fchedae et Velf. Danuilleo, *Sipia*, ripa amnis, ab exortu Herium, *Vilaine*, petentis dextra, XX M. P. ab Condate in exortum hibernum, agro vici *Chateau Giron*. A Sipia Tabulae auctor traiicit fluuium, qui nomen Ligeris fert, fed minor ille, quem dicebamus, heic intelligitur; vno quippe alueo fluminum nobiliorum ceteros, qui hinc et inde accedunt, Tabula, compendium fecuta, deducit.

Conbariftum. XVI. fic fcheda prior, miffo numero, pofterior etiam loco. Velf. *Combariftum*. XVI. Danuille, *Combariftum*, XXV M. P. in exortum hibernum, ad fluuiolum, Meduanam, *Mayenne*, ab occafu petentem, fitu oppiduli *Chateau Briant*, Ortelio *Chafteau briant*, Schotto *Chafteau bried*, quod in Homannianis fonti amnis Herium ab exortu influentis adponitur.

Iuliomago. XVI. infignia vrbis; fic fcheda prior et Velf. Manfionem praecedentem et hoc oppidum Velferus in Aquitania recenfet, nihil fingulare addens. Ptolemaeus in Andegauis memorat Iuliomagum; Caefar Andes vocat: *in Carnutes*, *Andes*, *Turones;* (a) Plinius, *Andegauos;* (b) Tacitus, *Andecauos*. (c) Ptolemaei quoque libri variant; apud Erafmum, Samnitis magis feptemtrionales, inquit, *'Ονδικαιοῦαι, ὧν πόλις Ἰουλιόμαγος, Ondicaeuae, quorum ciuitas Iuliomagus;* Schotti edito, *Ἀνδίκανοι*, *Andicani*, pro *Ἀνδίκανοι*, *Andicaui;* etiam Italo *Andicani;* Cellarius e Cofmographo *Ονδικᾶουαι* legit, monens *Ἀνδικᾶναι* legi debere. In vrbis nuncupatione conueniunt libri; poftea nomen populi, vt alias, vrbi adhaefit; Notitia Lugdunenfis tertiae, *ciuitas Andicauorum;* Gregorius Turonenfis *Andegauos* fimpliciter adpellat; et oblique, *de*

(a) L. II. extr. VII. 75. (b) L. IV. c. 32. (c) L. IV. Annal. c. 18.

Andegauo\ Magno, *Andicauus*, *Iuliomagum*. Hodie *Angers*, infra *Mame*, *Sarcre*, et *Ioir*, amnium, vt eos Ortelius vocat, confluxum, in Homannianis, *Mayenne*, *Huigne*, *Loir*, audiunt; Schotto, *Angiers*, ſub *Mame* et *Sarre* coitu; Danuilleo, *Iuliomagus poſtea Andecaui*, XXXII M. P. a priore, in eamdem plagam, laeua amnis, paullo ſupra exitum in Ligerim, chartae dextra ſtatuunt. Inde, Caeſaromagum verſus, eſt manſio,

Robrica. XVII. ſic Velſ. Danuille ducit viam boreali Ligeris regione, *Robrica* ad fluuium quemdam, Ligeri parallelum, ripa dextra, XXII M. P. a Iuliomago in exortum paulliſper auſtralem, ſitu vici *Beaufort*, collocata; interuallo Tabulae reſpondet vrbs *Saumur*, ad Ligerim. Si Caeſaromagi poſitum *Tours* obtinet; probabile videri, heic Tabulam transiſſe, quod ſuperius, ob conſtructionem operis, notarat eius auctor.

XII. **Caſarobuno.** XXVIII. ſic Velſ. Ptolemaeo, in Turonis, Caeſarodunum; populus Caeſari *Turones* et *Turoni;* (a) Lucanus *Turonos inſtabiles* vocat. (b) Ammiano, Secundam Lugdunenſem Rothomagi, et Turini, Mediolanum oſtendunt, et Tricaſſini." (c) Ptolemaeus Eraſmi, ſub Tricaſſiis, iuxta Ligerim, *Τουρόυπιοι, καὶ πόλις ἀυτῶν*, *Καισαρόδουνον*, *Turupii*, *et vrbs eorum Caeſarodunum;* Schotti libro, *Τουρόυπϊοι*, *Καισαράδουνον*, *Turupii*, *Caeſaradunum;* Turupii ſunt etiam Italo, ſed vrbs *Ceſaroduno*, dialecto Itala, latine *Caeſarodunum*. Hanc populi apud Ptolemaeum lectionem Cellarius non aduertit; Mannerto *Turupii* et *Turpii*, quem calami errorem vocat. Poterant ii ſic adpellari vulgo. Deinde vrbis nomen euiluit, inualeſcente populi dictione; Notitia Lugdunenſis tertiae, *metropolis ciuitas Turonorum;* Sulpitius Seuerus, *Turonis*, pluratiue; (d) vt Gregorius Turonenſis, *Turonos*, *vrbem Turonicam*, dixit. (e) Danuilleo, *Caeſarodunum poſtea Turones*, XLIV M. P. a Robrica in exortum, ripa Ligeris laeua, ſitu vrbis *Tours*, a qua prouinciae *Touraine* nomen. In Tabula inſignia vrbis deſunt, concurſus viarum a Subdinno, Lemuno, Auarico, rite notatur; nos Cenabum petemus, vbi manſionem, Subdinnum verſus conſpicuam, abſoluerimus.

Fines. XVI. in ſcheda abeſt; Velſ. *Fines.* XVI. Danuilleo, *Fines*, prope laeuam *Loir* amnis, XXVIII M. P. a Suindino, XXIII ab Turonis in occaſum aeſtiuum, ſitu oppiduli *St. Chriſtophe*, quod reapſe in finibus eſt; ſed numerus Tabulae petit oppidum *Chateau du Loir*, prope dextram amnis ripam; inde Turonos ſunt M. P. XXIX. ſecundum Europae chartam.

Cenabo. ΛI. inſignia municipii; Velſ. *Cenabo.* absque nota numerali. In Hodoeporico, itinere ab Auguſtoduno Lutitiam, *Cenabum.* XXII. a Belca, de

(a) L. II. extr. VII. 75. (b) L. I. v. 437. (c) L. XV. c. 11. (d) Dialog. III. c. 8.
(e) L. X. c. 29. 31.

qua ſuo dicemus loco; codices, teſte Weſſelingio, *Canabum*. In Caeſare volunt quidam Cenabum pro Genabo legi, quod Κήναβον Straboni et Ptolemaeo diceretur, et Itineraria primam C non G praeferrent. Caeſar, *Genabum* Carnutum; (a) Strabo, de Ligeri, ῥυεῖς δ' οὗτος παρὰ Κήναβον, τὸ τῶν Καρνούτων ἐμπορεῖον, κατὰ μέσον που τὸν πλοῦν συνοικούμενον, *hic praeterfluit Cenabum Carnutum emporium, fere ad medium fluminis conditum.* (b) Vulgo legitur Γήναβον, *Genabum*, quod ab Xylandro manaſſe, inquit Weſſelingius; tamen Caeſaris metaphraſtes, Γέναβον πόλιν, *Genabum urbem*, (c) et Iulius Celſus, *Genabin oppidum*, dixere; tam quam vterque in Caeſaris commentariis *Genabum* legerit. Ptolemaeo quidem conſtanter, Κήναβον, *Cenabum*, in Carnutis, cum Autrico, Tabulae Mitrico, de quo ſupra dictum, ſcribitur. Poſtea nomen Aurelianorum inualuit; Notitia Lugdunenſis Senoniae, *ciuitas Aurelianorum;* Sidonius Apollinaris, *Aurelianenſis vrbis obſidio.* (d) Danuilleo, *Genabum poſtea Aureliani.* LXXII M. P. a Turonis in exortum aeſtiuum, dextra Ligeris, ſitu vrbis *Orleans*, quem Tabula quoque firmat; nam in Europae charta, binas inter vrbes, mill. geogr. vndecim cum ſemiſſe intercedunt. Proinde inanes ſunt eorum conatus, qui Cenabum ad *Gien* oppidum, ſeptem ac dimidio mill. geogr. inde remotum, trahi volunt, contra quam eruditorum turba, aliis literarum monumentis inſtructa, Cenabum Aurelianis dudum adſeruit. Poterat altercationi occaſionem praebere numerus in editione Velſeri exmiſſus, qui in Scheibiana perſpicue exprimitur.

XIII. A Cenabo ternae ſunt praeterea viae, in boream Pariſios, in exortum aeſtiuum Aquas Segeſte et Auguſtobonam, hibernum Aquas Bormonis et Niſincii; priorem heic dicemus, in qua manſio reccurrit ſequens,

Lutect. XLVII. ſic Velſ. Hodoeporicon interponit locum *Salioclita*. XXIIII. *Lutitia*. XXIIII. Simlero, vel *Solioclita;* qui praeterea notat, in Schudii exemplari tres manſiones poni, quarum nomina ſint exmiſſa, numeri diſtantiarum XV. XXII. XXIII. Weſſelingius nullum hiatum in ſuis deprehendit; locum autem, Lanceloto indice, *Saclas* nuncupari ait. Inter *Chartres* vrbem et *Fontainebleau* oppidum, medio ſcilicet itinere, ea manſio conſtiterit. Danuilleo, *Salioclita*, XXXVI M. P. a Cenabo in boream nonnihil ortiuum, ad amnem recentem, ſitu vici *Saclas*, qui laeuam fluuii ripam tenet; inde XXXVIII M. P. numerat Pariſios, in plagam eamdem. Interuallo mathematico abſunt hae binae vrbes ab ſeſe mill. geogr. fere duodecim, ſeu M. P. LX. ſed amplitudo celebrium olim locorum aliquot M. P. hauſerit. Leugae heic, vt vulgo geographi credunt, accipi nequeunt; nam XLVII Leugae faciunt M. P LXX cum ſemiſſe; quae mathematicum interuallum XII M. P. excedunt. Itinere a Cenabo Auguſtobonam occurrit

(a) L. VII. c. 11. (b) L. IV. p. 191. (c) L. VII. B. G. c. 3. (d) L. VII. epiſt. 15.

Fines. xv. ſic Velſ. Danuilleo, *Fines*, xxiv M. P. in exortum paullisper aeſtiuum, ſitu vici *Bois Commun*, hodie quoque in finibus conſiſtentis. Paullo ſuperius, in exortum aeſtiuum, notat Vellaunum Caeſaris, extra viam; Mannert in ipſa via fuiſſe ait; cuius Tabula mentionem factura procul dubio erat, ſi in via ſtetiſſet.

Aquis Segeſte. xxii. ſic Velſ. aedificium amplius, quadrum, qua figura praetoria et aquae ſignari ſolent. Geographorum παῖδες vrbem neglexerunt. Danuilleo, *Aquae Segeſte.* xxv M. P. in eamdem plagam, dextra amnis, ab auſtro Ionnam petentis, ſitu vrbis *Montargis*.

Agetineum. xxii. Velſ. *Agetine.* xxii. Hodoeporicon, itinere ab Carocotino Auguſtobonam, *Agredicum.* xiii. a Condate. Eo itinere de hac manſione diximus; ſed in Tabula *Riobe.* xiiii. occurrebat; quae manſio, viis ibi confuſis, cum Hodoeporico componi nequiuit. Quam ob rem, ſecuti numeros, ad oppidum *Sens* adcurate pertigimus, et nunc, itinere a Cenabo, ad quod ſententiam de Tabulae via relegauimus, ab vrbe *Montargis* ad *Sens*, adcurate M. P. xxii interuallo peruenimus. Proinde *Agetincum* (ſic enim in Tabula ſcriptum fuerit) in oppido *Sens*, antiqua doctorum opinione, ſtatui debere, nulli dubitamus, exacta ab Aquis diſtantia id expoſcente. Numerus xiiii. qui ab Condate in Tabula ponitur, ingenio ſcribae ſemel notatus, ſpectat ad Agetincum vna et Rioben. Numerus xxvi. in medio Agetincum inter et Rioben ſcriptus, eſt interuallum Riobes ab Auguſtobona, vt mox oſtendemus; qui ab auctore Tabulae idcirco eo loci notatus eſt, quod Riobe, reſpectu Agetinci, auſtralior eſt, heic autem, ob Itinerarii conſtructionem, loco ſuperiore ponitur. *Agendicum* nouit Caeſar: Legiones iiii reliquas in Senonum finibus Agedinci in hibernis collocauit." (a) Cellarius refert, ab Caeſare ſemper *Agendicum* vocari; Surita, in vetuſtis exemplaribus, *Agedinci*, *Agentinci*, et *Agednicum* legi ait. Quare, pro *Agredicum*, in Hodoeporico, *Agedincum* ſcribi oportere cenſebat. Weſſelingius, e libris antiquis, *Agredicum* repoſuit. Nouit oppidum Ptolemaeus; ab Rhedonibus, his magis orientales, inquit, *Σένονες, ὧν πόλις Αγηδικόν, Senones, quorum ciuitas Agedicum;* Surita legit *Αγήδικον*, Schottus *Αγήδηκον*, *Agedecum*, Italus *Agedico.* Tabula ſequitur expreſſionem Caeſaris. Annales Bertiniani an. DCCCLIX. *Agedincum Senonum.* Poſtea nuncupatio populi inualuit; Ammianus: Lugdunenſem primam Lugdunus ornat, et Cabillonus, et Senones, et Biturigae." (b) Eutropius, *Senonis*, pluratiue; vt recto *Senoni* ſint. Ex hoc agro Senones in Italiam migrarint; ſed non ad *Seniam* Liburniae, vt quidam putant. Neque enim eam Illyrici oram Galli tenuere vmquam; vt alias monſtrauimus. Hodie quoque oppidum Latinis Senones, Gallis *Sens*, dextra Ionnae

(a) L. V. extr. conf. L. VII. (b) L. XV. c. 11.

fluuii ripa, ad confluxum amnis alterius; Danuilleo, *Agedincum postea Senones*, xxvii M. P. in eamdem plagam, vbi Leugas, pro more, accipere nequiuit, vt loco praecedente; ex quo clare perspicias, Leugis in Tabula locum esse non posse.

XIV. Tabula tam hoc, quam praecedente itinere, non cum Hodoeporico, recta per Clanum, sed flexu in austrum facto, ad Rioben, Augustobonam petit; quam ob rem ab Agetinco legi debet

Riobe. xiiii. numero repetito; quae est ad oppidum *Ioigni*, eadem fluuii ripa, distantia adcurata. Isthuc adpulit Hodoeporicon itinere Mediolanensi, a Vienna Durocortorum, in quo *Eburobrica.* xii. ab Autessiodoro, xxii ab Tricasis, seu Augustobona. Ab oppido *Auxerre* ad *Ioigni*, distantia mathematica, sunt M. P. xiiii. ab *Ioigni* ad vrbem *Troyes* xxviii. His in considerationem sumtis, Eburobricam ab oppido *Ioigni*, Ortelio *Ioingny*, amouere non licebit. Danuille quoque hoc situ vrbem statuit; Tabula quippe insignia municipii exprimit. *Brica* et *Briga* veteri Celtarum lingua pontem significari aiunt. Heic traiectus Icaunae, *Ionne*, fuerit Antissiodorum versus, in aduersa fluminis ripa situm. Atque haec firmo pede consistere videntur. Sed quid cum Riobe? Aio, locum vsu militari sic fuisse nuncupatum, vrbem Eburobrigam, vsu Romano, et populari. Haec postea defecerit, hinc Agetinco, inde Antissiodoro inualescentibus. Postremi Tabulae, Theodosio imperatore, architecti, nomen vtrumque cum vrbis antiquae insignibus retinuere. Commodius tamen seiungentur, vt Eburobriga sit *St. Florentin*, vbi a Danuilleo statuitur, Riobe *Ioigni*; nisi haec erat *Ervy*, ad x fere in exortum ab *St. Florentin* lapidem, itinere Augustobonensi. De situ, quem Riobe tribuit Danuille, in superioribus dictum. Numerus xxvi. qui Agetincum inter et Rioben ponitur, alio spectare nequit, quam ab Eburobriga Augustobonam. M. P. xviii. quae duas inter vrbes in Tabula conspiciuntur, distantiam Clani, quod heic desideratur, Augustobona signet; vt in Hodoeporico xvii M. P. ostendunt. Cluuerius putat, Phlegontis *Αἰβουροβισύγγησίαν πόλιν* isthuc spectare, *Brignon* interpretatus; (a) quem locum hac peripheria non conspicor; de Phlegontis *Eburobisyngesia* dubito. Ante quippe ea vrbs Ptolemaeo nota esse debebat, qui tamen eius non meminit. Danuilleo, *Eburobriga*, inter Antissiodurum et Augustobonam, ab hac xxx M. P. ab illo xviii in exortum aestiuum, dextra *Ariuencon* amnis, situ oppidi *St. Florentin*.

XV. Alia est in Tabula via ab Agetinco Antissiodorum, quae, laeua Icaunae ripa, per mansionem Bandritum, processisse videtur, hunc in modum:

Bandritum. xxv. sic Velf. Danuilleo, *Bandritum*, xxii. M. P. in exortum hibernum, laeua Ionnae, ex aduerso effluentis *Ariuencon* amnis, quo

---

(a) L. I. G. V. c. 7.

situ in chartis nullus est locus, non longe in occasum conspicuo *la Ferte* vico. Secundum Tabulae censum, mansio Antissiodoro vicinior erat, vtpote VII M. P. inde remota.

Autessio. Duro. VII. Vels. *Autessio Duro.* VIII. Hodoeporicon, *Autesiodorum.* XII. ab Eburobrica. Simlero, vel *Antisiodorum;* in Parisino, *Autesiodero;* Herricus, in vita S. Germani, *Autissiodorum;* Ammiano, *Autosidorum.* (a) Circa etymon vocis disputari videas; alii *Dorum* et *Durum*, in compositione verborum, vrbes fluuiis adpositas; alii *dur*, veteri Celtarum et Britannorum sermone, *aquam* significare aiunt; quod in idem redit. Danuilleo, *Autissiodurum*, XII M. P. a priore in austrum nonnihil ortiuum, laeua Icaunae, situ oppidi *Auxerre.*

In Hodoeporico est iter ab Augustobona Durocortorum versus, hoc ordine: Tricasis, *Arciaca.* XVIII. *Leugas* XII. *Durocatelaunos.* XXXIII. *Leugas* XXII. *Durocortoro.* XXVII. *Leugas.* XVIII. Leugarum heic vocabulum, manu recentiore adsutum, esse inane, monebamus alias, neque in Hodoeporico locum obtinere queunt. Nam ab Autesiodoro Augustobonam forent M. P. LI. quod omnem superat fidem; XX M. P. interuallum id excedentibus; rectius tot M. P. ab Augustobona Durocatelaunos numerari possent; sed vrbes olim amplae minus quoque recipiunt, vt alias non raro factum. *Arciaca*, Suritae *Artiaca.* Auctor Collect. Histor. apud Canisium, (b) *Sigebertus cum exercitu Arciaca residens.* Hodie *Arci sur Aube*, Wesselingio teste, dextra *Aube* fluuii, Sequanam petentis, ripa, vt in Ortelianis, *Arsy*, Homannianis laeua, *Arcis sur Aube*, vbi et Danuillei *Artiaca*, XVII M. P. in boream, consistit. Isthuc quidem, interuallo mathematico, Leugae XII non male faciunt, sed reliqua summa non sibi constat. Nam a fluuio *Aube* ad vrbem *Chalons* sunt mill. geogr. quinque et semis, ductu recto; proinde forent M. P. XXVIII summum. Gallus, qui Leugas addidit, XXXIIII M. P. numerari volebat; quod viae adiunctis non conuenit. Maneant proinde, vice Leugarum, M. P. XXII. Danuilleo, *Durocatalaunum postea Catalauni*, XXXV M. P. in boream nonnihil ortiuum, ab *Artiaca;* quem locum Tabula, vsu militari, Tanomiam dixit, vt in Belgica memoratum.

XVI. Aliud iter est in Tabula ab Durocortoro Adnamatunnum, inde Cabillonum; in Hodoeporico legitur via haec itinere Mediolanensi, a Vienna Durocortorum; nos eam heic Adnamatunnum vsque lustrabimus, occasum inde repetituri. Prima ab Durocortoro in Tabula mansio est, quae sequitur,

Corobilium. absque numero; sic Vels. Danuille viam per Durocatelaunos ducit, *Corobilium* ad XXVIII lapidem, in austrum, ad XV ab Artiaca in exortum, statuens, paullo supra Sequanae ripam, situ vici *l' Huitre;* inde pari interuallo, XXVIII M. P. Segessera, de qua mox agemus, sed ad XL

(a) L. XVII. c. 2. (b) L. IV. c. 65.

ab Andematunno M. P. quod Tabulae ratio non admittit. Si numeros ab Andematunno legamus, XLII M. P. paullo supra *Bar sur Aube*, oppidum dextra fluui *Aube* ripa, in parallelo *Troyes* et *Sens*, pertingit; vbi *Corobilium* Tabulae constiterit. Medio fere spatio est vicus *Arcen*, in cuius agro Segessera quaerenda. Ab situ prioris abest *Chalons* prope XL M. P. *Rheims* ab *Chalons* XXII. omni spatio intercepto.

Segessera. XXI. Velss. *Segessera*. XXI. Ad fluuium *Aube* recentem, circiter vicum *Arcen Barois*, Ortelio *Areg*, dextra exorientis memorati amnis esse oportebat. Viam hac etiam Danuille ducit, sed numerorum ratione posthabita, cum situ prioris *Segesseram* ponit, XXX M. P. a Corobilio, in exortum hibernum, XLII ab Andematunno in occasum aestiuum. Id ex eius commentariis, quos edidit, colligas, magnum Lazii fuisse adseclam, et multum in consonantia vocum posuisse, distantiis Hodoeporicorum non raro sepositis; nam heic, etiamsi in Tabula Leugas accipiat, ut quodam loco, apud Lugdunum Secusianorum in Tabula notato, deceptus accepisse videtur, XXXI M. P. quae Leugis XXI aequiualent, XXVIIII M. P. vti ad Segesseram ponuntur, et XLII M. P. quae ab Segessera Andematunnum vsque censentur, respondere nequeunt. Proinde in huius magni viri tabulis Galliae geographicis cautum esse oportet, qui adcuratam locorum mensuram nosse volet.

Andemantunno. XXI. insignia vrbis, minutis, praeter consuetum, turriculis expressa; sic Velss. Hodoeporicon, *Andematunno*, duplici loco, iter ab vrbe ducens, Tullum hinc, inde Cambatem. Surita, *Antematuno;* in Longoliano, *Andematimio;* in Parisino: *Andemantunno*, vt in Tabula; sic etiam in Vaticano. Ptolemaeus, in Belgica, apud Lingones, qui ei sunt *Λόγγωνες*, *Longones*, *ὧν πόλις Ανδομάτουνον*, *quorum ciuitas Andomatunum;* Schotti libro, *Λοίγονες* (*Αίγγονες*, reddit enim Lingones) *Ανδουμάτουννον*, *Andumatunnum;* Italus lectionem Erasmi tenet. Postea nomen populi obtinuit; Eutropius, in Gallia pugnatum circa Lingones; (a) paraphrastes, *ἐν Γάλλοις*, *in Gallis*, dumtaxat. Mannert de Valente, qui Alemannos apud Lingonas percusserit, vult accipi, cum ii ab Constantio profligati dicantur. In provinciarum Notitia, *ciuitas Lingonum*. Tacitus quoque ciuitatis Lingonum meminit; sed ciuitas ibi populum significat, non vrbem, vt recte Cellarius monet. Danuilleo, *Andomatunum postea Lingones*, situ vrbis *Langres*, fontibus Matronae, *Marne*, gaudentis. Inde pars viae Andesinam et Tullum, pars Vesontionem petit; quarum priorem in Belgica dedimus, alteram postea persequemur, cum ea, quae Cabillunum ducit; nunc occasum repetere libet.

XVII. Est in Tabula iter a Briuatium portu, per Venetos, ad Ligeris ostium, inde Iuliomagum; quod in Hodoeporico desideratur. Itaque mansio Tabulae in litore prima dicitur

(a) L. IX. c. 13.

Gesocribate. absque numero; scheda prior, *Besocribate.* posterior et Velf. *Gesocribate.* Danuille situ *Brest* vrbis maritimae, *Briuates portus vel Gesobriuate.* Mannert, vt Ptolemaeum, qui ab Ligeri Briuates ponit, culpa absolueret, Tabulam, praeter morem, abiicit, manu recentiore vocem *Gesocribate* Tabulae illatam adseuerans, quae cum *Brest* vocabulo hodierno cognationem habeat. Non probo factum geographi; nam, si Tabula hoc loco careremus, ad Cosmographiam Ptolemaei nos caecutire oporteret. Bene habet Danuille, numeros Tabulae, qui heic adcuratissimi sunt, optime secutus. Vicina ab occasu in Oceano insula conspicitur, nomine *Oueſſant*, quae ad Gesocribatas, quos Danuille non praue Gesobriuatas vocat, facere videatur. Ptolemaeo *Βριουάτης λιμὴν*, *Briuates portus;* Schotti edito *Βριουατὴς* portus; Italo *Briuate porto.* Frequentatum Romanis locum ostendit copia numorum, ex quibus paucos ante annos tricena millia in fictilibus vasis reperta dicuntur. Hodie vrbi nomen *Brest*, ora aestuarii, ad ostium amnis cuiuspiam, boreali.

Vorgivoi. x𝔩v. scheda prior, *Vorgiū.* 45. posterior, *Vorgia.* XLV. Velf. *Vorgium.* xlv. Velserus, Vorganium aut Vargonium Ptolemaei esse putat; cui in Osismiis, *Οὐοργάνιον*, *Vorganium;* Schotti libro, populus *Σίσμϊοι*, *Sismii*, oppidum *Οὐοργόνιον*, *Vorgonium;* Italus Erasmi lectionem probat, *Vorganio.* Postea nomen populi, vt alias, adhaesit vrbi; Notitia imperii, praefectus militum Osismiacorum, *Osismiis.* Cellarii aetate situs oppidi erat incertus, aliis *Lantriguet*, aliis *S. Pol de Leon*, supra vrbem *Brest*, accipientibus. Danuille, probabiliora secutus, *Vorganium postea Osismii*, XLVII M. P. in occasum paullisper australem, laeua *Aven* fluuii, sinum Briuatium petentis, vbi recens decurrit, ripa, situ oppidi *Karhais*, collocat; Mannerto *Kaerhais*, qui sententiae prioris oblitus, factum geographi probat. *Rohan* Ortelii, quod heic conspicitur, in exortum abscedit.

Svlim. XXIIII. scheda prior, *Sulī.* 24. posterior, *Sulim*, absque numero. Velf. *Sylim.* XXIIII. Danuilleo, *Sudis*, *Sulis*, XXXV M. P. in exortum hibernum, dextra *Blavet* amnis ripa, situ vici *Baudi;* in charta Europae, eo interuallo, sunt mill. geogr. quatuor cum quatuor quintis; vnde Leugas relegare oportet.

Dartoritvoi. XX. insignia vrbis; scheda prior, *Darcorttura.* 20. posterior, *Bartoritū.* absque numero; Velf. *Dartoritum.* XX. Addit Velserus, Ptolemaeo, *Darioritum*, aut *Dariorigum;* apud Erasmum, sub Osismiis, *Veneti*, qui non comparent, *ὧν πόλις Δαριόριγον*, *quorum ciuitas Dariorigum;* Schotti libro, *Οὐενετοὶ*, *Veneti*, *Δαριόριτον*, *Darioritum;* Italo, *i Veneti*, *la cui città è Dariorigo*, *Vennes;* addit enim recentiora antiquis. Postea populi nomine vsurpata ciuitas; imperii Notitia, praefectus militum Maurorum Venetorum, *Venetis;* Notitia Lugdunensis tertiae, *ciuitas Venetum;* Gregorio Turonensi, *ciuitas Venetica.* Danuilleo, *Dariorigum postea Veneti*, XXVIII M. P. a priore in exortum hibernum, laeua amnis cuiuspiam tenuis, situ vrbis *Vannes*, quem

omnes geographi probant; ſed quatuor mill. geogr. numeros Dannillei non patiuntur. Heic traiectus fluminis, nomine Niger in Tabula notatur, ſed hoc quidem loco *Vilaine*, Herius accipi debet.

Duretie. xx. ſcheda prior, *Durecie*. 20. poſterior, *Durelie*. xx. Velſ. *Duretie*. xx. Tacent locum παῖδες geographorum. Danuilleo, *Durerie*, xxx M. P. in exortum, dextra Herii, *Vilaine*, paullo ſupra confluxum *Cuſt* amnis, ſitu vici *Redon*, vt in Homannianis; is infra confluentem ponit, ad vicum *Rieux*. Numeri Tabulae petunt oppidum *Guerande*, ad alterum ab oſtio Herii lapidem; Ortelio *Garande*, ſed ad flumen aliud; menſura quatuor mill. geogr. eſt adcurata.

Portunamnetu. xxix. ſic ſcheda prior; Velſ. *Portunamnety*. xxix. Velſerus, Ptolemaeo duce, *Briuatis portum* interpretatur, quem nos dudum reliquimus. Nannetas populum, quorum hoc oppidum erat, nouit Caeſar, Plinius, Ptolemaeus. Huic ſunt Namnetae et Samnites; clare enim ſcribit, Oſiſmiis memoratis, ὑφ' οὓς Σαμνῖται, πλησιάσουντες τῷ Λίγερι ποταμῷ, *ſub his Samnitae, Ligeri vicini;* et inferius, καὶ πάλιν, τῶν μὲν Σαμνιτῶν ἀρκτικώτεροι, Ονδεκαιοῦαι, ὧν πόλις Ιουλιόμαγος, *porro Samnitis borealiores Ondecaeuae, quorum ciuitas Iuliomagus;* vrbem horum Samnitarum heic non adfert, ſed, mox interpoſitis Aulercis, Cenomanis, eorumque vrbe Vindino, μεθ' οὓς Ναμνῆται, ὧν πόλις Κονδιόυϊκνον, *ſub his Namnetae, quorum ciuitas Condiuicnum;* Schotti libro, Κονδηόυϊκνον, *Condeuicnum*, Italo, *Condivinco*. Namnitas hoc loco omnes habent, vt Samnitas ante; vrbem in Samnitis non adfert; adfert in Namnitis *Condiuicnum*, vel *Condeuicnum*, aut, iuxta Italum, *Condiuincum*, qui *Nantes* interpretatur. Poſtea nomen populi, more aliarum ciuitatium, vrbs adſumſit; Notitia prouinciae Lugdunenſis tertiae, *ciuitas Namnetum;* Gregorio Turonenſi, *ciuitas Namnetica;* (a) eidem, loco alio, *Anteſtius Namnetas acceſſit.* (b) Pari forma Venantius Fortunatus eſt vſus. Danuille igitur idonee, *Condiuicnum poſtea Namnetes*, ſed XLII M. P. in exortum hibernum, dextra Ligeris, ſitu vrbis *Nantes;* in charta Europae intercedunt mill. geogr. ſeptem cum ſemiſſe, ſeu M. P. XXXVII. quare, ſi numerus Tabulae eſt ſincerus, pomeria vrbium olim fuerint ſibi viciniora. Mannert, contra communem geographorum ſenſum, Samnitas inter et Namnetas Ptolemaei diſtinguit, negatque *Nantes* eſſe Condiuicnum, idque, vbi Samnitas ad Ligerim cum Coſmographo, et oppidum eorum *Portum Namnetum* cum Tabula, agnouit. Quid haec ſibi velint, aliis cenſendum relinquo. Mihi egregium illud opus multis idgenus antilogiis contaminatum videtur.

XVIII. A portu Namnetum Tabula duplicem ſignat viam, hinc Iuliobonam, inde Limonum, quod iam in Aquitanis eſt; priore numerus incuria

---

(a) L. VI. c. 15. (b) L. VIII. c. 43.

ſcribarum excidit. *Nantes* inter et *Angers* vrbes intercedunt mill. geogr. prope nouem, ac proinde M. P. xlv. Itinere ab Caeſaromago Auaricum binae ſunt manſiones intermediae, Taſciaca et Gabris; prior Lugdunenſi, poſterior Aquitanicae adſcribuntur.

Taſciaca. absque nota numerali. ſic Velſ. Numerus XXIIII. qui hac via repetitur, heic quoque ab Caeſaromago ad Taſciacam intelligi debet; ſunt enim ab *Tours* ad *Bourges* adcurate ter vicena quaterna millia paſſuum. Danuille primum XXXII. tum XVII. denique XL interponit, contra Tabulae auctoritatem. Taſciacae reſpondet vicus *Montrichard*, dextra *Vber* amnis, poſtea Ligerim petentis, ripa, in finibus *Touraine* et *Berri* regionum, vbi et Danuillei *Taſciaca* conſiſtit, ſed non recte ad triceſimum ſecundum lapidem, cum eo interuallo quatuor mill. geogr. cum quatuor quintis cenſeantur. Gabros in Aquitania dicemus.

XIX. Superſunt itinera a Cenabo, Auteſſiodoro, Adnamatunno, Auguſtodunum et Lugdunum; primum Ligeris tenet ripam, prope ad fontes. Eſt in Hodoeporico iter ab Auguſtoduno Lutetiam, quod cum Tabula progreditur; in hoc prima a Cenabo manſio,

Belca. XXII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Belca.* XXII. Simlero, *Belea.* Danuilleo, *Belca*, interuallo eodem, prope dextram Ligeris, agro vici *Lorris;* forſan vicus *Sally*, ripa laeua, Belcae reſpondebit; interuallum ſane conuenit.

Bruloduro. XV. Velſ. *Briuoduro.* XV. Hodoeporicon, *Briuodurum.* XV. Simlero, *Bridoborum*, *Bribodorum*, *Briodorum;* addit Weſſelingius: Tabulae conſenſio fecit, vt ceteris hoc (Briuodurum) praeferrem. — *Briua* in vocis compoſitione facile agnoſcitur eſtque eadem ac *Briga;* cum autem Celtis *Dur* idem atque aqua ſit, patet Ligeris hoc loco traiectum, vti nunc eſt, et olim fuiſſe.“ Atqui vero in nullo codice eſt *Briuodurum*, neque in Tabula; cui, directione Velſeri, ſcriba *Briuoduro* pro *Bruloduro* intulerit. Nefas eſt, ſcripturam veterem loco mouere, et pro lubitu inflectere. Brulodurum oppido *Gien*, dextra Ligeris ripa, adcurate reſpondet; Ortelio, *Gyan*, cum traiectu. Danuilleo, *Briuodurum*, XXV M. P. in exortum hibernum, ſitu vici *Briare*, oppido ab exortu vicini. *Gien* eſt celebris ille locus, vbi nonnulli, cognatione vocum ducti, Genabum inaedificari volebant, vtroque Itinerario reclamante.

Maſſaua. XVI. ſic Velſ. Danuilleo, *Condate*, XX. ad vicum *Coſne*, *Maſſaua*, XV. apud *Meves*, ripa Ligeris dextra. Hodoeporicon, *Condate.* XVI. a Briuoduro. Weſſelingius, Condate, *Coſne ſur Loir*, confluentibus Ligeris et Noiani aquis adcubans.“ Si Noianus eſt *Ionne*, non recte Ligeri committitur. In Tabula manſio haec abeſt, interuallo ſuperſtite; Hodoeporicon Maſſauam praeteriit; aberat a Condate M. P. XII.

Ebirno. XVI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Neuirnum.* XXIV. Simlero, *Neuernum*, vel *Niuernum;* Neapolitano, *Neuurnum;* Longoliano, *Niuernium;* apud Weſſelingium, membranae Cuſani, *Neuurnum*, Pariſinae, *Neiuirnum.* Caeſar:

Nouiodunum erat oppidum Aeduorum, ad ripas Ligeris opportuno loco positum." (a) Poſtea Niuernum eſſe dictum, pluribus oſtendi poteſt. Hugo Floriacenſis, *Niuodunus quae et Niuernis;* Robertus Antiſiodorenſis in Chronico, *ciuitas Niuodunum quae et Niuernis.* Putant geographi, a fluuiolo *Niueris*, a borea Ligerim petente, id nomen vrbem accepiſſe. Hodie *Nivers*, prope Ligeris Elauerisque confluentem. Danuilleo, *Nouiodunum poſt Niuernum*, XVIII M. P. a Maſſaua in exortum hibernum, ripa Ligeris dextra.

XX. **Degena.** XVI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Decetia.* XVI. Simlero, vel *Deciſia;* MSS. Pariſino et Cuſani, *Dececia;* itinere a Burdigala Auguſtodunum, *Deccidae*, Simlero *Decidae*, alias *Deciſia* vel *Dececia;* Suritae, *Deccidae*, *Decude*, *Decide.* Danuilleo, *Decetia*, XVIII M. P. in exortum hibernum, dextra Ligeris, ad confluentem riui cuiuspiam, ſitu vici *Deciſe*, viae ductu a priore manſione non ſignato, quem in Atlante minore rite exprimit, *Dececia* in inſula conſtituta. Ab Degena triplicem habet Tabula viam, geminam ad Aquas Niſincii, vnam ad Aquas Bormonis; Hodoeporicon abit in exortum Auguſtodunum, Danuilleo cenſore; nos heic Aquas Niſincii petemus.

Aquis Niſincij. XIIII. aedes quadra. Velſ. *Aquis Niſincy.* XIIII. Hodoeporicon, *Aliſincum.* XXIIII. Simlero, *Aſilincum*, vel *Aliſincum;* hoc Regium, illud Blandinianum et Longolianum apud Suritam habent; Neapolitanum *Alſinicum.* Weſſelingius putat, lectionem Tabulae eſſe veriorem; itinere a Burdigala Auguſtodunum, *Aliſincum.* XIV. a Decetia, quae ibi Deccidae vocatur. Idem Weſſelingius cenſet, *Aniſi* hodie loco nomen eſſe. Danuille, numerorum varietate ductus, loca diſtraxit, cui *Aquae Niſineii*, XXII M. P. a priore, in exortum hibernum, dextra Ligeris, ad confluentem riui, ſitu oppidi *Bourbon lancy;* Aliſincum, XVIII M. P. in exortum aeſtiuum, ſitu vici *Luzu;* inde Auguſtodunum XXX. quae menſura nec Tabulae, nec Hodoeporico reſpondet; in hoc enim ab Decetia Auguſtodunum ſunt M. P. XLVI. in Tabula XLIV. Proinde, ſi Hodoeporicon recta in exortum tendebat, Tabula diuerticulum XX M. P. facere nequiuit. Iam ſi Aliſincum, et recentius *Aniſi*, eo conſiſtebat loco, quem in tabulis Danuille notauit, numeri Tabulae bene habebunt; recta enim eo procedenti ſunt omnino XIIII M. P. Hodoeporicon itinere hoc fecit flexum, vt geographus quoque ſignat. Itinere a Burdigala Auguſtodunum, habet itidem M. P. XIV. cum Tabula progreſſum. Nihilominus poſitionem locorum Danuillei, qui adiuncta examinarit, prorſus reiicere non auſim; id quippe, niſi αὐτόπτης, nemo praeſtiterit; et auctor Tabulae ab Degena duplicem notat viam ad Aquas Niſincii, quarum altera Auguſtodunum verſus proceſſerit, cum Hodoeporico, ad Aliſincum, quod emanſit.

Aug. Dunuo. XXII. inſignia vrbis. Velſ. *Aug. Dunum.* XXII. Hodoeporicon, *Auguſtoduno.* XXII. itinere a Burdigala, *Auguſtodunum.* XXII. Spatium

(a) L. VII. c. 55.

a priore eſt adcuratum; Danuille xxx M. P. interponit. Ante vrbi nomen erat *Bibracte;* Caeſar: Bibracte oppidum Aeduorum longe maximum et copioſiſſimum." (a) Strabo: Inter Dubim et Ararim colit gens Aeduorum, vrbem habens Cabillonum, *καὶ φρούριον Βίβρακτα, et munimentum Bibracta.* (b) Auguſtus vrbi ſuum impoſuit nomen. Sedem bonarum artium, imperatore Tiberio, fuiſſe Tacitus ad A. V. 774 perhibet: Auguſtodunum caput gentis (Aeduos nominauit) armatis cohortibus Sacrouir occupauerat, nobiliſſimam Galliarum ſobolem, liberalibus ſtudiis ibi operatam, vt eo pignore parentes propinquosque eorum adiungeret." (c) Primus, qui Auguſtodunum adpellarit, eſt Pomponius Mela, qui clariſſimos Celtarum Aeduos vocat: Vrbes opulentiſſimae in Treuiris Auguſta, in Aeduis Auguſtodunum, in Auſcis Climberrum." (d) Ptolemaeo, in oppidis *τῶν Αἰδούων*, *Aeduorum*, *Αὐγουστόδουνον*, *Auguſtodunum.* Ammianus, de Iuliano: Agens hiemem apud oppidum, comperit Auguſtoduni ciuitatis antiquae muros, ſpatioſi quidem ambitus, ſed carie vetuſtatis inualidos, barbarorum impetu inſeſſos." (e) Conſtantinus M. epiſtola ad Eumenium, *Auguſtodunenſium oppidum* nuncupat, cui ab ſe *Flauiae* nomen impertiit, Eumenio, Rhetoricam ibi profeſſo, teſte. Poſtea contracte *Auſtun*, *Autun*, vt hodie, vrbs eſt adpellata. Secundum Danuilleum, *Bibracte deinde Auguſtodunum*, ab Aliſinco in exortum, dextra *Bourbince* recentis, in confluente riui cuiuspiam, ſubeſt gradui long. 21 min. 48. latit. 46 min. 55. in Atlante maiori, long. 22 min. 2.

Aliam notat viam Tabula, vti dicebamus, quae paulo infra Degenam capit initium, tendit ad Aquas Niſincii; deflectit Boxum, inde Auguſtodunum vadit; apud Velſerum viae ductus ab Aquis remouetur, apud Scheibium coniungitur, deinde vna linea promouetur. Via haec vii M. P. erat productior priore; ſic enim ibi notatur:

Boxvm. xxii. **Avg. D**iiii- **m.** viii. exeſis medio literis. Danuilleo, *Boxum;* in Atlante maiore, *Boxura*, xii M. P. in auſtrum nonnihil occiduum, laeua memorati amnis, vbi hodie nullus comparet locus; pari interuallo *Telonum*, ſitu vici *Toulon*, ripa eadem; inde in occaſum paulliſper hibernum, Aquae Niſineii, xx M. P. de quibus dictum ſuperius.

XXI. Dicebamus in Tabula eſſe iter a Degena ad Aquas Bormonis; Danuille ſic viam hanc exprimit, vt auctor Tabulae in occaſum, Tincollum, redire cogatur, et ab hoc demum ad Aquas proficiſci ſinatur; quo eum adduxerit vocabulum oppidi *Bourbont*, ad recentem *Cher* fluuium; ſed id interualla non patiuntur; quippe Tinconcium iam xxii Leugis a Dececia abeſt, a *Bourbont* xii. quod nimium eſt. Tabula ab Aquis Bormonis Auguſtodunum cenſet

(a) L. I. B. G. c. 23. (b) L. IV. p. 192. (c) L. III. Annal. c. 43. (d) L. III. c. 2.
(e) L. XVI. c. 2.

M. P. LIV. Danuille Leugas LII. Verum heic Leugas locum habere non posse, hactenus vidimus, et porro visuri sumus. Viciniam oppidi *Bourbont* accessisse Tabulae auctorem, damus; sed Aquae eo loci non erant, nisi in vrbe *Moulins*, dextra Elaueris, *Alier*, fluminis ripa; inde enim Augustodunum iustis interuallis abest. His notatis, proficiscamur.

Aquis Bormonis. XXX. aedificium amplius tetragonum. Velf. *Aquis Bormonis.* XXX. Danuilleo, *Aquae Bormonis*, XXXVII M. P. ab Aquis Nisineii in occasum, situ oppidi *Bourbont Archamb;* Homannianis *Bourbon l' Archambaut* est vicus; nos in vrbe *Moulins*, duo mill. geogr. cum semisse a *Bourbont* in exortum remota, Aquas Bormonis, quarum alter veterum non meminit, statuimus.

Sitillia. XVI. Velf. *Sitillia.* XVI. Danuilleo, *Sitilia*, XV Leugis a *Bourbont* in exortum hibernum, dextra fluuii recentis, qui Ligerim deinde petit, situ vici *Ialigny;* nisi *Saligny*, paullo superius, accipi voluit, quo numeri Tabulae ducunt; sed *Bourbon lancy*, dextra Ligeris, interuallo aptius respondet, vbi Danuille Aquas Nisineii posuit; quae si recte consistunt, *Saligny* vicus Sitilliae respondebit.

Pocrinio. XIIII. Velf. *Pocrinio.* XIIII. Danuilleo, *Pocrinium.* XV M. P. in exortum, dextra Ligeris, VIII M. P. infra Aquas Nisineii; respexerit vicum *Paraiemonial*, dextra *Bourbince* amnis, non longe ab effluxu in Ligerim; cui interuallum Tabulae conuenit.

Tilonno. XII. Velf. *Teionno.* XII. Danuilleo *Telonnum*, XVIII M. P. in exortum aestiuum, laeua amnis ab Augustoduno decurrentis, situ vici *Toulon;* quo Tabulae numeri recte ducunt. In Scheibii editione vocalis prima ɪ est vitiata, tam quam ɪ fit pro e. quare *Telonno* cum Danuileo legeris.

Aug. Dunum. XII. Velf. *Aug. Dunum.* absque numero. Danuille XXIV M. P. numerat, Boxo interiecto, cui heic vix esse poterit locus; nam in charta Europae ab situ oppidi *Lancy* ad vrbem *Autun* septem mill. geogr. seu XXXV M. P. non amplius, censentur; Tabula ab eius vicinia, mansione Sitillia, facto diuerticulo, XXXVIII computat. Quare Boxum, ad XXII ab Aquis Nisincii lapidem, ad VIII ab Augustoduno, propius huic admoueri debebit; et Leugae pro M. P. non bene sonabunt. Cellarius, quorumdam auctoritate, dicebat, rudera vrbis antiquae, Bibracte nomine, ad quartum in boream lapidem superesse, et ab Augustoduno distingui; sed ea non videntur tanti, vt communi geographorum sententiae officiant. De vrbe dictum itinere alio.

XXII. Est in Tabula iter ab Eburobriga Augustodunum, quod etiam in Hodoeporico habetur; sed, vt nonnulla, quae principium itineris impeditum reddere videntur, expediamus, iter ab Augustobona ordiri libet; vnde comparet,

Eburobriga. XVIII. insignia municipii, ductu viae vtrimque signato, hinc ab Augustobona, inde ab Autessioduro. Velf. *Eburobriga.* XVIII. viae ducti-

bus vtrobique missis. Hodoeporicon *Eburobrica.* XXII. De situ oppidi, numerisque, superius actum.

Autessio. Duro. absque numero. Vess. *Autessio. Duro.* Forsan insignia, quae Eburobrigae dederat auctor, huc referuntur. Confusas ibi vias, numeros, et mansiones, suis ostendimus locis; et celebrius hoc oppidum fuisse videtur, quam Eburobriga, cuius praeterea nemo meminit. Antesiodurum seu Autessiodurum in superioribus quoque memorauimus; consequitur

Aballo. XXII. sic Vess. Hodoeporicon *Aballone.* XXXIII. *Leugas.* XXII. in Regio, *Abollone.* XXIII. absque Leugis. Cusani MS. *Aballione.* Venantius Fortunatus, in vita S. Germani: Cum Auallone castro puer scholis excurreret." Inde pagum *Aualensem* formant. Et hodie nomen oppido *Aualon*, prope dextram *Ionne* amnis, adsidenti ripae fluuii alterius, ab exortu Icaunam petentis, cui mensura Tabulae ad amussim respondet. Danuille, interiecto *Chora* loco, M. P. XVII. *Aballo*, XII in exortum hibernum, signat. Ex hoc rursus accipito, vanum et inutile nomen Leugarum in Hodoeporico esse, quod in charta Europae, mathematico ad punctum interuallo, quatuor mill. geogr. cum duabus quintis censentur, quae faciunt adcurate M. P. XXII. Idem exacta porro locorum, vetus nomen seruantium, distantia manifesto monstrabit. Vt eos admodum decipi videas, qui in Hodoeporico et Tabula mensuram inter mansiones Gallicam quaerunt.

Sidoloco. XVI. sic Vess. Hodoeporicon, *Sidoloucum* XXIIII. *Leugas.* XVI. Schotto, *Sidolucum*, *Sidoleucum;* Wesselingio, *Sidolocum.* Meminit loci Ammianus, de Iuliano Caesare, Alemannos adorituro, et de viae ratione ab Augustoduno cum peritis locorum consultante, locutus: aliis per Arbor... quibusdam per Sedelaucum et Coram iri debere adfirmantibus." (a) Danuilleo, *Chora*, situ vici *Vermanton*, laeua amnis, Aballonem praefluentis. In voce accisa Arbor . . lateat Aballo. Martyrologium Hieronymi: In Augustiduno ciuitate, vico Sedíloco, natalis sanctorum Andocii, Tirsi." (b) Amulo, in epistola ad Theoboldum: Nam et in Augustodunensi territorio, quod Sedelocus vocatur." Nunc *Saulieu*, addit Wesselingius. Est oppidum *Saulieu* ad recentem fluuium alterum, Icaunae postea mistum, ad quintum ab *Avalon* in exortum milliare decurrentem, tribus mill. geogr. cum semisse, in exortum hibernum abscedens. Quare nomen Leugarum in Hodoeporico rursus inane, et geographiae noxium, videas. Danuille quippe, cui in elegantia et adcuratione tabularum secundum non repereris, his in Hodoeporico Leugis deceptus, inter Sidolocum (ei Sidelocus est) et Aballonem XIV Leugas numerat; qui census in nullo apud Suritam libro comparet, distantiae autem sincerae repugnat.

Aug Dunum. XVIII. sic Vess. admixto altero numero XXI. qui alio spectat. Hodoeporicon, *Augustodunum.* XXVII. *Leugas* XVIII. in aliis Leug. XXVIIII.

(a) L. XVI. c. 2. (b) A. d. VIII Kal. Octob.

in Regio Leg. xxx. quae aut alio pertineant, aut imperitia ſcribarum ſint corrupta, vt Tabula adcurate indicat. *Autun* quippe ab *Saulieu*, in charta Europae, tribus mill. geogr. et quatuor quintis abſcedit. Quorſum ergo tot inanes Leugae? M. P. xviii. quae illi diſtantiae adcurate reſpondent, efficiunt Leugas xii. non xxviii aut xxx. Addit Weſſelingius, *Dunum* veteri Gallorum dialecto montem notare, adducta Poetarum auctoritate, qui Auguſtodunum Auguſti montem reddunt. Sunt heic vtrimque vicini montes, vt in chartis notantur; ſed apud Caeſarodunum, Vellaunodunum, Lugdunum Batauorum, et apud vniuerſa oppida, Nouioduni nomen praeferentia, quae hactenus recenſuimus, nulli ſunt montes. Illyricae genti, *dom* et *dum*, eſt patria, habitatio, vſque hodie; idem Latinis. Proinde veteres Galliae coloni, qui topographica nomina intulerunt patriae, non erant illa progenie ſati, in qua vox *dunum* ſignificat montem, ſed ex ea, quae *dunum*, oppidum, patriam, dicebat. Serior aetas Auguſtodunum dixit Eduam; vita S. Eligii: Ciuitas, quae olim Edua, nunc autem Auguſtidunus vocatur." Vice verſa dicere oportebat; nam in vetuſtis diplomatibus, apud Weſſelingium, *vrbs Aedua* nuncupatur. Haec de vetuſta Muſarum ſede dicta ſunto; vlteriora petamus, ſed vrbem adhuc reuiſuri.

XXIII. Eſt in Tabula iter ab Durocortoro per Andematunnum Cabillonem; vſque Andematunnum perduximus alias. Habuit Hodoeporicon *iter a Cauillono Treueros*, ex quo praeter titulum nihil habemus. In Tabula ab Andematunno venit manſio

Filena. xxviii. Velſ. *Filem.* xxviii. Danuilleo, *Tile*, xxx M. P. in auſtrum nonnihil occiduum, ad confluentem amnis cuiuspiam, Ararim poſtea petentis, ſitu vici *Trechateau.* Eſt vicus *Talant*, Ortelio *Talen*, quem Danuille per ſuum *Tile* reſpicere poterat, ſed ad vii inde lapidem, apud *Dijon* oppidum, cui is *Dibio* nomen tribuit, xv M. P. a priore, tum *Vidubia*, *Nidubia*, oppido *Nuis*, xiv M. P. ab *Dijon;* quae arbitraria videantur. Inter *Dijon* et *Langres* dicitur columna milliaria, Tib. Claudio, Druſi filio, inſcripta, cum AN $\overset{D.}{\text{II}}$ M. P. xxii. eſſe reperta; de qua apud Andeſinam Tabulae egimus. Vtrum *Dijon* aetate Romanorum exſtiterit, neſcimus; *Tile* et *Dibio* loca a nemine veterum prodita ſcimus.

Vidubia. xix. ſic Velſ. Danuille *Vidubia*, quodam loco *Nidubia*, viii Leugis a priore, alias xiv M. P. a Cabillione xxx M. P. in boream paulliſper ortiuum, ſitu oppiduli *Nuis*, ad amnem recentem, Arari poſtea miſtum. Videtur geographus Nidubiam ad recentius vocabulum finxiſſe; Vidubiae veſtigia ſint in *Dehune* fluuio, qui ab *Nuis* decurrentem auget. Ptolemaei *Διδάττιον*, *Didattium*, quod Senonibus tribuit, huc ſpectet; Mannert ad *Dole*, ripa Dubis, transtulit, vbi Cruſinias Tabulae ponemus.

Cabillione. xx. inſignia municipii, figura fani; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Cabillono.* xxxiii. *Leugas.* xxii. ab Auguſtoduno; loco alio, Cauillono: *Iter a Cauillono Treueros.* Surita legit, *Item a Cabillione Treueros.* Simlero, *Cabi-*

lumno vel *Cabilonum;* alias *Gabilluno*, *Gapiluno*, *Cauilluno.* Meminit vrbis Caesar: Q. Tullium Ciceronem, et P. Sulpicium, Cabiloni, et Matiſcone in Aeduis ad Ararim rei frumentariae cauſſa collocat.“ (a) Surita, *Cabellione*, in Caeſare legit. Straboni, *Καβυλλῖνον*, *Cabyllinum:* Inter Dubim et Ararim, inquit, colit *τὸ τῶν Ἐδούων ἔθνος, πόλιν ἔχον Καβυλλῖνον*, *gens Eduorum*, *vrbem habens Cabyllinum.* (b) Ptolemaeo, inter vrbes Aeduorum, *Καβάλλινον*, *Caballinum*, Schotti liber, *Καβούλλιον*, *Cabullium*, Italus, *Caballino.* Notitia imperii, praefectus claſſis Araricae, *Caballoduno;* apud Ammianum, *Cabillo* et *Cabillones*, vt Cellarius legit; habet is, *apud Cabillona*, caſu graeco; miſſus eſt *Cabillona;* (c) loco alio: Lugdunenſem primam Lugdunus ornat, et Cabillonus, et Senones.“ (d) Sic legitur hodie pro *Cabillones.* Volunt etiam numos Francorum vrbis meminiſſe, in quibus, teſte Valeſio, *Cabillonum* ſit expreſſum; de quorum ſinceritate equidem vehementer ambigo. Ambroſius: *Iuſſeram eum deduci Cabilonum.* (e) In Panegyri Conſtantino a Flauianenſibus dicta, *Cabillonenſis portus ad Ararim fluuium.* Alia erat Cabellio, itinere a Mediolano Arelate, quo non pauca, ad Cabillonum noſtrum ſpectantia, congeſſit Surita. Hodie vrbi nomen *Chalon.*

Tabula inter Auguſtodunum et Cabillonem exprimit XXI numerum extra viam; alius enim eſt XII in via Tenurtium verſus. Velſ. eo loco habet XXI. Danuille numerum XII pro medio accepit, interpretatus *ad* XII. lapidem nimirum, loco itinere medio, binas inter vrbes, ad aluei illius, qui ripas Araris et Ligeris iungit, de quo in fluuiis dictum, latus occiduum, hodie laeua exorientis *Dehune* amnis, ſitu vici *Conche.* Et viae quidem tractum a Cabillone Auguſtodunum editio Velſeri notat, non item Scheibii; quo pacto numerus XXI. bene habet, Hodoeporico diſtantiam firmante, in quo, vti dicebamus, Cabillono et Auguſtodunum XX M. P. dirimuntur. Leugas male heic audire, ex eo videas, quod ab *Autun* ad *Chalon*, mathematica menſura, eſt quatuor mill. geogr. et trium quintarum. Proinde lapis XII. medio ſpatio ab Danuille poſitus, conſiſtere nequit; in primis, quod is eum X Leugis cum ſemiſſe vtrimque remouet; conſequenter XXI Leug. inter binas vrbes cenſet, quae faciunt M. P. XXXI. cum ſemiſſe; qui cenſus memorato interuallo non conuenit.

XXIV. Superſunt itinera bina Lugdunum, caput Galliarum, alterum ab Aquis Calidis, alterum a Cabillono; hoc primum, cum iſthic conſiſtamus, perſequi libet. Progreditur id ſecus ripam Araris laeuam vſque Lugdunum et Viennam, vti Danuille notauit. Prima a Cabillone manſio eſt

Tenurcio. XII. Velſ. *Tenurcio.* absque numero. Hodoeporicon, *Tinurtium.* XXI. *Leugas.* XIIII. Spartianus, in Seuero, *Tinurtium* vocat; in Martyro-

(a) L. VII. B. G. extr. (b) L. IV. p. 192. (c) L. XIV. c. 10. (d) L. XV. c. 11.
(e) Epiſt. 27.

logio Hieronymi, (a) *Ternocium;* pro quo Notkerus, *in territorio Cabillonensi castro Nortio*, praue. Gregorius Turonensis, castrum *Trinorciense*, XL (forsan XI) *a Cauillonensi vrbe milliario.* (b) Hodie *Tornus*, *Tournus*, Ortelio *Tornu*, ad ripam Araris. Quod si mensurae habeas rationem, cum *Chalon* inter et *Maçon* vrbes quinque mill. geogr. censeantur, Tabula Hodoeporico incessit rectius. Danuille XII Leugas pro M. P. vtrobique numerat, cui *Tinurtium*, XX M. P. a Cabillono in austrum paullisper ortiuum, situ vici *Tournus*.

Mti'scone. XII. Velſ. *Matiscone.* XII. Hodoeporicon, *Matiscone.* XIX. *Leugas.* XIIII. Meminit vrbis Caesar, *Cabiloni et Matiscone*, vt supra vidimus. Apud scriptores Francos, *Matiscensem vrbem*, *Matiscense oppidum*, *castrum Matescanum*, legas. Simlerus Matisconem Tinurtio praeposuit. In voce Scheibii literae intermediae sunt erosae. Danuilleo, *Matisco*, XII Leugis, XVIII M. P. a priore in austrum nonnihil occiduum, situ vrbis *Maçon*, ripa Ligeris laeua. Cum aequa sit vtrimque distantia, et ad punctum quidem, rursus moneo, Tabulam heic Hodoeporico praeualere, vt quae sit in M. P. censu adcuratior. Hoc quippe tractu via deflectere nequiuit, et vrbes situm veterem et antiqua seruant vocabula.

Ludnam. XIIII. sic Velſ. Hodoeporicon, *Lunna.* XV. *Leugas.* X. Simlero, vel *Luna*, forte *Clunia*, *Clugni;* est supra *Maçon*, in mediterraneo. Valesius, *Beauieu*, *Bellus iocus*, a ripa non minimum remotus vicus, ex aduerso *Belleville*, qui est ad Ligerim, cuius positioni Tabulae numeri respondent. Danuilleo, *Lunna*, XV M. P. in austrum, eo situ, qui ad decimum a *Maçon* lapidem incidit, vbi nullus hodie locus.

In Hodoeporico sequitur, *Asa Paulini.* XV. *Leugas.* X. MSS. *Asapauli*, aut *Asapulini.* Deinceps *Ansa* fuit nuncupata, inquit Wesselingius; vnde *Ansa villula* in diplom. Caroli Crassi; duratque hoc titulo non longe ab Arari et Lugduno. Est *Ause* vicus, V M. P. infra *Ville Franche* oppidum. Idem putat, ex Varrone, *Asam* more veteri dictam pro *Ara;* queis subiungit: Hoc porro notandum venit, primae post Lugdunum versus interiorem Galliam mansioni praeter M. P. Leugas affigi; consueuerant enim ab ea vrbe non millenis passibus, sed Leugis itinera metiri, sicuti Ammianus (c) tradidit. Atque hinc in Peutingerana Tabula, Lugduno caput Galliarum; vsque huc Leugas.“ De hoc postea viderimus. Interuallum X M. P. a *Belleville* ad vicum *Ause* rite pertingit.

Lugdune caput Galliar.

usq̃ hic legas. XVI. Velſ. *Lugduno caput Galliar usq̃ hic legas* XVI. Hodoeporicon, *aut per compendium* M. P. XV. *Leugas.* X. *Lugduno.* M. P. XVI. Turbata res. Wesselingius putat, compendium intelligi a Vienna Lugdunum, XVI M. P. Surita monet, in Regio vnam esse mansionem, *aut per compendium*

(a) A. d. XVII. Kal. Octob. (b) L. I. Glor. Mart. c. 51. (c) L. XV. c. 11.

Afa Paulini. M. P. xv. *Leg.* x. in Blandiniano, Longoliano, Neapolitano, ex vna duas eſſe manſiones factas, vt in textu. Ex his iam pedicis non eluctabimur, niſi Tabula duce. In charta Europae, inter *Ville Franche* et *Lion* ſunt mill. geogr. tria cum vna quinta, cui interuallo reſpondent Tabulae M. P. xvi. ſed vrbs olim ampla menſuram nonnihil ſupra oppidum *Ville Franche* promoueri ſinit. Niſi Gallus priore loco xiiii numerum pro Leugis accipi voluit, vt menſura ad *Ville Franche* pertingeret, reclamantè tamen Hodoeporico. Ab *Lion* ad *Vienne*, ductu itidem recto, ſunt mill. geogr. duo, et tres quintae. Proinde, neque per compendium xvi. niſi forte ad Aſam Paulini, neque communi via, quam Tabula tenuit, M. P. xxiii. a Lugduno Viennam numerari poſſunt. Strabo quidem ſtadia circiter Σ. cc. per Allobroges, aduerſo amne nonnihil amplius cenſet; verum ea xxv M. P. per diuerticula proceſſere. Hanc itinerum et numerorum confuſionem fecerint Leugae, vt phraſis in Tabula, ad Lugdunum notata, indicat. Galli ſcribae ea lege (ſiqua erat) non contenti, ex M. P. Leugas porro fecere; vt heic a Lugduno Viennam procul dubio accidit. Nam Leugae xv faciunt M. P. xxiii. vulgari autem itinere xvi M. P. binas vrbes illas ab ſe ſe diremtas fuiſſe, praeter interuallum mathematicum, et Tabulam, docet Seneca, haec de morte Claudii narrans: Lugduni natus eſt; Marci municipem vides; quod tibi narro, ad ſextum decimum lapidem a Vienna natus eſt.“ Quod ſi porro xvi M. P. vt Tabula praefert, ab Ludna Lugdunum cenſeri debent, ager oppidi *Ville Franche*, circiter vicum *Belleville*, reſpondebit Ludnae, vti dicebamus. Quod vrbis Lugduni vocabulum concernit, cum via ſequenti huc adpulerimus, commentabimur.

XXV. Poſtrema itinera ſunt ab Aquis Calidis, et Aquis Segete, Lugdunum, quae in Hodoeporico deſiderantur. Illud ante videamus. Ab Aquis Calidis, quae in Aquitanicam cadunt, manſio prima eſt

Vorogio. viii. ſic Velſ. Danuilleo, *Aquae calidae*, dextra Elaueris, *Allier*, ſitu pagi *Vichy*, in confluente riui cuiuspiam, inde xii M. P. in boream *Vorogium*, ſitu vici *Billy;* vterque in cenſu Aquitaniae, vt in ea prouincia referemus.

Ariolica. xviiii. Velſ. *Ariolica.* xiiii. Danuilleo, *Ariolica*, xxviii M. P. in exortum paulliſper borealem, ripa Ligeris laeua, ex aduerſo vici *Charlieu*, quem reſpexerit, medio fere *Semur* inter et *Roane* oppida interuallo; ſed ex eius poſitione ex aduerſo *Semur* oppidi cadit, vbi chartae *Marcigny* notant; nam inferius ad *Charlieu* eſt ipſi *Cariolocus.* Videtur geographus hac via circuitum feciſſe; qua de re in Aquitania dicemus. Inter hanc et ſequentem manſionem tractus viae eſt, Sitilliam petens, absque numeris.

Roidomna. xii. ſic Velſ. Danuilleo, *Rodumna*, xxii M. P. in auſtrum nonnihil ortiuum, ſitu oppidi *Roane*, ripa Ligeris laeua; oppidum Ptolemaeo notum, in Segusianis, *Rodumna*, vt Danuille expreſſit, *Σεγουσιανοὶ, καὶ πόλις αὐτῶν Ροδοῦμνα, Segusiani, et vrbs eorum Rodumna;* Schotti libro, *Ροδούμνα;*

interpreti, *Rhudumna;* Italo, ſua dialecto, *Rodunna*, *Agendiual;* ſed *Roane*, Ortelio *Rouane*, oppidum eſſe *Rodumnam*, geographi conſentiunt, qui praecedentes manſiones attingere neglexerunt.

Mediolano. XXII. ſic Velſ. Danuilleo, Forum Seguſianorum, XXIV M. P. ſitu oppidi *Feurs*, inde XIV *Mediolanum*, in exortum nonnihil auſtralem, cui *St. Galmier* vicus reſpondeat, ad decimum a *Feurs* lapidem. Numerus Tabulae XXII eſt a *Feurs* ad *Lion;* erat proinde via duplex, heic turbata, et acciſa; nam Forum, quod ſequitur, Mediolano praeponi debebat.

Foro Seguſtauarū. XIIII. inſignia municipii. Velſ. *Foro Seguſtavarū.* XIIII. ſic collocat, vt ante Mediolanum legi queat; Cellarius, *Furoſeguſtanarum.* Mannert, *Itin. Ant.* ad mentionem vrbis huius citat, quam ibi non reperies. Ptolemaeus, in Sequanis, *φόρος Σεγουσιανῶν*, *Forus Seguſianorum;* Schotti edito, *φόρος Σεγουσίαντων.* Italus, *Foroſeguſiano.* Dalecampe, ad Plinii Secuſianos, ait lapidem ibi exſtitiſſe, in quo, Deo Syleiano, fabri tignuarii, qui FOR. SEC. conſiſtunt, D. S. P. R. in quodam, apud Gruterum, FORVM SECVSIANOR. Eſſe oppidum *Feurs*, dextra Ligeris ripa, communis eſt geographorum ſententia. Interuallum XIIII eſt a Mediolano Lugdunum; vt geminas fuiſſe vias arbitrere.

Lugdune caput Galliar. XVI. inſignia coloniae. Danuilleo, *Lugdunum*, XX M. P. in exortum; ſufficiunt XIIII. vt in Tabula, ad Forum. Plures veterum meminerunt vrbis; Strabo, *Λούγδουνον πόλιν τῶν Σεγουσιάνων*, *Lugdunum vrbem Seguſianorum* vocat. (a) Plinius, *Secuſiani liberi*, *in quorum agro colonia Lugdunum.* (b) Ptolemaeus Aeduis tribuit, cum Auguſtoduno et Caballino, *ἐπίσημον Λούγδουνον μητρόπολις*, *inſigne Lugdunum metropolis;* praeponitur phraſis finalis, *ὁμοῦ ἔθνη κδ πόλεις δε κη.* Ob quam Mannert ait, ab interpretibus, et qui Eraſmi Ptolemaeum repreſſere, mentem Coſmographi non eſſe intellectam; vt qui Lugdunum nec Aeduis, nec Seguſianis tribuerit, ſed liberum eſſe iuſſerit. Verum enim vero Plinius clare *coloniam* adpellat; et in Ptolemaeo Eraſmi, vitio ſcribarum, particula finalis Lugduno praepoſita, idcirco fortaſſe, vt ad Aeduos videatur non ſpectare, vt reapſe non ſpectabat. Profecto Straboni et Plinio, qui Lugdunum Seguſianis tribuunt, Ptolemaeus, in quo multa ſunt loco alieno poſita, officere nequit. Ad haec, liberi, Plinio teſte, et Meldi erant, et qui poſt eos ibi recenſentur, epitheto *liberi* interpuncto, vt non ad ſolos Seguſianos ſpectare intelligatur. Dio Caſſius vrbem Lugudunum vocatam fuiſſe inquit, *τὸ Λουγόυδουνον μὲν ὀνομασθὲν, νῦν δὲ Λούγδουνον καλούμενον*, *Lugudunum ante nuncupatum*, *hodie Lugdunum adpellatum.* (c) Etymon vocis promit Plutarchus, de fluuiis, apud Reimarum, in hunc Dionis locum. Norunt vrbem marmora; in monumento Planci, quod in Rhaetis

(a) L. IV. p. 186. (b) L. IV. c. 32. (c) L. XLVI. c. 50.

dedimus, in Gallia colonias deduxit LVGDVNVM et Rauricam. Epithetis Copiae Claudiae gloriabatur; in fragmento lapidis, in ripa Rhodani reperto, COLON. COPIAE CLAVD. AVG. LVGD. quae phrasis nonnunquam singularibus literis notatur; in quodam apud Sponium epigrammate, C. Vlattius Meleager, sexuir aug. C. C. C. AVG. LVG. Vetus quoque forma Lugudunum subinde comparet. Apud Sponium, Valerius Hispanus, sexuir aug. LVGVD. Mercurio ex voto posuit. In marmore Salonitano, M. Seruilius, COPIENSIS filio militi posuit. Hodie vrbi nomen LION ad confluxum Araris et Rhodani, latere occiduo.

Ad nonum a Foro Segusianorum lapidem, in Tabula conspiciuntur amplae aedes quadrae, cum inscriptione, Aquis. Segete. VIIII. sic Vels. Danuilleo, *Aquae Segete*, XIV Leugis a Foro in austrum nonnihil ortiuum, ripa Ligeris dextra, situ vici *Monistrol;* sed haec mensura Tabulae non conuenit. Reliqua hoc itinere loca ad Aquitanicam spectant, vbi etiam de situ harum Aquarum differemus. Et hactenus quidem de Lugdunensi dictum esto.

S E C T I O IV

A Q V I T A N I A

§ I

Nuncupatio, fines.

I. DICEBAT Caesar, Gallos ab Aquitanis Garumna flumen diuidit; hi a Belgis et Gallis, lingua, institutis, legibus diuersi fuere, eodem teste. Strabo: *οἱ Ἀκουϊτανοὶ,* ait, *διαφέρουσι τοῦ Γαλατικοῦ φύλου, κατά τε τὰς τῶν σωμάτων κατασκευὰς, καὶ κατὰ τὴν γλῶτταν, Aquitani a reliquis Gallis, cum corporurnm constitutione, tum lingua differunt, magisque sunt Hispanorum similes.* (a) Plinius ab Aquis dictos innuit: *Aquitani, vnde nomen prouinciae.* (b) Ad quae Harduinus: Ab aquis salubribus, inquit, quibus ea Regio scatet, vbi eae fuerint, vnde haec primum adpellatio coepit, et Aquitanorum istorum cognomen.“ Tabula Aquas figura singulari exhibere solet, quadris nimirum aedibus; vt eas apud veteres in pretio fuisse intelligamus. Inde tot oppida

(a) L. IV. p. 189. (b) L. IV. c. 33.

Aquarum vocabulo insignia; in Tabula, his prouinciis, structura simili, censentur omnino septena: Aquae Voconii, Aquae Segeste, Aquae Nisincii, Aquae Bormonis, Aquae Calidae, Aquae Segete, et Aquae Sestiae; quarum binae in Aquitania dicentur. Aquae Augustae, versus Pyrenaeos, cum parte Aquitaniae, in primo segmento notatae, periuerunt. Aquitani leguntur etiam in quadam epigraphe apud Gruterum.

II. Prouinciae nomen Aquitania; Plinius: In Aquitania salmo fluuiatilis marinis omnibus praefertur." (a) Strabo, Ἀκουϊτανή, *Aquitane;* (b) Ptolemaeus, *Ἀκουϊτανία*, *Aquitania.* In quodam epigrammate, apud Gruterum, (c) trium prouinciarum, Gall. Lugdunens. Narbonens. et AQVITANENS. in Romano, apud Dacas relato, M. Statius Priscus, proc. Aug. xx heredit. prouinc. Narbonens. et AQVITA. Epitheton, Aquitanicus; Plinio, *Aquitanicae prouinciae legatus; Gallia Aquitanica; Aquitanica gens; Aquitanicus sinus.* In marmore Patauino, C. Valerius Priscus, praef. coh. III Thrac. et secundae AQITAN. Aquitanicae. Vtrumque prodidit Tabula; patriae vocabulum, AQVITANIA. duabus literis prioribus, cum parte prouinciae, desideratis; postrema A est vicina vrbi Arelate. Narbonensem non exprimit, populis modo distinctam. Epitheton est in sinu, quem ex Plinio paullo superius adduximus, SIḶVS. AQUITANICVS. in aquis, caractere, vt vides, Longobardo, cum prior epigraphe sit veteri Latino expressa, vnico N demto, figurae monasticae elemento.

Gallia Comata. scriptum in Tabula, circa Aquas Nerii, in Biturigibus. Olim inter Galliam Togatam et Comatam haec erat differentia; quod illa cis alpes, in Italia, haec vero trans alpes esset. Illius incolae, consuetudine Romanorum vsi, vestem iis similem gestabant, comam tondebant; huius autem, veste patria vtebantur, comam nutriebant. Vtriusque meminit Cicero; (d) diuersae nuncupationis rationem reddit Cassius Dio. (e) Comata postmodum in Aquitaniam, Lugdunensem, et Belgicam, diuisa est; Narbonensis quippe olim Braccata dicebatur. Forsan aeuo Antoninorum pars haec Galliae Aquitanicae nomen *Comatae* gerebat.

III. Fines prouinciae paucis dat Strabo: *ὁρίζονται δὲ τῷ Γαρούνᾳ ποταμῷ, ἐντὸς πόντου καὶ τῆς Πυρήνης οἰκοῦντες, Fines eorum sunt Garumna et Pyrene, hos inter habitant.* (f) Sic eos et Caesar coercuit, prolatis ad Garumnam Lugdunensium finibus, qui postea iis ademti, Aquitanisque sunt adtributi, vsque Ligerim fluuium, qui terminus prouinciarum constitutus erat. Itaque circumscribitur prouincia, ab occasu parte Oceani, sinus Aquitanici vocabulo, vt Plinius dixit; a septemtrione Ligeri flumine, eodemque ab exortu; ab austro parte Narbonensis et Pyrenaei. Explicatur inter gradus longit. 15

(a) L. IX. c. 32. (b) L. IV. p. 191. (c) CCCCXL. 3. (d) Philipp. VIII. c. 9.
(e) L. XLVI. extr. (f) L. IV. p. 189.

min. 15. et 22. latit. 42 min. 30. et 47 min. 30. Longitudo maxima, ab oſtio Ligeris ad montem Cebennam, CCCLXX. Latitudo, a Bigerris apud Pyrenaeum ad Aurelianos apud Ligerim, CCCC M. P. Exſpatiatur itaque in latum amplius, quam in longum.

§ II

Montes, ſinus, flumina.

I. DE monte Pyrenaeo, et promontorio Pyrenenſi, principio commentarii ad fragmentum Hiſpaniae dictum eſt. In mediterraneis bini praeterea montes, cum totidem fluminum fontibus, ſignantur; quorum ſpectata origine, alter Duranium, alter Oldum praeferre videtur; prior, quem Tabula Garumnam vocat, regione Seguſianorum ex eodem monte, quo alueus quiſpiam, in Ararim deriuatus, exurgit. Duranius in planitie oritur, vicinis vtrimque montibus, abſque cognomine. Alter in iugis Cebennae, *Cevenes*, montis ſurgit, in Tabula apud Aquas Calidas, prope fontes prioris, et cum pluribus aliis Garumnam illabitur. Tabula vtrumque fluuium diſtincto deducit alueo, vt mox viſuri ſumus.

II. SINVS. AQVITANICVS. in ſcheda priore, SINVS AQVITANICV. rectius in altera, et Tabula Velſeri, SINVS AQVITANICVS. Ita vocatur etiam Plinio; Ptolemaeus, Oceanum Aquitanicum dixit: terminatur, inquit, ab occaſu, τῷ Ἀκουϊτανικῷ Ὠκεανῷ, *Aquitanico mari*, in graecis Eraſmi *Ἀκουϊτανίῳ*. Oroſio, *ſinus Aquitanicus*. In Tabula, ob conſtructionem operis, procurrit in continentem, arcto meatu, ex fluminibus ſuperne Ligerim, inferne Garumnam excipiens. Et heic quidem ab auſtro terminatur; ſuperius a Ligeri pertinet ad portum Briuatium; reapſe autem a Pyrenaeo ad Ligerim, qua hic ſinus patet, ſiguram arcus remiſſi exprimit. Gallis hodie GOLFE DE GASGOGNE.

III. Fluuii hac regione conſpiciuntur terni; Liger, de quo in Lugdunenſi dictum. Alter apud fontes notatus, literis minio pictis, hoc modo:

fl'. GARVNNA. Velſ. Garuña. qui heic Duranii ſpeciem praefert; in decurſu Oldi, Tarniſque, Garumnam petentium; apud oſtium eſt Garumna. Flumen plures veterum norunt, in primis Caeſar, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, alii. Plinius, memorato Sequana: *Ab eo ad Garumnam Celtica eademque Lugdunenſis.* (a) Nonnulli, duce Harduino, heic Ligerim accipi volunt, inuito ſcriptore, qui heic veteres Galliae fines, quales Caeſar, quales Strabo et Mela dederunt, reſpicit, et Ligerim capite ſequenti nominat. Strabo, Γαρουνᾶν, *Garunam* vocat, vti vidimus. Ptolemaeo, Γαρύνα, *Garyna*, apud Schottum Γάρουνα, *Garuna*. Mannert tamen in Strabone et Ptolemaeo *Garunnam* reperit.

(a) L. IV. c.31.

Caesari, Melae, Ammiano, aliis, *Garumna.* Hodie fluuio nomen *Garonne*, Duranio *Dordogne.*

IV. Alter amnis, apud Volcas ortus, Pyrenaeo parallelus fluit, infra Burdigalam alicubi (ostium quippe in folio perdito erat) Oceano immersus. Aturum esse non dubitem. Oritur duplici scaturigine, in mediis Pyrenaei iugis, prope occiduos Garumnae fontes; iunctis deinde in mediterraneo ramis, vno alueo apud *Bayonne* vrbem, latere australi, defertur in mare. Nouit fluuium Ptolemaeus, *Ατόυριος ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Aturios fluuii ostia.* Cellarius, recto *Ἄτουρις*, *Aturis*, esse putat; Italus, *Bocca del fiume Aturio*, vt *Ατουρίου* legisse videatur; Schotti libro *Αψόυρις*, *Apsuris.* Lucanus Aturum dixit: *Qui tenet et ripas Aturi.* (a) Ausonio, *Tarbellicus ibit Aturus*, penultima producta; Cellarius, in libris *Aturrus* legi, ait; quod metri gratia factum videatur. Mannerto heic *Adurus* est; in Tabula, fons Garumnam, decursus alueos eius plures, ostium exhibet Aturum; hodie *Adour.*

Est quidam paruus amnis, Garumnam ab austro petens, ad xv fere ab oppido, cui *Sirioni* nomen, lapidem; in Tabula *Serione*, in Hodoeporico vtroque *Sirione;* quae mansio ab amne, qui et hodie *Ciron* audit, sit nuncupata.

§ III.

Populi Aquitaniae.

I. REGIO haec, aetate Caesaris, etsi arctis circumscripta foret limitibus, complures tamen censebat populos, in queis praecipui Tarbelli, Meduli, Viuisci, Vocates, Garites, Preciani, Auscii, Cadurci, Ruteni, Vmbranici, Volcae; a Ligeri autem Pictones, Bituriges, Santones, Lemouices, Petrocorii, Aruerni. Tabula, praeter Galliam Comatam, de qua superius dictum, nominat Bituriges, Volcas Tectosages, Auscios, Rutenos, Santonas, et Lectorates; queis adde Nitiobriges, Cadurcos, Nemetes, in Belgica et Lugdunensi relatos; initium ab Ausciis capiemus.

Lactorates avci. literis minio pictis, ad medium Garumnae flexum, ab austro. De priore vocabulo postea videbimus. Qui Velsero *Nauci* ex ambigui sensus litera **N** dicuntur, mihi sunt **Navci** pro *Auscii;* N litera spectat ad Aquitaniae vocem. Straboni, Melae, Plinio, Ptolemaeo, Ammiano, et vrbis deinde vocabulo pluribus noti. Pomponius Mela: *Aquitanorum clarissimi sunt Auscii;* (b) rursus: *In Ausciis Climberrum.* Plinio, Vellates, Tornates, Consoranni, Ausci, Elusates. (c) Strabo, de aqua: *καλὴ δὲ καὶ ἡ τῶν Αὐσκιῶν*, *bona est*

(a) L. I. v. 420. (b) L. III. c. 2 (c) L. IV. c. 33.

etiam Aufciorum, (a) Ptolemaeo, fub Datis, *Αὔσκιοι*, *Aufcii.* Ammianus iam vrbem hoc nomine defignat: Nouem populos Aufcii commendant et Vafatae." (b) Hodie regioni nomen *Armagnac*, in prouincia *Gafcogne.*

His fortaffe vicini fuere *Lactorates*, antiquioribus non memorati; Plinius, Vellates, Tornates, Aufciis iungit; Tabulae auctor, quod non raro folet, ab oppido populum adpellauit; fupra Aufcios, in feptemtrionem, fuit *Lactora*, Hodoeporicon *Lactura*, cuius etiam lapides meminerunt; vnde populo regionique nomen. In quodam, apud Gruterum, epigrammate, pro ftatu ciuitatis LACTORATEN. in alio, R. P. LACTORAT. Notitia Galliae, in Nouem populis, *ciuitas Lactoratium.* Hodie vrbi *Leytoure* cognomen, in regione Aufciorum.

II. His a borea contermini Nitiobriges et Cadurci, quos recenfuimus alias; ad finum Bituriges Viuifci, a Biturigibus Cubis diuerfi. Tabula quoque duplices nouit, cui priores Beturiges, pofteriores Bituriges audiunt.

Betvriges. colore atro, ad Garumnam. Strabo hos *Βιτουρίγων τῶν Ιοσκῶν*, *Biturigum Iofcorum*, vocabulo nouit. Plinio, Bituriges liberi, cognomine Vbifci." Ptolemaeo, fub Santonibus, *Βιτούριγες οἱ Οὐϊβίσκοι*, *Bituriges Vibifci;* Schotti libro, *Βίτουργες Οὐβίσκοι*, *Biturges Vbifci;* Italus Erafmi lectionem probat, Schottus Plinii; vtramque lapides; in vno quippe, apud Gruterum, legas, Genio ciuitatis BIT. VIV. in altero, Iulius Lupus, C. BITVRIX VB. Aufonius *Viuifca ab origine.* (c) Originis Celticae erant foli inter Aquitanos, circa oftium Garumnae, vbi hodie *Bourdelois* regio.

Supra Garumnam, in ora maritima, Vbifcos excipiunt Santones, quorum fingillatim non meminit Tabula, fed occafione vrbis Mediolani, ad ripam fluminis Carantoni;

Mediolano. Saneon. fcheda, *Sancon*, Velf. *Saneon.* pro *Santon.* id eft, Santonum. Plinio, *Santones liberi;* Melae, *ab Santonis ad Ofifmios;* forfan euphoniae gratia, pro Santonibus. Strabo autem Mediolanum *τῶν Σαντόνων*, *Santonum* vrbem effe inquit. Ptolemaeo Erafmi, *Σάντωνες*, longa penultima; rectius Schotti, *Σάντονες*, vocali correpta. Lucanus, *gaudet amoto Santonus hofte.* (d) Tacito, Iulius Africanus e Santonis Gallica ciuitate." (e) Santonus etiam Aufonio dicitur. Cetera, quae heic dici poffent, in oppidis daturi fumus.

III. **BITVRIGES.** fcriptum minio pictum; Velf. *Bituriges.* Caefar Bituriges fimpliciter vocat; Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Cubos, ad Vibifcorum diftinctionem. Strabo, Arverni, Lemouices, Petrocorii, Nitiobriges, Cadurci, *καὶ Βιτούριγες οἱ Κοῦβοι καλούμενοι*, *et Bituriges Cubi nuncupati.* Plinius a Pictonibus: Hinc Bituriges liberi, qui Cubi adpellantur." Ptolemaeus,

---

(a) L. IV. p. 190. (b) L. XV. c. 11. (c) Mofell. v. 438. (d) L. I. v. 422. (e) L. VI. Annal. c. 7.

a Ligeri fluuio, *Βιτούριγες οἱ Κοῦβοι*, *Bituriges Cubi*, Schotti libro, *Βιτουρ̣γες οἰκουβοὶ*, pro *οἱ Κουβοὶ*. Quaedam inſcriptio, apud Reineſium, in Biturigibus reperta, habet, FLAVIA CVBA Firmini filia, Coſoſo deo Marti ſignum dicauit; cognomen a gente ſumtum; hodie *Berri* vocatur prouincia.

Aug. Nemete. in via, cum inſignibus vrbis. Strabo primariam in Aruernis *Νεμωσσὸν*, *Nemoſſum*, Ptolemaeus, cum Tabula, *Αὐγουστονέμετον*, *Auguſtonemetum*, adpellant. Forſan cum Nemetibus, Germanico populo, nuncupatio haec adfinitatem habebit. Noui equidem, plura in diuerſis prouinciis oppida fuiſſe, quae ſimilem obtinebant ſonum; neque heic quidquam adſeueranter dixero. Olim, cum liberum eſſet, mutare ſedes, poterat Celtarum quaedam colonia iſthuc adpellere; prouincia hodie *Auvergne* dicitur.

Ruteni. colore atro; Velſ. RVTENI. Caeſari quoque ſunt *Ruteni.* (a) Strabo, *Ρουτηνοὺς*, *Rutenos* vocat; Plinius, *Narbonenſi prouinciae contermini Ruteni.* Ptolemaeo, poſt Velaunos, *Ρουτανοὶ*, *Rutani*, quorum vrbs Segodunum. Pars eorum, aetate Caeſaris, ad Prouinciam ſpectabat, poſtea Narbonenſem dictam; *unde Ruteni prouinciales.* (b) Vrbs deinde populi vocabulum adſumſit; hodie *Rodez*, regio *Rouergne*. Volcas in Narbonenſi dicemus.

§ IV

Oppida, manſiones.

I. ANGVLVS ille, quem Aturus amnis, inde a fontibus ad oſtium vſque, pererrat, inter Pyrenaeum, mare, et Lugdunum, cum itinere duplici ex Hiſpania Burdigalam, et vna ab Aquis Tarbellicis Lugdunum, in Tabula, cum ſegmento primo, in quo praeterea vniuerſa Hiſpania, Britannia, et Mauritania Tingitana erant, cum irreparabili geographiae iactura, periit. Quare, vt Galliam ſaltem integram, reliquo orbi antiquo iunctam, ad Tabulae normam conſpicere poſſimus, libet eam ex Hodoeporico breuiter percurrere, ſumto a iugis Pyrenaei principio.

Ex itinere de Hiſpania in Aquitaniam, ab Aſturica Burdigalam, numerantur a Pampelone ad Turiſſam M. P. XXII. quae manſio Hiſpaniae eſt, ab oppido Ituriſſa diuerſa. Inde, *Summo Pyrenaeo.* XVIII. Haec celſior viae militaris pars eſt, inquit Weſſelingius, reſpondetque illi loco, cui *Burguete* nomen inditum eſt, illuſtri P. de Marca indice.“ Chartis, *le Bourguet*, in parte Hiſpanica, duo mill. geogr. ſupra Turiſſam, *Iarraſcayn*, extra viam hodiernam.

(a) L. I. et VII. B. G. frequ. (b) L. VII. c. 7.

Imo Pyreneo. v. Surita oppidum D. Ioannis nomine clarum, *pedis portus* cognomento, Hiſpanis, *S. Ivan de pied de puerto*, Gallis *S. Iean pie de port*, iam in Gallia, laeua recentis *Nieve* amnis. Si numeros ſpectes, etiam Summi Pyrenaei manſio ad cenſum Galliae locorum pertinebat, a vico *Burguet* tribus fere mill. geogr. in boream remota. Danuilleo, *Imus Pyrenaeus*, ſitu oppidi S. Ioannis, *Summus Pyrenaeus*, in parte Hiſpaniae, absque manſionis nota; agro *Navarre* nomen.

Caraſa. xii. Petro de Marca eſt *Garis*, in eadem regione; (a) Danuilleo, *Caraſa*, xvi M. P. a priore in exortum aeſtiuum, laeua amnis *Bideuſe*, ſitu oppidi *S. Palais.* Danuille heic Leugarum cenſu vtitur, minus recte; nam ab oppido *S. Iean* ad vrbem *Aqs* non ſunt niſi mill. geogr. ſex cum ſemiſſe, et planities perpetua, ductus viarum rectus; is tamen xliv M. P. numerat.

Aquis Tarbellicis. xxxix. in pluribus MSS. xix. quod ſincerum videatur. Nomen in codicibus varie ſcribi videas, *Terrebellicis*, *Terebelicis*, *Terbellicis*, *Trebellicis.* Putat Weſſelingius, *Aquis* Tabulae, infra Eliberre, ſignatum oppidum, iſthuc ſpectare; ſed nos id loco altero quaeremus. Straboni Τάρβελλοι, *Tarbelli*, populus in ſinu Narbonenſi. De Aquis Plinius: Emicant benigne, paſſimque in plurimis terris, alibi frigidae, alibi calidae, alibi iunctae, ſicut in Tarbellis Aquitanica gente, et in Pyrenaeis montibus, tenui interuallo diſcernente.“ (b) Ptolemaeus, Τάρβελλοι, καὶ πόλις αὐτῶν, Ὕδατα Αὐγόυστα, *Tarbelli, et vrbs eorum Aquae Auguſtae.* Danuilleo, *Aquae Auguſtae Tarbellicae*, xxviii M. P. a priore in boream, laeua Aturi, *Adour*, amnis, ſitu vrbis *Aqs*, *Acs*, Vaſconibus *Daqs*, Ortelianis *Dax.*

Moſconnum. xvi. Numeri, qui heic ſunt conſtantes, ad oppidum *Tartas*, in exortum aeſtiuum, ducunt; Danuilleo, *Moſconnum*, xviii M. P. in boream, ſitu vici *Caſtelz*, *Caſtets.*

Segoſa. xii. Simlero *Segeſa*, alias *Seguſa;* Danuilleo, *Segoſa*, xviii M. P. in boream, ſitu vici *la Harrie*, alias *Haire*, ad minutum quempiam amnem recentem.

Loſa. xii. Weſſelingius nihil habuit, quod in his obſeruet. Danuilleo, *Loſa*, xviii M. P. in occaſum aeſtiuum, ſitu oppiduli *Parentis*, ad aeſtuarium maritimum.

Boios. vii. alii *Boſos*, vt apud Simlerum; in Neapolitano, *Boſos.* xii. qui numerus eſt adcuratior; nam ab *Aqs* ad *Bourdeaux*, ductu recto, ſunt mill. geogr. quatuordecim, ac proinde M. P. lxx. cum in Hodoeporico, heic vii poſitis, forent lxiii. additis autem quinque, lxviii. quod mathematico interuallo propius accedit. Paullinus, ad Auſonium: Placeat reticere nitentem Burdigalam, et piceos malis deſcribere Boios.“ Durant veſtigia in vico *Buch*,

(a) L. I. Hiſt. Beneharn. c. 11. (b) L. XXXI. c. 2.

inquit Wesselingius; hodie oppidum, *Tete de Buch*, ad aestuarium, quinque mill. geogr. cum quatuor quintis a Burdigala in occasum hibernum. Danuilleo, *Boii* vel *Boates*, XVIII M. P. in boream paullisper ortiuum a priore.

II. Hanc mansionem excipit Tabula, in qua ante vrbem comparet numerus III integer, vti videtur, absque loco, qui in membrana deperdita scriptus erat. Danuille, Burdigalam inter et Boios, hinc XXII M. P. in exortum aestiuum, inde XII M. P. in occasum hibernum, mansionem absque nomine signat; qui ager hodie locis caret. Itaque mansio prima Tabulae est,

Burdigalo. III. insignia vrbis; scheda *Burdigalo*, absque nmero; Vels. *Burdigalo.* VIII. Hodoeporicon, *Burdigalam.* XVI. Simlero, itineris principio, *Burdicala*, ex MS. impressis *Burdigala*, *Burdegala.* Est initium celebris itineris, aetate Constantinorum conscripti, *A Burdigala Hierusalem vsque, et ab Heraclea per Aulonam, et per vrbem Romam, Mediolanum vsque;* quo his in commentariis, ad Tabulae illustrationem, aeque vsuri sumus. Caput itineris, a Burdigala Arelate. Ciuitas Burdigala, vbi est fluuius Garonna, per quem facit mare Oceanum accessa et recessa, per Leugas plus minus centum." Numerus in Tabula Velseri VIII etiamsi bene haberet, nihil prodest, quod mansione, ad quam is spectat, destituimur. Est in Burdigalensi, ad VII lapidem, mutatio *Stomatas*, sed itinere alio, vti videbimus. Situm vrbis describit Strabo: Habet (gens Biturigum) *ἐμπορεῖον Βουρδίγαλα*, *emporium Burdigala*, adpositum paludi maritimae, quam fluminis ostium efficit." (a) Ptolemaeo, in Biturigibus Vibiscis, *Βουρδίγαλα*, Schotti libro, *Βουρδιγάλα*, *Burdigala;* Ausonio, cuius patria fuit, *Burdigala;* hodie *Bourdeaux*, vrbs tria mill. geogr. a palude remota, ripa Garumnae laeua, XXVIII M. P. a *Buch* in exortum aestiuum; quare numerus Hodoeporici XVI indicabit mansionem illam anonymam, quae in Tabula periit; inde Burdigalam erant M. P. XII. Danuille vniuersim XXXIV numerat, Leugis vsus. A Burdigala tres sunt in Tabula viae, quarum vna Mediolanum Santonum, altera Vesonnam, tertia Aginnum et Vibonam petunt; quas deinde visuri sumus.

III. Est praeterea in Hodoeporico iter ab Caesaraugusta Beneharnum, per iuga Pyrenaei transiens, quo a mansione Ebellino venit, *Summo Pyrenaeo.* XXIIII. *Foro ligneo.* V. Surita mansionem Summi Pyrenaei ad D. Christinae interpretatur, addens, in vetustis rerum Aragonensium monumentis, hoc itinere, *Pyrenaei saltum*, *summum portum*, nuncupari. Danuille, Summum Pyrenaeum Hispanis, Forum Ligneum Gallis, tribuit, quorum illud *S. Christine*, hoc *Lesoun*, vicis respondeat, IX M. P. interuallo; quamquam vicus *Lesoun* est in boream remotior, Aspalucae potius respondens, quam Foro Ligneo, quod olim conflagrarit. Monet Surita, in Neapolitano legi *Foro ligneo.* XX. in reliquis VII. quod melius habet.

(a) L. IV. p. 190.

Aſpaluca. VII. Suritae, *Aſpalluca*, *Aſpa Luca.* Exſtant veſtigia nominis huius manſionis trans Pyrenaeum, in Aquitaniae oppido, quod incolae et noſtri *Aſpam* vocant, a quo ipſa Pyrenaeorum iuga in ea regione Aſpae ſaltus ac montes nuncupantur. Rodericus antiſtes Toletanus, de rebus geſtis in Hiſpania, *Aſpae* et *Secolae* meminit; Surita perhibente. Weſſelingius, in Vaticano, *Aſpalluga* legi, et vicum *Acous* in ea valle, vt P. de Marca docuit, Aſpalucae reſpondere ait. Danuilleo, *Aſpaluca*, IX M. P. a priore in occaſum aeſtiuum, ripa amnis recentis, Aturo deinde mixti, ſitu vici *Leſoun.*

Ilurone. XII. in quibusdam, *Iluronae*, *Nurone*, Surita monente; in actis S. Luperii, *Holorona ciuitas.* Scaliger, *Eluronum*, ad epiſt. Auſonii, vocat; Surita, *Oloronem* nominamus, inquit. Danuilleo, *Iluro*, XVIII M. P. in boream, ſub eodem meridiano gradus 17 ad confluentem amnis memorati cum alio, ſitu oppidi *Oleron.*

Beneharnum. XII. Gregorius Turonenſis, de ciuitatibus, Burdegala, Lemouica, Cadurco, Benarno, et Begorra; (a) idem, loco alio, (b) *vrbs Bearna*, cuius epiſcopus Galactorius *de Benarno*, Agathenſi concilio an. DVI ſubſcripſit. In antiquis priuilegiis, *comitatus Benearnenſis.* Danuilleo, *Beneharnum*, XX M. P. in boream nonnihil occiduum, dextra *le Paure* amnis, alias *Grave de Pau*, ſitu oppidi *Leſcar*, *Laſcar.* Haec erant itinera ex Hiſpania in Aquitaniam.

IV. Sunt praeterea in Hodoeporico viae ab Aquis Tarbellicis, altera Burdigalam, Toloſam altera; illam diſpicere iuuat. *Coequoſa.* XVI. Danuilleo, *Cocoſa*, XXV in occaſum aeſtiuum, ad aeſtuarium *Boucant de Contis*, ſitu vici *S. Giron;* in tabella ad commentarios Caeſaris, *Cocoſa*, in mediterraneo, vbi alias Moſconium, ſitu vici *la Haire.* Cocoſates habet Caeſar inter Boates et Tarbellos.

Tellonum. XVIII. Simlero, *Telunnum*, alias *Telonum;* in Vaticano, *Telonnum;* Cuſani codex, *Thelominum.* Danuilleo, *Tellonum*, XXVIII. M. P. in exortum aeſtiuum, prope aeſtuarium, et Loſam, altero itinere occurrentem, circiter vicum *Pinſos.*

Salomaca. XII. Simlero, *Salamocum*, alias *Salomacum;* Cuſani ſchedae, *Saloniaco.* Danuilleo, *Salomacum*, XX M. P. in exortum aeſtiuum, dextra Sigmanis, ſitu vici *Belin.* Sequitur, *Burdigala.* XVIII. Danuilleo, XXVIII M. P. in exortum aeſtiuum, quo interuallo ſunt quatuor mill. geogr. ac proinde M. P. XVIII. vt in Hodoeporico; ſed is Leugas accipit.

V. Iter ab Aquis Tarbellicis Toloſam ſic habet: *Beneharnum.* XVIIII. Cuſani MS. XVIII. Weſſelingius: Summa haec iuſto interuallo inferior eſt; ſunt enim Beneharnum inter et Aquas Tarbellicas M. P. XXXIII. vt P. de Marca L. I Hiſt. Beneharn. c. 11. et Arn. Oinehartus L. III Not. Vaſcon. c. vlt. docuerunt." Ita ſe res omnino habet; ſunt enim eo interuallo mill. geogr. ſex cum ſemiſſe;

(a) L. IX c. 20. (b) L. IX c. 7.

Danuille xxx M. P. numerat. Hodoeporici cenſus hinc ad oppidum *Bayonne*, inde ad *S. Sever*, pertingit, quorum antiqua vocabula ignoramus; Danuille agro prioris *Lapurdum* ſtatuit, quod in Hodoeporico abeſt.

Oppido nouo. xviii. Danuilleo, *Oppidum nouum*, xxx M. P. in exortum hibernum, laeua recentis *le Paure* amnis, ſitu vici *Nay*.

Aquis Conuenarum. viii. in Longoliano corrigitur xviii. Conuenarum etymon prodidit Hieronymus, qui ab Cn. Pompeio, edomita Hiſpania, e latronibus et conuenis ibi depoſitis, vrbem conſtitutam ait. Niſi Lugdunum potius, quae vrbs Conuenarum dicebatur, intelligit. Aquas memorat Strabo: *πρὸς μὲν τῇ Πυρήνῃ, τῇ τῶν Κονουένων, ὅσπερ ἐστὶ συγκλύδων ἐν ᾗ πόλις Λούγδουνος, καὶ τὰ τῶν Ονησιῶν θερμὰ κάλλιστα ποτιμοτάτου ὕδατος, Ad Pyrenam Conuenarum eſt ciuitas, vrbsque Lugdunum, et thermae Oneſiae praeſtantiſſimae, aqua ad potum optima.* (a) Vox *Ονησιῶν*, *Oneſiorum*, Caſaubono ſuſpecta; neque tamen is, neque Mannert, rationem reddunt. Plinius habet *Onenſes*, populum Hiſpaniae Tarraconenſis. Lugdunum, Hieronymo teſte, e conuenis Hiſpaniae, quos Cn. Pompeius bello ceperat, coaluit; inde thermae *Oneſiorvm* ſeu *Onenſium.* Ptolemaeus: *Συνάπτοντες δὲ τῇ Πυρήνῃ, Κουκονενοὶ, καὶ αὐτῶν πόλις Λουγδουνόν, Vicini ſunt monti Pyrenae Cuqueni, eorumque vrbs Lugdunum.* Schotti libro, *Κοτουενοὶ*, *Cotueni*, quos rectius nuncupauit Strabo, et Italus Ptolemaei interpres, *Conueni.* In fragmento lapidis, portae vrbanae inſerto, IMP. xxvi. COS. V. P. P. CIVITAS CONVEN. quod Weſſelingius de Claudio imp. vult accipi. De ſitu eſt inter eruditos diſceptatio; aliis apud fanum S. Bertrandi; aliis apud Aturum flumen, in vico *Bagneres*, in valle Arbuſia; aliis apud *des eaux d' Encauſſe;* et aliis apud *Capvert*, vrbem ſtatuentibus. Danuille, ad xii in exortum paulliſper hibernum lapidem ſignat manſionem absque nomine; ad xv. *Onobuſates Aquae*, ſignato ad v inde lapidem loco, ſitu vici *Bagneres*, ripa recentis Aturi laeua; vt inſcriptio ad omnes tres manſiones, in quibus Aquae eſſent, referri videatur; tum xvi M. *Lugdunum poſtea Conuenae*, in exortum nonnihil hibernum, laeua Garumnae recentis, ſitu oppidi *St. Bertrand.* Eſt proinde Hodoeporicon hoc itinere hians, manſionibus intermediis cum cenſu M. P. exmiſſis. In charta Europae, a *Pau*, quod eſt *Laſcar* oppido proximum, vbi Beneharnum poſuimus, ad *St. Bertrand* mill. geogr. nouem, ſeu M. P. xlv. cenſentur; Hodoeporicon xxvi dumtaxat promit, deſideratis M. P. xix. Quare Danuille lxxviii M. P. pro xlviii interponens, mathematicas rationes turbat.

In Tabula, prope Pyrenaeum, vrbs quaedam cum inſignibus absque nuncupatione, tum aliquo interuallo aedes quadra, cum inſcriptione **Aquis.** altera voce deſiderata comparent. Nomen municipii, et numeros vtrimque deeſſe, moleſte feras; ex his enim Hodoeporico aeque laboranti ſuccurrere liceret.

(a) L. IV. p. 190.

Tamen e ſitu vtriusque oppidi non aegre collegeris, Lugdunum cum Aquis exhiberi. Si nullus erat in medio numerus, opinio illorum, qui Aquas Conuenarum Lugduni quaerunt, ceteris praeualebit, et *Bagneres* dignitate putatitia excidet. Aquae hae, vt Weſſelingius credebat, Tarbellicae eſſe nequeunt; occupant enim ſitum prouinciae maxime auſtralem ad iuga Pyrenaei; Tarbellicae litori viciniores erant, quae cum vniuerſo itinere, quod iam eluximus, LXXX M. P. interuallo periere.

Continuatio itineris a Lugduno in Tabula non habetur; Hodoeporicon pergit: *Calagoris*. XXVI. Simlero, *Calagoris* vel *Calagorre;* libro prouinciarum *Bagorra.* Weſſelingius, Vaticanum ſecutus, duplicauit caninam; in ceteris quippe ſimplex ea litera eſt. Hieronymo, Vigilantius, *caupo Calagurritanus* audit. Volunt eſſe oppidulum *Caſeres*, chartis *Cazeres*, ripa Garumnae laeua; Danuilleo, *Calagorris*, XXXV M. P. in exortum aeſtiuum, ſitu vici *Cazeres.*

Aquis Siccis. XVI. Seruant *Seches* priſtini nominis veſtigia obſcura, inquit Weſſelingius. Sequitur, *Vernoſole.* XV. Cuſani MS. XII. Danuilleo, *Vernoſol*, XV M. P. *Aquae Siccae*, VIII. in eamdem plagam, ripa fluminis laeua, ſerie conuerſa, vt Aquae in *Muret* oppidum incidant. *Seches* Weſſelingii in chartis non comparet. Hodoeporicon, *Toloſa.* XV. Danuille, ab Aquis Siccis VIII M. P. numerat. Inter *St. Bertrand* et *Toulouſe* intercedunt mill. geogr. vndecim, ſeu M. P. LV. Hodoeporicon LXXII cenſet; vt via verſus *Rieux* deflexiſſe videatur. Toloſa cum poſtremis manſionibus ad Narbonenſem refertur, in qua de iis ſermo recurret.

VI. Burdigalenſe Itinerarium habet iter a Burdigala Auſcios, inde Toloſam; cum eo progreditur Tabula, et ex parte Hodoeporicon. Locus in Burdigalenſi primus, *Mutatio Stomatas Leug.* VII. Weſſelingius de mutationum et manſionum ratione apud veteres hoc loco differit, de ſitu *Στόματος* nihil. Vtrum autem reapſe originis graecae ſit ea vox, adfirmare non audet. Neque vllius oſtii heic ſigna viſuntur; niſi aeſtus maris eo vſque in primis proceſſiſſe intelligatur; aut palus, ad quam Strabo vrbem ſtetiſſe dicit, illuc vſque patebat, vt loco nomen oſtii maneret. Danuilleo, *Stomata*, X M. P. in exortum hibernum, laeua Garumnae, ſitu vici *Caſtres.* In Tabula venit,

Senone. X. ſcheda, *Serione.* absque numero; Velſ. *Serione.* X. Burdigalenſe, *mutatio Sirione.* VIIII. Hodoeporicon, itinere a Burdigala Argantomagum, *Sirione.* XV. Altingius, *Rions*, ad ripam Garumnae, Valeſius *Barſac*, ad Sirionis et Garumnae confluentes; quam opinionem Weſſelingius probat. Danuille, *Sirio*, XV M. P. in eamdem plagam, laeua vtriusque amnis, ſitu vici *Barjac*, qui dextram *Ciron* exeuntis tenet.

Tabula itinere hoc proſequitur latus Garumnae, Aginnum verſus; Burdigalenſe, *ciuitas Vaſatas.* VIIII. Auſonio, *Coſſio Vaſatum;* Sidonio, *Vaſatium ciuitas.* Danuille, *Coſſio* poſtea *Vaſates*, XIII M. P. in exortum hibernum, ſitu oppidi *Bazas.* Sequitur, *mutatio Tres arbores.* V. *mutatio Oſcineio.*

VIII. Danuilleo, *Tres Arbores*, IX M. P. *Oscineium*, XII. quae loca olim perierint. Succedit, mutatio *Scittio.* VIII. Danuille, *Oppidum Sotiatum*, XIII. in eamdem plagam, laeua amnis postea Garumnam petentis, agro vici *Metin.* Tabula prodit cum oppido

Elusa. XV. scheda, *Clusa.* XV. Vels. *Clusa.* XX. Burdigalense, *ciuitas Elusa.* VIII. Ammianus: In Narbonensi, Elusa, et Narbona, et Tolosa, principatum vrbium tenent.“ (a) Surita ad Valentiam Hodoeporici, monet, in vulgatis perperam *Clusa* lectum fuisse. Claudianus, in Rufinum: *Inuadit muros Elusae.* Inde Caesaris et Plinii Elusates, Sidonii Apollinaris *Elusani.* Mannert Burdigalense citat, nulla Tabulae facta mentione. Velserus, Clausecciam Sidonii, aut Clausas, Clusas, Clausuras, ad Pyrenaei fauces pertinuisse putat. Nullum praeterea video, qui Elusae ex Tabula mentionem fecerit. Iter hoc in Tabula processisse videtur ab Aquis Tarbellicis; XV M. P. fere pertingunt ad oppidum *Aire.* Danuille, *Vicus Iulii vel Atures*, laeua Aturi amnis, inde *Elusa*, XX M. P. in exortum aestiuum, laeua recentis fluuii, Garumnam ab austro petentis, situ oppidi *Vic*, Hommanianis *Eause* vicus est, Wesselingio *Euse*, pene vicus. Abest *Aire* ab *Aqs* mill. geogr. sex et quatuor quintas, seu M. P. XXXIV. Danuille XLV numerat, viae ductu non signato, quia Elusam in Tabula non reperit. Continuo in Tabula venit,

Besino. X. scheda et Vels. *Besino.* X. Burdigalense, *mutatio Vanesia.* XII. Hanc adhuc quaero, inquit Wesselingius; *Fesensac* hodie dici affirmant, sed inter Climberrum et Lugdunum, vt postea visuri sumus. Danuilleo, *Vanesia*, XVII M. P. in exortum hibernum, ad alueum ortiuum amnis memorati, situ vici *Viesensac*, *Viesesensac.* Besinum et Vanesiam, eumdem esse locum, cum numeri, tum itineris ratio, monstrant.

Cliberre. XII. scheda, *Cliberre.* XII. Vels. *Cliberre.* XIII. Ant. Clembertum aut Climberrum, addit Velserus. Habet Hodoeporicon, itinere ab Aginno Lugdunum, *Climberrum;* Simlero, *Clembertum* vel *Climberrum;* apud Suritam etiam *Climbrum;* apud Wesselingium, e schedis Vaticanis, *Cliniberrum.* Burdigalense, vocabulo recentiore, *ciuitas Auscius.* VIII. Norunt vrbem Mela, Ptolemaeus, Ammianus, praeter alios: Mela, *in Auscis Cliumberrum;* alii, cum Is. Vossio, *Climberrum* legunt. Ptolemaeus, in Auscis, *Αὐγόυστα, Augusta;* Ammianus, populi nomine: *Nouem populos Ausci commendant*, et *Vasatae.* Danuilleo, *Climberris vel Augusta postea Ausci*, XIV M. P. in exortum hibernum, laeua amnis, Garumnam a meridie petentis, situ vrbis *Auch*, *Aux*, Ortelio *Auchx.* Casinomagus, quae in Tabula sequitur, est in finibus Tolosatium, quos in Narbonensi dicemus.

VII. Superat in Hodoeporico iter ab Aginno Lugdunum, cuius portio extrema in Tabula abest, quam heic praemittere libet:

(a) L. XV. c. 11.

Lactora. absque numero; ſcheda et Velſ. *Lactora.* Hodoeporicon, *Iactura.* xv. in Neapolitano, *Iactura.* Marmor, apud Gruterum, facit mentionem CIVITATIS LACTORATEN. aliud, R. P. LACTORAT. quam formam Tabula praefert; legitur etiam LECTOR. vocali priore mutata; inde *Lectorates* Tabulae, de quibus in populis dictum. Notitia prouinciae Nouempopulanae *ciuitas Laſtoratium.* Hodie vrbs *Leytoure*, dextra amnis Garumnam ab auſtro petentis ripa; laeuam eiusdem inferius Auſci tenent. Danuilleo, *Lactora*, xx ab Aginno in auſtrum, xxiv a Climberri in boream. A Lactora Tabula petit Toloſam, quod iter et Hodoeporicon alias tenet; heic autem *Climberrum.* xv. Danuille xxiv cenſet; in charta Europae ſunt tria mill. geogr. cum duabus quintis; quare Leugae heic locum habere nequeunt. Sequitur in Hodoeporico, Lugdunum verſus,

Belſino. xv. in quibusdam x. editis, *Berſino.* Weſſelingius: Tabulae Baſino M. P. xv neutris aſſentitur, inquit; neque adſentiri poteſt, vtpote alio itinere occurrens, vt ſupra oſtendimus. Non recte autem heic vir doctus xv iungit Baſino; is quippe numerus eſt interuallum Eluſae et Aturum. Danuilleo, *Belſinum*, xxii M. P. in auſtrum, laeua amnis, cui Climberrum adſidet, ſitu vici *Maſſe Oube.*

Lugdunum. xxiii. Danuille xxiv interponit, ſpatio priore ampliato; in charta Europae, ab *Auch* ad *Maſſeube* ſunt mill. geogr. duo cum duabus quintis; Homannianae tria cenſent, inde ad *St. Bertrand*, vbi Lugdunum poſuimus, quinque cum tribus quintis, vniuerſim mill. geogr. octo, ſeu M. P. xl. Hodoeporicon minus duobus, Danuille ſex amplius, proferunt. Sed vt hic itinere iſto Leugas non recte adſumſit, nam xxxviii Leugae efficiunt M. P. xlvii. ſic Leugis heic locum dari non poſſe, eſt manifeſtum. In Tabula exprimuntur inſignia municipii, et vicinarum Aquarum, quas auctor monumenti alio itinere petiit; niſi viae ſunt turbatae, partim acciſae; vt ex eo colligas, quod tam municipium, quam Aquae, absque nexu cum vicinis locis, absque numeris, ponuntur. Forſan et Beſinum Belſino potius, quam Vaneſiae, admoueri debebit; cuius tamen opinionis indicia non habemus, coniecturis autem indulgere non libet. Et hactenus quidem angulum, inter Lugdunum, Burdigalam, et Oeaſonem, Pyrenaei promontorium, qui in Tabula periit, ſarcire conati ſumus; nunc reliqua perſequamur.

VIII. Iter, quod cum Burdigalenſi ab ea vrbe, cuius nuncupationem gerit, coepimus, peragendum ſuperat, quo abſoluto, cetera luſtrabimus. In eo manſionem poſtremam habuimus Sirionem, cognomini fluuio, ad exitum in Garumnam, adhaerentem; inde venit,

Geſubio. xx. ſcheda et Velſ. *Veſubio.* xx. Hodoeporicon, *Vſſubium.* xx. alias, *Vſubium.* Danuilleo, *Vſſubium*, xvi. in exortum hibernum, prope laeuam Garumnae, ex aduerſo *la Reole* vici, propius Sirionem Alingo, ſitu oppidi Langon; quae poſitio ſi recte habeat, M. P. xx ſpectabunt Alingonem

a Burdigala; ſed malim Sirionem propius Burdigalam poni, quam numeros iſthic turbari. Ceterum poterat hic cenſus e vicina quapiam via iſthuc irrepere. Nonnulli Veſubium ipſum *la Reole* vicum, dextra Garumnae, eſſe volunt. Sequuntur,

Fines. XX. ſcheda, *fines*, absque numero; Velſ. *Fines.* XX. Hodoeporicon, *Fines.* XX. Putat Weſſelingius, Vibiſcorum et Nitiobrigum; rectius Danuille, horum et Vaſatium; ſed neſcio, quo pacto *Fines* ad VIII Leug. a priore ſtatuantur, Tabula et Hodoeporico in M. P. conuenientibus. *Fines* eius incidunt in vicum *les Mas d' Agenois*, laeua Garumnae, XII M. P. in exortum paulliſper hibernum; menſura ducit ad *Clerac* oppidum, dextra *le Lot*, *Olt*, *Loch*, amnis ripa, paullo ſupra exitum in Garumnam; ſequente numero ſitum probante.

Aginnum. XV. ſcheda *Aginnū.* XV. Velſ. *Aginnum.* XV. Hodoeporicon *Aginnum.* XV. Surita edidit M. P. XII. cui charta Europae reſpondet. Ptolemaeo, apud Nitiobriges, *'Αγιννὸν*, Schotti edito *"Αγϊννον*, *Aginnum;* Auſonio: Santonus vt ſibi Burdigalam, mox iungit Aginnum illa ſibi." Hieronymus de Soebadio, *Agenni Galliarum epiſcopus.* Notitia prouinciarum Galliae, *ciuitas Agennenſium.* Aimoinus, *Petrogorium et Agennum*, *Aquitaniae vrbes.* Hodie *Agen* vrbs, dextra Garumnae ripa, ab oppido *Clerac* in exortum hibernum duo mill. geogr. et duas quintas remotum. Danuilleo, *Aginnum*, XXVIII M. P. a Finibus, cui Tabula et Hodoeporicon reclamant. Iſtud viam continuat, directione in boream flexa, vt poſtea viſuri ſumus.

IX. Sunt praeterea in Tabula itinera a Burdigala hinc Mediolanum Santonum, inde Veſunnam; hoc prius, quod in Hodoeporico abeſt, videamus. Manſio itineris prima,

V c i atedo. absque nota numerali, duabus literis, quae primam conſequuntur, extritis; ſcheda *aratredo.* Velſ. *Varatedo.* Danuille, *Varatedum*, XII M. P. in exortum aeſtiuum, laeua Duranii, *Dordogne*, ex aduerſo vici *Fronſac*, ad exitum *l' Iſle* amnis, ripa dextra, vbi Danuillei *Condate;* ad laeuam huius fluuii eſt *Libourne*, Ortelio *Liborne*, vicus, cui manſionem noſtram conuenire putamus. Abeſt poſitio loci huius a Burdigala tribus mill. geogr. ſeu XV M. P. qui numerus in Tabula deſideretur; neque tamen Danuilleum prorſus reiicimus.

Corterate. XVIII. ſic ſcheda et Velſ. Danuille *Corterate*, XVII M. P. in eamdem plagam, dextra *l' Iſle* amnis, in confluxu alterius, ſitu vici *Coutras;* quod veri ſpeciem praeferre videatur, ſed Leugae male audient.

Ca . . . . o. XIX. ſcheda non habet; Velſ. *Ca . . . o.* absque numero; vt vocem olim vitiatam opinere. Danuille *Ca . . o*, XXV M. P. in exortum aeſtiuum, agro oppidi *Riberac* in auſtrum patente. Abeſt hic locus a Burdigala nouem mill. geogr. cum duabus quintis, ſeu XLVII M. P. Tabula duo addit;

quare numeri Danuillei ſubſiſtere nequeunt. Si Hodoeporicon hac proceſſiſſet, vocem manſionis obliteratam reſtituere liceret; nunc eam ignorare cogimur.

Veſonna. x. inſignia municipii; ſcheda *Veſonna*, absque numero; Velſ. *Veſonna.* x. Hodoeporicon, itinere a Burdigala Argantomagum, *Veſunna.* Ptolemaeo, in Petrocoriis, *Οὐέσουνα*, *Veſuna;* Schotti edito, *Οὐέσσουνα*, *Veſſuna;* ſic etiam Italo. Marmor, apud Gruterum, Tutelae Aug. VESVNNAE Secundus Soter D. S. D. de ſuo dedit. Sidonio, *Veſunnici* dicuntur incolae. Poſtea nomen populi inualuit; Notitia Aquitaniae ſecundae, *ciuitas Petragoricorum.* Auctor collect. Hiſt. vrbem *Petrocors*, et *Petrocoricam*, vocat; (a) vnde nuncupatio hodierna *Perigueux* originem ſumſit; vulgus tamen arcem vrbanam *Veſune* compellat. Danuilleo *Veſunna* poſtea *Petrocorii*, xix M. P. in exortum, dextra *l' Iſle* amnis ripa.

Hodoeporicon, itinere memorato, a Burdigala Argantomagum, inter Aginnum et Veſunnam, binas habet manſiones, hoc ordine: Aginnum, *Excisum.* xiii. *Traiectus.* xxi. *Veſunna.* xviii. Tabula priorem nominat, ſed itinere Veſunnam vſque non continuato; habet quippe,

Exciſum. xiii. ſcheda *exciſum*, absque numero; Velſ. *Excisum.* xiii. In quibusdam Hodoeporici exemplaribus M. P. xvi. Durant, Valeſio teſte, nominis obſcura veſtigia in *Eixſe*, abbatia vetere. Menſura pertingit ad *Lot* amnem, paullo vltra *Clerac* oppidum; Danuilleo, *Exciſum*, xix M. P. dextra *Lot* amnis, in boream nonnihil ortiuum, ſitu vici *Villeneuve d' Agenois;* charta Europae mill. geogr. duo, cum tribus quintis, numerat.

Apud hanc manſionem fuerit biuium, Tabula in exortum, Diuonam verſus, procedente, Hodoeporico in ſeptemtriones Veſunnam; Danuille vna ire iubet vtrumque ad amnem vſque Duranium, vbi locis ambobus, ripa modo ſeiunctis, poſitis, Tabulam remeare cogit in exortum hibernum, praeter omnem veri ſpeciem. Praeiuit ipſi Velſerus, ſimilia ex Finei Gallica tabula opinatus. Hodoeporicon abſoluamus ante.

Traiectus. xxi. Simlero, *Trauectus*, vel *Traiectus;* Cuſani codex, *Trauectus.* xi. Numerus prior eſt ſincerus; nam ab Exciſo, ripa *Lot* amnis dextra, ad laeuam Duranii, xxi M. P. adcurate cenſentur. Danuille, *Traiectus*, xxix M. P. in boream, prope laeuam Duranii, paullo ſupra *Beaumont* vicum, ripa dextra *Diolindum*, ſitu vici *Limeil*, *la Linde.* Ab ſitu Traiectus abeſt oppidum *Bergerac* in occaſum x M. P. Sequitur in Hodoeporico, *Veſunna.* xviii. interuallum ad vrbem *Perigueux* aequiſſimum; Danuille nunc xv. nunc xix Leugas numerat; de vrbe Veſunna paullo ſuperius dictum. Tabula, vti monebamus, ab Exciſo flexit in orientem, verſus vrbem *Cahors*, ripam *Lot* amnis dextram legens, ad manſionem,

---

(a) In Caniſii Lect. Ant. p. 224.

Diolindum. xxi. ſcheda, *Brolindū.* absque numero; Velſ. *Diolindum.* xxi. Danuilleo, dextra Duranii ripa, apud *la Linde* vicum, eſt *Diolindum*, nobis dextra *Lot* amnis, apud vicum *Puis l' Evecque*, ductu viae et numeris poſcentibus. Nam ſonus vocabulorum recentium poſitioni veterum locorum fraudi eſſe nequit, niſi viam turbatam certo conſtet.

Bibona. absque numero; inſignia vrbis; ſcheda et Velſ. *Bibona.* Si ea, quae hactenus de ſitu locorum vtriusque itineris diximus, bene habent, xv M. P. ab Diolindo Bibonam deſiderabuntur. Eſt quidem numerus inferne xxiiii. qui etiam Danuilleum ſeduxerit; ſed is huc facere nequit, vt paullo poſterius dicturi ſumus. Ptolemaeo, in Cadurcis, *Δουήωνα*, *Dueona*, Schotti libro, *Δουηόνα*, Italo *Ducona*, pro *Διόνωνα*, *Diuona*, vt Cellario videtur, et in Tabula Bibona pro *Dibona.* Saepe enim poſtremi huius monumenti ſcribae B et D conſonas permutant; quarum figura in caractere, vt dicimus, Longobardico, fere aequalis eſt. Auſonio, *Diuona.* Poſtea nomen populi, vt alias, vſu receptum; Magno, *Cadurcus*, *Diuona.* Notitia prouinciarum Galliae, in Aquitania prima, *ciuitas Cadurcorum.* Quandoque, *Cadurcum*, *Cadurx*, dicitur; ex quo *Cahors* hodiernum prodiit.

X. A Dibona duplex via eſt, vna Toloſam in auſtrum, altera Segodunum in exortum; illam videamus ante. Manſio itineris prima,

Coſa. xx. xxiiii. ſic Velſ. Danuilleo *Coſa*, xxvii M. P. in auſtrum, dextra *Aueirou* fluuii ripa, ſitu vici *la Fracoiſe;* vicinus ab exortu eſt vicus *Cauſſade*, in quo veſtigia antiqui nominis ſuperent; neque longe in auſtrum abeſt oppidum *Montauban*, cuius partem potiorem ripae amnis dextrae adſtituit Ortelius. Alter numerus xxiiii ſignet viam aliam non nihil longiorem; Danuille ad Diolindum retuliſſe videtur, via a Duranio fluuio ad vrbem Diuonam notata; quod rerum adiuncta non patiuntur; eſt enim interuallum id octo mill. geogr. ac proinde xl M. P. quod Tabulae, viaeque rationi aduerſatur. Inde veniunt,

Fines. vii. Velſ. *Fines.* vii. Danuilleo *Fines*, viii M. P. in auſtrum, agro *Montauban* oppidi; paullo inferius, ad fluuium Tarnem, *le Tarn*, *Carn*, conſtiterit, vbi et hodie *Guienne*, *Gaſcogne*, et *Languedoc* prouinciae concurrunt; olim Cadurci, Toloſates, Vmbranici fuere contermini. Toloſam, quae hoc itinere ſequitur, Narbonenſi ſeruamus. Altera via a Dibona Segodunum hoc modo procedit:

Varadeto. xv. ſic Velſ. Habuimus *Varadeto* manſionem itinere a Burdigala Veſonnam; ſed id vocabulum, quod apud Scheib eſt vitiatum, ſcriba Velſeri recte expreſſit. Danuilleo, *Varadetum*, xx M. P. in exortum, circiter vicum *Cajarc;* qui tamen dextra *Lot* amnis conſiſtit, apud geographum a laeua in mediterranea remotus; apud Ortelium his locis viſitur *Caſtel nan de moram.*

Carantomago. xi. ſic Velſ. Danuilleo, *Carentomagus*, xvii M. P. in exortum, dextra *Aveirou* amnis, ſitu oppidi *Ville Franche;* huc vſque ab vrbe *Cahors* prope ſex mill. geogr. ſeu M. P. xxviii. numerantur, Danuille xxxvii interponit.

Segoduni. xv. inſignia vrbis; ſic Velſ. procul dubio *Segoduni* legendum, qua forma et Ptolemaeus vtitur, in Rutenis, qui ei *Ρουτανοὶ*, *Rutani* audiunt, *Σεγόδουνον*, *Segodunum*, Italo quoque *Segoduno;* Schotti libro, *Σεγάδουνον*, *Segadunum.* Cellarius tamen e Ptolemaeo et Tabula *Segedunum* adfert. Poſtea populi, cuius Strabo, Plinius, Lucanus, alii meminere, vocabulo, *Ruteni*, *vrbs Rutena*, vocari coepit. Notitia Aquitaniae primae, *ciuitas Rotenorum.* Danuilleo, *Segodunum* poſtea *Ruteni*, in colle, xxiv M. P. in exortum, dextra memorati *Aveirou* amnis ripa, ſitu vrbis *Rodez*, *Rhodez*, regione *Rouergue.* Pars Rutenorum, Caeſaris aetate, fuit prouinciae adtributa, quae Narbonenſis deinde nuncupata erat.

XI. Duplex eſt ab Segoduno via, vna in auſtrum, Condatomagum, altera in exortum, Anderitum, et Aquas Segete verſus. Condatomagus in Narbonenſi eſt; proinde alteram ſequemur.

Ad Silanum. xxiiii. ſic Velſ. Danuille deprimit viam in exortum, verſus *Mende* oppidum, prope Oltis fontes ſitum, a quo in boream Leugis quatuor oppidum *Javaux* abſit, quod Anderitum interpretantur. Danuilleo, *ad Silanum*, xxxiii M. P. in exortum paullifper borealem, ad ripam *Lot* amnis, agro vici *Chanac.* Nobis videtur itineris ductus in exortum aeſtiuum dirigi debere, verſus *S. Flour* oppidum; vt Silanus hic noſter, ſeu fons ſaliens, circiter vicum *Candisaigues*, Ortelio *Chaudes aigues*, incidat, non longe a laeua amnis, ab *S. Flour* decurrentis, ripa; Danuilleo, *Calentes Aquae.*

Anderitum. xviii. ſic Velſ. Ptolemaeo, a Vaſariis, *ὑφ᾽ οὓς Τάβαλοι, καὶ πόλις Ανδέριδον*, *ſub his Tabali, et vrbs Anderidon;* Schotti edito, *Τάβαλοι Ανδερηδόν.* Scaliger, apud Cellarium, *Ανδερηδών* legit; Italus: *ſotto queſti ſono i Stabali, et la città Anderido.* Citra dubium, *Γάβαλοι*, *Gabali*, ſcriptum in Coſmographo erat; quod geographorum *παῖδες* non obſeruarunt. Populus Straboni *Γαβάλεις*, *Gabales;* ita et Plinio, qui regionem eorum *pagum Gabalicum* vocat, caſeum laudans. (a) Dictum Plinii firmat epigraphe, Gallieno imperatore poſita Poſtumio tyranno, quae ſic habet:

IMP. CAES
M. CAS. LAT
POSTVMO
P. F. AVG. COS
M. P. GABALL. V

(a) L. XI. c. 97.

Postrema legas, *municipes pagi Gaballici vouerunt.* Sidonius, *terram Gabalum niuosam*, nuncupat; Notitia Aquitaniae primae, *ciuitas Gabalum;* in conciliis, *Gabalitana ecclesia et ciuitas.* Danuilleo, *Anderitum postea Gabali*, xx M. P. in exortum aestiuum, dextra surgentis Triobris, situ vici *Javoux;* in charta Europae is fluuius oritur apud *S. Flour*, quod ratio itineris Anderitum esse cupit, in colle situm.

Condate. XXII. sic Vels. numero superius ad Aquas Calidas posito. Danuilleo, *Condate*, XXVII M. P. in exortum aestiuum, laeua Elaueris, *Allier*, in confluxu alterius amnis, situ vici *Langeal*, vel *Saugue;* nobis est oppidum *Brioude*, eadem Elaueris ripa, ei *Briuas* dictum, quatuor mill. geogr. cum quinta vna ab *St. Flour* in exortum aestiuum abscedens.

Reuessione. XII. sic Vels. Danuille, *Reuessio*, XV M. P. in exortum aestiuum, prope laeuam Ligeris, agro oppidi *le Pui*, regione *Velay;* nostra via tenet ripam Elaueris, ad oppidum *Issoire* ducens, in quo Reuessionis vestigia superare videntur. Ptolemei *Ρουέσιον*, *Ruesium*, in Velaunis, Schotti libro, *Ρουέσσιον*, *Ruessium*, Italo quoque *Ruessio*, huc spectet; cuius situm Mannert in Danuilleo improbat, ipse nihil decernens. Danuille, recentiori vocabulo regionis *Velay* ductus, apud *le Pui* scripsit *Reuessio*, *postea Vellaui;* et fortasse, si Tabula errat, bene statuit; sed errorem hunc monstrare oporteret.

Icidmago. XVII. Vels. *Icidmago.* XIIII. Numerus prior est sincerus, si ratio interuallorum habeatur; flexit autem via ab *Issoire* in exortum, versus *Montbrison* oppidum, per vicum *Comte Oliergue*, dextra amnis, Elauerim in boream petentis conspicuum, qui Icidmago respondeat; Danuilleo, *Icidmagus*, XI M. P. in exortum, situ vici *Issigneux;* qui sono quidem respondet, interuallis discrepat; quae geographi vestigia heic tuto sequi non licebit. Nam si quatuordecim Leugas, pro more, accepisset, oportebat distantiam Icidmagi ab Reuessione triplicare.

Aquis. Segete. XVII. aedes quadra; sic Vels. Danuille cum suis Leugis, etsi eae M. P. sesqui mensura sint ampliores, remansit integris XIV Leugis a Foro Segusianorum, a quo nostrae Aquae VIIII dumtaxat M. P. aberant; interuallum vtrimque adcuratum, oppido *Montbrison* Aquas Segete admoueri, omnino suadet; abscedit a ripa Ligeris laeua (dextram *Feurs* tenet) duobus mill. geogr. in occasum hibernum. Itaque,

Foro Segustauarū. VIIII. bene habent; neque cum Danuilleo loca tam amplis spatiis distrahi debent. Numerus hic etiam apud Velserum perspicue expressus visitur, cuius rationem Danuille non habuit, cui *Aquae Segete*, in Atlante *Segeste*, XXV M. P. ab Icidmago in exortum aestiuum, dextra Ligeris, circiter *Monistrol* vicum, eodemque spatio a Foro Segusianorum in austrum, ponuntur; quae mensura omnem Tabulae viae rationem subuertit. Bina haec oppida, cum *Roane*, sunt in regione *Fiorez* nuncupata, quae olim ad Segusianos, Lugdunensis Galliae, spectabat; quorum municipiorum in ea quoque

prouincia eſt mentio facta. Hinc in occaſum regredi, et reliqua itinera perſequi libet.

XII. Tertium a Burdigala iter ducit Mediolanum, quod etiam Hodoeporicon tenet; in hoc prima occurit manſio, cui nomen,

Blavia. IX. ſcheda et Velſ. *Blauia.* IX. Hodoeporicon, *Blauio.* XVIIII. Simlerus, *Blanuto*, vel *Blauio;* in Blandiniano Suritae, *Blauuto;* Longoliano, *Blaunto.* Auſonius, *militaris Blauia;* (a) Gregorius Turonenſis, *Blauienſe caſtrum ſuper litus amnis Garomnae;* in Teſtam. Bertichomi, *caſtrum Blauit ſuper alueum Garonnae.* Hodie *Blaye*, inquit Weſſelingius. Eſt id oppidum ſupra Duranii in Garumnam exitum, a Burdigala ad quartum mill. geogr. in boream. In numerum XVIIII omnes libri Hodoeporici conſpirant; proinde in Tabula denarius ſcribae culpa excidit. Danuille XXIIII M. P. interponit, alias XVII Leugas, quae faciunt XXVI M. P. cum ſemiſſe.

Lamnu. XXII. ſic ſcheda et Velſ. qui integre *Lamnum* e ſcheda legit. Hodoeporicon, *Tamnum.* XVI. quod, teſte Weſſelingio, vicum *Talmont* interpretantur. Danuilleo, *Tamnum*, XXXIII M. P. in occaſum aeſtiuum, prope oppidum *Pons*, ad aeſtuarium Garumnae, ſitu vici *Talmont;* charta Europae mill. geogr. quinque interponit; quare cenſus Hodoeporici vitiatus, factis e M. P. Leugis.

Mediolano Saneon. XIII. inſignia municipii; ſcheda, *Mediolano Sancon.* XIII. Velſ. *Mediolano Saneon.* XXIII. ad oſtium Garumnae, ſed laeuorſum, cum in dextra eſſe deberet. Hodoeporicon ad oſtium fluminis deflectit, vbi inſula parua cum oppido *Gironde*, addita inſcriptione *Tour de Corduan;* ad oſtium eſt vicus *Royan*, vbi Nouioregum Danuille ex Hodoeporico ſtatuit. Tabula Mediolanum recta in exortum aeſtiuum petiit, non XXIII M. P. aut Leugis, quod ſcriba Velſeri notat, ſed M. P. XIII. quod eſt interuallum a *Pons* oppido mathematicum. Hodoeporicon, *Nouioregum.* XII. *Mediolanum Santonum.* XV. De Santonibus dictum in populis. Strabo, cum adiunctis loci, *Μεδιολάνιον*, *Mediolanium*, vocat; pari forma Ptolemaeus, cui *Σαντωνῶν λιμὴν*, *Santonum portus*, et *Σαντωνῶν ἄκρον*, *Santonum promontorium;* de quorum ſitu diſputant geographi; forſan apud *Tour de Corduan* quaeri oporteat rectius, quam ad Canenteli oſtium. Marcianus, *Σάντονες, ὧν πόλις Μεδιολάνιον, ἐπὶ θαλάσσῃ κειμένη, παρὰ τὸν Γαρόυμνα ποταμὸν*, vt Weſſelingius legi vult, *Santones, quorum vrbs Mediolanium, ad mare ſita, iuxta Garumnam fluuium.* Abeſt a Garumna XV M. P. a mari longius. Poſtea nomen populi adſumſit; Ammiano, Burdegala et Aruerni excellunt, et Santones, et Pictaui." Auſonio, *Santonus*, *Santoni*, *vrbs Santonica;* Tyroni *Sanctonus;* Notitiae Aquitaniae ſecundae, *ciuitas Santonum.* Hodie vrbi nomen *Saintes*, laeua Canenteli, *Charente*, amnis ripa, XXII M. P. ſupra oſtium.

(a) Epiſt. 10.

XIII. Triplex eſt a Mediolano via, vna tenet litus, Limonum verſus, media Auſtritum et Auaricum, tertia Veſunnam. De prima ſermonem inſtituere libet, Hodoeporico in conſortium adſcito; manſio prima,

Auedonnaco. XVI. ſcheda, *Auedonaco.* XVI. Velſ. *Auedonaco.* absque numero. Hodoeporicon, *Aunedonnacum.* XVI. apud Suritam, *Aunedunnacum*, *Anedonacum*, *Aundonacum;* Cuſani MS. *Auedonnacum*, vt Tabula. Weſſelingius, *Aunay* eſt, inquit. Danuilleo, *Aunedonacum*, XXV M. P. in exortum aeſtiuum, prope laeuam amnis, Canentelum poſtea ſubeuntis; Ortelio, *Boutonne*, ſitu vici *Aunai*, quatuor mill. geogr. ab *Saintes* remoti. Hac via M. P. non nihil laxius ſumere oportet, quod manſiones intermediae, et vrbium vici latius patebant; recto enim ductu, ab *Saintes* ad *Poitiers* ſunt omnino mill. geogr. quatuor ſupra decem cum ſemiſſe, ac proinde M. P. LXXIII. Tabula numerat LII. Hodoeporicon LVII. Et cenſus quidem Tabulae LII. ſi pro Leugis accipitur, efficit omnino M. P. LXXIII. Sed, cum hactenus nullum Leugis repererimus locum, et heic nulla ſint in Hodoeporico earum veſtigia; ob interuallum nonnihil amplius, quod locorum adiuncta fecerint, barbaram menſuram amplecti in monumento Romano nondum neceſſum eſſe video. Et prima ſane manſio Leugas non admittit; ſequentes vtrum admittere queant, videbimus.

Brigioſum. VIII. ſic ſcheda et Velſ. Danuilleo, *Brigioſum*, XII M. P. in exortum aeſtiuum, laeua amnis memorati recentis, quo agro in Ortelianis eſt vicus *Briou*, ad fluuium *Boutonne*, in Homannianis ibi vicus *Cheboutonne* viſitur.

Rarauna. XII. ſic Velſ. *Raraum.* XII. ſcheda; Hodoeporicon, *Rauranum.* XX. Auſonio, *Pictonicis aruis Rauranum.* Forſan erit *Ρατιάστον*, *Ratiaſtum*, Ptolemaei, in Lemouicis, Schotti edito *Ρατίατον*, *Ratiatum;* de quo apud Auguſtoritum cenſebimus. Weſſelingius, *Rom* vel *Raum*, veteris vocabuli reliquias ſeruat, inquit. Ortelio, *Rom*, ad recentem *Diue* fluuium; Danuilleo, *Rauranum*, XXIII M. P. in eamdem plagam, laeua amnis memorati, vbi *Couhe* vicus in Homannianis. In charta Europae hoc duarum manſionum ſpatio, ab *Aunai*, interponuntur mill. geogr. quinque; quare Danuille nimius eſt, XXXII M. P. numerans.

LEMVNO. XVI. inſignia municipii; Velſ. *Lemuno.* XVI. ſcheda, numero expreſſo, vltra non progreditur. Hodoeporicon, *Limonum.* XXI. Simlero, *Lomounum;* Suritae, *Lomonum*, *Lamaunum*, *Limonum.* Vaticanae membranae, *Leomonum*, praeferunt. Meminit vrbis Hirtius, repetitis vicibus, *Limonum* adpellans, vt ex MSS. egregie docuit Surita. Ptolemaeo, *Λίμωνον*, *Limonum*, in Pictonibus; Schotti libro, *Λίμινον*, *Liminum.* Poſterius nomen populi inditum vrbi; Ammianus, Aruerni excellunt, et Santones, et *Pictaui;* Notitia Aquitaniae ſecundae, *ciuitas Pictauorum;* Tyro, quem Magnonem dicunt, *Pictauus*, *Limonum.* Hodie *Poitiers*, laeua *Diue* amnis ripa; Danuilleo, *Limonum poſtea Pictaui*, XXV M. P. in exortum aeſtiuum. Tabulae numeri, ab

Raurano ad *Lusignan* oppidum, duobus fere mill. geogr. ab vrbe in occasum hibernum abscedens, pertingunt; quare putet quis, mansionem vnam, quae heic steterit, cum denario, incuria scribarum, excidisse; qua suo restituta loco, et mensura a Mediolano erit integra, et nihil prorsus superabit, quod nos de Leugis hoc itinere quidpiam cogitare iubeat.

XIV. Plures viae ad Limonum deriuantur; a portu Namnetum, ab Caesaroduno, ab Argantomago; prior, quae in Hodoeporico desideratur, a portu Namnetum habet,

Segora. XVIII. sic Vels. Danuilleo, *Segora*, LX M. P. in exortum hibernum, dextra amnis exorientis, situ vici *Bressuire*, inde Limonum vsque XLVI numerat; in charta Europae sunt hoc interuallo mill. geogr. decem et septem cum duabus quintis, seu M. P. LXXXVII. Est apud Ptolemaeum, *Σηκὼρ λιμὴν*, *Secor portus*, Pictonum, qui circiter oppidum *Machecou* erat, quo mensura Tabulae XVIII M. P. ducit, dextra exorientis *le Tenu* amnis, ad cuius ostium Mannert Secorem, Martiano *Sicor* audit, exstitisse putat. Quae si recte habent, Segoram cum Ptolemaeo huc referre oportebit.

ΛEMVNO. XXXIII. Vels. *Lemuno.* XXXIII. Mensura petit oppidum maritimum *les Sables d' Olone*, vbi Mannert Pictonum promontorium statuit; Ptolemaeo *Πηκτόνιον ἄκρον*, *Pectonium promontorium*, Schotti libro, *Πυκτόνιον*, *Pyctonium*, Italo *Pictonio.* Danuille heic *Secor portus*, magis in austrum, ad *Pertuis Breton*, *Pictonum promontorium.* Inde oppidum *Luçon* XXVII. *Fontenai* XVI. *Niort* XV. *Lusignan* XXX. qua processerit Tabula vsque Limonum, quorum oppidorum antiqua nomina, culpa scribarum, ignorare cogimur. Alterum ab Limono iter habet

Casaroduno. XΛII. sic Vels. Caesarodunum, alias Turones, vrbem *Tours* esse, in Lugdunensi diximus; omni interuallo binas inter vrbes sumto censentur mill. geogr. decem, duabus quintis minus, seu M. P. XLVIII. forsan circiter oppidum *Chatelle raud*, dextra *Vienne* amnis ripa, mansio quaedam erat, quae intercidit. Tertium iter ducit Argantomagum, hac serie:

Fines. XX. Vels. *Fines.* XX. Hodoeporicon, *Fines.* XXI. Danuilleo, *Fines*, XXX M. P. in exortum, intra duos alueos *Creu* fluuium petentes, quorum occiduus *Gartempe* Ortelio, circiter vicum *Montmorillon;* paullo superius est *St. Savin* vicus, ripa memorati amnis laeua, cui mansio respondeat, X M. P. a *Blanc* oppido in occasum. Sequitur,

Argantomago. absque numero; proximo itinere est XXIIII. qui alio spectet; sic Vels. Hodoeporicon, *Argantomago.* XXI. quod cum sit aequum interuallum, in Tabula XX alterum scriba exmiserit; aliis, *Agrantamago*, *Argentomago*, *Augustomago.* Annales Reuberi, *castrum Argentomagum;* Regino, *Argentonium* vocat; Mannert solum Hodoeporicon, quod oppidi meminerit, profert; Danuilleo, *Argentomagus*, XXX M. P. laeua *Creu* amnis Ortelio *Creuse*, petit, ex aduerso effluentis alterius, situ oppiduli *Argenton.*

Ab Argantomago tres ſunt viae, vna Auaricum, altera Auguſtam Nemnetum, tertia Veſunnam petit; primam cum poſtrema habet Hodoeporicon; in Tabula, ab Argantomago, venit,

Alerta. XIII. Velſ. *Alerea.* absque numero. Danuilleo, *Alerca*, XX M. P. in exortum aeſtiuum, dextra fluuii *Indre* ripa, ſitu oppiduli *Chateauroux*, quod in chartis laeuam tenet. Hodoeporicon, praeterita manſione hac, petiit *Ernodorum.* XXVII. Danuilleo, *Ernodurum*, XXIV M. P. in exortum aeſtiuum, dextra amnis *Vber* fluuium petentis, ſitu vici *Charoſt*, in laeua; proximum eſt ab occaſu *Iſſoudun* oppidum, quod e ruderibus Ernodori ſurrexerit. Sequitur in Tabula,

AVARICVM. XXVII. Velſ. *Avaricum.* XXVIII. Hodoeporicon, *Auaricum.* XIII. ab Ernodoro. Caeſar, oppidum Auaricum, maximum, munitiſſimumque in finibus Biturigum, atque agri fertiliſſima regione, fuiſſe ait. (a) Ptolemaeo, in Biturigibus Cubis, *Αὐάρικον*, *Auaricum;* Schotti libro *Αναρικόν*, *Anaricum;* Italus *Varico* reddit. Auaricum a fluuio *Auara*, poſtea *Auera*, hodie *Evre* ſeu *Yevre*, Homannianis *Vber*, nuncupatum volunt. Poſtea vrbs populi vocabulo venit; Sidonio, *Bituricae;* Ammiano, Cabillonus, et Senones, et *Biturigae*, Lugdunenſem primam ornant;" Magnoni, *Biturex*, *Auaricum;* Annalibus Reuberi, *Biturica ciuitas;* et ſcriptori vitae Ambroſii Cadurcenſis; Gregorio Turonenſi, *vrbs Bituriga;* hodie *Bourges*, in prouincia *Berri.* Danuilleo, *Auaricum poſtea Bituriges*, XIX M. P. in exortum aeſtiuum, laeua amnis memorati, in confluente alterius, in recentioribus dextram tenet, vti in minore geographi Atlante

XV. Binae ſunt praeterea viae Auaricum ducentes, ab Caeſaromago vna, a Degena altera, quam et Hodoeporicon tenet. In priore, ab Caeſaromago, ſunt Taſciaca, deinde

GABRIS. XXIIII. ſic Velſ. Taſciacam in Lugdunenſi dedimus, ſitu vici *Montrichard*, dextra *Vber* amnis ripa. Danuilleo, *Gabris*, XVII M. P. in exortum, ripa laeua, ſitu vici *Selles;* niſi *Gracai*, in auſtrum abſcedentem, reſpexit; nobis eſt ager vici *Ville Franche*, ripa dextra verſus oppidulum *Vierzon.*

Avaricvm. XXIIII. Velſ. *Avaricum.* XXIIII. Interuallum eſt iuſtum; nam ab vrbe *Tours* ad *Bourges* ſunt adcurate ter vicena quaterna M. P. vt apud Taſciacam in Lugdunenſi diximus; Danuille tamen XL M. P. ab Gabris Auaricum vſque numerat. Putem recto *Gabri* aut *Gabrae* dici; nam Gabris eſt obliquus. Altera ab Auarico via,

Tincollo. XX. Velſ. *Tinoollo.* XX. Hodoeporicon, *Tinconcium.* XX. Nomen et ſitus reſpondent oppido *Sancoin*, inquit Weſſelingius. Danuilleo *Tinconcium*, XXXIII M. P. exortum hibernum verſus, laeua amnis, Ligerim ab auſtro petentis, ripa, ſitu vici *Saucoins;* niſi *Germigny*, aut *Dun le Roi*, fuerit.

(a) L. VII. B. G. c. 13.

Degena. XXXIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Decidae*. XXII. Simlero, *Decide*, *Deciſia*, *Dececia;* de qua in Lugdunenſi diſſeruimus, itinere a Cenabo ad Aquas Niſincii et Bormonis, vbi inter Maſſauam et Ebirnum X numerus, huc a ſcriba translatus, deerat. Heic quippe, Hodoeporico etiam indice, M. P. XXIII ab Tincollo ad Degenam ſufficiunt. Ceterum viae ductus ab Auarico inde ad Degenam, apud Scheibium, ſignatus non eſt; quare, ſi numerus XXXIII ſibi relinquatur, via non ad Degenam, ſed ad Aquas Bormonis, duci debet, quibus is adcurate reſpondet; quas apud *Moulins* vrbem, dextra Elaueris, quaeri oportere, cenſebamus. Is quidem locus hodie in Borbonenſi prouincia conſiſtit, olim ad Lugdunenſem ſpectarit. Danuilleo, ab Tinconio, *Dececia*, XXVIII. in exortum, *Aquae Bormonis*, XVIII in auſtrum, ſitu oppidi *Bourbont Archamb*, cuius alias mentio facta; ex his prior cenſus eſt iuſto maior, poſterior iuſto minor; nam Tincollo apud *Dun le Roi* poſito, XXXIII M. P. ad Aquas Bormonis cenſentur.

XVI. Nunc in occaſum regredi, et ſuperantes a Mediolano vias perſequi libet; earum binae ſunt Auguſtoritum, altera in exortum aequinoctialem directe procedens, altera Veſunnam in exortum hibernum deflectens. Priorem luſtremus. Danuille ab Aunedonnaco ducit; in Tabula paullo ante viae diuortium notatur, ob conſtructionem operis; ad ſpatium aliquod vna proceſſerint.

Ser-anicomago. absque numero; ſcheda et Velſ. *Sermanicomago*. Velſerus e ſcheda legit, *Sermamcomago*, quod ſe adhuc quaerere ait. Danuilleo, *Sermanicomagus*, XXX M. P. ab Aunedonnaco in exortum, prope dextram *Charente* amnis, ſitu oppiduli *Ruffec*. In charta Europae ſunt eo ſpatio mill. geogr. quinque cum ſemiſſe, ſeu M. P. XXVIII. quae, ſi loci poſitio recte habet, in Tabula deſiderentur.

Caſſinomago. X. II. ſcheda, *Caſſinomag'*. XII. Velſ. *Caſſinomago*. XIII. Floriacenſis, apud Ortelium, teſte Velſero, *Caſſinogilum* inter flumina *Druch* et *Warumnam* conſtituit; prioris nomen ſibi obſcurum, inquit Velſerus, alterum Garumnam interpretatur. Sed Garumna longius inde abeſt. Ortelio, in Pictonum tabula, viſuntur duo minuti fluuii, *Garane* ab occaſu, *Gorre* ab oriente, amnem *Vienne* in boream petentes; inter quos bina oppida, *Chabanays* et *Roche chovart*, cum vicino priori *Chaſſanan* vico, notari videas; huic ab exortu proximum oppidum *S. Iulien*, ad fluuioli *Glane* cum *Vienne* amne concurſum, quod Caſſinomago reſpondeat. Danuille, Caſſinomagus, XXXIV M. P. in exortum nonnihil auſtralem, prope laeuam *Vienne* fluuii, ſitu oppidi *Roche Chovart à Poit*. In charta Europae intercedunt mill. geogr. quinque cum ſemiſſe, vt ante. Numerus Tabulae pertingit ad vicum *Rochefoucant*, vbi manſio intermedia fuerit; ſiquidem is errore caret.

Auſtrito. XII. inſignia municipii; ſcheda, *Auſtrito*. XVII. Velſ. *Aſtrito*. XIIII. Hodoeporicon, *Auguſtoritum*, *Auguſtoretum*, *Auguſtoricum*. Ptolemaeo, in Pictonibus, *Αὐγουστόριτον*, *Auguſtoritum*, cum Limono; ſic etiam Italus; in

Lemouicis autem, *Ρατίαστον*, *Ratiaſtum;* Schotti editus e contrario, *Ρατίατον*, *Ratiatum*, Pictonibus, Auguſtoritum Lemouicis tribuit. Inde contentio de ſitu vtriusque; et hodie quidem in ſitu Auguſtoriti, numeris Itinerariorum poſcentibus, inter geographos conuenit; Ratiaſtum ſedem non reperit. Danuille et Mannert, numeros graduum ſecuti, admouent Ligeri, imponuntque oppido *Machecou;* nos heic Segoram Tabulae deprehendimus, qui eſt *Σηκὼρ λιμὴν*, *Secor portus*, Ptolemaei, Mannerto quoque ſic volente; nomina cum ſitu congruunt. Ratiaſtum, ex mente Ptolemaei, in mediterranea ſpectat, conuenitque cum Rarano, ſeu *Rarauna* Tabulae, Raurano Hodoeporici, itinere a Mediolano Limonum; cui *Rom* vicum, ad recentem *Diue* fluuium, in Pictonibus, reſpondere, aliorum quoque opinione, dicebamus. Haec de Ratiaſto, quod pro Auguſtorito Lemouicorum Pictonibus reſtitui debebat, dicta ſunto. Auguſtoritum poſterior aetas populi vocabulo adfecit; Notitia Aquitaniae primae, *ciuitas Lemouicum;* Magno, *Lemoſex*, *Auguſtoretum.* Danuilleo *Auguſtoritum poſtea Lemouices*, XXIV M. P. in exortum, dextra *Vienne* amnis ripa, ſitu vrbis *Limoges.* Iter hinc Argantomagum vſque perſequemur, poſtquam ab Veſunna iſthuc adpulerimus.

XVII. Poſtremum a Mediolano iter eſt Veſunnam, inde Auguſtoritum; Hodoeporicon principium itineris non habet, ſed apud manſionem Fines cum Tabula conuenit, itinere a Veſunna Auguſtoritum. In Tabula, manſio a Mediolano prima nominatur,

Condate. absque numero; ſic ſcheda et Velſ. Paullinus ad Auſonium, *vicum Condatinum* memorat: qui vtrum iſthuc mentem reflexerit, incertum. Danuilleo, *Condate*, XVII M. P. in exortum paulliſper auſtralem, laeua Canenteli, *Charente*, ſitu oppidi *Cognac*, interuallo aequo; quod ſi bene habet, via in Tabula acciſa et turbata erit.

Sarrum. X. ſcheda, *Sarrum.* X. Velſ. *Sarrym.* X. Danuille, *Sarrum*, XXXII M. P. in exortum hibernum, dextra exorientis fluuii, *l' Iſle* amnem a borea petentis, ſitu vici *Montmoreau.* Numerus Tabulae eſt ab Iculiſma, *Angouleme*, vrbe, dextra Canenteli, in auſtrum Sarrum vſque; nouit locum Auſonius, quo viam duxiſſe, ex his colligere licet. Danuillei interuallum eſt iuſtum; cum enim iter Tabulae ſit deprauatum, Leugas ex numeris facere nequiuit.

Veſonna. XX. ſic ſcheda et Velſ. Danuille, *Veſunna*, XXXIV in exortum hibernum, vbi rurſus Leugas numerari videas, cum id ſpatium quatuor mill. geogr. metiantur. De vrbe Veſunna, hodie *Perigueux*, dictum itinere alio. Auguſtoritum verſus, occurrunt

Fines. XIIII. ſcheda non exprimit; Velſ. *Fines.* XIIII. Hodoeporicon, *Fines.* XXI. Danuilleo, *Fines*, XXX M. P. in exortum aeſtiuum, prope vicum *Chaſlus.* Si Tabulae numerus bene habet, manſio quaepiam deſiderabitur, cum M. P. VII. nam Hodoeporici cenſus XXI eſt ſincerus.

Auſtrito. XIIII. ſic ſcheda et Velſ. Hodoeporicon, *Auguſtoritum.* XXVIII. in Longoliano Suritae, *Auguſtoricum.* XXI. in Neapolitano, *Auguſtorium.* XXI. qui numerus eſt probus, diſtantiae adcurate reſpondens. In Tabula aut ſcriptum olim erat XVIIII. aut manſio aliqua excidit, aut numeri ex vicinis irrepſerunt viis. Danuilleo, *Auguſtoritum*, XXX. in eamdem plagam; ſufficiunt Hodoeporici XXI M. P. ſunt enim *Perigueux* inter et *Limoges* mill. geogr. octo cum quatuor quintis, ſeu M. P. XLIV. duobus amplius, quam in Hodoeporico. De Auguſtorito dictum alias.

XVIII. Tabula ab Auguſtorito duplicem praeterea habet viam, Argantomagum vnam, Auguſtam Nemete alteram. In priore, apud Scheibium, numeri duo XIIII. et XXIII interponuntur, nulla manſione ſignata, etſi ſpatium eſſet, pro vna ſaltem, ſufficiens. Velſeri editio priorem modo exprimit. Danuille, aliis praeterea viis in conſiderationem ſumtis, XIIII ad vicinam manſionem, Aug. Nemete verſus, ad quam is numerus ſpectare videtur, retulit, ſed Leugas interpretatus. Si *Gueret* vrbem, quo Danuille tendit, ſupponamus Praetorium, alter numerus XXIIII Argantomagum vſque erit exactus; priori binae decades addendae; intercedunt quippe inter *Limoges* et *Gueret* mill. geogr. ſeptem; Danuilleo, Praetorium XXII. Acitodunum XXVIII. vniuerſim L M. P. illud eſt ſitu oppidi *Bourgneuf*, hoc vici *Ahun*, illud *Vienne*, hoc *Creu* amnis laeua. Si directe verſus Argantomagum tendebat via, manſio ad XIV lapidem, circiter vicum *Chau Pomſac*, ſteterit, cuius nomen vetus ignoramus; inde ad XI vicus *la Souterraine*, tum ad XXIIII *Argenton.* Sunt enim hoc ſpatio, binas inter vrbes, omnino mill. geogr. nouem cum quatuor quintis. Hodoeporicon, ab Auguſtorito, habet *Argantomago.* XXI. pro XLIX. numerus tamen XXI porrigitur ad oppidum *Bourgneuf*, vbi Praetorium Danuille ſtatuit. Atque hic viae in vtroque monumento defectus fecit, vt inter geographos de ſitu harum vrbium lites ſererentur. Danuille opportune poſuit; ſed ex vnis tabulis, quae pluribus locis ipſae laborant, cauſſam poſitionis, niſi arbitrariam, colligere non licet. Secundum eius poſitionem, Argentomagus ab Auguſtorito in boream, ductu recto, abeſt M. P. LVII. ſufficerent L M. P. Vtrimque via Auguſtam Nemete proficiſcitur; et quidem ab Auguſtorito hac ſerie:

Pretorio. XIIII. ſic Velſ. Danuilleo, *Praetorium*, XXII M. P. in exortum aeſtiuum, ſitu vici *Granmont*, non longe a *Bourgneuf* caſtello; forſan Praetorium apud *Gueret* vrbem rectius conſiſtet, ſi manſionum ſequentium ratio habeatur; apud *Granmont* autem, ad XIV ab vrbe lapidem, fuerit locus, cuius nomen vetus ſcribae exmiſerunt, vtraque via male mulctata; inde autem *Gueret* vſque ſunt M. P. XXI.

Acitodonum. XVIII. ſic Velſ. Danuilleo, *Acitodunum*, XXVIII M. P. in exortum paullisper borealem, laeua *Creu* amnis, ad VI infra *Gueret* lapidem, ſitu vici *Ahun;* nobis eſt oppidum *Aubuſſon*, dextra *Creu*, Ortellio *Cher*, amnis recentis. Hic viae flexus, praetorii cauſſa, cuius inſignia non comparent,

factus fuerit; quod ſi in *Gueret* vrbe conſiſtebat, *Autun* Acitodono reſpondere nequit.

Fines. xx. ſic Velſ. Danuilleo, *Fines*, xxxi M. P. in exortum hibernum, prope Duranii fontem, ſitu vici *Croc;* nobis eſt vicus *Miremont*; paullo vlterius in exortum, ad amnem recentem, Elauerim ab occaſu petentem, quo loco fere et Danuillei manſio conſiſtit, ſed ſpatiis ſecundum Leugas ampliatis. Hi fuerint ſines Aruernorum et Lemouicenſium, hodie regionum *Lamarche*, *Limouſin* et *Auvergne;* manſio intra huius terminos etiam apud Danuilleum conſiſtit. Quatuor mill. geogr. eo interuallo xxxi M. P. non admittunt.

Vblium. x. Velſ. *Vb--um.* x. ſic etiam Danuille in Atlante maiori, in altero *Vblium*, vnde nos ſumſimus; apud Scheibium manſio haec **Vb...um.** mediis eroſis, notatur. Danuille, xviii M. P. in exortum hibernum, dextra amnis Elauerim ab occaſu petentis, ſitu vici *Pont Gibaut*; quod interuallum eſt duorum mill. geogr.

Aug. Nemete. viiii. inſignia municipii; Velſ. *Aug. Nemeto.* viiii. Danuille, *Auguſtonemetum poſtea Aruerni*, xiv M. P. monte traiecto, in exortum paulliſper borealem, ſitu oppidi *Riom;* ſufficit menſura Tabulae. Strabo, *μητρόπολις*, metropolis A..ernorum *Νεμωσσός*, *Nemoſſus;* quod vetus nomen vrbis fuerit; Ptolemaeus, *Αὐγουστονέμετον*, *Auguſtonemetum;* paullo ſerius, vt cum aliis factum, in cognomen populi abiit; Ammianus, *Aruerni excellunt*, *et Santones*, *et Pictaui;* Sidonio, *vrbs Aruerna;* in Galliae Notitia, *ciuitas Aruernorum;* Magno, *Aruernus Auguſtanemetum.* De ſitu vrbis inter geographos diſputari videas; nos, menſura duce, peruenimus ad oppidum *Riom*, vrbi *Clermont* a borea fere contiguum, vno dumtaxat mill. geogr. ſeiunctum. Danuille vi M. P. interponit.

Aquis Calidis. absque numero; inſignia municipii; ſic Velſ. apud quem numerus xxii. ad aliud iter ſpectans, ipſi aedificio quadro adſtitutus, Danuilleo, impoſuerit, vt ad viceſimam inde Leugam Calidas Aquas quaereret, cum Tabula in boream, itinere aduerſo progreſſus. Aquae hae Calidae erant municipio Nemetum vicinae, vbi hodie vrbs *Clermont;* idcirco nullus eſt additus numerus, quemadmodum ad Rhenum inter coloniam Traianam et Vetera. Haec autem eſt ipſa *Gergouia*, quae Caeſarem fatigarat, ipſo de ſe in commentariis belli Gallici teſte; (a) Strabo, *Γεργοουΐαν πόλιν Ἀρουέρνων*, *Gergouiam vrbem Aruernorum* nuncupat. (b) Superant rudera vrbis antiquae in monte *Gorgoie*, vna ab Elaueri Leuca, tantumdem ab Claro monte, vt Cellarius perhibet. Gergouiam Danuille recte poſuit; Mannert ob viciniam vrbium de vtriusque ſitu dubitat, et incertos etiam lectores mittit. *Aquae Calidae* Danuillei ſunt dextra Elaueris, xxxiii M. P. ab Nemetis in exortum aeſtiuum, ſitu pagi *Vichy;* quem ſitum ratio itineris non patitur.

(a) L. VII. c. 50. ſeq. (b) L. IV. p. 191.

Vorogio. VIII. ſic Velſ. ſcriptum ad latus fluuii, ob anguſtias loci. Danuille, numero alterius itineris deceptus, abit in boream, praeter veri ſpeciem; ſic enim auctor Tabulae quodam modo redire cogeretur, cum tamen viae ratio exortum petere ſuadeat. *Vorogio*, recto Vorogium, fuerit ad ripam Elaueris, directione verſus oppidum *Roane*, circiter vicum *Moringue*, aut *Ris;* ceterum *Gorgoie* cum Vorogio adſinitatem habere videtur. Danuilleo, *Vorogium*, XII M. P. ab Aquis in boream, ſitu vici *Billy*.

Ariolica. XVIIII. Velſ. *Ariolica*. XIIII. rectius habet numerus prior, qui ad crepidinem montis borealem, trans Elauerim ducit, in angulum, quo fines prouinciarum *Bourbonois*, *Auvergne*, et *Lionois* concurrunt, vbi fere oppidulum *Cuſſet a Bourb* conſpicitur. Per iuga montis huius et Danuille Seguſianos ab Aruernis, Aquitanos a Lugdunenſibus diremit. Elauer hodie *Alier* audit, qui cum *Ariolica* quidpiam cognationis habere videatur; forſan monti illi, aut fluuiolo, cuius dextram *Cuſſet* occupat, id vocabuli proprium erat. Si nominis rationem conſideres, ad Aruernos ſpectarit locus, hac parte poſtremus. Roidomnam, quae ad XII ſequitur lapidem, in Lugdunenſi retulimus; vbi etiam de Ariolica et Vorogio, Danuillei ductu, quaedam ſunt memorata.

XIX. Supereſt iter ab Argantomago Auguſtam Nemete, qua Hodoeporicon progreſſum non eſt; prima itineris manſio eſt,

Mediolano. XXVIII. ſic Velſ. Danuille, *Mediolanum*, XXXVII M. P. in exortum, circiter vicum *Culand;* apud Ortelium hoc agro comparet arbor quaedam cum inſcriptione: *Vlmus haec quatuor collateralium prouinciarum fines attingit;* quae ſunt *Berri*, *Limoſin*, *Auvergne*, *Bourbonois*. Mediolanum cadit ad exortum amnis *Theo*, vt eum Ortelius vocat, cui ſuperne *Charoſt* vicus adſidet, vbi Ernodurum Hodoeporici, prouincia *Berri*, prope limites *la Marche* et *Bourbonois* regionum, vbi fere *Culand* vicus memoratus conſiſtit.

Aquis Neri. XII. Velſ, *Aquis Neri*. XII. Danuilleo, *Aquae Nerae*, XXVII M. P. in exortum hibernum, prope dextram *Vber* amnis, paullo infra oppidum *Mont Lucon*, ſitu vici *Neris*, in Borbonenſi regione; ſed Leugae neque iſthic bene audiunt.

Cantilia. XV. ſic Velſ. Danuille, *Cantilia*, XXIV M. P. in exortum paulliſper hibernum, laeua amnis cum altero Elauerim petentis, vbi vicus *Chantele*, ad fines *Auvergne*, vbi *la Marche* et *Bourbonois* regiones concurrunt. Haec loca in Ortelio deſiderantur, quod ex eo mirum cenſeas, quia antiqua vocabula ſeruant.

Aug. Nemete. XXIIII. Velſ. *Aug. Nemeto*. XXIIII. Danuille, *Auguſtonemetum*, XXXV M. P. in auſtrum, cenſu Leugarum; ſed has itinere hoc adhiberi non poſſe, vel inde arbitrere, quod ab *Argenton* ad *Riom*, omni ſpatio intercepto, mill. geogr. quindecim cum ſemiſſe, atque adeo M. P. LXXVIIII cenſentur, quot in Tabula vides. Quare nemo in monumentis Romanis barbaram quaeſierit menſuram. Haec de Aquitanica.

SECTIO V

NARBONENSIS

§ I

Nuncupatio et fines.

I. AEVO Caesaris, prouincia Romana, vel fimpliciter *Prouincia* nuncupabatur, quod hanc folam e Galliis iuri fuo obnoxiam Romani haberent. Caefar id vocabuli frequens vfurpat. (a) Plinius, ante *Braccatam* fuiffe dictam, perhibet: (b) Narbonenfis prouincia adpellatur pars Galliarum, quae interno mari adluitur, Braccata ante dicta, amne Varo ab Italia difcreta, alpiumque vel faluberrimis Romano imperio iugis; a reliqua vero Gallia, latere feptemtrionali, montibus Gebenna et Iura; agrorum cultu, virorum, morumque dignatione, amplitudine opum, nulli prouinciarum poftponenda.“ Nomen regno quoque epigraphico notum; in lapide Romano, apud Dacas relato, M. Statius Prifcus, procur. xx hered. prouinc. NARBONENS. et Aquitan. in alio, apud Pannonios, M. Pontius, quaeftor prouinc. NARB. Strabo, *Ναρβωνῖτιδα*, *Narbonitidem*, et *Ναρβωνῖτιν*, *Narbonitin*, vocat; Ptolemaeus *Ναρβωνησίαν*, *Narbonefiam*, feu *Narbonenfem*. Id nuncupationis fortita eft prouincia ab colonia Marcia decumana Narbone. Tabula id vocis non prodidit, Aquitania prope Arelate deducta; ea vero, quae Narbonenfi tribuitur, in populos diuifa, libertatis cuiuspiam fpecie, qua fub Antoninis fuerit gauifa. Cum enim alias Galliae prouincias ordine recenfeat, huius tacitae cauffam habuerit non vulgarem.

II. Itaque, Tabulae rationes fecuti, prouinciam, inclufis Sequanis, et Heluetiis, defcribemus. Hi enim, cum reliquis huius prouinciae populis, difcreti a prouinciis Galliae vicinis, libertate eo tempore gauifi fuiffe videntur. Sic accepta regio ab occafu habet Aquitaniam et Lugdunenfem; a feptemtrione Belgicam et Rhenum; ab exortu eumdem fluuium, cum tractu alpium, ad amnem Varum; a meridie finum Gallicum, quae eft pars maris Interni, et Pyrenaeorum portionem ad Conuenas. Procurrit ab gradu long. 18 min. 20 ad grad. 27. in latum ab gradu 43 ad 48 min. 15. Summa regionis longitudo, a lacu Acronio ad Pyrenaeum, DL M. P. latitudo, ab finu Gallico ad montem Vogefum, CCCLXX M. P. Hodie ab occafu *Languedoc*, a borea *Franche Comte*, ab exortu *Suiffe* et *Savoie*, ab auftro *Daufine* et *Provence*, praecipuae cenfentur partes, quas in populis fingillatim recenfebimus.

(a) L. I. c. 1. 7. (b) L. III. c. 5.

§ II

Alpes, *montes*, *promontoria*, *portus*, *insulae*, *fluuii*, *fossae*, *luci*, *lacus*.

I. OMNIS fere plaga haec montana est; alpes Peninae, Cottiae, Graiae. Liuio *Penninus* mons, a Pennino, qui in vertice colebatur. Habet Sponius epigraphen, DEO PENINO dicatam. (a) Alii a Poenis vocem deriuari malunt; Strabo, *τοῦ Ποινίνου*, *Poenini* vocabulo vtitur; Plinius, alpium fores, Graias atque *Poeninas*; Ptolemaeus, voce breuiata, *Ποινὰς*, *Poenas*, vocant. Vetus inscriptio, quam in Rhaetis dedimus, VALLIS POENIN. meminit. Tabula duplicem alpium tractum exhibet; vnum a Varo amne ad regionem Mediolani, alterum a fontibus Vari, iunctum priori, supra Liguriam ad Apenninum protendit, quocum mediam pererrat Italiam. Itinere alpestri, a Vienna Augustam Praetoriam, in summo pennino. Hodoeporicon, *Summo Penino.* Danuille, eo situ, *Alpis Pennina;* qua forma Itineraria non vtuntur. Is tractus alpium est ad fontes Duriae maioris, Rhodano recenti ab austro et exortu praetentus.

Inferius sunt alpes Graiae; Plinius: Augusta Praetoria iuxta geminas alpium fores, Graias atque Poeninas; his Poenos, Graiis Herculem transisse memorant." Nepos, *saltum Graium*, nuncupat. Tabula, itinere alio, a Vienna Augustam Praetoriam, in alpe graia. Danuille, his locis, *Alpis Graia;* rectius quidem, quam superius *Pennina.* Isarae fluuii fontes occupat, cuius pars australis *Mont Senis* vocatur.

Cottii regnum, alpesque Cottias, memorant plures; Strabo, *πρὸς τὴν Κοττίου γῆν*, *versus Cottii terram;* Tacitus, *Cottiae*, et *Cottianae* alpes; ciuitates *Cottianae*, Plinius; inscriptio vetus, COTTIANAE. Hodoeporicon, *Cottiae*, in alpibus; Tabula, in alpe cottia. ad fontes Padi; Danuilleo, *Alpis Cottia*, ad fontes Druentiae. Iuga haec alpium peruadunt fines Sabaudiae, Pedemontii, et Delphinatus; a borea *Mont Genevre*, ab austro *M. Viso.*

II. Montem Pyrenaeum, et *promontor. Pyrenen.* capite primo huius commentarii diximus. Hodoeporicon, in Vocontiis, habet, *Monte Seleuco;* Historia Tripartita, *circa Montem Seleucum;* (b) Socrates, *Μοντοσέλευκος*, *Montoseleucus;* (c) Theophanes, in Chronographia, *ἐν Μόντῳ Σελεύκῳ*, *in Monte Seleuco.* Ad hanc mansionem ab Constantio Magnentius est profligatus.

Legitur in Tabula, prope Lemanum, mansio *Penno lucos*, Hodoeporico, *Penne locos*, *Penne locus*, Rauennati, *Penno locus;* Wesselingius lectionem Tabulae probat, vt *lucus*, deo Penino sacer, intelligatur; quam opinionem

---

(a) Gud. LIV. 6. (b) L. V, c. 10. (c) L. II. H. E. c. 32.

haud abicceris. Danuilleo, *Penni lucus*, ſitu vici *Aigle*, prope dextram *Rhone*, lacum intrantis. Eſt praeterea in Vocontiis *Lucus* municipium, cuius meminere plures; Plinius, *Lucus Auguſti;* (a) Tabula, Luco. Hodoeporicon, *Luco;* ab cultu Numinis cuiuspiam loco acceſſerit nomen.

Lemanus lacus, a quo Caeſar ad Iuram montem vallum et foſſam duxit; (b) Plinius, in *Lemano* Rhodanus inuectus. (c) Pomponio Melae, *Lemannus;* auctori Tabulae, in ipſis aquis, LACVS LOSANETE. literis minio pictis; Velſ. LACVS LOSAÑETE. iuxta ipſum vero manſio, Lacum Loſanne. Velſ. *Lacum Loſſonne.* Hodoeporicon, *Lacu Lauſonio*, *Lauſinio*, *Luſimo.* H. Steffens, ex Hodoeporico, *Lauſanus*, Guillimanno *Lauſunus*; quae lectiones ibi non reperiuntur. *Loſanna*, *Lozanne*, *Lauſane*, oppidum, ora lacus boreali, ſeruat manſionis vocabulum.

III. Inſulae a promontorio Pyrenenſi tres notantur, intermediis paludibus, quas auctor litori admoueri voluerit; talem litoris poſitionem, ad Rhodanum vſque, exhibuit Danuille in tabulis Galliae, cum inſulis et oppidis, intra paludes conſiſtentibus. Plinius: Oppida rara, *praeiacentibus ſtagnis.* (d) Harduinus recenſet, *les Eſtangs de Trau*, *de Maguelone*, *de Perault.* Bina id genus ſtagna a promontorio Pyrenes ponuntur, quae inſula excipit cum fano, de qua mox in portubus dicemus; hanc tria conſequuntur ſtagna, tum HS Licate. *Licate*, literis exeſis; ſcriba Velſeri ſignat inſulas absque nomine. Pomponius Mela, *Leucata*, *litoris nomen.* (e) Danuilleo, eſt oppidum intra paludes, prope Salſulas. Paludes hae, litori adpoſitae, ſpeciem inſularum praeferunt.

HS c l ɟ ı c. literis exeſis; forſan acata. in Velſeri editione inſula nomine caret; vt olim ſcriptura vitium paſſa videatur. Erat *Agatha* colonia Maſſilienſium, Strabone, Plinio, Marciano, teſtibus, ſita ad oſtium Araris, cui vicina inſula *Blaſco*, quam Ptolemaeus vrbi cognominem facit, hodie *Breſcon*, cum oppido *Florenſac;* *Ἀγάϑη μὲν κατὰ τὴν ὁμώνυμον πόλιν*, *Agathe*, *iuxta cognominem ciuitatem*, *Agde* vocatur hodie; quae phraſis Tabulam iuuat; ſunt enim ſynchroni vetuſtatis teſtes, ſe ſe mutuo in ſitu et nuncupatione locorum iuuantes.

Prima a promontorio inſula, fano inſignis, eſt *Portus Veneris*, vt Mela vocat: *Inter Pyrenaei promontoria Portus Veneris inſignis fano.* Gronouius legit, *Portus Veneris eſt Sinu Salſo.* Strbo, *Ἀφροδίσιον τὸ τῆς Πυρήνης ἄκρον*, *promontorium Pyrenes Venereum*, nouit, portu praeterito. Libri quarti principio, Galliae oram maritimam a Varo amne *μέχρι τοῦ ἱεροῦ τῆς Πυρηναίας Ἀφροδίτης*, *vſque ad fanum Veneris Pyrenaeae*, produci ait, vbi fines Galliae et Hiſpaniae. Ptolemaeus, memorato Pyrenaei promontorio, *τὸ Ἀφροδίσιον ἱερὸν*,

---

(a) L. III. c. 4. (b) L. I. B. G. c. 1. VII. 6. 8. (c) L. II. c. 106. III. 5. (d) L. III. c. 5. (e) L. II. c. 5.

fanum Veneris adfert, tum Illerim amnem, quem Mela Tichin, Plinius Tacum nuncupant, *Tech* hodie. Cellarius duplex *ἱερὸν Ἀφροδίσιον*, *templum Veneris* e Strabone colligi vult, alterum Hifpaniae, Galliae alterum; quod Strabo non adferuit. Promontorium Veneris vocabatur a fano, quod in portu erat, vt in Tabula perfpicue exhibetur, et Danuille Portum Veneris a promontorio Pyrenes rite diftinguit; de quibus etiam in Hifpania, promontorii occafione dictum. Portus chartis *Port Vendres* audit.

IV. In amnibus funt, Arar, Dubis, Arola, Rhodanus, Druentia, Lectoca, Varus. De Araris fontibus, et decurfu, egimus capite fuperiore. Dubis, origine Arari amplior, ei tamen ab exortu miftus nomen amittit. Straboni, *Δοῦβις*, *Dubis*, ex alpibus deductus, vti Arar et Sequana. Ptolemaeo, *Δοῦβις*, *Dubis*, Schotti libro *Βοῦδες*, *Budes*, inferius tamen *Δοῦβιος*, oblique. Apud Caefarem, (a) *Alduabis*, vel *Alduadubis*, *Alduasdubis*, in verfione veteri Itala, *Alduafba*, id eft, *Alduafbis;* quod Cellarius corruptum exiftimat; ego populare. Nam quod hodie *le Doux*, *le Dou*, dicunt, id maiores Celtarum *al Duabe* vocabant. Vt vel inde videas, qua Galli veteres fint origine fati. Caefar, linguae ignarus, articulum cum nomine fumfit; fed ad philologiam praeclare. In Tabula, ad XIIII ab Cabillono lapidem, ponte Dubris. apud confluxum eius cum Arari; et alueus quidem huius loco hoc vtrumque exhibet amnem, dum binis traiicitur vicibus. Surgit in monte Iura, in prouincia *Franche Comte*, factis in boream maeandris, praefluit dextro latere oppida *Monbeliart*, *Befançon*, et *Dole*, Arari ad XII fupra *Chalon* milliare immerfus, nominis reliquias in hodierno *Doux* conferuat.

Arola, non contemnendus amnis, in alpibus Lepontinis cum Rhodano furgens, mox ab origine binos efficit lacus, deinde *Teila*, a Lemano decurrente, auctus fertur in exortum aeftiuum, exceptisque apud Vindoniffam *Rufs* feu *Rafs*, et *Limmat* amnibus, Rheno mifcetur. Eius mentio apud fcriptores non occurrit; in Tabula, itinere a Vefontione Auenticum, eft manfio abiolica. in Hodoeporico, *Ariorica*, quae ad recentem Dubim, oppido *Pontarles* incidit, analogiam cum Arola, *Aar*, habens.

Rhodanus, in Scheibii editione, non mifcetur Arari, fed eft alueo diftinctus, in Penino furgens, mari, infra Arelate, tribus oftiis immerfus; Arar in mediterraneo manet, nexum cum Lemano lacu, eumque transeunte amne, habens. *) Velferi fcriba errorem emendauit, iuncto Arari cum Rhodano, et vtroque in mari deducto; vt, qui ante fuit Rhodanus, Druentiam rite exhiberet. Laudandum ducis ingenium; fed quod in commentariis, non in Tabula, promi debebat. Nefas eft, antiqua monumenta pro lubito tractare; explicari volunt,

---

(a) L. I. c. 9.

*) Vfus fui exemplari Veccleflenfi; in noftro ductus fluminis eft, et apud Velferum.

non interpolari. *Rhodani*, *Ροδανοῦ*, meminit Scylax, repetitis vicibus; Caeſar: Flumen Arar, in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita vt oculis, in vtram partem fluat, iudicari non poſſit." Plinius, Rhoda memorata: vnde dictus inquit, multo Galliarum fertiliſſimus Rhodanus amnis, ex alpibus ſe rapiens per Lemanum lacum, ſegnemque deferens Ararim, nec minus ſe ipſo torrentes Iſaram et Druentiam; Libyca adpellantur duo eius ora modica; ex his alterum Hiſpanienſe, alterum Metapinum, tertium, idemque ampliſſimum, Maſſalioticum." In Tabula medium eſt minimum, mediocre occiduum, maximum orientale; apud Velſerum non ita diſtinguuntur. Chartis, *les Trois Maries*, ad occiduum, quod eſt minus, *les Tignes*, ad orientale; ipſe amnis *Rhone* vocatur.

V. Druentia, fluuius alpinus, longe omnium Galliae fluminum difficillimus transitu, teſte Liuio, qui amnis naturam eleganter deſcribit. (a) Vetus inſcriptio, apud Gruterum, patrono nautarum DRVENTICORVM et Vtriclariorum. Silius Italicus, Liuium ſecutus, carmine depingit amnem; hodie *Durance*. Eius fontes et alueum rite exhibet Tabula, ſed a portione Rhodani ſuperiore ſeiunctum, et in mare deductum, non ſuo, ſed alieno nomine, oſtia fl' Rodani. proprium amnis vocabulum ſcriba omiſit.

Poſt Senomagum, ſeu Neomagum, Arauſonem verſus, notat Tabula traiectum amnis, qui alueo quidem Druentiae fertur, ſed eo loco alium repraeſentat, qui Ortelio *Lectz*, ad *Mondragon* oppidum, forſan *Montelimar*, Rhodano immiſtus, nuncupatur. Meminit fluuii Hodoeporicon Burdigalenſe, ad XIII ſupra Arauſionem lapidem, vocabulo mutatio *ad Lectoce*, vel *Letoce*, vt in MS. legitur; quod Weſſelingius aliis explicandum relinquit. Voces et numeri vtrimque congruunt; amnem proinde Lectocam adpellare libet.

Eſt in Tabula, inter Reios Apollinares et Forum Voconii, manſio Anteis. Danuille, in Atlante, *Argenteis*, absque manſionis nota. M. Lepido, apud Ciceronem, *flumen Argenteum;* Plinio, amnis *Argenteus;* hodie *Argens*, apud Forum Iulium, *Frejus*, mari illapſus; a quo manſioni *Anteis* nomen.

In alpibus Peninis, ad XIII ab Summo Pennino lapidem, eſt manſio Eudracinum. in Tabula, quae ad fontes *Drance* fluuii, Rhodanum ab auſtro petentis, incidit, ad fanum S. Bernardi, *grand S. Bernard;* quare amni Dracino, aut Eudracino, olim fuiſſe nomen, arbitrere.

Varum, Italiae et Galliae terminum, norunt Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Lucanus. Mela, *flumen Varum*, *quia Italiam finit*, *aliquanto notius.* Lucanus: Finis et Heſperiae promoto limite Varus." Tabula, fl'. VARRVS. noſtrum exemplar VARVS praefert, literis minio pictis, deriuat ex alpibus, fiſſum deinde bifariam deducit in mare, vocabulo, inſtar manſionis, ad oſtia repetito. Strabo, *τὸν Οὔαρον ποταμὸν*, *Varum fluuium*, vt et Ptolemaeus,

(a) L. XXI. c. 32.

vocant, *Οὐάρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Vari fluminis ostia;* seruat nomen, *fiume Varo* Italis, *le Var* Gallis.

VI. Supersunt Fossae Marianae; Pomponius Mela: Inter eam (Massiliam) et Rhodanum Maritima Auaticorum stagnum obsidet; Fossa Mariana partem eius amnis nauigabili ostio essundit." Plinius, Rhodano memorato: Vltra, fossae ex Rhodano C. Marii opere et nomine insignes; stagnum Mastramela; oppidum Maritima Auaticorum." Liceat et Solinum audire: C. Marius bello Cimbrico factis manu fossis inuitauit mare, perniciosamque furentis Rhodani nauigationem temperauit." Danuille, *Fossa Mariana*, ab exortu, VIII Leug. interuallo ostiis praetenta, vbi mansionem Tabulae signat, XIV Leug. ab Arelate. Tabula portum, figura hemicycli, structura eleganti, exprimit, cum perigraphe, fossis Marianis. ad XXXIII ab Arelate lapidem; qui numeri si recte habent, ad stagnum Mastramela deducunt, de quo Artemidorus apud Stephanum: *Μαστραμέλλη, πόλις καὶ λίμνη τῆς Κελτικῆς*, *Mastramella, vrbs et portus Celticae.* Nisi scripsit Artemidorus, *λίμνη καὶ λιμὴν*, *palus et portus;* vrbi quippe nomen Maritima fuit, stagno Mastramela. Antonini iter maritimum habet: A Dilis Fossis Marianis Portus M. P. XX. A Fossis ad Gradum Massilitanorum, fluuius Rhodanus, M. P. XVI. A Gradu per fluuium Rhodanum Arelatum M. P. XXX." Habuit et Massilia portum, Scylace perhibente; sed is ab hoc diuersus erat. Nemo praeterea veterum portus huius apud Fossas meminit; quare et geographorum *παῖδες* altum tacent.

§ III

Populi Narbonenses.

I. PRAECIPVI populorum, qui hanc coluere prouinciam, sunt Volcae Tectosages, Vmbranici, ex parte Ruteni, Volcae Aremorici, Heluii, Vocontii, Allobroges, Nantuates, Lepontii, Viberi, Seduni, Verargi, Salassi, Libicii, Centrones, Caturiges, Vagienni, Sentii, Cauares, Salyi, Commoni; quibus adduntor Sequani, Heluetii, Rauraci. Ex his nonnullos Tabula censet; initium ab occasu capiemus.

Volcetecvcsi. Vels. VOLCETE CTOSI. procul dubio, *Volcae Tectosages*, quos Strabo et Ptolemaeus ad Pyrenen vsque coluisse adserunt; ille, *Οὐολκῶν οἱ Τεκτοσάγες καλούμενοι τῇ Πυρήνῃ πλησιάζουσιν*, *Volcae, qui Tectosages vocantur, proximi sunt Pyrenae;* hic autem, *κατέχουσι δὲ τὰ μὲν δυσμικώτατα τῆς Ναρβωνησίας*, *Οὐόλκαι Τεκτοσάγες*, *maxime occidui sunt Volcae Tectosages.* Tenebant hi prouinciam *Languedoc*, quae praecipua erat Narbonensis regionis portio. Alii fuerunt Volcae Aremorici, ad Rhodanum, quorum pars,

VMBRANICIA. literis minio pictis; Velſ. *Vmbranicia.* Danuilleo, *Vmbranici*, qui et *Ruteni prouinciales* Caeſaris; ſed auctor Tabulae Rutenos diſtinguit, quos in Aquitanis memorauimus. *Ambrones* nouit Strabo, Plutarchus in Mario, epitome Liuii, Eutropius, Oroſius; qui ex eo, quod Tigurinis iunguntur, ad Heluetios referri conſueuerunt; vnde eos Danuille exegit quidem, ſed alium non adſignauit locum. Mihi, adiuncta conſideranti, nihil vero ſimilius videtur, quam eos, qui aliis Volcae Arecomici dicuntur, a Tabula Vmbranicos adpellari. Eſt etiam oppidum in his, *Ambruſium*, Nemauſo vicinum, a quo is populus, et regio, nuncupari poterant. Sane, in Tabula, Volcis prioribus hi continuo ſubiunguntur, non peregre in Heluetia, ad Rhenum, ſed apud Nemauſum et Rhodanum, vbi conſules M. Manilius et Q. Caepio, a Cimbris et Teutonibus, et Tigurinis, et Ambronibus, quae erant Germanorum et Gallorum gentes, victi ſunt *iuxta flumen Rhodanum*, Eutropio teſte. (a) Ambrones, Teutonum et Gallorum ſocii, domi ſuae fuerunt, ceteri peregre aduenerant. Proinde pagus is validus Ambronum, quem Cellarius in Heluetiis quaeſierat, et Vmbranici, quos in Rutenis poſuerat Danuille, ad Volcas Aremoricos ſecure transferantur. Plinio, Taſconi, Taruſconienſes, *Vmbranici*, Aquitaniae contermini. (b) Habebant orientalem prouinciae *Languedoc* regionem, vt inde quoque prioribus cognati fuiſſe videantur; olim agrum hunc, mari vicinum, Ligures tenebant; qui cum Liburnícae originis populus fuerint, cum his, Gallico illo per Illyricum tumultu, commiſſi fuere; vt Cluuerius, cum nonnullis aliis, omnes Illyrios veteres ad Celticam progeniem referre minime dubitarit, aduenis indigenisque populis non rite diſtinctis.

II. GRECIA. ortiuo Rhodani agro; Velſ. GRETIA. ad oram maritimam, inſignia vrbis, cum inſcriptione, Maſilia. Grecorum. Olim magnam Gallici ſinus partem tenuere. Plinius quippe tradit: *Agatha quondam Maſſilienſium, et regio Volcarum Tectoſagum.* Rhodani oſtium orientale, quod ampliſſimum erat, *Maſſalioticum* adpellari, idem perhibet. Scylacis aetate, Ligurum oram, a Rhodano vſque ad Arnum habebant. Plinii adhuc tempore, ad Forum Iulium et Athenopolim. Pomponius Mela: Poſt Athenopolim, et Olbiam, et Tauroin, et Citharisthen, et Lacyden Maſſilienſium portus, et in eo ipſa Maſſilia. Haec a Phocaeis oriunda, et olim inter aſperas poſita, nunc vt pacatis, ita diſſimillimis tamen, vicina gentibus, mirum quam facile et tunc ſedem alienam ceperit, et adhuc morem ſuum teneat.“ Strabo Nicaeam, quae eſt vltra Varum, Maſſilienſibus tribuit. Perſpicue alias: *παραλίαν ἔχουσιν οἵ τε Μασσαλιῶται, καὶ οἱ Σάλυες μέχρι Λιγύων, ἐπὶ τὰ πρὸς Ιταλίαν μέρη, καὶ τὸν Οὐάρον ποταμὸν, Maritima tenent Maſſilienſes et Salyes, vſque ad Liguriam, et Italiae fines, ac Varum fluuium.* Stephanus, Auenionem, in mediterraneis, et

(a) L. V. ineunte. (b) L. III. c. 5.

Cabellionem, vrbes *Μασσαλίας*, *Maſſiliae* eſſe perhibet. Antoninorum aeuo ſingularem obtinuerit eorum respublica florem, quod ea regio GRAECIA dicebatur, vocabulum geographis ignotum; hodie PROVENCE nuncupatur.

BOCONTII. ſcriptura minio picta; Velſ. BOCONTII. Populus Hannibalis aetate clarus, quem Liuius per extremam Vocontiorum oram in Tricorios deducit. Straboni et Ptolemaeo, *Οὐοκόντιοι*, *Vocontii*, priori etiam *Οὐοκόυντιοι*, *Vocuntii.* Plinius: *Vocontiorum*, *ciuitatis foederatae duo capita*, *Vaſio et Lucus Auguſti; oppida vero ignobilia* XIX. Eſt in Tabula praeterea ADBEAM Bocontior. priore voce ſuperne poſita, tam quam iſthuc non pertineat; Velſ. *Ad deam Bocontior.* id eſt, ab Auguſto *ad Deam Vocontiorum.* In veteri epigrapha, COL. DEA AVG. VOC. colonia Dea Auguſta Vocontiorum. Tenebant Delphinatus partem occiduam, inter alpes et Rhodanum; hodie *Valentin.*

CAVARES. literis miniatis. Mela Pomponius, Rhodanum inter Volcas et Cauaras emitti ait, graeco caſu, pro Cauares, vſus. Plinio quoque ſunt Cauares; Ptolemaeo, *Κάναροι*, *Cauari*, quorum oppida, Acuſium, Auenio, Arauſium, in mediterraneis; in Tabula quoque Vocontiis ſubnectuntur; hodie *Comtat.*

CATVRICES. ſcriptum minio pictum; Velſ. CATVRIGES. Caeſari et Plinio, *Caturiges;* Straboni, *Κατόριγες*, *Catoriges;* vti Ptolemaeo quoque; Cellarius tamen apud hunc *Κατουρίγιδες*, *Caturigides* reperit. Habet Schotti editio, *Κατουργιδῶν*, quod interpres *Caturgidorum* reddit; ſed apud Eraſmum, *Κατουριγῶν ἐν ταῖς γράιαις ἄλπεσιν*, *Εβοῤῥόδουνον*, Italus exprimit; *De' Caturgi nell' alpi Greie*, *Eburoduno.* Is proinde in ſuis codicibus *Κατουργῶν* legerit; codex Fettichii, ex quo Eraſmus Ptolemaeum vulgauit, rectius habet *Caturigum.* Alpes hae, non Graiae, ſed Cottiae, fuerunt, intra fines Galliae, non Italiae, quos ad Druentiam recentem Caturiges tenebant, ortiuam hodiernam Delphinatus partem, vulgo *Champs Aur*, et *Brianconois.*

III. COTII REGNVM. literis minio pictis; Velſ. Cotii Regnum. ſupra Caturiges, ad exortum fluminis Druentiae. Potior regni huius portio, ſi regiae Seguſionis ratio habeatur, altero alpium latere, in Italia conſiſtebat; ſed, quia auctor Tabulae occiduis alpium iugis id notat, et Cottianae ciuitates XII fuere, Plinio teſte, alpinis huius prouinciae populis illud adcenſere libet. Dio Caſſius, in Claudio: *Μάρκῳ Ιουλίῳ Κοττίῳ τὴν πατρῴαν ἀρχὴν, ἣν ἐπὶ τῶν ἄλπεων τῶν ὁμωνύμων εἶχε, προσεπηύξησε, βασιλέα αὐτὸν τότε πρῶτον ὀνομάσας*, M. Iulio Cottio paternum principatum, quem ad alpes ſui nominis habebat, adauxit, tunc primum eum regem adpellans.“ (a) Reimarus, ad hunc hiſtoriographi locum: De hoc Tacitus, inquit, (b) *relictus in nouo regno Cotys*, *iuuenta rudis.* Pater Cotyis Armeniae minoris rex.“ Haec de Thraciae regibus accipienda ſunt, non de Cottio, alpium domino, nunc primum rege nuncupato; cum Thracia inde

(a) L. LX. c. 24. (b) L. XII. Annal. c. 15.

a vetuſtiſſimis temporibus regio imperio gubernaretur. Singularia quaedam de rege, huius Iulii patre, et ſitu locorum, Ammianus tradit, quem non pigeat audire: Hanc Galliarum plagam, ob ſuggeſtus montium arduos, et horrore niuali ſemper obductos, orbis reſidui incolis ante hac paene ignotam (niſi qua litoribus eſt vicina) munimina claudunt vndique, natura velut arte circumdata. Et a latere quidem auſtrali Tyrrheno alluitur, et Gallico mari; vnde ad ſolis ortus attollitur, aggeribus cedit alpium Cottiarum, quas rex Cottius, perdomitis Gallis, ſolus in anguſtiis latens, inuiaque locorum aſperitate confiſus, lenito tandem tumore in amicitiam Octauiani receptus principis, molibus magnis exſtruxit ad vicem memorabilis muneris, compendiarias, et viantibus opportunas, medias inter alios alpes vetuſtas. — In his alpibus Cottiis, quarum initium a Seguſione eſt oppido, praecelſum erigitur iugum, nulli fere ſine diſcrimine penetrabile.“ Recenſet ſingillatim adiuncta, et modum, quo iter facientes per anfractus illos ſe ſe iuuare ſoliti ſint, diſcribit. (a) Nero, Cottio rege mortuo, Cottias alpes in ius prouinciae redegit, Aur. Victore teſte. (b) Hon. Bouche, apud Harduinum, XII ciuitates Cottianas Plinii, interpretatur, *Val de Grana*, *Val de Vraite*, *Val de Gilde*, *Val d' Iſaſe*, *Val de Pan*, *Val d' Angrogne*, *Val de Pragelas*, et *de Luſerne*, *Val de Perouſe*, *Val de Suze*, *Val de Lans*, *Val de Melon*, et *Val de Pont*.

NANTVANI. ſcriptura minio picta. Velſ. NANTVANI. Caeſar, Nantuates, Verargos, Sedunos, a finibus Allobrogum et lacu Lemano, et flumine Rhodano, ad ſummas alpes (Penini) pertinere tradit. (c) Straboni, *Ναντουᾶται*, *Nantuatae*, Lemano admouentur, latere lacus auſtrali ab Danuilleo poſiti. NANTVATES in tropaeo Druſi, apud Plinium, quod in regno epigraphico apud Rhaetos dedimus. In Tabula, ad alpes Cottias ponuntur; ſed Penino admouendos, Caeſaris et Strabonis dicta ſuadent. Mannert ad fontes Rhodani quaerit, e ſententia Caſauboni, qui pro *Αἰτουάτοι*, *Aetuati*, Strabonis vult *Ναντουάται*, *Nantuatae* legi.

SELTERI. literae minio pictae; Velſ. SELTERI. ſupra Forum Iulium; Plinio, eadem regione *Suetri*, et Ptolemaeo, *Σουήτροι*, *ἐν παραλίοις ἄλπεσι*, *Suetri*, *in alpibus maritimis;* oppidum eorum Salinae; in Galliae Notitia, *Sollinenſium ciuitas*. Ex populi vna et vrbis nomine *Selteri* Tabulae ſint exorti. Quae nunc *Prouence* dicitur regio, quam Druentia fluuius mediam permeat, olim plures populos cum Suetris continebat.

IV. Superſunt, Sequani, Rauraci, Heluetii. Caeſar, Sequanos et Heluetios, Celtis adſcriptos, a Belgis ſeiungit; Auguſtus poſtea vtrosque ad Belgicam retulit; Plinius in Belgarum recenſione vltimos ponit, Mediomatricos, Sequanos, Rauricos, Heluetios; etiam Ptolemaeo, poſtremi in Belgica ſunt,

(a) L. XV. c. 10. (b) Epit. c. 5. (c) L. III. B. G. init.

Ραυρικοὶ, *Ελνήτιοι*, *Σηκανοὶ*, ***Raurici***, ***Heluetii***, ***Secani***, Schotti edito, *Σηκοανοὶ*, *Secoani.* Tabulae auctor, inſtar aliorum prouinciae Narbonenſis populorum, liberos eſſe iubet. Neque enim Narbonenſem nominat, hos autem populos finibus Belgicae et Lugdunenſis eximit. Ptolemaeus pleraque ex Traiani, et qui eum praeceſſere, aeuo adfert; Tabula M. Aurelii aetatem reſpicit; non minimum tamen ſcribarum poſteriorum ignoratione et oſcitantia, partim acciſionis, partim mutationis paſſa. Sequanos non habet. Rauracos et Heluetios cum oppidis memorat; Auguſta **Ruracum.** *Rauracum* forſan per ſyncopen, pro Rauracorum; niſi ſubſtantiue, more militari, dictum putes. Auenticum **Heletiorum.** ſeu *Heluetiorum.* Itaque hos, vt Caeſar fecerat, a Belgis et Lugdunenſibus diſtinctos, Tabula duce, ceteris prouinciae Narbonenſis populis adiungere, opportunum fore cenſebamus. Sequanorum ager *Franche Comte*, Rauracorum *Baſle*, Heluetiorum *Suiſſe* nuncupatur.

§ IV

Oppida, *manſiones.*

I. AB Toloſa principium capere libet; in Tabula ſunt viae ab ea vrbe quaternae, Climberrum, Aginnum, Dibbonam, Narbonem; Hodoeporicon iter vnum habet ab Aquis Tarbellicis Toloſam; Burdigalenſe, ab Auſciis Toloſam, manſionibus diuerſis. Eam, quae ab Aginno ducit, primum abſoluamus. De Lactora, *Leytoure*, quae poſt Aginnum absque numero ponitur, in Aquitania dictum; ſuccedit,

Sartali. xvi. Velſ. in ſcheda deeſt; Scheib, **Sa--ali.** mediis eroſis. Danuilleo, *Sartali*, xx M. P. in exortum hibernum, laeua amnis Garumnam ab auſtro petentis, circiter vicum *Gimont*, qui dextram tenet; in tabula III Atlantis Lactoratum, in II Toloſatium finibus adſcribitur; hodie is ager, *Armagnac* nuncupatus, intra limites Lactoratium cenſetur.

Tolosa. xx. inſignia coloniae; ſcheda, *Toloſa.* absque numero; Velſ. *Toloſa.* xx. Hodoeporicon, itinere ab Aquis Tarbellicis, *Toloſam*, eadem forma. Caeſar Santones, inquit, non longe a Toloſatium finibus abſunt, quae ciuitas eſt in prouincia.“ (a) Straboni, *Τολώσσα*, *Toloſſa*, quo loco arctiſſimus eſt iſthmus, qui ab ſinu Narbonenſi Oceanum diſtinguit. (b) Plinius, *Toloſani Tectoſagum*, *Aquitaniae contermini.* Caeſari vrbs *Toloſa;* Ptolemaeo, *Τολῶσα κολώνια*, *Toloſa colonia*, Schotti libro *Τολώσα.* Sidonio, *vrbs Toloſatium;* in

(a) L. I. B. G. c. 1. (b) L. IV. p. 188.

Galliae Notitia, *ciuitas Tolofatium;* amplitudinem eius innuit Aufonius: Quinduplicem focias tibi, Martie Narbo, Tolofam." Strabo, *ἐν τῇ Τολώσσῃ*, *Tolosfae*, templum in fumma veneratione fuiffe, refert, thefauris abundans. Mineruae cultum interpretantur eruditi, cui pofteriore quoque aetate litatum, Martiali, Aufonio, Sidonio teftibus. Danuilleo, *Tolofa*, XXX M. P. ab Sartali, in exortum hibernum, dextra Garumnae, in confluente *Canal Royal* amnis, fitu vrbis *Touloufe.*

Via ab Aufciis, feu Climbero, in Burdigalenfi hac procedit ferie: *mutatio ad Sextum.* VI. *mutatio Hungunuero.* VII. *mutatio Bucconis.* VII. *mutatio ad Iouem.* VII. *ciuitas Tolofa.* VII. Tabula, ab Eliberre,

Casinomago. XV. Velf. *Cafinomago.* XV. Danuille, *Cafinomagus*, XXII M. P. in exortum hibernum, laeua amnis, Garumnam ab auftro petentis, fitu vici *Samatan*, oppido *Lombes* contigui; in charta Europae funt mill. geogr. tria cum quatuor quintis. Viam Burdigalenfis Danuille recta in exortum ducit, per vicum *l' Ifle Jourdain.*

Tolosa. XVIIII. Velf. *Tolofa.* XVIIII. Danuille, *Tolofa.* XXVIIII M. P. in exortum aeftiuum; in charta Europae intercedunt mill. geogr. quinque, vt via adeo in auftrum deflexiffe non videatur; nam in cenfu M. P. Tabula hoc itinere cum Burdigalenfi conuenit. Proinde Leugae heic locum habere nequeunt; nam, omni fpatio intercepto, ab *Auch* ad *Touloufe* funt mill. geogr. octo, feu M. P. XL. fenis amplius, quam in Tabula et Burdigalenfi, cum ex XXXIV Leugis prodeant M. P. LI. quem cenfum id locorum interuallum non admittit.

II. Viam Hodoeporici a Lugduno Tolofam, quae in Tabula non habetur, dedimus apud Aquitanos; procedebat ea fecus Garumnam fluuium; quartae ab Tolofa Diuonam partem vfque Fines dedimus, quos ad flumen Tarnem, prope *Montaubon* fuiffe, opinati fumus, vbi fere et Danuille eos conftituit; inde

Tolosa. XXVIII. fic Velf. Danuille, *Tolofa*, interuallo eodem; quod mirum videri queat, cum alias Leugis vtatur; quae res inconftantiam eius clare arguit. Narbonem ab Tolofa proficifcitur Tabula cum Burdigalenfi, nifi quod pauciores numerat manfiones.

Badeiei. XV. literis fine vitiatis; fcheda *Budino*, absque numero; Velf. *Badera.* XV. Burdigalenfe, mutatio *ad Nonum. Mil.* VIIII. *mutatio ad Vicefimum. Mil.* XI. Danuille, viis coniunctis, *Badera*, XV M. P. in exortum hibernum, dextra *Canal Royal* amnis, qui hodie cum Atace, *Aude*, eft connexus, circiter vicum *Carman.*

Fines. Eburomago. XVIIII. fcheda, *Buromagi.* Velf. *Eburomagi.* XVIII. Danuille, *Fines*, XIX. *Hebromagus*, X M. P. in exortum hibernum, laeua Canalis Regii, circiter *Caftelnau* oppidulum; cui ab exortu vicinum eft *St. Papoul* oppidum, ripa amnis dextra, vbi Hebromagum ftetiffe putes. Burdigalenfe, *manfio Elufione.* VIIII. *mutatio Sofiomago.* VIIII. *vicus Hebromago.* X. Abeft oppidum *St. Papoul* ab Tolofa mill. geogr. fex, feu M. P. XXX. Tabula

quaternis amplius numerat, fluminis ripam ſecuta; in Burdigalenſi, XLVIII eſt cenſus nimius, ei ſpatio non conueniens; Danuille XLV numerat. Fines Eburomago proximi fuerint, vt absque numero ponerentur; neque id ſpatii quidquam interſeri permittit. Burdigalenſe laeuam amnis ripam, cum gyris, tenuerit, vt tot M. P. cenſeret; ſiquidem numeri ſunt ſinceri.

Carcaſſione. XVII. ſcheda, *Sarcaſſione.* Velſ. *Carcaſſione.* XIIII. Burdigalenſe, *mutatio Cedros.* VI. *caſtellum Carcaſſone.* VIII. in MS. *Carcaſſonae*, vt Theodulphus cecinit, reuiſentes te, *Carcaſſona*, Redasque; niſi graeco caſu quarto vti voluit. Plinio, *Carcaſum Volcarum Tectoſagum;* Ptolemaeo, in eodem populo, *Καρκασὼ*, *Carcaſo.* Danuille, *Carcaſo*, XV M. P. in exortum, laeua Canalis et confluentis Atacis, *Aude*, ſitu oppidi *Carcaſſone;* in charta Europae intercedunt mill. geogr. quatuor, ſeu M. P. XX. quae interuallo priori iuncta, numeris Tabulae adcurate reſpondent; quare Eburomagum, cuius veſtigia in *Gibardos* lateant, Carcaſoni propinquiorem fuiſſe oportet, vt *St. Papoul* occiduam veteris loci partem inſidere videatur.

Liuiana. XII. Velſ. *Liuiana.* XII. Burdigalenſe, *mutatio Triceſimum.* VIII. *mutatio Hoſuerbas.* XV. Dubitat Weſſelingius, vnde hic triceſimus lapis numerari debeat; Poſſent numeri, inquit, facili opera mutari, ni Tabula obſtaret, quae inter Carcaſſonem et Hosverbas M. P. XXIII interponit.“ Numeratur hic lapis a Narbone verſus Carcaſſonem, vt bis XV M. P. adcurate monſtrant, et Danuille, Romana heic menſura vſus, rite poſuit, cui *Liuiana*, XII M. P. in exortum, dextra Atacis, laeuam *Rieux* et *Olonze* vici tenent.

III. **Vſuerna.** XI. Velſ. *Vſuerya.* XI. Danuille, *Vſuerua*, eodem interuallo, in exortum, prope dextram Atacis, vbi vicus *Beſignan.* M. Altingius, notis in Tabulam MS. oppidum *Autere* nunc eſſe ſuſpicatur, teſte Weſſelingio, quod in chartis non comparet.

Narbone. XVI. inſignia coloniae. ſic Velſ. Burdigalenſe, *ciuitas Narbone*, XV. in MS. *Narbonae.* Hodoeporicon, itineribus ex Italia in Hiſpanias, *Narbone.* *Νάρβωνος*, *Narbonis* meminit Polybius, qui a Maſſilia, *καὶ τῶν τοῦ Ροδανοῦ στομάτων*, et Rhodani oſtiis, non longe abſit; (a) interpres Martium Narbonem vocat; quod epitheton tum quidem vrbs ea non habebat; deducta quippe colonia Narbonem eſt A. V. 636 M. Porcio et Q. Marcio coſſ. Velleio teſte; (b) cum ante hoc quadriennium Polybius viuere deſiſſet. Strabo adhuc, Arecomicorum *ἐπίνειον ἡ Ναρβὼν λέγεται*, inquit, *nauale Narbo eſſe dicitur*, metropolis Nemauſus; tamen *Narbo Martius* iam Ciceróni et Velleio audit; qua forma poſtea Mela, Plinius, et recentiorum plures, vſi fuere. Cicero, pro Fonteio: Narbo Martius, colonia noſtrorum ciuium, ſpecula populi Romani ac propugnaculum.“ Plinius: *Narbo Martius, Decumanorum colonia*, XII *M. P. a mari*

(a) L. III. c. 37. (b) L. I. c. 15.

diſtans. In marmorea dedicatae arae tabula, apud Gruterum, COL. IVL. PATERN. NARB. MART. in aliis lapidibus, Narbone effoſſis, ſingularibus literis, C. I. P. N. M. *Colonia Iulia Paterna Narbo Martius.* Golzii numus, COL. NARBO MART. DECVMANOR. inſcriptus, ad fictitios refertur. Ptolemaeo, apud Volcas Tectoſages, *Ναρβὼν κολώνια*, *Narbo colonia.* Danuille, *Narbo Martius*, XVI M. P. in exortum, dextra Atacis, ſitu vrbis *Narbone*, V M. P. a mari in occaſum, Danuille VIII numerat, Plinius, aduerſo flumine, XII.

IV. Per Narbonem via militaris antiqua ex Italia in Hiſpanias ducebat; eam Tabula rite exhibet, Hodoeporicon loco duplici. Nos, vtroque duce, pro more vſi, a Pyrenaeo Narbonem proficiſcemur; a manſione *In ſummo Pyreneo* Tabula promit,

Ad centenarium. V. ſic Velſ. Hodoeporicon, *ad Centuriones.* V. itinere alio, ad Pyrenaeum, *ad Stabulum.* XV. Centenarium et Centuriones, unum eumdemque locum eſſe, numeri et vocabula clare oſtendunt. Manſio haec, ad quintum ab anguſtiis montium, et Pompeii tropaeis, quibus Hiſpania et Gallia, Strabone teſte, dirimebatur, lapidem, intra fines Galliae conſiſtebat. Danuilleo, *ad Centuriones*, V M. P. aut vno amplius, in boream, dextra Tichis, *Tech*, amnis ripa, circiter vicum *Bellegarde;* cui proximum, in aduerſa ripa Stabulum facit, vbi *le Boulon* vicus.

Illiberre. XII. Velſ. *Illiberre.* XII. Hodoeporicon locum praeteriit. Erat oppidum Hannibalis aetate celebre, vt Polybius apud Athenaeum, (a) perhibet; iuuat locum ſane memoratu dignum promere: Polybius, inquit, quarto et triceſimo Hiſtoriarum libro, *μετὰ τὴν Πυρήνην, φησὶν, ἕως τοῦ Νάρβωνος ποταμοῦ πεδίον εἶναι, δι᾽ οὗ φέρεσθαι ποταμοὺς Ιλέβερνιν καὶ Ρόσκυνον, ῥέοντας παρὰ πόλεις ὁμωνύμους, κατοικουμένας, ὑπὸ Κελτῶν*, ſcribit, iuxta Pyrenen, Narbonem vſque campos eſſe, per quos Ilebernis et Roſcynus fluuii, iuxta ciuitates eiusdem nominis, a Celtis habitatas, decurrunt." Strabo, *ἐκ μὲν τῆς Πυρήνης ὅτε Ρουσκίνων καὶ ὁ Ιλυβίῤῥις, πόλιν ἔχων ὁμώνυμον ἑκάτερος αὐτῶν*, *Ex Pyrene fluunt Ruſcino et Ilybirris, vterque vrbem habens cognominem.* Liuius, in expeditione Hannibalis, *oppidum Illiberim*, vocat; (b) Cellarius, *Illiberi* Liuii, neutro genere, inquit; in recentibus *Illiberis* comparet. Pomponius Mela, vicus Eliberri, magnae quondam vrbis, et magnarum opum, tenue veſtigium;" quae Plinius repetit, cui *Illiberis*, flumen *Tecum.* Ptolemaeo, fluuius quidem *Illeris*, oppidum autem *Ιλιβερὶς*, *Iliberis;* Schotti edito, *Ιλλίβερις*, *Illiberis;* ſic etiam Italo interpreti, conſona duplice. Conſtantinus, *Helenam*, matris vocabulo, nuncupari iuſſit. Danuilleo, *Illiberis poſtea Helena*, interuallo iuſto, in exortum aeſtiuum, laeua amnis *Tech*, ſitu oppiduli *Elne*, III M. P. a mari in occaſum.

(a) L. VIII. Dipnoſ. p. 332. (b) L. XXI. c. 24.

V. **Ruscione.** vII. sic Vess. Hodoeporicon, *Ruscione.* xx. a Centurionibus; Simlero, *Rustione*, vel *Ruscione.* Polybius, apud Athenaeum, *Ῥόσκυνον*, *Roscynum*, fluuium et vrbem dixit, Strabo *Ruscinonem;* Mela, *colonia Ruscino;* Plinius, *Ruscino*, *Latinorum;* illi fluuius Telis, huic flumen Vernodubrum; Ptolemaeo, amnis *Ρουσκίων*, *Ruscio*, oppidum *Ρουσκινῶν*, *Rusino*, Schotti libro; *Ρουσκίνων*, *Ruscino*, quod interpres *Ruscinorum* vertit, secundum accentum, populi nomen arbitratus; scribi enim oportebat *Ρουσκινὼν*, vt *Ruscino* reddatur; Auieno, amnis *Roschinus.* Exstant vestigia, inquit Surita, haud procul oppido Perpignano, iuxta turrim, quae eius nomen retinet; vocant enim turrim *Rossilionis.* In diplomatibus seculi IX et X *castellum* et *castrum Russilio*, teste Wesselingio; qui cum ait: Nomen Ruscino a fluuio, cui assidebat, habet, pariter vt Illiberis, de quo vtroque Polybius;" (a) Athenaeum dicere volebat, qui ex libro XXXIV Polybii ea protulit, vt supra vidimus. Hodie fluuio *Tet*, vrbi, qua eius ripae dextrae adsidet, ad VI ab ostio lapidem, *Perpignan* est nomen; Danuille, *Ruscino*, IX M. P. in boream.

Narbone. VI. Vess. *Narbone.* VI. Hodoeporicon, *Combusta.* VI. *ad Vigesimum.* XIIII. *Narbone.* XX. Wesselingius Combustam interpretatur Ripas altas, *Rives altes*, *Rivaltes*, vicum vbere prouentu generosioris vini celebrem; Vicesimum autem putat fuisse in litore Leucata, vbi Birra amnis Sigean alluit, nobilis ex praelio, quo Carolus Martellus an. DCCXXXVIII victos in Hispaniam Saracenos redire compulit. Danuille, *Combusta*, VI M. P. laeua *Egli* amnis, vbi *Rivaltes* vicus, in dextra; *ad Vigesimum*, XIII M. P. situ vici *Sigean;* Narbo, XVIII M. P. In charta Europae, inter *Perpignan* et *Narbone* vrbes intercedunt mill. geogr. quinque, cum duabus quintis, seu M. P. XXVIII. quare in Tabula, Combusta ad VI. lapis Vicesimus ad XII. Narbo ad X M. P. constiterit; vt in Hodoeporico etiam numeri vitiati videantur, aut ex vicinis translati viis. Homannianae spatium ampliant, *Rivaltes* VI. *Sigean* XX. *Narbone* XIIII. M. P. censentes; sed eae in locorum positione et interuallis plerumque exerrant.

VI. A Narbone via militaris Nemausum et Arelate, in exortum aestiuum, tendit, vtroque Itinerario comite; apud Ceseronem Tabula mediterraneam ab Segoduno exhibet, quae in Hodoeporico desideratur; Tabulam, quae hoc itinere vitium passa non est, praemittere libet.

Beteris. XXI. Vess. *Beteris.* absque numero. Hodoeporicon, itinere ripensi, *Beterris.* XII. altero *Beterras.* XVI. in Vaticano, *Beteras.* Burdigalensi, *ciuitas Biterris.* XVI. Strabo, ab altera Narbonis parte, e Cemmeno in mare delabuntur, ὁ Ἄταξ, ὅ τε Ὄβρις, καὶ ὁ Ῥαύραρις. τούτων ἐφ' ὃν μὲν Βιλτέρα πόλις ἀσφαλὴς ἵδρυται, πλησίον τῆς Ναρβῶνος, *Atax*, *Obris*, *et Raurari*s; *supra*

(a) L. VIII. c. 2.

illum sita est Biltera, vrbs bene munita, Narboni vicina; in MSS. *Βλιτέρα.* Wesselingius ait, veterem et veriorem lectionem BAITEPA fuisse. Mela, *secundum Baeterras Orbis fluit.* Stephanus, *Βαιτάῤῥα*, *Baetarra;* Plinius, *Beterrae;* Ptolemaeus, *Βαιτίραι*, *Baetirae;* Schotti liber, *Βαιτϊραὶ*, Italus, *Betira*, *Besiers*, vt hodie dicitur. Theodulphus, *nosmet tecta Beterris habent.* Vetus inscriptio, apud Gruterum, M. Iulio Philippo, Nobilissimo Caesari principi iuuentutis, SEP. BAETERR. *Septimii Baeterrenses.* Proferunt etiam numos, BHTHPPATΩN inscriptos, quos Harduinus Syriae adcenseri voluit. In Galliae Notitia, *ciuitas Beterrensium.* Danuilleo, *Baeterrae*, XVII M. P. in exortum aestiuum, laeua *Orbe* amnis, situ oppidi *Bezieres.*

Cesserone. XII. sic Vess. Hodoeporicon, itinere ripensi, *Ceserone.* XII. altero, *Araura siue Ceserone.* XII. Burdigalense, *mansio Cessarone.* XII. Pomponius Mela, ex Cebennis demissus Arauris iuxta Agathan;“ eadem Ptolemaeus, *Δραυρίου ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Ἀγάθη πόλις*, *Araurii amnis ostia*, *Agathe ciuitas;* et in mediterraneis Tectosagum, *Κεσσερὼ*, *Cessero*, Schotti libro *Κεπερὼ*, *Cepero.* Plinius, *Cessero*, *Carpentoracte Meminorum.* Vita S. Tiberii, iuxta fluuium, qui dicitur Araur, in vico, qui vocatur Ceseri;“ in alio veteri scripto monasterii S. Tiberii, *cui vocabulum est Cesarion.* Ado in Martyrol. *in territorio Agathensi, in Cessarione.* Nunc a S. Tiberio *S. Viberi* nuncupant, inquit Wesselingius. Harduino, *S. Tubery*, ad Araurim, leucis fere quatuor a Baeterris. Danuilleo, *Cessero*, XII M. P. in exortum paullisper borealem, dextra *Agde* fluuii, situ vici *Pezenas.* Tabula viam ab Segoduno deriuat, his mansionibus:

Condatomago. XXX. sic Vess. Danuilleo, *Condatomagus*, XL M. P. ad fluuium, Tarni postea mixtum, situ oppidi *Vabres;* in charta Europae, a *Rodez* ad *Vabre*, in exortum hibernum, sunt mill. geogr. quinque cum duabus quintis; quare Danuille nimius est cum Leugis. Numerus XXVIII inter Loteuam et Cesseronem conspicuus, videtur huc referendus.

Loteua. XXIII. sic Vess. Plinius, *Luteuani*, *qui et Foroneronienses.* Mannert addit, *oppid. Latinum*, quod Plinius non exprimit. Ptolemaeus, oppidi nomen prodit, sed in Mimenis: *Μίμηνοι*, *ὧν πόλις Φόρος Νέρωνος*, *Mimeni*, *quorum ciuitas Forum Neronis.* Plinius Cesseronem et Carpentoracte Meminorum esse dixit. Danuille, *Luteua* vel *Forum Neronis*, XXIV M. P. in exortum hibernum, dextra *Agde* recentis, situ oppidi *Lodeve;* Mimenis et Carpentoracte missis, quod ad flumen Druentiam spectare crederet, vbi Mimenos Ptolemaeus ponit. Sed, vt recte Cellarius et Wesselingius monent, Luteuanos, qui et Foruiulienses, ab altero Neronis Foro, apud Druentiam, distinguas oportet. Mannert Luteuanos quoque eo transferri voluit. In prouinciarum Notitia, *ciuitas Luteuensium*, *id est*, *Luteua castrum.* Charta Europae quinque mill. geogr. cum tribus quintis interserit; qua ratione numerus prior huc spectaret; intercedit mons, qui spatium auget; vt XXX M. P. rite numerentur.

Cesserone. xxviii. ſic Velſ. Danuille, *Ceſſero*, xxvii M. P. in auſtrum; charta Europae ad ſitum Ceſſeronis, paullo infra *Pezenas* oppidum, quatuor mill. geogr. cenſet; vt numerus praecedens xxiii huc referri videatur. Danuille *Pezenas* Plinii *Piſcenas* interpretatur; quem locum Tabula, ſi tum exſtitiſſet, praeteritura non erat.

VII. Militaris via, prope oram maritimam, ab Ceſſerone progreditur Nemauſum; tenent eam pariter Tabula cum Itinerariis; prima Tabulae manſio,

Foro Domitij. xviii. Velſ. *Foro Domitij.* xviii. Hodoeporicon, itinere litorali, *Foro Domiti.* xviii. alio pariter; in quibusdam libris, *Foro Domini.* Burdigalenſe, *mutatio Foro Domiti.* xviii. Valeſius, ex interuallo, *Frontignac*, chartis *Frontignan*, oppidum, vino illuſtre, ad ſtagnum maritimum, recte decernit. Danuille, *Forum Domitii*, xviii M. P. in exortum aeſtiuum, ſitu vici *Balarne*, oppido *Frontignan* ab occaſu proximi. Suritam, Forum Neronis huc traduci volentem, Weſſelingius opportune redarguit.

Serratione. xv. Velſ. *Serratione.* xv. Hodoeporicon, *Sextantionem.* xv. itinere alio, *Sextatione.* xv. Burdigalenſe, *mutatio Soſtantione.* xv. Theodulphus: (a)

> Inde Nemauſiacas ſenſim properamus ad arces,
> Quo ſpatioſa vrbs eſt, resque operoſa ſatis.
> Hinc Madalona habuit laeuam, Sextantio dextram,
> Hic ſcabris podiis cingitur, illa mari."

Podia ſcabra eſſe ſaxa, quibus Sextantio erat incinctus, ait Weſſelingius. Hodie *Souſtantion* vicus, in agro Montispeſſulano, *Montpellier;* Ortelio *Sauſan*, ad fluuium Ledum, *Lez.* Danuille, *Sextantio*, xvi M. P. in eamdem plagam, laeua amnis memorati, v M. P. ab oſtio.

Ambruſiu͞. xx. Velſ. *Ambruſium.* xx. Hodoeporicon, *Ambruſſum.* xv. ſic et alio itinere. Burdigalenſe, *mutatio Ambroſio.* xv. In terminando ſitu non conuenit inter geographos; Valeſius, *S. Ambres*, Ortelio *Sambres*, recentioribus *Sommieres;* Catellus *Lunel le Vieil*, Ortelio *Lunel*, prope dextram *Vidour* amnis ripam; ſed numeri vlteriora poſcunt; Altingius, Fanum *S. Omiriei*, Ortelio *Sommieres*, laeua memorati amnis ripa. Danuille, *Ambruſſum*, xiv aut xvi. ripa fluuii ſiniſtra, vbi *Sommieres* vicus; nonnullae chartae tria mill. geogr. cum tribus quintis interponunt; vt Tabulae numerus non videatur abiiciendus; niſi ad vicinam quampiam ſpectet viam; inter *Pezenas* et *Montpellier* ſunt adcurate mill. geogr. quatuor, vnde via olim duxerit.

(a) Pareneſi ad Iudic. v. 132.

Nemauso. xv. insignia coloniae; Vess. *Nemuso*. xx. Hodoeporicon, *Nemausum*. xv. sic etiam iter aliud. Burdigalense, *ciuitas Nemauso*. xv. Strabo, metropolin Arecomicorum ait Nemausum, μητρόπολις τῶν Ἀρηκομικῶν ἐστὶ Νέμαυσος. Mela, *Arecomicorum Nemausus*; Plinius, *Nemausum Arecomicorum*; Ptolemaeus, in mediterraneis, *Νέμαυσος Κολώνια*, *Nemausus colonia*; epigraphe, apud Gruterum, T. Indesius Tertius, aedil. COL. AVG. NEM. Numus, apud Vaillantium, cum capitibus Augusti et Agrippae, COL. NEM. est fictitius; nam ante Ptolemaeum nemo coloniam esse docuit; et *Augusta* dici poterat, a quocunque demum imperatore iura coloniae obtinuisset. Dubitat Wesselingius etiam de fide monumenti, quod Gudius e schedis Ligorianis profert, cum inscriptione, COL. ARICOM. NEMAVS. VOLCA. AVG. NEPT. *Colonia Aricomicorum Nemausus Volcarum Augusta Neptunia.* Mannert, Plinium citans, *coloniam Latinam* vocat; quam Plinius non agnouit; ad haec, Plinio *Nemausum Arecomicorum*, neutro genere dicitur, non *Nemausus*, vt Mannert inquit; in Galliae Notitia, *ciuitas Nemausensis.* Dicuntur reliquiae integri prope amphitheatri superesse, vnde forma et structura operum Romanorum cognosci valeat. Danuilleo, *Nemausus*, xv M. P. in exortum aestiuum, a dextra exorientis fluuii, situ vrbis *Nimes.*

VIII. Antiquae viae, lapidibus stratae vestigia, Rhodanum versus, superare dicuntur, in primis circa oppidum *Beaucaire.* Tabula, eam petitura plagam, sociis Hodoeporicis, a Nemauso habet:

Vgerno. xv. Vess. *Vgerno*. xv. Burdigalense, *mutatio Ponte Aerarium.* XII. Strabo, nunc Οὐργενοῦ, *Vrgeni*, nunc Γέρνου, *Gerni*, vocabulis vtitur; priore loco MSS. Οὐγέρνου, *Vgerni* habent. Scribit geographus, iter a Nemauso per Vgernum et Tarasconem esse ad Aquas Sextias; item per Vocontios et Cottii terram ad alpes. Ex quo quidem textu duplex via a Nemauso ad Rhodanum accipi posset, vt Danuille signauit; sed vnam ostendunt vestigia, et phrasis Strabonis, quae ad Vgernum primo, tum ad Tarasconem veniri ait, loca situ distincta; ab Tarascone in plures diuisam partes, vti postea Ernagini, quod Tarasconi vicinum est, factum esse, Itineraria cum Tabula indicant. Varietas vocabulorum fecit, vt de situ mansionis disputaretur; Valesius oppido *Beaucaire* vtrumque locum recte adsignat, interuallo vtrimque exposcente; Wesselingius, scripto quodam veteri motus, ad *Bellegarde* cum Hon. Bouche transfert, quod xv M. P. eo pertingerent; sed aliud interuallum VIIII M. P. praeteriit; id autem omnino exposcit, vt Tabulae Vgernum oppido *Beaucaire* imponatur. Bene habet etiam numerus xv. nam ductu recto a *Nimes* ad *Beaucaire* sunt mill. geogr. tria, seu M. P. xv. Burdigalense pauciora numerat ob amplitudinem vrbis. Danuille, dubiam secutus opinionem, duas a Nemauso notat vias, vnam Tarascum versus, in exortum aequinoctialem, Vgernum ad ripam Rhodani statuens; alteram *Beaucaire* versus, quod intra ostia statuit, Arelate vrbi oppositum, absque nomine; in Homannianis, *Beaucaire* vicus est ad dextram *Gardon*

exeuntis, ex aduerſo Taraſci, vbi Danuillei *Vgernum*, M. P. nunc XIII nunc XVI a Nemauſo; in charta Europae eſt ad VIII inde in auſtrum lapidem, vbi Rhodanus in oſtia ſcinditur; prior ſitus numeris et phraſi Straboni aptius reſpondet; nam Arelate huic diuortio fluminis eſt proximum.

Arelato. VIIII. inſignia coloniae. Velſ. *Arelato.* VIII. Hodoeporicon, *Arelate.* XVIIII. a Nemauſo; itinere ripenſi, *Arelate.* XIIII. libri alii, priore itinere, VIIII. vnus XXVIIII. Pariſinus, XVIII. Burdigalenſe, ciuitas *Arelate.* VIII. Proinde a Nemauſo minimum XX M. P. cenſeri debent, non recta, ſed flexu ad priorem manſionem facto; Tabula quatuor addit, XXVIIII eſt nimium. Habet etiam Hodoeporicon iter a Mediolano *Arelate;* item a Roma per Tuſciam et alpes maritimas *Arelatum;* qua forma vtitur Ptolemaeus. Caeſar, *naues longas Arelate facere inſtituit;* (a) Strabo, *πρὸς δὲ τῷ Ροδανῷ πόλις ἐστὶ καὶ ἐμπορεῖον οὐ μικρὸν, Ἀρελάται, ad Rhodanum vrbs eſt, et emporium haud exiguum, Arelatae;* (b) Pomponius Mela, *Sextanorum Arelate;* eadem Plinius; Suetonius, in Tiberio: Pater ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbo et Arelate erant, miſſus eſt." Ptolemaeus, in Salyis, quos *Σάλικες*, *Salices*, vocat, *Ἀρελᾶτον κολώνια*, *Arelatum colonia*, Schotti edito, *Ἀρέλατον.* Epigraphe, apud Sponium, ex aeuo Antonini Pii, quatuor leucis ab Aquis Sextiis reperta, COL. IVL. PATERNA ARELATE. quae epitheta a Iulio Caeſare, et Tiberii patre, qui coloniam Caeſaris iuſſu deduxit, deriuari volunt. Petronellae, in Pannonia, C. Cornelius Firmus, ARELATE. In quadam, apud Gruterum, Diuae Fauſtinae Aug. SEXTANI ARELATENSES. Albae, in Dacia, C. Caſtorius Pulcher, trib. num. AREL. Golzii nummus, Caii Caeſaris nomen praeferens, cum lemmate, COL. ARELAT. SEXTAN. eſt fictitius; ſincera autem eſt in nummis ab Diocletiani aetate heic flatis, inſcriptio in exergo auerſae, AR. ARL. Nonnullis iuniorum Poetarum, vt Auſonio, Prudentio, *Arelas;* quae vox in *Arles* demum abiit. Danuilleo, *Arelate*, XII M. P. ab Vgerno in auſtrum, laeua Rhodani, ad fiſſionem in oſtia, ad quam numerus Tabulae pertingit, vt ibi traiectus fuiſſe videatur, a Nemauſo iſthuc ſunt M. P. XV. Danuille XVII numerat, via hac quoque ducta.

IX. Hactenus ad Rhodanum vſque agros prouinciae perluſtrauimus; nunc ſeptemtrionem petere libet. In Rheni ripa, prouinciae Belgicae, peruenimus Argentoratum vſque. Sunt quaedam manſiones, hanc vrbem conſequentes, quae ad Belgicam ſpectent, quas tamen huic itineri, facilioris progreſſus cauſſa, ſeruauimus. Tabulam, pro more, praemittere libet; in ea ab Argentorato viſitur,

Helellum. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ripenſi, a Tauruno in Gallias, *Helueto. M. P.* XXVIIII *Leg.* VIIII. Surita, *Elcebum M. P.* XXVIIII.

(a) L. I. B. G. c. 36. (b) L. IV. p. 181.

Leg. VIII. in Regio, *Elueto*, et infra *Elbeio;* in quibusdam LEG. deest; quod Surita de Legionibus accipi vult. Itinere a Mediolano per alpes Graias Argentoratum, *Helueto.* XXX. Surita, *Elcebum.* XXX. in Regio, *Helueto.* XX. in reliquis XXX. Itinere a Mediolano per alpes Penninas Maguntiacum, *Helueto.* XII. Surita rursus *Elcebum;* in Regio, *Elbeium;* in aliis *Heluetum*, numero XII intacto. Longam heic inter eruditos disceptationem de situ loci fieri videas, quam referre angustiae huius paginae, et instituti ratio, non admittunt. Ad fluuium *Ellus*, *Ill*, mansionem stetisse, et vico *Ell*, fluuio cognomini, respondere, ex adiunctis Schoepflinus recte ostendit; in primis, cum ait, *Schletstadt* a vico *Ell* trium horarum spatio abesse. In charta Europae, ab vrbe *Strasbourg* ad oppidum *Schletstadt*, ductu recto, sunt quatuor mill. geogr. Tabula eo interuallo censet XXIIII M. P. quam si stricte sequi velis, *Helellum* pari interuallo Argentoratum inter et Selestadium olim stetisse, dicas, necessum est. Nam refingere numeros pro lubito, et hodiernis adcommodare locis, apud eos, qui antiquitatem profiteantur, est nefas; nisi par vetustatis monumentum aliud suadeat. Ptolemaeus, in Triboccis, *Ἔλκηβος*, *Elcebus;* quod oppidum huc referri posse, iam Surita est arbitratus; sed non recte vocabulo hoc in textum Hodoeporici adsumto. Maneat sua antiquitatem integritas. Danuilleo, *Helcebus*, XX M. P. in austrum, amni *Ill* inhaerens, situ *Benfelden* vici, qui laeuam tenet, duo mill. geogr. cum semisse ab *Strasbourg* abscedens, cui interuallo numeri Tabulae accedunt. Numeri autem Hodoeporici a scribis ex itineribus vicinis, praesertim ab Argentorato Bingium versus, vbi Hodoeporicon laborare obseruauimus, isthuc perperam sunt traiecti; ex itinere a Mediolano per alpes Penninas Maguntiacum, vbi XII M. P. constanter in omnibus comparent, corrigendi; accedente ad id, aut potius ducente Tabulae auctoritate, quam omnibus illis itineribus, foede prauatis, lucem praeferre, manifestum est. Oppidum hoc cum sequenti ad Belgicam referri consueuit.

Argentouaria. XII. sic Vess. Hodoeporicon, itinere a Mediolano Maguntiacum; *Argentouaria.* VI. Simlero, *Argentonaria*, vel *Argentuaria;* Suritae, *Argentouaria.* VI. in Regio XVI. in quibusdam haec mansio deest; in Parisino, *Argentoraria.* Ptolemaeo, in Rauracis, *Ἀργεντουαρία*, *Argentuaria.* Ammianus, bellum Gratiani aduersus Alemannos describens, *apud Argentariam, signo per cornicines dato, concurri est coeptum.* Victor, in Epitoma, apud Argentarium oppidum Galliae triginta Alemannorum millia in bello exstinxit.“ De situ, ob numeros in Hodoeporico prauatos, disputatur; aliis *Colmar*, aliis *Horburg*, aut *Ober-Herken*, *Nieder-Herken*, id esse volentibus; nobis est oppidum *Schletstadt*, Tabula duce; in Hodoeporico fuerit XI aut XII. vnde alter scribarum VI. alter XVI fecerit; nisi ii numeri ex vicinia isthuc irrepsere. Non posse augeri censum, adiuncta monent; sed neque minui, infra vicenarium, vt ostendimus. Probat situm Ptolemaeus, qui secundum Italam editionem dimidio amplitudinis gradu Argentuariam ab Augusta Rauracum in boream remouet.

Sunt a ruderibus antiquae Auguſtae ad oppidum *Schletſtadt* mill. geogr. ſeptem et duae quintae. Danuilleo, *Argentouaria*, xvi M. P. ad Rhenum.

X. **Cambete.** xii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Stabulis.* xviii. *Cambete.* vi. Alii haec Stabula praeteriuerunt, monet Weſſelingius; neque in hoc itinere locum habere poſſunt. Numerus tamen xviii apud Suritam eſt conſtans, ſed qui cum Stabulo ad iter aliud ſpectet; vi autem M. P. ex xi prodierint; niſi ad Rauracos, cum Tabula, referri debeant. Cenſus xii M. P. vrbem *Colmar* expoſcit; nam ab *Schletſtadt* ad *Colmar* ſunt duo mill. geogr. cum duabus quintis, adcurate. Monet Surita, in Regio *Cambedeme* legi, Blandiniano *Cambete*, Neapolitano *Caribete.* Plerique, duce Cluuerio, *Kembs*, Suritae *Caempis*, ſimilitudine vocabuli ducti, interpretantur, qui vicus iuſto proprior eſt vrbi Baſileae; Danuilleo, *Cambes*, xxxv M. P. ab Argentouaria, ad ripam Rheni, ſitu vici *Kembs.*

Hodoeporicon, itinere a Mediolano Argentoratum, habet, *Monte Briſiaco.* xxv. ab Helueto; itinere per Pannoniae ripam, *Monte Briſiaco M. P.* xxviii. *Leg.* xix. quod eſt mendoſum; nam a vico *Ell* ad oppidum *Briſac* ſunt adcurate mill. geogr. quinque, ac proinde M. P. xxv. vt in itinere Mediolanenſi. Tabula manſionem hanc ripae adſitam praeteriit, Artalbinum, itidem a ripa nonnihil remotum, petens. Sed Hodoeporicon, itinere per Pannoniae ripam, ante videamus; in eo a monte Briſiaco haec ſunt:

Vruncis. M. P. xxii. *Leugas* xv. *Artalbinno.* xxii. *Leugas* x. *Rauracis M. P.* xxvii. *Leg.* itinere a Sirmio Treueros, Argentorato, *Monte Briſiaco.* xxxviii. *Artalbino.* xxx. itinere autem a Mediolano Magontiacum, Cambete, *Auguſta Rauracum.* xii. numero conſtanter in omnibus poſito. Itinere dicto, a Sirmio Treueros, ab Artalbino Vindoniſſam procedit. Tabula quoque, alio itinere, ab Auguſta Rauracum Veſontionem, Cambete et Artalbino repetit. Quibus in conſiderationem ſumtis, haec conſtitui poſſe cenſeas: 1) Apud Artalbinum fuiſſe viae diuortium. 2) Id ab Auguſta Rauracum haud procul diſtitiſſe. 3) Fuiſſe a ripa Rheni nonnihil remotum. Haec autem in tabula Europae conueniunt oppido *Altkirch*, duobus mill. geogr. et duabus quintis ab vrbe *Baſel* in occaſum vernum remoto. Abeſt ab vrbe *Colmar* in auſtrum quatuor mill. geogr. cum ſemiſſe, ac proinde M. P. xxiii. dextra *Ill* recentis, quem Tabula hoc itinere ſecuta videtur, conſiſtens; in ea a Cambete haec notantur:

Arialbinnum. vii. ſic Velſ. Manſio haec, cum ſuo numero, itinere ab Auguſta Rauracum Diuodurum et Treueros verſus, repetitur; ac proinde vero ſimile videri, numerum hunc, aut manſionem quampiam, quae circiter *Mülhauſen* ſteterit, exmiſſam, aut ipſum ex vicino itinere iſthuc transiſſe innuere; remedium ex Hodoeporico, itinere ab Tauruno in Gallias, accipere poſſe, vbi xxii M. P. Artalbino adſignata ab Vruncis, qui huc non pertinent, Monti Briſiaco, aut Cambeti adſcribenda, iſthuc omnino faciunt. M. P. xii. itinere a Mediolano Magontiacum, Cambeti a Rauracis adſtituta, referri ad Artalbinum

debere, quod a Rauracis eo interuallo aberat. Numeros Tabulae et Hodoeporici alios, circa haec loca occurrentes, mox dispiciemus. His notatis viam persequamur. Artalbinum, Simlero *Arialbino*, vel *Artalbino;* Suritae *Artalbinnum*, in Regio, *Atrialbino;* Blandiniano, *Arialbinno;* aliis, *Arialbimo*, *Arialbimio*, *Artalbinio.* De vocabulo et situ loci Wetstenium, apud Wesselingium audire libet: Ego verum nomen putauerim *Artalbinnum*, atque hoc abiecta, quod frequentissimum, adspiratione pro *Hart-halbinne.* Inter Augustam enim Raurac. et Cambetem interiacet silua, cuius nomen adhuc hodie *die* HART. Ingressus eius prope Augustam est, exitus non procul a Cambete (Kembs). Intermedio tractu videtur locus aliquis fuisse, qui vocaretur *Hart-halb-inne*, quod nunc diceremus *in der halben Hart.* Vbicumque autem praecise fuerit locus ille, procul a Basilea distare non potuit." Haec Wetstenius apud Wesselingium. (a) Doctissimus Schoepflinus, de patria sua Alsatia optime meritus, extrema Wetstenii verba secutus, putabat, se, Tabula duce, Artalbinum in vicinia Augustae reperisse, apud villam *Binning*, chartis *Hüningen.* Sed, si rudera vrbis antiquae supra Basileam ad alterum milliare Francicum exstant, in suburbano Artalbinum consistere nequiuit. Abest ruderum locus ab oppido *Alltkirch* in exortum aequinoctialem, duobus mill. geogr. seu M. P. x. Si vrbis amplitudinem spectes, bina aut terna M. P. demi poterunt, in vicos vrbis insumta; vt VI. aut VII M P. Tabulae locum habere possint. Danuille quoque Tabulam secutus, Artalbinum Augustae admouet, III M. P. ab exortu; sed Cambetem inde remouere debebat; vt alio itinere monstrabimus. Eorum sententia, qui *Mulhusen* Artalbinum esse volunt, sustineri nequit. Cum enim *Mulhusen*, chartis *Mülhausen*, a Rauracis sex mill. Germ. abesse dicatur, positio Artalbini omnem superabit fidem. Nam ab hodierna Basilea Brisacum sunt mill. geogr. quatuor et duae quintae; sex milliaria excedunt situm Colmari; vbi ergo Vruncos ad XXII ab Artalbino lapidem, et Brisiacum montem ad alterum XXII M. P. interuallum quaeremus? M. P. XLIV. quae post sex mill. geogr. a Basilea numerantur, non ad *Brisac*, sed *Hagenau*, tribus mill. geogr. supra Strasburgum pertinent. Verum, haec isthic memorasse, suffecerit. Sequitur in Tabula,

XI. **Augusta Ruracum.** VI. sic Vels. Hodoeporicon, itinere a Mediolano Magontiacum, Cambete, *Augusta Rauracum.* XII. itinere per ripam Panno-niae, Artalbino, *Rauracis. M. P.* XXVII. *Leg.* Monet Surita, binas mansiones has in codice Regio deesse. Numeros exsecuti sumus ante. Vetus inscriptio, quam in Rhaetis dedimus, habet, Munatius Plancus, COLONIAS DEDVXIT LVGDVNVM ET RAVRICAM. In antiquis commentariorum Caesaris exemplaribus, *Rauracum* oppidum, *Rauraci* incolae vocantur. (b) Plinius populum

(a) Itin. Ant. p. 239. (b) L. I. B. G. c. 5.

Rauricos, vetuſtis codicibus, *Raurecos*, vrbem, *Rauricum Galliae oppidum*, *coloniam Rauriacam*, nuncupat. Ptolemaeus, *Ῥαυρικῶν Αὐγόυςτα*, *Rauricorum Auguſta*. Ammianus: Vbi prope Rauracum ventum eſt, ad ſupercilia fluminis Rheni, reſiſtente multitudine Alemanna, pontem ſuſpendere nauium compage Romani vi nimia vetabantur." (a) Loco alio: *Apud Sequanos Biſontios vidimus*, *et Rauracos*, *aliis potiores oppidis*. (b) In prouinciarum Notitia, *caſtrum Rauracenſe*. Imp. Valentinianus plura ad Rhenum aduerſus Alemannos caſtella conſtrui iuſſit, inter quae vnum ſitu vrbis *Baſel*, de quo Ammianus: Sequuto poſt haec anno (374) Gratiano adſcito in trabeae ſocietatem, Equitio conſule, Valentiniano poſt vaſtatos aliquos Alemanniae pagos munimentum aedificant, prope Baſiliam, quod adpellant adcolae Robur, offertur praefecti relatio Probi, docentis Illyrici clades." (c) Id vocabuli vrbem poſtea manſit. Veteris Auguſtae rudera, VI M. P. a Baſilea, in tenui vico *Augſt*, ad flexum Rheni ab occaſu in exortum, ſuperare dicuntur.

Rauracum ducunt viae ab Andematunno et Cabillono per Veſontionem; ab Rauraco procedunt ad Vindelicos et Heluetios; illas ante videamus. Hodoeporicon cum Tabula proficiſcitur, itinere ab Andematunno Cambetem; incurrit itinere a Mediolano per alpes Graias Argentoratum. Tabula ab Andematunno habet,

Varcia. XI. X. Velſ. *Varcia*. XI. X. Hodoeporicon, *Varcia*. XVI. In Tabula duplici numero duplicem indicari viam, alias monebamus, tractu viae alterius, Moſam verſus, incuria ſcribarum exmiſſo, niſi ii iungi debeant, vt interualla poſcunt. Altingius ſitum Varciae inuenit in *Vercur*, vico ad Ararim, inquit Weſſelingius. Sed numerus is ad Ararim non pertingit. Danuilleo, *Varcia*, XXIV M. P. in exortum hibernum, laeua amnis Ararim ab occaſu petentis, circiter vicum *Chanite*, qui dextram tenet. *Vercur* vicum ad Ararim non conſpicor. Numeri Tabulae, reſpectu ſequentium manſionum, coniungi debent; non raro aliis quoque, ingenio ſcribae, interpuncti.

Segobodiu. VI. Velſ. *Segobodium*. VI. Numerus ducit ad oppidum *Grai*, laeua Araris, *Saone*, ripa, in prouincia *Franche Comte*. Danuilleo, *Segobodium*, VIIII M. P. in exortum hibernum, amni impoſitum, ſupra confluentem; chartae inferius *Grai* ponunt.

Veſontine. XVIII. XV. ſic Velſ. inſignia municipii; numerus alter ad vicinam viam, Cabillonum verſus, pertinet. Hodoeporicon, *Veſontione*. XXIIII. a Varcia, Segobodio praeterito; itinere alio, *Viſontione*. Caeſar, *Veſontionem*, *oppidum maximum Sequanorum*, vocat. (d) Dio Caſſius, *τὸν Οὐεσοντίωνα*, *τὴν τῶν Σηκουανῶν πόλιν*, *Veſontionem*, *Sequanorum vrbem*; Reimarus, (e) *Βεσοντίωνα* legit. Ptolemaeus, *Οὐισόντιον*, *Viſontium*, in Sequanis; Auſonius, *apud Viſon-*

(a) L. XIV. c. 10. (b) L. XV. c. 11. (c) L. XXX. c. 3. (d) L. I. B. G. c. 38. (e) L. XXXVIII. c. 31.

tionem; Ammianus, *apud Sequanos Bisontios;* (a) loco alio: *Vesuntii iusserat operiri praesentiam suam;* (b) rursus, *per Besantionem, Viennam hiematurus abscessit.* (c) Notitia prouinciarum, in Maxima Sequanorum, *metropolis ciuitas Vesontiensium;* Magno, *Sequanus, Vesontio;* in Capitul. Caroli M. *Bissancion, villa partis Burgundiae.* Numus Golzii, Galbae imp. MVN. VISONTIVM. praeferens, est spurius. Danuille, *Vesontio*, XXVIII M. P. in exortum hibernum, laeua Dubis, *Doux*, situ vrbis *Besançon.* In charta Europae intercedunt mill. geogr. fere quatuor; qua propter Leugis locus esse nequit.

XII. Apud Vesontionem exit via ab Cauillono, quae in Hodoeporico desideratur; binae sunt mansiones intermediae, *Ponte Dubris*, et *Crusinie*, quae hoc se se modo excipiunt:

Ponte. Dubris. XIIII. sic Velf. Fluuius Straboni et Ptolomaeo, *Δοῦβις*, *Dubis*, nuncupatur, quem naues passum geographus refert; Caesari, *Alduabis*, hodie *Doux*, de quo superius actum. Danuilleo, *Pons Dubis*, in Atlante maiori praue *Fons Dubis*, XVIII M. P. in exortum aestiuum, laeua amnis, prope confluxum, agro oppiduli *Verdun;* quo spatio, in charta Europae, sunt mill. geogr. duo cum tribus quintis.

Crusinie. XVIIII. Velf. *Crusinie.* XVIIII. Danuilleo, *Crusinie*, in Atlante *Crusime*, XXIII M. P. in exortum aestiuum, laeua amnis, agro *Dole* oppidi, quod dextram tenet. Heic Mannert Ptolemaei *Διδαττιον*, *Didattium*, Schotti libro *Διατάννιον*, *Diatannium*, quaerit; rectius forsan ad *Dijon* vrbem, si ratio vocis habeatur, positurus; quod cosmographus ob viciniam isthuc transtulerit, vt non raro facit.

Vesontine. XV. sic Velf. Danuille, XXX M. P. in eamdem plagam, cum non sint nisi quatuor mill. geogr. Numerus Tabulae est ab *Grai* ad *Auxonne* oppidum, laeua Araris, per quod via ab *Dijon* isthuc duxerit, quae desideratur. Secundum Caesaris descriptionem, erat vrbs circumdata fluuio Dubi, isthmo DC passuum, demto, vbi paruus mons, in quo arx vrbana consistebat. (d) Eadem est hodie vrbis positio, nisi quod amplitudinis caussa alteram quoque amnis ripam occupat. Nunc Rauracum versus, cum Hodoeporico, progredi libet.

XIII. **Loposagio.** XIII. sic Velf. Hodoeporicon, *Velatuduro.* XXII. in Regio, *Vetatuduro.* XIIII. Blandiniano, *Velatudoro.* XXII. Neapolitano, *Velatudero.* XII. Vaticano, *Velatudara.* Danuille, in Atlante maiori, *Loposagium*, XX M. P. in exortum aestiuum, dextra Dubis, situ vici *Bevoie*, *Velatodurum*, XXV in eamdem plagam, sed borealius, dextra amnis alterius, ad vicum *Montboson;* in Atlante minore, *Velatodurum*, XV M. P. a Loposagio in exortum aestiuum, via eadem, situ vici *l' Isle*, quae vox insulam notat; quae varietas

(a) L. XV. c. 11. (b) L. XVI. (c) L. XX. c. 10. (d) L. I. B. G. c. 37.

ambiguos reddit de vera loci positione. Wesselingius, hoc tractu, locum *Velerot* esse perhibet; qui si est *Lure*, a nostra via in boream recedit. Marlianus, Bellicardum, Insulam, et Clarauallem, castella, Alduasdusio Caesaris perlui ait, et vrbem Bisantinam nunc intersecare. Posterior Danuillei positio arridet.

Epomanduo. XIIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Epamantadurum.* XII. in Regio, *Epamantaduru;* itinere alio, *Epamanduoduro.* XXXI. a Vesontione. Durant nominis pristini obscura vestigia in *Manduere*, inquit Guil. Catellus, apud Wesselingium. Danuille, *Epomanduodurum*, XXIV a Loposagio, XVI a Velatoduro, in exortum, dextra Dubis, situ vici *Mandeur*, tamquam in peninsula, vbi amnis in austrum flectitur. Numeri Tabulae sunt sinceri, censum Leugarum respuentes.

Large. XVI. Vess. *Large.* XVI. Hodoeporicon, itinere Mediolanensi, *Gramato.* XVIIII. *Larga.* XXV. *Vruncis.* XVIII. *Monte Brisiaco.* XXIIII. altero, ab Andematunno Cambetem, ab Epamanduoduro continuo, *Cambete.* XXXI. Duplex heic iter commissum esse, Tabulae numeri, et locus *Largitzen*, Ortelio *Larg*, in Ferretensis comitatus agro, hodie quoque nominis vestigia seruans, ostendunt. Danuilleo, *Larga*, XX aut XXIV M. P. in exortum aestiuum, ad occiduum *Ill* amnis alueum, cuius ripa dextra *Largitzen* vicus haeret, numeris Tabulae adcurate huc ducentibus.

Artalbinnum. VI. In Tabula quidem, ab Large notantur, **Cambete.** XII. **Artalbinum.** VII. **Augusta Ruracum.** VI. Sed Cambete ex vicino itinere huc irrepsit, qua occasione Artalbinum quoque, cum suo numero loco motum est, et omnes Hodoeporici viae turbatae sunt, tamquam e simili Tabula desumtae. In Hodoeporico, itinere a Mediolano Magontiacum, ab Augusta Rauracum, *Cambete.* XII. *Stabulis.* VI. *Argentouaria.* XVIII. *Helueto.* VI. *Argentorato.* XII. Diuersas heic vias esse perperam commissas, e supra dictis non aegre perspexeris; eas sic expedire liceat: apud *Altkirch*, Tabula duce, consistimus; inde ad Augustam sunt M. P. XII. quae heic Cambeti, ex vicina via huc translatae, adponuntur. Iter Hodoeporici istud erat laterale, in mediterraneis, a Vesontione Rauracos, a Larga Cambetem, ab Artalbino Cambetem, et Montem Brisiacum; quod in Hodoeporico et Tabula, scribarum vitio, est turbatum. Id sic restitui posse putamus: primum, ab Epomanduoduro, Larga XVI. Artalbino VI. Augusta Rauracum XII. alterum, ab Artalbino, Gramato XXV. Vruncis XVIII. Monte Brisiaco XXIIII. tertium, ab Artalbino, Vruncis XXII. Monte Brisiaco XXII. quartum, ab Vruncis, Stabulo X. Cambete VII. quintum, ab Argentouaria, Stabulo XVIII. Cambete VII. Ex his Gramatum incidit in angulum, quo fines Lotharingiae, Alsatiae, et comitatus Ferratensis confluunt, infra Mosellae fontes, agro oppiduli *Masmünster;* Danuille, *Gramatum*, XI M. P. ab Epomanduoduro in exortum nonnihil borealem, ad vicum *Porentru.* *Stabulum*, ad VII ab *Colmar* in occasum lapidem, circiter vicum *Sulzbach*, dextra recentis fluuii, *Ill* amnem ab occasu hiberno petentis; Danuilleo, *Stabula*, VII M. P.

a Cambete, *Kambs*, in boream, ad ripam Rheni, quae hodie locis eſt vacua. Ad x a Stabulo in auſtrum paullifper occiduum milliare, *Vrunci*, pede montis ortiuo, prope Lotharingiae fines, circiter vicum *Murbach*, dextra fluuii alterius recentis, *Ill* amni poſtea iuncti; Danuilleo, *Vranci*, VII M. P. a Cambete in occaſum aeſtiuum, dextra *Ill* amnis, vbi *Mühlhauſen* oppidum. Reliqua ſuis dedimus locis. Id heic addidiſſe iuuerit, ex adiunctis videri, vias ab *Nancy*, ſeu Andeſina, per *Luneville* et *Blamon* oppida Argentoratum; et heic ab *Langres*, ſeu Andematunno, per *Plombieres* et *Remiremont* oppida, Cambetem, ſeu *Colmar*, Briſiacum, et Argentouariam duxiſſe; quae iniuria temporum intercidere, data vicinis committendis occaſione. Veſtigia vtrobique in Tabula ſupereſſe, vt ſuis monebamus locis; ſed viarum ductu, et manſionibus per eos, qui poſtremi Tabulam conſcripſere, ommiſſis, nihil certi adferri poſſe. Haec in reparationem Tabulae et Hodoeporici hoc loco referre operae pretium fore cenſebamus.

XIV. Ab Auguſta Rauracum Tabula duplex iter in exortum habet, vnum ſecus ripas Danubii, alterum per Brigantium Auguſtam Vindelicorum; Hodoeporicon poſterius iteratis promit vicibus, per Pannoniae ripam, ab Tauruno in Gallias ad Leg. XXX. et per mediterranea, ab Sirmio Treueros. In Tabula, ab Auguſta Rauracum, occurrit,

Vindoniſſa. XXII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ripenſi, *Vindoniſſa. M. P.* XXVII. *Leg.* Monet Surita, in Regio, Rauracum et Artalbinum deeſſe; itinere mediterraneo, *Artalbinno*, *Vindoniſſa. Leugas M. P.* XXIII. Meminit loci Tacitus: Hiberna ſubuerſa cremataque, iis tantum relictis, quae Magontiaci ac Vindoniſſae ſita ſunt." (a) Loco alio: *Vna et vicefima legio maturauit Vindoniſſa.* (b) In Panegyrico Eumenii, *Campi Vindoni;* Notitia Galliae, *caſtrum Vindoniſſenſe.* Danuilleo, *Vindoniſſa*, XXIV M. P. in exortum auctumnalem, in confluente Ruſſae, *Raſs*, *Rüſs*, *Reuſs*, et Arolae, *Aar*, ſitu vici *Vindiſch.* Hodoeporicon, itinere mediterraneo, vrbe praeterita, Artalbinum petiit; cuius ſitus, a nobis depromtus, hoc pacto egregie firmatur. Charta quidem Europae id ſpatium quinque mill. geogr. et tribus quintis, metitur; ſed Danuille, heic menſura Romana vſus, calculum Tabulae firmat; et vrbs Baſilea pomeria ſua in exortum, Vindoniſſa in occaſum, protenderint, vt M. P. pauciora numerarentur. Si XXX M. P. quae Monti Briſiaco adfiguntur, cum his XXIII permutes, nulla prorſus ambiguitas ſupererit; neque neceſſum videbitur, Rauracos cum XXVIII M. P. ad explendam CCXXXI M. P. ſummam, a Finibus ad Treueros, huic itineri interpolare. Hiatus enim ille Diuodurum inter et Treueros fuit, vti perſpicue Weſſelingius aſteriſcis notauit, et in obſeruationibus monuit; vbi M. P. XXVIII dumtaxat binas inter vrbes ibi cenſentur,

(a) L. IV. Hiſt. c. 61. (b) Ibid. c. 70.

cum Tabula LII numeret; ſecundum quam XXIIII M. P. deſiderari, manifeſtum eſt; Hodoeporicon, pro more, plura cenſuerit, additis quatuor, vt XXVIII. ad ſummam illam ſupplendam, prodirent. Ex his Artalbini ſitus confirmationem accipit, et doctiſſimi Schoepflini opinio ex parte ſtabilitur.

A Vindoniſſa duplex iter in Tabula exhibetur, vnum in exortum aeſtiuum, ad Rhenum, eoque traiecto, ad recentem Danubium; aliud in aequinoctialem, ad lacum Acronium; priori, quod Hodoeporicon non habet, conſpicitur manſio,

Tenedone. VIII. ſic Velſ. Ad fluminis traiectum, paullo ſuprà *Waldſhut* oppidum, eſt *Tengen*, *Tüngen* oppidulum, prope dextram Rheni, quod vulgo Tenedonem interpretantur. Danuilleo, *Tenedo*, XV M. P. in exortum aeſtiuum, laeua Rheni, ſitu oppidi *Kaiſerſtuhl.* Europae charta eo interuallo duo mill. geogr. interponit; numerus in Tabula comparet inferne, tam quam ad Fines quoque, itinere vicino conſpicuos, referatur.

Ad fines. absque numero; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ripenſi, a Vindoniſſa, *Vituduro. M. P.* XXIIII. *Leg. Finibus. M. P.* XXII. *Leg.* itinere mediterraneo, *Ad Fines. M. P.* XXX. Vitoduri meminit lapis, apud Weſſelingium, in quo Impp. Diocletianus et Maximianus, MVRVM VITODVRENSEM A SOLO INSTAVRARVNT. curante Aurelio Proculo. Simlerus, *Vitodoro;* Surita, *Vitudoro*, *Vituboro;* Weſſelingius etiam *Vitodoro*, legit; tamen in textu *Vituduro* ponitur, quod libri non praeferunt. Hermannus Contractus, ad ann. DCCCCXIX. *Vinterturum.* Danuilleo, *Vitodurum*, XXVII M. P. in exortum vernum, dextra amnis, prope confluentem, ſitu oppidi *Winterthur; Fines*, XVI M. P. in eamdem plagam, dextra *Thur* amnis, ſitu oppiduli *Pfin.* In charta Europae, a Vindoniſſa ſunt mill. geogr. ſeptem cum ſemiſſe, ſeu M. P. XXXVIII. Hodoeporicon, itinere priori, XLVI. altero XXX M. P. interponit; videtur priore a Vituduro ad Fines pro XXII. miſſo denario, XII legi debere, vt ſint vniuerſim M. P. XXXVI. Quid horum in Tabula deſideretur, incertum eſt; iter eſſe mutilum et turbatum, etiam ſequentia oſtendunt. Leugae heic, quod viros doctos voluiſſe video, locum habere nulla ratione valent; nam ſi XLVI M. P. itinere ripenſi abundant, quo pacto ex iis Leugas, incremento ſesquiplari, produces? Sed ipſi haec docentes ſibi non conſtant, cum inquiunt, Leugas in Hodoeporico manu recentiori eſſe illatas; nunc autem, menſuram olim Leugarum in Galliis vſurpatam, adſeuerant. Vulgo id vſu veniſſe, non negarim; in monumentis Romanis, qualia ſunt Hodoeporicon et Tabula, hoc ipſum iter, et quae recenſuimus, negant. Alterutrum quippe mihi conceſſerint, oportet: vel vbique in Galliis Leugas accipi debere, vel nuspiam; nam quibusdam pro lubito locis eas adplicare, ratio monumenti Romani non admittit; vbique adplicatas, ne vno quidem itinere paullum longiore docueris; vt hactenus dicta oſtendunt. Proinde ſupereſt, vt Leugas in Hodoeporico, prima ſui conſtructione, nuspiam adhibitas fateare. Itaque non habebat Weſſelingius, quod hoc toto itinere, a

Finibus inde ad Treueros, Leugarum cum M. P. coniunctarum numerum per negligentiam atque inſcitiam librariorum intercidiſſe doleat. Hoc enim iter, per exmiſſionem Leugarum, pluribus locis integrius eſt, quam ripenſe, in quo Leugae cum M. P. permiſtae librariis confuſionem pepererunt. Vnum eſt, quod heic oggeri poſſe video; in lapide veteri, AB AVGVSTA SVESS. LEVG. vii. in alio, L. I. Leugae vii. Leuga i. ſcriptum aiunt; quod ſi eſt ſincerum, indicat viam prouincialem, quales per Gallias fuiſſe plures, in Prooemio diximus; militares Romanas M. P. inſignitas, binae columnae, apud Andematunnum altera, altera apud Forum Hadriani, relatae manifeſto docent. Hodoeporicon autem et Tabula vias exhibent militares, in quibus barbara menſura locum habere nequit. Et conſuetudo aeui ſuperioris ad florentis imperii Romani aetatem, qua vtrumque monumentum eſt conſcriptum, trahi non valet. Verum haec iſthic Leugarum occaſione dixiſſe ſuffecerit; quod de his in Prooemio, quantum oportebat, diſſeruimus. In Tabula a Finibus ſequitur,

Arbor felix. xxi. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ripenſi, *Arbore Felici.* xx. ita et mediterraneo. Meminit oppidi Ammianus: Gratianus exinde digreſſus, per caſtra, quibus Felicis Arboris nomen eſt, per Lauriacum ad opitulandum oppreſſae parti porrectis itineribus ire tendebat." (a) Notitia imperii, tribunus cohortis Herculeae Pannoniorum, *Arbore.* In vita S. Magni, *caſtrum Arbonenſe*, *oppidum Arbonenſe.* Hodie vicus *Arbon*, auſtrali lacus Brigantini latere, ad x a Rheno lapidem, vt Danuille rite ſignauit, cui *Arbor Felix*, xx M. P. in exortum auctumnalem; quod eſt interuallum ſincerum. Oppidum hoc erat in cenſu Vindeliciae, inde a Finibus acceptae, quemadmodum Danuille in chartis expreſſit, et nos in geographia Vindelicorum oſtendimus.

XV. Tabula iter exhibet a Rauraco Auenticum Heluetiorum, vbi aliud a Veſontione concurrit; vtrumque in Hodoeporico etiam reperitur; priore, in Tabula, ab Auguſta Rauracum, venit,

Salodurum. xxii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Saloduro.* xxii. Simlerus, *Saloturum*, vel *Salodurum;* in Pariſino, *Saloturum;* ipſe Weſſelingius, *Salodurum* legit, cum Surita, in textu tamen *Saloduro.* Apud Hagiologos, *in ciuitate Solodoro;* item, *iuxta Ararium flumen, non longe a caſtro Solodoro.* Eucherius, in hiſtoria Agaunenſium: Salodorum caſtrum eſt ſupra Arulam flumen, neque longe a Rheno poſitum." Caeſar, *Solodurios* in Aquitanis nouit, milites deuotos, qui pro amicis omnia quaeque ſufferre parati eſſent; (b) forſan conductitii fuerunt, a quibus oppidum, cui *Solothurn*, Gallis *Soleure*, hodie nomen, ſit conditum. Danuilleo, *Salodurum* xxxii ab Auguſta, xli a Vindoniſſa, in occaſum hibernum, vtrimque enim ducit viam, laeua Arolae, *Aar*, amnis ripa; in charta Europae hinc quinque mill. geogr. cum ſemiſſe, inde ſex

(a) L. XXXI. c. 10. (b) L. III. B. G. c. 5.

numerantur; vt, quod ante dicebamus, vrbis antiquae pomeria longius in austrum patuisse videantur. Leugis, spatio etiam mathematice sumto, locus esse nequit.

Petenisca. x. Vels. *Petenisca.* x. Hodoeporicon, *Petinesca.* x. in Regio ix. sed nomen mansionis abest. Simlero, *Petinesca*, vel *Praenestica*, vel *Pirenestica;* Suritae, *Penestica*, *Petinesta*, *Prenestica*, *Petinesca.* Wesselingius e Tabula *Petenesca* legit. In situ terminando dissentiunt; Simlerus, *Buren*, Cluuerius *Biel*, Altingius *Aarberg*, contendunt esse. Ratio itineris Cluuerio fauet, cuius opinionem Danuille sequitur; oppidum *Biel* seu *Bielt*, est minoris lacus Neoburgensis, *Bieler See*, quem *Teila* flumen transit, latere boreali, ripa amnis inde prodeuntis laeua. Danuilleo, *Petinesca*, xvi M. P. in occasum hibernum; quo spatio sunt mill. geogr. duo cum semisse.

Auenticum Helettiorum. xiiii. insignia vrbis, figura fani; sic Vels. Hodoeporicon, *Auenticum Heluetiorum.* xiii. Simlero, *Auenticulum*, vel *Auenticum;* in Regio Suritae, *Adenticulum Eluetiorum.* in Blandiniano, *Auenticulum Heluetiorum.* xxii. in aliis xiii. Tacitus, de Caecina, duce Vitellii: Cum direptis omnibus Auenticum, gentis caput, iusto agmine peteretur, missi, qui dederent ciuitatem." (a) Coloniam a Vespasiano deductam, lapis Caio Laelio, Neruae et Traiani legato, positus ostendit, in quo, COLONIA PIA FLAVIA CONSTANS EMERITA AVENTICVM HELVETIORVM FOEDERATA. in alio, apud Gruterum, INCOLAE AVENTICENS. curatori coloniae tabulam argent. posuere. Numus Domitiani, apud Valesium, COLONIA IVLIA AVANTICORVM. inter suppositititias merces refertur. Ptolemaeo, in Heluetiis, *Ἀυάντικον*, Auanticum, Schotti edito *Ἀυαντικὸν.* Ammianus, *Auenticum* desertam ciuitatem, dixit, sed non ignobilem quondam, vt aedificia semiruta nunc quoque demonstrant. Hodie Gallis *Avenches*, *Avanches*, Germanis ab restauratore vrbis Wiuilone, *Wiflisburg*, ora lacus *Murter*, *Morter*, australi, haud longe ab dextra *Broye*, Ortelio *Braw*, exeuntis ripa; Danuilleo, *Auanticum*, xx M. P. in occasum hibernum; cum sint duo mill. geogr. et semis, vt mensura Tabulae praefert. Apud Auenticum prodit via a Vesontione, hoc modo:

Filo. Musiaco. xv. Vels. *Filo. Musiaco.* xv. Danuille, *Filomusiacum*, xviii M. P. in exortum hibernum, prope laeuam *la Loue*, Ortelio *Alue*, fluuii; in Atlante minore, *Filo-musiaco*, dextra recentis, xx M. P. a Vesontione, situ vici *Villaslans*, *Vuillafans*, Ortelio *Vullienfan;* quo spatio sunt mill. geogr. tria. Hodoeporicon hanc mansionem praeteriit. Sequitur,

Abiolica. xiiii. sic Vels. Hodoeporicon, *Ariorica.* xvi. a Visontione; in Regio, *Areorica.* In Chronico Diuionensi, *Vrba et Pons Arlie*, iunguntur. Guillimannus, apud Wesselingium, *Pont Arley*, Ortelio *Pontarles*, ad laeuam

---

(a) L. I. Hist. c. 68.

Dubis recentis, esse vult. Danuilleo, *Ariolica*, XIII M. P. in exortum, laeua amnis memorati, situ vici *Pontarlier*, quod in chartis quibusdam est oppidum.

Eburoduno. VI. Vell. *Eburoduno.* VI. Cellarius putat, Notitiae ciuitatum Maximae Sequanorum, *castrum Ebredunense*, isthuc pertinere; sed idem profert apud Ebrodunum Caturigum, in alpibus. Si oppidum Sequanorum fuit, ad alpes referri nequit. Mannert, ex Notitia imperii, classem heic construit, quam vix inspexerit; titulus est: In prouincia Gallia ripariensi. Praefectus classis fluminis Rhodani, Viennae siue Arelati. Praefectus classis Barcariorum, Ebruduni Sapaudiae.“ Vocabulum Sabaudiae ad alpes spectat. Danuille, ad verticem Iurae montis, eadem directione, M. P. x. tum in exortum XV *Ebredunum*, ora lacus *Neuchatel* australi, vbi Teilam a Lemano defluentem excipit; aliis oppidum, hodie vicus, laeua exeuntis, aut in ostio, situ insulari, *Iverdun*, *Yverdun*, *Yverdon* nomine. Numerus Tabulae videtur ab *Vrba*, *Orbe* esse, Danuilleo VIII M. P. in occasum hibernum, laeua cognominis fluuii, oppidum, ab situ prioris sesquimilliare geogr. in exortum hibernum abscedens; quamquam iuxta Europae Tabulam, Ebreduno VI M. P. ab Ariolica, ad Iuram posita, non male respondebunt; nam a *Besançon* ad *Iverdun* fere octo mill. geogr. censentur, seu M. P. XL. Tabula minus quinque habet. Proinde, si Vrba est exmissa, pari vtrimque VI M. P. interuallo abfuerit.

Auenticum Helvetiorum. XVII. sic Vell. Danuille XVII Leugas numerat; in charta Europae sunt tria mill. geogr. cum tribus quintis, prorsus vt in Tabula. Mannert ait, „quinque mill. geogr. ea dirimi loca, idcirco in Tabula Leugas accipi debere; quod se ideo adferre dicit, quia Danuille his in partibus nunc milliaria, (Romana, credo) nunc Leugas vsurpat, prout ipsi ad probandum singularium locorum situm opportunius videbatur. Heic eum, inquit, mittere Gallicam mensuram, sed iusto maiorem adhibere; cum charta quaeuis contrarium docere queat.“ Chartae, quibus hic geographus est vsus, sunt Homannianae, mendosae omnes, quae correctione egeant; neque Danuille, quoad mathematica interualla, meliores habuit; Lotterianae recentiores sunt longe meliores, plurimis locis ad dimensiones astronomicas exactae, quibus plerumque tuto fidere queas; vt nos hoc in opere experimur. Danuilleo, in Atlante maiori, *Auenticum*, XX M. P. in exortum aestiuum.

XVI. Hodoeporicon, ab Ariolica habet, *Vrba.* XXIIII. in Regio, M. P. XV. quod est sincerum; quamquam ab situ Ariolicae, etiamsi ad Dubim ponatur, ad lacum Lemanum quinque dumtaxat mill. geogr. censentur; atque adeo XXV M. P. erant suffectura; cum in Hodoeporico XXXIII compareant. Tabula heic adcuratior esse videtur. Annales Bertiniani, ad an. DCCCLXXVII. *Vrbam vltra Iuram* vocant; Odilo, in vita Adelhaidis, *deuenit in vicum, qui vocatur Vrba.* Ortelio, *Vrba*, ripa Teilae dextra; recentioribus *Orbe*, ripa amnis cognominis laeua, qui Teilae, Homannianis *Venoge*, e lacu Lemano prodeunti, postea miscetur; Danuilleo, *Vrba*, XXI ab Ariolica, flexu facto, in

exortum hibernum, VIII M. P. ab Ebreduno in occaſum hibernum; qua de re ſuperius dictum. Tabula ab Ariolica ſignat viam lacum Lemanum verſus; ſed interuallum oſtendit, eam ab Ebroduno duci oportere; niſi Vrbam reſpexerit auctor, quam exmiſit.

Lacum Loſanne. XVI. Velſ. *Lacum Loſanne.* XVI. Hodoeporicon, ab Vrba, *Lacu Lauſonio.* XVIII. in Regio, *Laco Lauſonio.* XXI. ſed prior quoque numerus abundat; nam ab ſitu Vrbae ad lacum non ſunt niſi tria mill. geogr. ſeu XV M. P. in aliis, *Lacu Lauſinio*, *Lacu Lauſimo*, et quae alia in lacubus protulimus. Danuille diſtinguit loca; *ad Lacum*, XXIV M. P, ab Vrba, in auſtrum paulliſper occiduum, ripa *Venoge* e lacu prodeuntis laeua, inde VIII M. P. in exortum, *Lauſona*, illud ſitu vici *Morge*, aliis oppidi *Morges*, hoc vrbis *Lauſanne*, *Lauſane*, Ortelio *Loſanna;* in Atlante maiori, loco poſteriore dumtaxat, *Lacus Lauſonius*, ex Itinerariis. Menſura Tabulae ab Eburoduno eſt adcurata; ſunt enim eo ſpatio tria mill. geogr. cum duabus quintis.

Altera via eſt in Tabula, ab Auentico Heluetiorum ad lacum, quae in Hodoeporico quoque habetur, itinere a Mediolano Magontiacum; in Tabula, ab Auentico, viſitur,

Minodum. XVIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Minnodunum.* XIII. in Regio, XIIII. Simlero, *Minidunum;* apud Suritam, *Minnidunum*, *Mimiodunum*, *Mini Dunum.* In Tabula, procul dubio, *Minoduni* legendum; cui Cluuerius VI M. P. addit, inde XIV effingens, quare, neſcias, cum Velſeriana quoque editio exerte XVIII habeat. Danuille, *Minnodunum*, XX. in Atlante minore *Minnidunum*, XXVIII M. P. in occaſum hibernum, ripa *Broye*, Ortelio *Bruw*, nunc laeua, nunc dextra, ſitu oppidi *Moudon*, quod in chartis laeuam tenet. Numerus Tabulae eſt ab Eburoduno ad lacum Loſannen; heic cenſus Hodoeporici ſufficit; Simlero *Milden*, Ortelio *Modun.*

Viromagus. VI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Bromago.* VI. Simlero, *Bramagum*, vel *Bromagum;* in Regio, *Vromago*, XII. in aliis, *Boromago*, *Bramago.* Danuille, *Viromagus*, X M. P. in Atlante maiori, *Bromagus*, VIII M. P. in exortum hibernum, dextra *Broye* recentis, ad oppidulum *Oron;* Simlerus *Romont*, Guillimannus *Bromaſim* prope oppidum *Rue*, Cluuerius, *Bro*, ad lacum cognominem, eſſe volunt; Weſſelingius alterum probat; apud Ortelium *Barroman*, prope *Oron*, quod hodie non comparet; poſitio Danuillei bene habet, ſed ex menſura VI M. P. non Leugarum; vt mox viſuri ſumus.

Viuisco. VIIII. Velſ. *Viuiſco.* VIIII. Hodoeporicon, *Vibiſco.* IX. Simlero, *Vibiſcum*, Weſſelingio ex MSS. *Bibiſco.* Danuilleo, *Viuiſcus*, IX M. P. in auſtrum, ad oram lacus borealem, ſitu vici *Vevai*, aliis oppiduli *Vevay*, Ortelio *Viuis;* inter *Vevai* et *Avanche* ſunt mill. geogr. ſex, ſeu M. P. XXX. quot in Hodoeporico ſunt, ſecundum exemplar Regium; quare Leugae heic locum habere nequeunt. Libet hanc viam, ad Peninum vſque, ſecus Rhodanum, perſequi, deinde reliqua luſtrare itinera.

XVII. **Pennolucos.** VIIII. Velſ. *Penno lucos.* VIIII. Hodoeporicon, *Penne locos.* VIIII. Simlero, *Penne locus;* Rauennati, *Penno locus.* Weſſelingius, Tabulae *lucos* probat, tam quam haec manſio, ad pedem alpium Penninarum ſita, a *luco*, deo Penino ſacro, nuncupata fuerit; qua de re in alpibus dictum. Simlero et Guillimanno, *Neuenſtad*, ad lacum; Danuilleo, *Penni lucus*, IX M. P. in exortum hibernum, paullo infra lacum, ſitu vici *Roche*, ad alterum ab *Villeneuve* in auſtrum lapidem; pari interuallo abeſt vicus *Yvorne ruin* in chartis ſignatus; iuga montis ab oriente praetenti, *Dent de Iaman*, inferius *Billen*, eique vicinus *Sanetſch*, adpellantur. Mannert, Penne lucum ſupra *Bex* quaeri iubet; quem locum in chartis non conſpicor.

Tarnaias. XIIII. Velſ. *Tarnaias.* XIIII. Hodoeporicon, *Tarnaias.* XIII. Simlero, *Tarnadas*, nominatur etiam *Agaunum;* in Regio, *Tarnaias*, in reliquis *Tarnadas.* In actis S. Mauritii, *Agaunum* XII *M. P. ſpatio ab Octodoro.* Situm loci Eucherius oſtendit: Acaunus LX ferme millibus a Genauenſi vrbe abeſt, XIV vero M. P. diſtat a capite Lemani lacus, quem influit Rhodanus." (a) Simlero, *Mauritzen in Wallis;* Ortelio, *S. Mauritz*, AGAVNVM. Danuille, *Tarnadae*, XIV M. P. in maiori Atlante, IX M. P. in auſtrum, laeua Rhodani, ſitu vici, aliis oppiduli, *St. Morice*, *S. Maurice.*

Octoduro. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Octoduro.* XII. Simlerus, vel *Octodoro;* in Regio, *Octoduro;* in aliis, *Octodoro*, *Octudero.* Fuit oppidum in Verargis, de quo Caeſar: Conſtituit cohortes duas in Nantuatibus conlocare, et ipſe cum reliquis eius legionis cohortibus, in vico Verargorum, qui adpellatur *Octodurus*, hiemare; qui vicus poſitus in valle non magna adiecta planitie, altiſſimis montibus vndique continetur." (b) Plinio, ſunt Latio donati incolae, Octodurenſes. (c) In actis S. Mauritii, *Octodurenſe oppidum;* in paſſione Agaunenſium, *Octodorum;* in Notitia prouinciae alpium Graiarum, *ciuitas Vallenſium Octodoro.* Simlero, *Martinach in Wallis; Martigni* incolis, Ortelio *Martigny*, laeua Rhodani, ad confluentem Drance amnis, vulgo *Martinach*, oppidulum. Pennina Vallis, vnde *Vallenſes* nuncupati, a fontibus Rhodani vſque ad eiusdem et Dranſae confluxum, ſiue ad Octodorum, pertinebat; Gallis hodie *Walais* regio, ad Heluetios ſpectans. Danuille, *Octodurus*, XI M. P. in exortum hibernum; qui cum heic menſura Romana vtatur, non recte Mannert, apud Eburodunum, de eo pronuntiauit: ab lacu Lemano omnia eſſe ad Leugas exacta."

In ſummo pennino. XXV. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Summo Penino.* XXV. ſic in Regio; aliis, *Summo Apennino.* XXV. De alpibus Penninis dictum ſuperius. Danuille, *Alpis Pennina*, XX M. P. in eamdem plagam, dextra exorientis Dranſae, in ipſis montium iugis, vbi *Col de Pennins* in chartis, et vicus *Gr.*

(a) Hiſt. Martyr. Agaunenſ. c. 3. (b) L. III. B. G. c. 1. (c) L. III. c. 24.

S. Bernhart. Nos circiter fanum S. Petri, vulgo *S. Peter*, huic mansioni respondere putamus; de quo in Italia, prouincia transpadana, sermo recurret. Australi montis decliuo surgit *Balteglio* amnis, Augustam praetoriam petens; Danuille post mansionem fines statuit, vt ea Galliae adscribi videatur; hodie quoque mons S. Bernardi maior nuncupatus limes Heluetiorum et Pedemontiorum est. In occasum pedem referamus.

XVIII. Altera parte lacus Lemani, via ducit per Geneuam, Viennam; quae in Hodoeporico etiam habetur; in Tabula ab Lacu Losanne, seu *Lausanne* vrbe, haec notantur:

Colonia equestris. XII. Velf. *Colonia equestris.* XII. Hodoeporicon, a Lacu Lausonio, *Equestribus.* XX. Surita, *Equestrim;* in Regio, *Equestribus.* XXX. aliis, *Equestribus.* XX. Plinius, coloniae, *Equestris*, et Rauriaca; Ptolemaeus, *Εχουεστρὶς*, *Equestris*, in Sequanis. Vetus inscriptio, in pago *Versoy*, agri Geneuensis, apud Gruterum, D. Valerio Asiatici libert. Sissi IIIIII. VIRO. COL. EQ. Notitia Maximae Sequanorum, *ciuitas Equestrium Noiodunum.* Danuille, *Colonia Equestris Noiodunum*, XX M. P. in occasum hibernum, in Atlante minore, *Noiodunum Equestrium*, XXIII. a mansione ad Lacum XV. situ oppiduli, *Nion*, *Nyon*, Ortelio *Nouis.* Tabulae numeros heic bene habere, Cellarius, praeter alios monstrauit, Mannertum, qui Tabulam hoc loco rursus per Leugas ire cogit, hallucinationis arguens; hoc quippe interuallo tria mill. geogr. in charta Europae censentur.

Gennaua. XII. sic Velf. Hodoeporicon, *Cenaua.* XVII. sic in Regio Suritae, qui vocum cognatione deceptus, Cenauam hanc, quae Caesari Geneua est, cum Cenabo, longe dissito, committit; in Regio M. P. XXVII. in Neapolitano XVI. Tabulae censum probauit Cellarius; et adcuratum est ab Equestri colonia interuallum; sunt enim, ad punctum, mill. geogr. duo cum tribus quintis. Nouit locum Caesar: Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Heluetiorum finibus, Geneua; ex quo oppido pons ad Heluetios pertinet." (a) Posteriores, *Genaua*, *Gennaua*, vt in Tabula, dixerunt; etiam *Ienua*, et *Ianuba*, nonnumquam occurrit. Danuille, *Geneua*; XV M. P. in austrum paullisper occiduum, laeua Rhodani e lacu prodeuntis, in confluente *Arve* amnis, situ vrbis *Genève*, in extremo Heluetiorum angulo, vbi Caesar murum XIX M. P. longum, laeuo Rhodani latere, construxit, vsque ad montem Iuram, vt Danuille rite signauit.

Condate. XXX. sic Velf. Hodoeporicon hanc viam non ingreditur, alpes versus contendens, vt postea visuri sumus; interuallum est a Pennoluco Geneuam; numeri, qui sequuntur, ad vrbem *Anneci*, quatuor mill. geogr. in austrum paullisper occiduum remotum, ducunt; vbi Danuillei Bautae consistunt, parui lacus ora boreali, vbi amnem *Sier* emittit, apud vicum *Seissel*; vbi eius

(a) L. I. B. G. c. 6.

Condate, Rhodano mistum; is heic XXVIII. ibi XXV M. P. numerat; in Tabula numerus sequens XXI isthuc referatur.

Etanna. XXI. Velf. *Etanna.* XXI. Danuille, *Etanna*, XX M. P. in austrum, nonnihil occiduum, laeua Rhodani, ex aduerso *Bellei* vrbis; in Atlante minori, *Eiauna*, XXIII M. P. Tabulae numeri, in qua traiectus Rhodani perspicue notatur, ipsam *Bellei* vrbem, Ortelio *Bele*, exposcunt, in angulo flexus Rhodani australi sitam, a ripis vtrimque milliari geogr. distantem; Homannianis *Belley*, ripae dextrae adsita; forsan rudera vrbis antiquae sinistram occupant, quod ibi a geographo est collocata, situ oppiduli *Yenne*, quod sonum Etannae seruare videatur.

Augustum. XII. sic Velf. Hodoeporicon, itinere a Mediolano per alpes Graias Viennam, *Augustum;* Rauennati *Auguston.* Danuille, *Augustum*, eodem interuallo, in occasum hibernum, ad Rhodani angulum, ripa amnis cuiuspiam exeuntis laeua, agro oppiduli *Pont Beauvoisin;* quo Tabulae quoque mensura ducit; quod tamen in austrum nonnihil abscedit; apud exitum amnis memorati, ripa dextra, est oppidulum *S. Cenis d' Hoste*, in quo antiquae vocis vestigia. Heic via, ab Augusta Praetoria ducens, exit.

Bergusium. XVI. Velf. *Bergusium*, absque numero. Hodoeporicon, *Bergusia.* XVI. Rauennas, *Birgusia.* Wesselingius, ad Augustum: Hanc et sequentem Tabula videtur in vnam conflare, inquit; propter numerum scilicet exmissum. Danuille, *Bergusium*, XVI M. P. in occasum, laeua amnis, ab austro Rhodanum petentis, situ vici *Bourgoin*, Ortelio *Burguin*, Porcheronio, apud Wesselingium, *Burgoin.*

Vigenna. XXI. insignia coloniae. Hodoeporicon, *Vienna.* XX. Caesar, *Viennam peruenit;* (a) Strabo, *Οὐΐεννα ἡ τῶν Ἀλλοβρόγων μητρόπολις*, *Vienna Allobrogum metropolis;* Mela, opulentissimae sunt, Vasio Vocontiorum, *Vienna Allobrogum;* Plinius, in coloniis Viennam censet; Ptolemaeus, in Allobrogibus, *Οὐΐεννα*, *Vienna.* Studia literarum coluisse vrbem, docet Martialis: Fertur habere meos, si vera est fama, libellos inter delicias pulchra Vienna suas." (b) Ausonius, *opulenta Vienna;* Theodulphus, *saxosa constructam in valle Viennam*, nuncupat. Eusebio, inter illustres Galliae metropoles, prima censetur. (c) Danuilleo, *Vienna*, XXI M. P. in occasum, laeua Rhodani, situ vrbis *Vienne.*

XIX. Apud Viennam prodit via e Lugdunensi progressa, XVI M. P. a Lugduno Insubrium; eo interuallo sunt tria mill. geogr. Danuille XX numerat, vsus Leugis. Hodoeporicon, itinere a Vienna Durocortorum, habet *Lugduno.* XXIII. quod is respexerit; verum heic turbatum esse iter, et numerum XVI. mansioni sequenti adscriptum, isthuc pertinere, in Lugdunensi ostendimus; Seneca etiam Lugdunum inter et Viennam XVI M. P. intercedere scripsit.

Libet ea, quae Strabo de viis, per hanc regionem ductis, narrat, cum res nostri sit argumenti, in medium proferre. (d) Montanorum ex Italia in

(a) L. VII. B. G. c. 9. (b) L. VII. epigr. 83. (c) L. V. H. E. c. 1. (d) L. IV. extr.

Galliam vlteriorem et ſeptemtrionalem traiectum, is, qui per Salaſſos eſt, Lugdunum ducit; eſt autem duplex, alter curribus etiam peruius, itinere longiore per Centrones, alter per Poeninum breuior, ſed idem accliuis et anguſtus. Lugdunum in medio Galliae ſitum eſt, inſtar arcis, cum ob fluminum confluentiam, tum quod omnibus partibus ſit propinquum. Itaque etiam Agrippa hinc vias aperuit, vnam per Cemmenos montes in Aquitaniam, et ad Santones vſque; alteram ad Rhenum; tertiam ad Oceanum, per Bellouacos et Ambianos; quartam in Narbonenſem Galliam, et ad litus Maſſilienſe. Poteſt etiam ad ſiniſtram relinquens aliquis Lugdunum, et ſuperiacentem regionem, in ipſo Poenino iugo diuertere, Rhodano traiecto, aut lacu Lemano, et per Heluetiorum plana, ſuperato dehinc monte Iura ad Sequanos, indeque ad Lingonas peruenire; hinc biuium eſt ad Rhenum, et ad Oceanum." Haec geographus. Binos heic alpium tranſitus nouit iam Polybius, per Taurinos, quo Hannibal vſus, et Salaſſos, tertium per Ligures, quartum per Rhaetos, et omnes ait eſſe praecipites. Quaedam horum et Ammianus prodidit, vt in alpibus dictum, et ſuo dicetur vberius loco. Sed ea ab Agrippa per Gallias facta viarum deſignatio rudis erat; Tabula florentis imperii aetatem exhibet; quibusdam tamen viis partim deſideratis, quae poſtea inſtitutae fuerunt, partim inſinuatis, ductu absque manſionibus poſito, partim ignorantia, et incuria ſcribarum, acciſis. Traiectus autem alpium, praeter binos Rhaeticos, habet heic omnino quaternos: per Penninum, Graias, Cottias, et Maritimas alpes; per omnes hos ex Italia alpium transitus Vienna petitur, a Vienna vicinum Lugdunum. Vnam per Loſanenſem lacum, et Penninum, viam recenſuimus; altera per Graias progreſſa venit luſtranda.

XX. Via, quae ab Vienna per Graias ducit, cum priore a Geneua deſcendente concurrit apud Auguſtum, quam Tabula cum Hodoeporico vna tenet, aliam huius, a Geneua venientem, circa Darantaſiam excipiens. Tabulam praemittere libet, in qua ab Auguſto,

Lauiſcone. xiiii. Velſ. *Lauiſcone.* xiiii. Hodoeporicon, *Labiſcone.* xiiii. Rauennas, *Lauiſcone.* Danuilleo, *Lauiſco*, ix M. P. in exortum; circiter oppidulum *Mombel;* niſi *la grande Chartreuſe*, in auſtrum, fuerit, vti poſtea dicemus; numerus xiiii M. P. *Chamberi* oppidum petit, vbi ei *Lemincus*, interuallo pari; ductus forſan erat Regii exemplaris auctoritate, in quo manſioni ſequenti vi adſcribuntur. Si omne ſpatium, a Vienna ad Praetoriam Auguſtam, tractu recto ſpectetur, numeri vtrobique abundare videri poſſent; Tabula quippe clxxvii M. P. Hodoeporicon clxxxv. hoc itinere cenſent; cum recta linea, binas inter vrbes, in charta Europae non niſi viginti vnum mill. geogr. cum ſemiſſe, id eſt, cviii M. P. Danuille cxxx. numerent. Sed haec via perquam difficilis erat, vt e Strabone et Ammiano colligere licet, iugorum praecipitium adſcenſu deſcenſuue impedita, et locorum, quae accedi nequeant, circuitu producta, plura paſſuum millia imputari neceſſario expoſcebat. His iam notatis, progredi libet.

Lemmco. XIIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Lemincum.* XIIII. Rauennati, *Leuinum.* Nonnulli Camberiacum, *Chamberi* volunt, vbi Lauisconem posuimus; Altingius circa Rhodani flexum, inter fana Petri et Genisti, Wesselingio teste; forsan Isaram dicere volebat; nam Rhodanus ab tergo mansit, ad cuius flexum Augustum stare iussimus. Si numeri, vtrobique pares, sunt sinceri, via in austrum, vt hodie, versus oppidum *Grand Chartreuse*, deflexerit, Cularonem versus, pari interuallo in meridiem remotam. Alia facti ratio adferri nequit; nam pro libito numeros refingere est nefas. Hodie quoque a *Beauvoisin* via *la Chartreuse* versus, in austrum ducit, inde ad *Chamberi*, vbi alia ab *Yenne*, interuallo aeque M. P. XIIII prodit. Has omnes vias olim in Tabula signatas fuisse, non dubitem. Lauiscone proinde, secundum numeros, apud *la grande Chartreuse* posita, distantia pari ad vrbem *Chamberi* adpellemus, cui ab exortu conterminus est *Lemens* vicus, dextra *Albano* amnis ripa, vbi *Lemincus* Danuillei, qui veteris nuncupationis vestigia seruet.

Mantala. XVI. sic Vess. Hodoeporicon, *Mantala.* XVI. sic Rauennati, et MS. Cusani; in Regio, *Mantana;* aliis, *Mantala*, *Mantàlia.* Danuille, *Mantala*, XV M. P. in exortum hibernum, dextra Isarae, *Isere*, amnis, situ *Mont Melian* oppidi, a quo vicino agro nomen; sed is *Miolans* vicum respexerit, ex aduerso effluentis *Arche* amnis, quo numeri pertingunt; nam oppidum Melian vix ad VIII lapidem ab *Chamberi* abscedit.

Ad publicanos. XVI. Vess. *Ad Publicanos.* XVI. Hodoeporicon, *Ad Publicanos.* XVI. in Regio, *Ad Puplicanos;* in Blandiniano, XIII. Putat Wesselingius proxime pontem et *Confluentes* stetisse mansionem, a *Publicanis*, quorum ibi sedes erat, vt portoria exigerent, adpellatam. Danuille, *ad Publicanos*, VIIII M. P. in exortum aestiuum, dextra *Arly* amnis, paullo supra confluentem cum Isara, situ vici *Hospital*, cui in aduersa respondet oppidum *Conflans.* Quae positio si bene habet, numerus prioris mansionis est repetitus. Heic prodit via Hodoeporici ab Geneua, quae in Tabula desideratur, qua accisione is numerus isthuc irrepserit; mansiones viae sunt: *Bautas.* XXV. *Casuaria.* XVIII. *Darantasia.* XXIIII. in Regio *Bantas*, aliis *Bautas.* Simlero, *Bona* hodie; Cluuerius, Bautas hoc itinere exulare iubet, Geneuam substituens; quem idcirco Wesselingius reprehendit. Danuilleo, *Bautae*, XXV M. P. in austrum, situ *Anneci* vrbis, cui Condaten adplicuimus; ad quintum inde lapidem; circiter S. Clarae coenobium, Bautae constiterint. *Casuaria*, XX in exortum hibernum, dextra *Arly* amnis, situ oppidi *Vgme*, VI M. P. supra Publicanos; Darantasiam mox habituri sumus.

Obilonna. III. sic Vess. Hodoeporicon, *Obilmum.* III. vt in Regio; aliis, *Bilumum;* Rauennati, *Obelonon;* Simlero, *Bilumnum.* Danuille, *Obilunum*, IV M. P. in exortum, dextra Isarae, agro oppidi *Conflans*, quod etiam Wesse-

lingio videbatur. Fuerit locus ad interquiescendum, ratione vicini ad Publicanos telonii, constitutus.

Darantasia. XIII. sic Velſ. Hodoeporicon, itinere Viennensi, *Darantasia.* XIII. Argentoratensi, ab Casuaria, *Darantasia.* XXIIII. in Regio, XVIIII. in quo Darantasiae nomen deest, numerus ad rationes Danuillei adcuratior; quamquam et prior his locis acceptari potest. Simlero, *Darantasia* vel *Tarantasia*, *Monstier.* Ennodius, in vita Epiphanii, *Tarantasiam oppidum*, *alpibus vicinum* vocat; in actis Iacobi episcopi Tarantasiensis, *Cendronum oppidum*, *in valle Tarantasiensi.* Hoc nonnulli cum priore idem faciunt, Forum Claudii Ptolemaei interpretati, de quo mox dicemus. Danuilleo, *Darantasia*, *Darentasia*, x M. P. in exortum hibernum, dextra Isarae, in angulo, quem ab occasu aestiuo adpulsus, in exortum aestiuum tendens, efficit, ex aduerso effluentis amnis, ab austro Isaram petentis, situ *Montier* vrbis, in quibusdam vici *Montiers en Tarentaise;* Ortelio, *Monstier*, oppidum in regione *Tarantaise* nuncupata.

Axunam. X. Velſ. *Axunam.* X. Ptolemaeus, in Italia, *ἐν δὲ ταῖς Γραίαις ἄλπεσιν*, *Κεντρωνῶν*, *Φόρος Κλαυδίου*, *Ἄξιμα*, *In Graiis alpibus*, *Centronum*, *Forum Claudii*, *Axima.* Illud Cellarius, cum nonnullis, Darantasiam interpretatur, hoc vicum *Esma*, siue *Aime*, *Ayme*, dextra amnis, Isaram a borea petentis; Danuille distinguit loca, Forum Claudii ad VI ab Darantasia, *Axima* ad IV a Foro lapidem, signans. Cluuerio *Ema*, *S. Iaques d' Eme;* in Homannianis, *Centron*, Ortelio *Sentron*, oppidum, dextra riui, a septemtrione Isaram influentis, milliare geogr. a *Montier* in exortum aestiuum abscedens, *Ayme* in eamdem plagam paullo amplius; apud Danuille, in tabula Galliae Cisalpinae, Forum Claudii ad ripam Isarae, iuxta viam, collocatur; quod Tabula cum Hodoeporico praeteriit.

Bergintrum. VIIII. sic Velſ. Hodoeporicon, *Bergintrum.* XVIIII. itinere Argentoratensi, XVIII. in Viennensi quoque, Regium XVIIII praefert, quocum Tabula seruat. Simlero, *Bergintrum* vel *Bergitrum;* in Regio, *Bergintum*, et *Bergintrum;* in Vaticano, *Bençintrum.* Simlerus, *Sentron*, Cluuerius *Belenta*, esse volunt; Danuille, *Bergintrum*, x M. P. in exortum aestiuum, ad flexum Isarae recentis, in confluente alterius amnis, a borea decurrentis, situ oppidi *St. Maurice*, *Morice*, vico *Bellentre*, medio hoc spatio, ad laeuam viae, conspicuo.

In alpe graia. XII. sic Velſ. Hodoeporicon locum ignorat; Danuille, *Alpis Graia*, V M. P. a priore; quaedam chartae recentiores Tabulae respondent, ad vicum et montem *Petit St. Bernard* duo mill. geogr. cum duabus quintis, in exortum aestiuum, censentes. Iuga montis huius Sabaudiam ab Augustano ducatu hodie quoque dirimunt. Mannert hanc viam ingredi ausus non est, tenebras saltuum, et abrupta montium expauescens; Forum Claudii et Aximam Ptolemaei in Italia forsan recensurus, cum iis locum dare in Gallia noluerit.

XXI. Aliud a Vienna iter Tabula, per alpes Cottias, Segufionem habet, quod in Hodoeporico defideratur; et heic Danuilleum fequemur ducem, quod alteri viam fubire difplicuit. Prima poft Viennam manfio eft,

Turecionno. XV. Velf. *Turecionico.* XV. Danuille, *Turecionicum*, XXII M. P. in exortum hibernum, circiter *Vitrica* vicum, ad amnis Viennam petentis exortum. Leugas heic locum habere non poffe, mox oftendemus. Vtrum fcriba Velferi, an Scheibii, dormitarit, nifi Tabula infpecta, non facile terminaris, neque enim alius veterum loci meminit.

Morginno. XIIII. fic Velf. Danuille, *Morginnum*, XVII M. P. in exortum hibernum, prope flexum Ifarae borealem, ad laeuam fluuii eum petentis, fitu vici *Voiron.*

Culabone. XIIII. fic Velf. Plancus ad Ciceronem: *Cularone ex finibus Allobrogum;* (a) infcriptiones veteres binae, apud Gruterum, Diocletiano et Maximiano dicatae, MVRIS CVLARONENSIBVS cum interioribus aedificiis prouidentia fua inftitutis atque perfectis.“ Notitia imperii, in prouincia Gallia riparenfi, tribunus cohortis primae Flauiae, *Sapaudiae*, *Calaronae;* Cellarius, *Cularonae.* Mannert ab Gratiano conditam ait, fine vade; muros cum interioribus aedificiis, vt marmora loquuntur, Diocletianus Aug. et Maximianus Galerius Caef. inftituerunt et perfecerunt; qui ergo Gratianus conditor vrbis dici queat? Sed Cularo, inquit, non eft Gratianopolis; nobis id fufficit, quod is locus, qui olim Cularo dicebatur, Tabula duce, fit vrbs *Grenoble*, ripa Ifarae dextra, chartae laeua ponunt, in confluente *Drac* amnis; Danuilleo, *Cularo* poftea *Gratianopolis*, XV M. P. in exortum hibernum, fitu vrbis *Grenoble;* quae cum a Vienna octo mill. geogr. et duas quintas, abfcedat, Tabulae XLIII M. P. adcurate refpondet, Leugis inimica.

Catoriffium. XII. fic Velf. Danuille, *Catoriffium.*, XVIII aut XXII in exortum auctumnalem, laeua *Romanche* fluuii, in concurfu alterius, fitu oppidi *Bourg d' Oifent*, *Oyfans.* Tabulae cenfus bene habet.

Mellofecto. V. Velf. *Mellofedo.* V. Danuille, *Mellofedum*, interuallo eodem, dextra *Romanche* amnis, ad vicum *Mont du Lens*, qui laeuam praefluentis tenet; Ortelio *Linet*, *Lens.*

Durotinco. X. fic Velf. Danuille, *Durotincum*, X M. P. in exortum, ripa furgentis *Romanche* fluuii dextra, fitu vici *Paris*, in colle, ad montium *Sorlin* et *Lotaret* anfractus.

Stabatione. VII. fic Velf. Danuille, *Stabatio*, XII M. P. in exortum hibernum, laeua amnis Druentiam ab occafu aeftiuo petentis, fitu oppiduli *Villeneuve;* in charta Europae eft ipfe Druentia, *Durance*, amnis, cui Brigantio quoque adfidet, vt videbimus.

(a) L. X. epift. 23.

Brigantione. VIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Mediolano Arelate, et alio per alpes Cottias Viennam, *Brigantione;* in Regio, *Brizantione;* Burdigalenſe, *manſio Byrigantum.* Strabo loci meminit, Cabellione memorata, hoc pacto: Inde ad alteros Vocontiorum terminos, et ad Cottii terram, millia XCIX. ad Epebrodunum vicum; hinc totidem *διὰ Βριγαντίου κώμης*, *per Brigantium vicum*, a Scingo et alpium alto transitu ad Ocelum, qui finis eſt regni Cottii.“ Ptolemaeus, Seguſianorum, *ἐν Γραίαις ἄλπεσιν*, *Βριγάντιον*, *in Graiis alpibus Brigantium.* Vetus inſcriptio, apud Sponium, (a) ob honores II virat. et flamin. bene geſtos patron. coop. A. R. BRIG. *a republica Brigantio.* Hon. Bouche, apud Weſſelingium, epigraphen adfert, in qua D. N. P. Licinio Cornelio Salonino Valeriano nobiliſſimo Caeſari ORDO BRIG. Ammianus, de via alpium Cottiarum, a vertice: *Inde decliue quidem iter, ſed expeditius aduſque caſtellum Virgantiam patet.* (b) Teſtamentum Abbonis, *pagum Brigantinum* frequentius nominat. Danuille, Brigantio, VIIII M. P. in exortum hibernum, laeua Druentiae, in confluente alterius, ſitu oppidi *Briançon;* in charta Europae, inter *Grenoble* et *Briançon* intercedunt mill. geogr. octo cum tribus quintis, ſeu M. P. XLIII. quot in Tabula cenſentur; quare locus Leugis non erit.

Apud Brigantium binae praeterea viae concurrunt, altera a Vienna, ab Arelate altera; oppidum ſemel, via Arelatenſi, notatur. Danuille itinera diſtinxit adcurate; in Tabula, hoc itinere, vna ſupereſt manſio,

In alpe cottia. VI. ſic Velſ. Danuille, *Alpis Cottia*, interuallo eodem, in exortum vernum, ſitu vici *Chapelle*, in monte *Genevre.* Ammianus verticem Matronae vocat, ab ſtatione Martis haec ſcribens: Hinc alia celſitudo erectior, aegreque ſuperabilis, ad Matronae porrigitur verticem, cuius vocabulum caſus feminae nobilis dedit.“ Burdigalenſe, a Brigantio, *Inde aſcendis Matronam.* Ennodius: Matronas taceo, ſcopulos atque inuia dictas, in foribus blandas, cetera difficiles.“ Serior aetas montem *Ianum* dixit; hodie *mont Genevre*, Weſſelingio teſte, et in chartis vicus *Chapelle*, in parte Pedemontii, prope Duriam recentem. Ex his autem non aegre collegeris, Tabulae conſtructionem Conſtantinorum aetate vetuſtiorem eſſe. Heic rurſus Galliae et Italiae fines.

XXII. Aliud nunc iter a Vienna per Valentiam iſtuc tendens, luſtrare iuuat; eſt in Hodoeporico vtroque, quod eo facilius, adiuti ſociis, peracturi ſumus. Tabulam, pro more, praemittere libet, in qua a Vienna haec notantur:

Figlinis. XVII. Velſ. *Figlinis.* XVII. Hodoeporicon, *Vrſolis.* XXVI. Danuilleo, *Figlinae*, XX M. P. in auſtrum paulliſper occiduum, laeua torrentis Rhodano mixti, ad vicum *la Coſte St. Andre;* inde *Vrſoli*, VII M. P. dextra torrentis alterius, ſitu vici *S. Vallier.*

(a) Miſcell. p. 60. (b) L. XV. c. 9.

Tegna. xvi. ſic Veſſ. Danuille, *Tegna*, xx M. P. a Figlinis, in auſtrum, laeua Rhodani, ſitu vici *Thin*. Inde quoque adparet, diuerſam Hodoeporici et Tabulae aetatem ſupremam eſſe, quod eadem via diuerſas habent manſiones.

Valentia. xiii. ſic Veſſ. Hodoeporicon, ab Vrſolis, *Valentia*. xxii. Burdigalenſe, *ciuitas Valentia*. Plinius, *Valentia*, *Vienna*, *Allobrogum*; Ptolemaeus, in Sagalaunis, *Οὐαλεντία κολώνια*, *Valentia colonia*. In Tabula inſignia huius non comparent. Ammianus, recenſis Eluſa, Narbone, Toloſa, quibus potiores ſunt Vienna ipſa, et Arelate, et Valentia.“ (a) Proſper in Chronico, *Valentiam nobiliſſimam Galliarum ciuitatem vocat*. Notitia prouinciarum, *ciuitas Valentinorum*. Danuille, *Valentia*, xiii ab Tegna, in Atlante maiori xi. hodie *Valence*, laeua Rhodani ripa, infra Iſarae exitum, ſeptem mill. geogr. a Vienna, ſeu xxxv M. P. ad punctum, ſub eodem meridiano; Tabula cenſet xlvi. Hodoeporicon xlviii. ob viae iuxta ripam flexus; ſecundum rationes Danuillei ſunt omnino M. P. xlvii. proindè Leugas heic in Hodoeporicis nemo quaeſierit.

A Valentia adiungit ſe noſtris Burdigalenſe; in quo eſt, *mutatio Cerebelliaca*. xii. Weſſelingius, hoc interuallo *Monthaiſon* eſſe ait; Danuille, *Cerebelliaca*, viii M. P. in exortum auctumnalem, ſiniſtra torrentis, ſitu vici *Chabeuil*, quem chartae longius remouent. Tabula, ab vrbe, exhibet,

Auguſtum. xxii. ſic Veſſ. Hodoeporicon, *Auguſta*. xxii. Burdigalenſe, *manſio Auguſta*. x. Rauennas, *Auguſton*. Veſtigia vrbis antiquae in loco *Aouſte* ſiue *Hoſte*, inter oppida *Die* et *Creſt*, ſupereſſe dicuntur. Danuille, *Auguſta*, xii M. P. a Cerebelliaca in exortum hibernum, dextra *Drome* amnis, Ortelio *Droſme*, veteri vocabulo Drunae, ad quartum ab *Creſt* vico in exortum lapidem, in confluente riui cuiuspiam. In Burdigalenſi, ab Auguſta, eſt *mutatio Darentiaca*. xii. quae cum *Drome* fluuio cognationem habeat; diſputant enim de ſitu loci et nuncupatione. In Tabula venit,

ADDEAM BOCONTIORV. xii. priore voce, ob anguſtias ſpatii, ſuperne ſcripta; Veſſ. *Ad deam Bocontior*. xiii. Hodoeporicon, *Dea Vocontiorum*. xxiii. MSS. *Bocontiorum*, Vaticano *Bocontorum*. Burdigalenſe, ciuitas *Dea Vocontiorum*. xvi. In marmore Arelatenſi, apud Gruterum, Caeciliae D. F. Aprullae, FLAM. DESIGNATAE. COL. DEA. AVG. VOC. in alio, apud Sponium, CVRAT. AD. DEAM. AVG. VOC. et apud Valeſium, Liuiae AVG. DEAE MVNICIPIVM. in prouinciarum Notitiis, *ciuitas Deenſium*. Paullus Diaconus: Zaban per Dienſem deſcendens vrbem, vſque Valentiam venit.“ (b) Non inanis eruditorum opinio eſt, vt Lucum, de quo mox dicemus, Auguſto dicatum, ſic vrbem hanc Liuiae, inter diuos relatae, honoribus ſacratam fuiſſe. Danuilleo, *Dea*, xviii M. P. recta, flexu facto xxii. in charta Europae recta

---

(a) L. XV. c. 11. (b) L. IV. c. 39.

ſunt mill. geogr. tria cum ſemiſſe; quare numerus XII. ſi bene habet, ad Darentiacam, quae emanſit, referetur. Eſt oppidum *Die*, ripa *Drome* amnis dextra, in flexu eius boreali; ductu recto abeſt a *Valence* mill. geogr. quinque cum ſemiſſe, M. P. XXVIII. ſed flexus iuxta ripam fluuii ſunt facti. Tabulae tempore oppida haec non fuerint clara, quod in ea absque inſignibus comparent; niſi ſcribae erraruut, cum viam mutilarent. Sequitur,

Luco. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Luco.* XII. Burdigalenſe, *manſio Luco.* XII. Rauennas, *Luco Bococilon*, binis in vnum confuſis; vt noſtra hoc loco Tabula integrior videatur, quam ea Rauennatis (ſiquidem is ſimilem habuit, aut recte ea vſus eſt) fuiſſe dignoſcitur. Plinius: *Vocontiorum ciuitatis foederatae duo capita*, *Vaſio*, *et Lucus Auguſti.* Tacitus, de Fabio Valente, vt Luco (municipium id Vocontiorum eſt) faces admouerit." (a) Olim vrbs ampla erat, inquit Weſſelingius, nunc propter rupem, vehementi terrae tremore ſciſſam, ruinaque ſua torrentis alueum obſtruentem, paene deleta; praebuit enim is caſus lacui natales, qui ex vrbe praeter paruum locum, etiamnum *le Luc* nuncupatum, nihil reliquit." Danuille, *Lucus Auguſti*, XI M. P. in auſtrum paullisper occiduum; dextra recentis *Drome*, alias laeua, ſitu vici *Luc*, qui dextram tenet.

XXIII. Inde via ſcinditur, pars in exortum vernum, pars in auctumnalem abit; Tabula priorem, Hodoeporicon vtrumque poſteriorem, tenent; illam ante videamus.

Geminas. XVIII. ſic Velſ. Danuille, *Geminae*, XXII M. P. in exortum aeſtiuum, circiter vicum *Morges*, prope laeuam *Drac* amnis, qui apud *Grenoble* Iſaram influit.

GEMINAS. XIIII. Velſ. *Gerainas.* XIIII. Videtur ſcriba, Velſero duce, vocabulum variaſſe; ipſum quippe *Geminae* nomen duo eiusdem nuncupationis loca indicat; vti Plinius, *geminas alpium fores* dixit. Danuille, *Gerainae*, XIX M. P. in exortum, intra montes, circiter oppidum *les Diguieres*, ripa *Drac* amnis laeua, vbi via a *Bourg d' Oiſent*, vbi Catoriſſum poſuimus, exit *Gap*, et *Talard* verſus progreſſa, quae in Itinerariis deſideratur. Inde Brigantium vſque Danuille computat XXVI M. P. eadem directione; ſed ibi ſunt mill. geogr. tria, heic quatuor cum duabus quintis, ſeu M. P. XXII. aut propter montes tribus amplius, quae in Tabula exciderunt. Vitium hoc iter eſſe paſſum ex eo videas, quod manſiones in altero, ab Arelate, repetuntur, prorſus vt iſthic, *Alarante* nimirum cum XVI M. P. quae ad hoc pertineat iter. Videtur enim via haec, vt hodie, euitatis illis imperuiis alpium iugis, et incultis, per *Gap* et *Embrun* ad *Briançon* proceſſiſſe; vt poſtea quoque dicendi locus erit. Sunt ab *Diguieres* ad oppidum *Gap* mill. geogr. tria, ſeu M. P. XV. quae alio itinere deprehendemus; nunc Itineraria expedire libet.

(a) L. I. Hiſt. c. 66.

Altero itinere, in Burdigalenſi a Luco ponitur, *mutatio Vologatis*. IX. Cluuerius in ſeptemtrionem abit, ad *Vilargonis;* alii *Lethes*, aut *Beaumont*, eſſe putant. Danuille, *Vologatis*, VI M. P. in exortum auctumnalem, ora lacus ortiua, ſitu vici *Beaumont*. Sequitur in eodem: *Inde aſcenditur Gaura mons*, qui ab exortu praetenditur; tum, mutatio *Cambono*. VIII. Hon. Bouche, *Aſpres;* Danuille, *Cambonum*, interuallo eodem in exortum, in iugis, ſitu oppiduli *S. Bierre Argenſon*, regione *Gapencois*, quae vocabuli veteris veſtigia ſeruet.

Hodoeporicon, a Luco, *Monte Seleuco*. XXVI. Burdigalenſe, *manſio monte Seleuci*. VIII. Locum celebrem fecit victoria Conſtantii de Magnentio, vt auctor Tripartitae ſcribit. (a) Socrati et Sozomeno, *Μιλτοσέλευκος*, *Miltoſeleucus*, pro *Μοντοσέλευκος*, *Montoſeleucus*, vt in codice Allatii. Chronico Paſchali, *ἐν Μόυστῳ Σελέυκῳ*, *in Muſto Seleuco;* Theophani, *συμβάλλων τῷ Σελέυκῳ*, pro *ἐν Μόντῳ Σελέυκῳ*, vt in MSS. legi, de montibus agentes monebamus. Danuille, *Mons Seleucus*, VI M. P. in exortum hibernum, laeua *Budh* amnis ripa, ſitu oppiduli *Serres*, quod dextram tenet.

In Burdigalenſi, *mutatio Dauiano*. VIII. *mutatio ad Fines*. XII. illud *Montmaur*, hoc *Roche d' Arnaud*, interpretantur. Danuille, *Dauianum*, VII M. P. in exortum aeſtiuum, dextra aluei ortiui eiusdem fluuii, ſitu oppiduli *Veines*, *Veynes*, quod dextram in chartis tenet. *Fines*, VIII M. P. in exortum vernum, dextra amnis, circiter vicum *la Roche*. Hodoeporicon has mutationes praeteriit, contendens Vapincum, quod etiam in Tabula adeſt;

XXIV. Vapincum. XIIII. numerus ſuperne poſitus, ad Geminas poſteriores, tamquam ad Octodurum quoque ſpectet, apud Scheib exmiſſus; interuallum a Geminis eſt aequum; via hac, et quam ex Hodoeporicis recenſuimus (ſi tamen haec in Tabula olim exſtabat) ſcribarum incuria exmiſſis. Comparet autem Vapincum itinere ab Arelate Secuſionem, quod poſtea luſtraturi ſumus. Hodoeporicon, a Monte Seleuco, *Vapinco*. XXIIII. itinere Arelatenſi, *Vapincum*, *Vapingum;* in Pariſino *Gapincum*. Burdigalenſe, *manſio Vapinco*. IX. Danuilleo, *Vapincum*, VI M. P. a Finibus in exortum, dextra amnis, Druentiam a borea deinde petentis, ſitu oppidi *Gap*, V M. P. ſupra Druentiam; recta ab oppido *Die*, in exortum vernum, quinque mill. geogr. cum ſemiſſe, ſeu XXVIII M. P. Heic igitur viae a Valentia et Cularo concurrebant, quarum altera in Tabula prorſus, alterius veſtigia ſuperant, inde a Geminis poſterioribus. Ex hoc Tabula cum Hodoeporicis progreditur; poſt Vapincum venit,

Ictodurum. VI. Velſ. *Ictodurum*. absque numero. Danuille, *Ictodurum*, VII M. P. in exortum auctumnalem, laeua amnis, poſtea Druentiam petentis, ad oppidulum *Chorge*, *Chorges;* niſi ſit *Montgardin*, vt *Chorge* ſequenti reſpondeat. Ab aliis haec manſio eſt praeterita, quam non ignobilem fuiſſe, nuncupatio popularis oſtendit.

(a) L. V. c. 10.

Catorigomag'. vi. ſic Velſ. Rauennati, *Canduribagus.* Hodoeporicon, itinere Arelatenſi, *Caturigas.* xii. Vaticano, *Caturrigas;* itinere Viennenſi, *Caturigas.* xii. Burdigalenſe, *manſio Catorigas.* xii. Locum olim clarum fuiſſe inde perſpicias, quod populi nuncupatione veniebat, de quo ſuperius dictum. Fragmentum inſcriptionis, apud Sponium, F. INV. AVG. II. COS. PROCOS. CIVIT. CATVR. In vetuſtis regum Arelatenſium actis *Caturica* dicitur. Notitia prouinciarum, *ciuitas Rigomagenſis*, contracto vocabulo ex Caturigomagus, quod Tabula praefert. Danuille, *Caturiges*, vii M. P. in exortum vernum, laeua ſurgentis memorati amnis, ſitu oppiduli *Chorges.*

Eburuno. vii. Velſ. *Eburuno.* vii. Hodoeporicon, itinere Arelatenſi, *Eburoduno.* xvii. alias *Ebroduno*, *Eburuduno*, *Ebruduno;* itinere Viennenſi, *Eburoduno.* xvi. libri veteres, *Ebreduno.* Burdigalenſe, *manſio Hebriduno.* xvi. Nouit locum Strabo, *Επεβρόδουνον κώμην*, *Epebrodunum vicum* nuncupans, hac de viis et menſuris ab oppido Taraſcone phraſi: (a) Hinc vſque ad Vocontiorum terminos, et initium adſcenſus alpium per Druentiam et Cabillionem, milliaria lxiii. inde ad alteros Vocontiorum terminos, et ad Cottium, milliaria ic. *πρὸς τὴν Κοττίου μίλια ἑκατὸν ἑνὸς δέοντα, εἰς Επεβρόδουνον κώμην*, ad Epebrodunum vicum, hinc totidem per Brigantium vicum ab Scincomago, et alpium altos tranſitus, vſque ad Ocelum, qui eſt terrae Cottiae finis.“ Ptolemaeo, in Italia, *Κατουριγῶν ἐν ταῖς Γραίαις ἄλπεσιν, Εβορόδουνον*, *Caturigum, in Graiis alpibus, Eborodunum;* Schotti edito, *Εβουρόδουνον*, *Eburodunum;* ſic etiam Italo. Caroli M. Capitul. Francofurdienſe, De Tarentaſia et Ebreduno ſiue Aquis legatio facta eſt ad ſedem Apoſtolicam.“ Municipium fuiſſe colligitur ex decurionatus et duumuiratus munere, quod in lapide antiquo ibi reperto, apud Hon. Bouche in Chorogr. Prouinc. legas. Hodie oppidum *Embrun*, dextra Druentiae ripa, ad flexum eius in boream, in Delphinatu; Danuille, *Ebrodunum*, xi M. P. in exortum paullisper borealem, in colle; recta a *Gap* quatuor mill. geogr. abeſt, vt in Tabula; quae *Eburunum*, vſu militari, per ſyncopen adpellat.

Rama. xvii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Rame.* xviii. Simlero, *Rame*, vel *Roama;* in quibusdam, xviiii. itinere Viennenſi, *Rame.* xvii. Longoliano, *Roame.* Burdigalenſe, poſt Ebrodunum, *Inde incipiunt alpes Cottiae; mutatio Rame.* xvii. In teſtamento Abbonis, *Roma.* Simlero, hodie *porta Roſans.* Danuille, *Rame*, *Rama*, xvi M. in boream nonnihil ortiuum, dextra Druentiae recentis, ad confluentem amnis, ab occaſu decurrentis, ſitu oppiduli *Rame.*

Brigantione. xviiii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Brigantione.* xviiii. in Regio, xii. in reliquis xviiii. itinere Viennenſi, *Brigantione.* xviii. Burdigalenſe, *manſio Byrigantum.* xvii. Danuille, *Brigantio*, xiii aut xvi M. P. in eamdem plagam, laeua Druentiae, in confluente amnis alterius. De oppido

(a) L. IV. p. 179.

Briançon, et via vlteriore, vſque Italiae fines, itinere priore dictum; regredi ad Rhodanum libet.

XXV. Superſunt viae, a Valentia Arelate, ab Taraſconc Vapincum, et Forum Iulium, ab Arelate Maſſiliam, et Nicaeam; primam, quae in Hodoeporico deeſt, perſequemur. In Burdigalenſi, a Valentia eſt, *mutatio Vmbenno.* VIIII. interuallum ducit ad *Pailaſſe*, inquit Weſſelingius. Danuille, *Vmbennum*, eodem ſpatio, dextra Rhodani, in confluente riui, ad vicum *la Voute*, dextra exeuntis. In Tabula, poſt Valentiam, venit,

Batiana. XVIIII. ſic Velſ. Burdigalenſe, *mutatio Vancianis.* XII. in MS. *Vacianis*, ſed litera *n* ſupra primam ſyllabam poſita. Rauennas, *Vatiana.* Weſſelingius, *Auriol* putari ait; Ortelio eſt *Loriol*, ſed ripa laeua, ex aduerſo *Viviers* vrbis, quae longius in auſtrum abſcedit; Danuille, *Batiana*, x M. P. ripa Rhodani dextra, paullo infra confluentem riui cuiuspiam, ex adverſo *Montelimar* oppidi.

Acunum. XII. ſic Velſ. Burdigalenſe, *manſio Acuno.* XII. Rauennas, *Acunon.* Volunt eruditi, Holſtenio duce, *Acuſium* Ptolemaei iſthuc referri; qui ea quidem Cauarum oppida in mediterraneis eſſe perhibet; ſed eorum quaedam, vti Arauſio, Auenio, ad ripam fuere; etſi Arauſio, ſecundum poſitionem, in mediterranea cadat. Eraſmi editio, Acuſionem et Auenionem ſub eodem meridiano ſtatuit, quod rectum eſt; proinde ſententiae eruditorum pollicem adprimo. Sub Segalaunis, inquit coſmographus, *Κάναϱοι, ὧν πόλεις μεσόγειοι, Ἀκουσίων κολώνια*, interpres Schotti, *Acuſiorum*, pluratiue, reddit, populi nomen eſſe arbitratus; quod in omnibus eius terminationis vocibus facit; quem idcirco Surita merito reprehendit. Italus quoque peccat, *Acuſio*, *Arauſio*, Itala deſitione reddens, pro *Acuſione*, *Arauſione.* Eſt vicus *Aucone*, prope ripam laeuam, et oppidum *Montelimar*, ſupra *Viviers* vrbem, quorum is ſono vocis Acuno reſpondeat. Danuille, *Acunum*, VIII. aut x M. P. a Batiana, ripa laeua; in chartis *Montelimar* laeua exeuntis amnis, interuallo Tabulae conſonat. Danuille in dextra quoque Rhodani locum ſignat, absque nuncupatione.

Senomago. XVIII. ſic Velſ. Ptolemaeus, in Tricaſtenis, quos ab Segalaunis recenſet, *Νοιόμαγος*, *Noeomagus;* nouit Plinius *Auguſtam Tricaſtinorum*, quam nonnulli eamdem cum Ptolemaei oppido eſſe putant, alii negant, ſex Leugis in exortum a ripa remouentes, ad *Nions* vel *Nyo*, *Nihons* oppidum. Si Noeomagus Ptolemaei cum Senomago Tabulae conuenit, etiam Auguſta cum Tricaſtinis huc trahetur; niſi Plinium potius, quam Ptolemaeum, erraſſe dicamus, qui pro Auguſta Vocontiorum, Auguſtam Tricaſtinorum dixerit. Sed Dea fuit Vocontiorum metropolis, non Auguſta. Holſtenius, Scaliger, Harduinus, quos pro *Nions* excitat Cellarius, adſerentes S. Pauli fanum, vulgo *S. Pol de trois Chaſteau*, eſſe Plinii Auguſtam Tricaſtinorum, ad iter hoc Tabulae mentem non reflexerunt, quo Senomagus in *S. Paul* oppidum adcurate incidit.

Recte proin Danuille, *Noeomagus* vel *Augusta*, interuallo Tabulae, v M. P. a ripa, vti *S. Paul* consistit.

Atque haec vtcumque acceptari posse videntur; sed, vtrum Strabonis *Σκιγγόμαγος Scingomagus* isthuc referri queat, neminem cogitasse video. Segusio, quod nonnulli putabant, esse nequit; scribit enim geographus, ab Scingomago per Brigantium, et alpium altos transitus, esse viam vsque ad Ocelum, qui est terrae Cottiae finis, millium XCIX. Hoc rectum est; quod sequitur, est perplexum. Ait enim: *Nam ab Scingomago iam Italia dicitur*, *et distat a Brigantio milliaria* XXVII. Dicere volebat: Nam ab Ocelo iam Italia est, et distat a Brigantio milliaria XXVII. quae prorsus ita se habent. Ab Senomago erat via ad Lucum Augusti, XL M. P. quae postea intercidit; inde, Tabula duce, ad Brigantium vsque sunt LIX. simul sumta XCIX adcurate. Ocelum autem a Brigantio distat omnino M. P. XXVII. vt Strabo dicebat. Proinde Scingomagum eius et Senomagum Tabulae vnum esse eumdemque locum, tuto tenueris. Norunt Scingomagum Artemidorus, apud Agathemerum, et Plinius; ille *ἀπὸ Ῥώμης ἐπὶ τὰς ἄλπεις ἕως Εκιγγομάγου κώμης, ὑπὸ ταῖς ἄλπεσιν, ὄυσης, στάδια δ' ρ́ ν́ β'. a Roma ad alpes et Scingomagum vicum sub alpibus*, *stadia quater mille centum quinquaginta duo.* Plinius: *Alpes vsque ad Scingomagum vicum* M. DXVIIII. Nonnulli, *Circomagum* legunt, et *Calcincomacum.* (a) Mensura haec Secusioni adplicari nequit; nam a Roma Secusionem sunt CCCC M. P. inde vero ad Scingomagum, secundum Strabonem, CXXVI. secundum Danuille CXXX. in charta Europae mill. geogr. viginti duo cum tribus quintis, seu M. P. CXIII. quae mensura Plinii et Artemidori calculo proxime accedit. Haec de situ Scingomagi apud *S. Paul* oppidum, vbi Senomagus Tabulae, omnem ambigendi occasionem tollunt.

XXVI. Ab Acuno Burdigalense ripam prosequitur, *mutatio nouem Craris.* XV. Wesselingius, *Pierre Late* interpretatur; Ortelio, *Pierrelate;* Danuille, *Nouem Craris*, XX M. P. in austrum, laeua amnis cuiuspiam exeuntis, situ *Pierrelate* vici. Sequitur, *mutatio ad Lectoce.* X. MS. *ad letoce;* quod, quid sit, inquit Wesselingius, alii docuerint; *Mondragon* est ex indicio Hon. Bouche." Si Ortelii chartas inspexisset vir doctus, vidisset *Lectz* amnem oppidum *Mondragon* praefluentem in Rhodanum effundi; quem Lectocen, Letocen, aut Lectocam olim dictum fuisse, in fluuiis censuimus. In Tabula ab Senomago venit,

Arusione. XV. sic Vels. Rauennas, *Arusione;* Burdigalense, *ciuitas Arausione.* XIII. Memoratur Straboni, Melae, Plinio, Ptolemaeo, Notitiis; Strabo, Isara, Druentia, Sulga, Rhodano, amnibus memoratis: *In medio*, inquit, *sunt vrbes*, *Αὐενιὼν*, *καὶ Ἀρανσίων*, *καὶ Αεϱία*, *Auenio*, *Arausio*,

(a) L. II. c. 112.

Aëria. (a) Mela et Plinius, in coloniis mediterraneis, *Arausio Secundanorum;* Ptolemaeus, *Ἀρανσίων*, *Arausio*, absque addito; interpres Schotti, male *Arausiorum;* neque Italus recte, *Arausio*, pro *Arausione.* Notitia prouinciarum, *ciuitas Arausicorum.* Harduinus, eumque secuti plures, e numo Golzii, COL. ARAVSIO SECVNDANOR. COH. XXXIII. VOLVNT. aiunt, deductos esse milites ex cohorte XXXIII voluntariorum secundae legionis; quae vt numum ostendunt suppostitium, sic epigraphicae sunt contraria. Neque enim in legionibus Romanis tot cohortes censebantur; neque voluntariorum, qui auxiliarii ex variis populis fuere, cohortes ciuium Romanorum nomine in colonias mittebantur. Legio haec secunda fuit ab Augusto in Britannia constituta, quae ab eo postea nuncupata est, vti plura in hac prouincia loca, cuius veterani Arausionem sunt in coloniam missi. Danuille, *Arausio*, XIV M. P. a Noeomago in austrum, laeua *Meine* fluuii ripa, III M. P. a Rhodano, situ *Orange* oppidi; Iosephus *de La Pise*, vrbem vocat celebrem, plurima Romanae magnitudinis vestigia, arcus triumphales, circum, theatra ostentantem. Sequitur in Tabula,

Auennione. XV. sic Vess. Burdigalense, *mutatio Cypressseta.* XV. *ciuitas Auenione.* V. Cypressseta Hon. Bouche *Bartelasse*, ad siluam peramoenam, vult esse, vbi tamen Cypressi desint. Danuille ad ripam fluuii *Sorga*, situ oppidi *Pont de Sorque*, Ortelio, statuit, ripa profluentis dextra, prope exitum. Auenionis veterum meminere plures, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Stephanus, Gregorius Turonensis, alii; Straboni, *Ἀὐενιὼν πόλις*, *Auenio oppidum;* Ptolemaeo, *Ἀὐενίων κολώνια*, *Auenio colonia;* apud Schottum *Λοαυεννίων*, *Loauennio*, interpres pluratiue *Loauenniorum*, populi nomine. Habet simile vocabulum Strabo, de alpibus et Massiliensibus agens, qui campestrem regionem, *τὴν μέχρι Λουερίωνος καὶ τοῦ, Ροδανοῦ πεδιάδα*, *vsque ad Luerionem et Rhodani planitiem*, tenuisse dicuntur. Mannert, *Αουενίωνος*, *Auenionis* legi oportere putat; quod non negarim, si spatium terrae intelligas; cum vlterius quoque ditio Massiliensium patuerit; sed *Λ* literam seruari velim, vt sit *Λουενίωνος*, *Luenionis*, articulus cum voce mistus, quem Schotti Ptolemaeus integrum posuit *Λοαυεννίων*, *lo Auennion*, vt hodie Itali exprimunt, vulgo elisa vocali, *l' Auenione;* quam enuntiationem heic Strabo sequitur, quem caue correxeris. Simile exemplum habuimus in amne Dubi, qui Caesari *Alduadubis*, tam quam *al-Duadubis*, nuncupatur. Mela, inter opulentissimas vrbes, Vienna Allobrogum, *Auenio Cauarum;* Plinius, inter oppida Latina, *Auenio Cauarum.* Stephano, *Ἀὐενίων*, *πόλις Μασσαλίας*, *Auenio*, *vrbs Massiliae;* Sidonio, *Auennicus possessor;* Gregorius Turonensis, *murorum Auennicorum munitionem* memorat; Notitia prouinciae Viennensis, *ciuitas Auennicorum.* Danuille, *Auenio*, XVII M. P. ab Arausione in austrum, intra Sulgae et Druentiae exitus, VII M. P. ab se se diremtos, laeua Rhodani, situ vrbis *Avignon.*

(a) L. IV. p. 185.

Burdigalenſe ab Auenione habet, mutatio *Bellinto.* v. ad quam Weſſelingius: Deflectit Itinerarii auctor ex via, quam Tabulae et Itiner. Anton. ductum ſequuti obeunt, magnoque circuitu in Delphinatum, quem vocant, properat. Diſtantia ducit ad *Barbentane*, vbi Durantiam illi traiiciunt, qui Ernagino Auenionem petunt." *Bellintum* Danuille, recta progreſſus, prope Druentiae exitum, laeuamque ripam ſtatuit, ſitu oppidi *Barbentane*, interuallo rite obſeruato. Neſcio proinde, quales heic ſibi viae maeandros imaginetur vir doctus, cum recta ab *Avignon* ad *Arles* ſint quatuor mill. geogr. cum tribus quintis, ſeu M. P. xxiii. quot prorſus in Burdigalenſi cenſentur, in Tabula duobus minus. In hac, ab Auenione, ſequitur,

Ernagina. xv. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Mediolano Arelate, quod mox petituri ſumus, *Ernagino*, in Regio; aliis, *Ernegino*, *Eruagino.* Burdigalenſe, a Bellinto, *mutatio Arnagine.* x. Ptolemaeo, in Salyis, *Ἐρνάγινον*, *Ernaginum.* Inſcriptio vetus, apud Gruterum, M. Fruntoni, patrono corp. nautarum Druenticorum et vtriclariorum CORP. ERNAGINENSIVM. Reineſius adfert epigraphen praue deſumtam, ex qua ſimile quid exſculpere conatur, ſed dubia admodum coniectura. In Caeſarii Arelatenſis vita, locus *Arnaginenſis.* Valeſius *Eragnac*, Hon. Bouche *S. Gabriel*, vbi lapis erutus, aut *Maillane* vicinum arbitratur. Menſura Taraſci agrum poſcit, vt Danuille oppidum ſignauit, xv M. P. ab Auenione in auſtrum paullisper occiduum, iii M. P. ab Taraſcone in exortum hibernum; oppoſitam Taraſconi ripam tenet Vgernum, de quo alias diximus. In Tabula, apud Ernaginam, concurrunt viae, quas Strabo ad Taraſconem deriuat; earum vna eſt a Nemauſo per Vgernum et Taraſconem ad Aquas Sextias, Antipolim, et Varum; altera per Vocontios et Cottii terram, ab Taraſcone ſcilicet, per Druentiam et Cabillionem, ad Vocontiorum terminos et alpium adſcenſus, quam mox ſubituri ſumus; tertia ab Scingomago (Tabulae Senomago) per Brigantium vicum, et alpium altos transitus vſque ad Ocelum, qui eſt terrae Cottiae finis. Taraſco, cuius etiam Ptolemaeus facit mentionem, eſt in ripa Rhodani laeua, hodie *Taraſcon* vicus, x M. P. ab effluxu Druentiae in auſtrum.

Arelato. vi. Velſ. *Arelato.* vi. Hodoeporicon, *Arelate.* vii. in Vaticano viii. Burdigalenſe, *ciuitas Arelate.* viii. Danuille vii Leugas interponit; ſufficiunt totidem mill. paſſ. vt ſuperius oſtendimus. De vrbe Arelate dictum alias.

XXVI. Ab Ernagina ternae ſunt in Tabula viae, quae olim ab Taraſcone, vt Strabo teſtatur, ducebant; vna Valentiam, quam nunc abſoluimus; altera Vapineum, Brigantionem, ad Cottias alpes; tertia ad Aquas Sextias, Forum Iulium, et Varum. Mediam nunc ingrediemur; ab Ernagina occurrit

Clano. viii. ſic Velſ. ſed via non recte ab Arelato ducta. Hodoeporicon, *Glano.* xii. Simlero, *Clanum;* in Regio Suritae, *Glano;* in aliis, *Clano*, *Clauo.* Plinius, Forum Voconii, *Glanum Liuii.* Ptolemaeus, in Salyis, *Γλανὸν*,

Schotti editus, *Γλάνον*, *Glanum*. Sunt, qui *Lanſac*, ad Rhodanum, alii *Maillane*, interpretentur; Hon. Bouche *S. Remy*, in cuius ſententiam geographi abiere. Danuille, *Glanum*, VIII M. P. ab Ernagina in exortum aeſtiuum, agro vici *les Baux*.

Caballine. XII. ſic Velſ. apud Scheibium *ab* literae ſunt vitiatae. Hodoeporicon, *Cabellione*. XVI. itinere ex Italia in Hiſpanias, ab Arelate, *Cabellione*. XXX. Straboni Caballio: ab Taraſcone, inquit, via eſt vſque ad fines Vocontiorum, et initium adſcenſus alpium *διὰ Δρουεντίας καὶ Καβαλλίωνος, per Druentiam et Caballionem* milliaria LXIII." Plinio, *Caballio;* Ptolemaeo, *Καβελλιὼν κολώνια, Cabellio colonia;* Italo non recte *Cabellio colonia*, pro *Cabellione*. Notitia Galliae, *ciuitas Cabellicorum*. Surita Cabellionem hanc cum Cabillono, *Chalon*, in Lugdunenſi, praue committit. Danuille, *Cabellio*, XII M. P. in exortum vernum, dextra Druentiae, in confluxu alterius, *Coloa* nomine, apud Ortelium, ſitu oppidi *Cavaillon*.

Ad fines. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Fines*. XII. in quibusdam XVI. Danuille, *Fines*, XII M. P. eadem directione, laeua Coloae, ex aduerſo effluentis alterius, vbi fere *Menerbe* Ortelii; in Atlante minore, Fines dextram tenent, vbi *Baumotes* Ortelii; *Oppede* Weſſelingii eſt in alpibus, extra viam.

Apta iulia. X. Velſ. *Apta Iulia*. XII. Hodoeporicon, *Apta Iulia*. XVI. in Regio M. P. X. quod ſincerum eſt, Tabula firmante; nam *Cavaillon* inter et *Apt* oppida non amplius duobus mill. geogr. et quatuor quintis intercedit. Flexus iuxta ripam Coloae ſpatium produxerit. Simlero, *Auia*, rectius *Apta Iulia;* in MSS. *Auia Dulia* aut *Iulia;* itinere ex Italia in Hiſpanias, *Apta Iulia*. XXII. a Cabellione, vt in Tabula. Plinius, inter oppida Latina, *Apta Iulia Vulgientium;* in lapide, apud Sirmondum, Iulius C. F. Tertulinus, FLAM. COL. APTA. apud Sponium, quispiam IV vir COL. IVL. APT. ORDO APTENSIVM. Danuille, *Apta Iulia*, VIII aut X M. P. in exortum vernum, in flexu Coloae amnis, velut in peninſula, ripa laeua; qui ſitus in Atlante maiori non ſic exprimitur, porrecto amnis decurſu; hodie *Apt* oppido nomen. Literam *i* virgula notatam heic, et in ſequenti manſione, obſerua; quae ratio ſcribendi non eſt ab ſequiori aeuo repetenda, ſed vetus, marmoribus probata.

Catuiacia. XII. Velſ. *Catuiacia*. XII. Hodoeporicon, *Catuiaca*. XV. in Regio, *Catuiaca*. XII. in reliquis, *Catoluca*. XV. Hon. Bouche *Ceireſte* eſſe ait; Danuille, *Catoluca*, *Catuiaca*, XII M. P. in exortum aeſtiuum, amnis memorati ripa laeua; quam ſi per flexum teneas, XV M. P. facile numerabis; ſed videtur menſura petere oppidum *Forcalquier*, duo mill. geogr. et quatuor quintas a priore in exortum abſcedens, laeua *Iaro* amnis ripa, vbi Danuille, Brietium et Baudrandum ſecutus, Forum Neronis Meminorum, a Ptolemaeo relatum, ſtatuit. Mihi eorum opinio magis arridet, qui Forum hoc cum Carpentoracte Plinii, itidem in Mimenis relato, coniungi volunt.

Vnum quippe huius modici populi oppidum erat, vulgo Carpentoracte, hodie quoque *Carpentras*, dictum, quod Nero ab se nuncupari iusserit; et, si Itineraria oppidum *Forcalquier* reapse adierunt, id non Forum Neronis, sed *Catuiacia* Itinerariorum erit. Vsque huc pertingit mensura LXIII M. P. quae Strabo ab Tarascone per Druentiam et Caballionem, ad Vocontiorum fines, et initium adscensus alpium, numerat; quae si prioribus coniuncta recte habent, Memini cum Foro Neronis, ex hoc etiam capite, migrabunt.

XXVII. **Alaunio.** XVI. sic Vess. Hodoeporicon, *Alaunio.* XV. itinere ex Italia in Hispanias *Alaunio.* XXVIII. Danuille, *Alaunium*, XIV aut XV M. P. in exortum aestiuum, prope laeuam exorientis *Iaro* amnis, circiter vicum *Mont Lacur;* paullo superius est vicus *Male Fegace*, prope dextram *Librun* fluuii, qui Alaunio respondere videatur, Hod. Bouche *Mane* nuncupatus. Heic alpium principium est, vt Strabo dicebat, prope dextram Druentiae ripam.

Segusterone. XIIII. sic Vess. Wesselingius ex Tabula XIII legit. Hodoeporicon, *Segusterone.* XXIIII. itinere alio, *Regusturone.* XXIIII. in quodam *Regustorone.* Simlero, itinere priori, *Segosterone*, vel *Secusterone;* Vaticano, *Setusiterone;* in Galliae Notitia, *ciuitas Segesterorum;* Testamentum Abbonis, *pagum Sigestricum* vocat; Cardinalis Ostiensis, *in ciuitate Cisterciensi, seu de Cisteron.* Danuille, *Segustero*, XI aut XIV M. P. in exortum aestiuum, dextra *Budh* amnis, in Druentiam exeuntis, situ oppidi *Sisteron*, Ortelio *Cisteron.* Hodoeporici numerus XXIIII est ab *Forcalquier*, ductu recto, adcuratus; vt duplicem fuisse viam intelligamus.

Alarante. XVI. sic Vess. Hodoeporicon, *Alabonte.* XVI. Simlero, *Alapunte*, vel *Alamantis;* Suritae, *Alabonte*, *Alabunte;* itinere alio, *Alamonte.* XVI. In Itinerario Cardinalis Ostiensis: Fuit in monasterio Alamoni, et distat a ciuitate Vapincensi IV Leucis; in sero fuit in ciuitate Cistericensi, seu de Cisteron, et distat a loco Alamoni IV Leucis." Simlerus et Valesius *Tallard* esse credunt, cuius in Abbonis Testamento fit mentio: *in pago Vapincense corte mea Talarno.* Danuille, *Alamons*, XVI M. P. in boream, situ oppiduli *Tallard*, ad exitum minuti cuiuspiam amnis. In Tabula mansio haec cum suo numero repetitur, ad iter superius, quod hiat, Geminas nimirum, a Vienna per Cularonem, forsan referenda; numerus sane eo refertur, vt apud Geminas et Vapincum dicebamus.

Vapincum. XVIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Vapincum.* XVIII. itinere alio, *Vapincum.* XVII. inscribitur id: *A Mediolano Vapincum trans alpes Cottias*, inde ad Galleciam ad Leg. VII Geminam. Notitia Galliae, *ciuitas Vappincensium.* Danuille, *Vapincum*, XV M. P. in boream paullisper ortiuum, situ *Gap* oppidi, de quo alias dictum, itinere a Valentia per Deam Vocontiorum isthuc directo. Hoc autem, quod nunc peregimus, itinere, ab Catuiacia ad Eburodunum, quod sequitur, Strabo XCIX M. P. censet: Ab initio adscensus alpium ad alteros Vocontiorum terminos, et ad Cottii terram, ἐπ Ἐβρόδουνον κώμην, ad

Ebrodunum pagum, *μίλια ἑκατὸν ἑνὸς δέοντα*, millia centum minus vnum.“ Tot ſunt adcurate in Tabula, vti ea hodie ſupereſt, ab Catuicia Eburnum. Hodoeporicon CIII numerat. Partem huius itineris videtur confeciſſe Hannibal, ſed ingentibus maeandris, ſi rectam tradidit menſuram Polybius. Ait enim, ab tranſitu Rhodani, propter ipſum fluuium, ad eius fontes tendentibus, vſque ad principium alpium, qua iter in Italiam eſt, ſtadia numerantur *χίλιοι τετρακόσιοι*, mille et quadringenta. Superſunt inde ipſae alpes, in quibus ſuperandis iter conficitur ſtadiorum *περί χιλίους διακοσίους*, ſtadiorum circiter mille ducentorum.“ (a) Ab Arelate Valentiam vſque, ſecus Rhodanum, ſunt M. P. c. Hinc eum progredi oportebat via vſitata, quae alpes petenti alia non erat, quam per Deam Vocontiorum et Lucum Auguſti. Apud Deam eſt principium alpium; eouſque igitur ſtadia mille quadringenta ab tranſitu Rhodani numerentur, neceſſum eſt. Ab Dea Vocontiorum Hodoeporicon cenſet vſque Brigantium CXXV M. P. Strabo a Brigantio ad Ocelum XXVII. in ſumma CLII M. P. quae ab calculo Polybii, qui *circiter* dixit, duobus modo M. P. differunt. Danuille tranſitum Hannibalis apud Arauſionem ſignat, via per laeuam Rhodani ripam vſque influxum Iſarae producta; inde recta in exortum aequinoctialem tendit, infra Cularonem, ad Cottias, alpium traiectui non integris L M. P. relictis; quae phraſi Polybianae non reſpondent. Verum haec ob iter dicta ſunto; ora maritima nos praeſtolatur.

XXVIII. Tabula, ab Ernagina, per Glanum, Aquas Sextias petit; Hodoeporicon itinere hoc deſtituitur. Ab Clano igitur manſio prima occurrit,

Ticisias. XI. literis binis fugientibus; Velſ. *Tericias.* absque numero. Danuille, *Tericiae*, interuallo eodem, in exortum hibernum, ſupra colles lapideos, vbi hodie ſilua *la Crau*, et ſupra eam Ortelii *Tour nouve*, arx cum pago.

Piſauis. XV. III. altero numero ſuperne poſito; ſic Velſ. Danuille, *Piſauae*, X M. P. in eamdem plagam, ad amnem, ſtagnum *Martigue*, Plinio Maſtramela, a borea petentem, ſitu oppidi *les Pinnes*, non longe ab *Salon* oppido, in occaſum aeſtiuum abſcedente. Numerus XVIII eſt ab Arelate, vt inde quoque viam proceſſiſſe arbitrere, quae poſtea intercidit.

Aquis Seſtis. XVIII. ſic Velſ. inſignia coloniae. Hodoeporicon, itinere ab Arelate, *Aquis Sextis.* XVIII. a Maſſilia. Plures veterum meminerunt vrbis; Epitome Liuii, ad A. V. 630. C. Sextius proconſul, victa Saluiorum gente, coloniam Aquas Sextias condidit, ab aquarum copia et calidis et frigidis fontibus, atque a nomine ſuo ita adpellatas.“ (b) Paterculus: *Caſſio Longino et Sextio Caluino, qui Sallues apud Aquas, quae ab eo Sextiae adpellantur, deuicit, conſulibus.* (c) Vnde Faſti: C. Sextius C. F. Caluin. proco. DE LIGV-

(a) L. III. c. 39. (b) L. LXI. (c) L. I. c. 15.

RIB. VOCONTIEIS SALLVVIEISQ. Strabo, hoc iter indicare volens, a Nemauſo per Vgernum, inquit, et Taraſconem, *εἰς τὰ θερμὰ ὕδατα τὰ Σέξτια καλούμενα*, *ad Aquas calidas*, *quae Sextiae adpellantur*, quae prope Maſſiliam ſunt, mil. *νγ.* LIII." Ductu recto, a *Nimes* ad *Aix*, ſunt mill. geogr. vndecim, ſeu M. P. LV. Inſcriptio vetus, apud Gruterum, COL. IVL. AVG. AQVIS SEXTIS. apud Fabrettum, L. Antonius Epitynchanus, ſeuir Aug. in prouincia Narbonenſi COLONIA AQVIS SEXTIS. apud Saxium, P. Setius Florus, VI vir Aug. COL. IVL. AQVIS. ET COL. AREL. Salonae in Dalmatia, M. Iulius Paternus, AQVIS SEXTIIS. mil. Leg. VI Victr. Ptolemaeo, in Salyis, qui ei Salices ſunt, *Ὕδατα Σέξτια κολώνια*, *Aquae Sextiae colonia;* numus Veſpaſiani, apud Golzium, COL. AQVAE SEXTIAE. LEG. XXV. eſt adulterinus. Notitia prouinciarum Galliae, *metropolis ciuitas Aquenſis.* Danuille, *Aquae Sextiae*, XVIII M. P. in exortum hibernum, dextra amnis, ſtagnum ab exortu petentis, qui Caenus Ptolemaei ſit, a geographis neglectus, inter Maritimam coloniam, et Maſſiliam poſitus, *Καινοῦ ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Caeni fluuii oſtia;* Schotti libro, *Κενούα*, *Cenua;* Italo, *Ceno fiume.* Hodie quoque vrbs clara *Aix.*

Reis Apollinaris. XLIIII. inſignia coloniae. Velſ. *Reis Apollinaris.* XLIIII. Hodoeporicon iſthuc diuertere noluit. Plinius, *Albece Reiorum Apollinarium;* Strabo quoque *Ἀλβιοίκους*, *Albioecos*, populum nouit, cum Salyibus et Vocontiis coniungens, oppidum non memorat. Lapis, apud Gruterum, COL. REIOR. APOLLINAR. alius, apud Sponium, FLAM. IN COL. REIOR. APOLL. Ab cultu Apollinis vrbem nuncupatam volunt. In Galliae Notitia, *ciuitas Reienſium.* Sidonio Apollinari, *Reienſes;* Gennadio, Fauſtus Epiſcopus apud *Regium* Galliae factus. Danuille, *Reii Apollinares*, XLII aut XLV. in exortum aeſtiuum, inter binos amnes, Druentiam ab exortu petentes, quorum auſtralis *Verdon*, ſitu oppidi *Riez;* in Atlante maiori ductu viae non ſignato, qui etiam in Tabula abeſt.

Anteis. XXXII. ſic Velſ. Danuille, *Argenteus F.* in Atlante maiori, *Argenteis*, absque fluuii aut manſionis nota; videtur tamen non praue hariolatus, *Anteis* in Tabula, per ſyncopen, dictum pro *Argenteis.* Meminit fluuii M. Lepidus, apud Ciceronem, datis ex *Ponte Argenteo* literis; (a) qui ex interuallo, conuenit cum oppido *Lorgues*, laeua *Argens* amnis, ex aduerſo effluentis alterius, a *Brignole* oppido decurrentis. Forum Voconii, quod ſequitur, diſpiciemus, poſtquam ab Arelate huc adpulerimus.

XXIX. Iter ab Arelate Maſſiliam et Forum Iulium, Tabula cum Hodoeporico vna peragunt; illam, pro conſueto, praemittere libet, in qua, ab Arelate, occurrit manſio,

Foſſis Marianis. XXXIII. Velſ. *Foſsis Marlanis.* XXXIII. Hodoeporicon, *Foſſis Marianis.* XXXIII. Suritae, XXXIIII. Iter maritimum Antonini, a Dilis,

(a) L. X. epiſt. 34.

Fossis Marianis portus. M. P. xx. Fossarum meminerunt, prae ceteris, Mela, Plinius, Solinus, quorum dicta alias retulimus. Ptolemaeo, post Rhodanum, Φόσσαι Μαριάναι, *Fossae Marianae.* Duxit has Fossas Marius ex Rhodano per campum lapideum, *la Crau*, vsque ad oppidum, a Fossis dictum *Foz;* superant earum vestigia circa *Galejon*, vt Hon. Bouche tradit. (a) Danuille, *Fossa Mariana*, xxii aut xxv M. P. in exortum hibernum. Via secus Rhodanum processerit, vt plura pass. mill. censerentur. Itinere maritimo, ab Gradu, seu ostio Massalitico, per fluuium Rhodanum, Arelatum computantur M. P. xxx. Inde Maritima oppidum, *Ionquiere*, vi M. P. in exortum abest, ad os stagni situm, quod Tabula, circumeundo lacum, praeteriit.

Calcaria. xxxiii. sic Vels. Hodoeporicon, *Calcaria.* xxxiii. Simlero, vel *Calcana.* Schudio *Cabanna.* Rauennati *Calcaria.* Hon. Bouche nunc *Carry* esse ait, vbi ad suam vsque aetatem calcariae fornaces fuerint. Danuille, *Calcaria*, xviii M. P. per Maritimam, secus Mastramela stagnum, quod nominare omisit, latere stagni ortiuo, ad quintum ab hoc, ad tertium a mari, lapidem; circa stagnum Tabulae mensura est iusta.

Masilia Grecorum. xxxiii. insignia vrbis; sic Vels. Hodoeporicon, *Massilia.* xiiii. Cum hic numerus sit constans, scriba Tabulae pro xiii adripuerit praecedentem xxxiii. Pertingit tamen hic numerus Tauroëntum, oppidum maritimum, quo via olim duxerit. Simlero, vel *Massalia;* sic etiam Schotto. A morum humanitate, et literarum studiis, laudata veteribus, in primis Straboni; qui, Et hodie, inquit, nobilissimis etiam Romanis persuasit, vt discendi studio pro Atheniensi peregrinatione Massiliensem amplecterentur." Nouit vrbem Scylax, a Rhodano: In ista regione, πόλις ἐστὶν ἑλληνὶς Μασσαλία, καὶ λιμὴν, *vrbs est graeca Massalia, cum portu.* Ita Graecis constanter *Massalia.* Ptolemaeus Erasmi, Κομμονῶν πόλις Μασαλία, *Commonorum vrbs Masalia;* Schotti liber, Μασσαλία πόλις ἑλληνὴς pro ἑλληνὶς, *Massalia vrbs graeca;* quam etiam in Salyibus (Σάλιες rectius Schotto, quam Erasmo Σάλικες) post Glanum recenset, Μασσαλία, *Massalia graeca.* Vt videas, Tabulam cum Ptolemaeo conspirare. De Massiliensibus nonnulla in populis diximus; queis adde ab Harduino, Dalecampio, aliisque eruditis, ad Plinium notata. Hodie vrbs *Marseille*, ad flexum orae maritimae in austrum, ad xiv lapidem ab Calcaria in exortum auctumnalem, Danuilleo recte posita.

Aquis Sestis. xviiii. Vels. *Aquis Sestis.* xviii. Hodoeporicon, *Aquis Sextis.* xviiii. Danuille mensuram Tabulae expressit, Aquis Sextiis in boream paullisper ortiuum a Massilia remotis; de quibus itinere superiore dictum.

Tegulata. xv. sic Vels. Hodoeporicon, *Tegulata.* xvi. in quibusdam xv. Neapolitano xvii. tantumdem in codice Cusani; Rauennas, *Tegulitia;*

(a) L. III. Hist. Prouinc. c. 5.

Simlero, *Tecolata*, oppidum *S. Maximini.* Labbeo, *Tretz;* Boucheo ei proximum *Peigiere.* Danuille, *Tegulata*, xv M. P. in exortum aequinoctialem, ripa Caeni amnis ſurgentis dextra, ſitu vici *Pourieres.*

Ad turrem. xvi. ſic Velſ. Hodoeporicon *Ad turrem.* xvi. Vicum *Turues,* ſitu ſonoque Turribus conuenire aiunt. Danuille, *Turres*, xxii M. P. ab Aquis, alias *ad Turrem, ad Turrim*, xiiii M. P. ab Tegulata, in exortum auctumnalem, ad fontem riui, Argenteum ab auſtro petentis, ſitu oppiduli *Saint Maximin.*

Matauone. xvii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Matauonio.* xiiii. Simlero, *Maittauono;* Suritae, *Mautauonium;* in Regio, *Matabonio;* Blandiniano, *Mauta vonio;* Neapolitano, *Mauto;* Pariſienſi, *Mautouonio.* De ſitu diſputatatur; M. Altingius, notis MSS. in Tabulam, *Matarone* et *Mataronio* format, perſuaſus in *Torone* oppido, ad ripam dextram Argentei, nominis locique reliquias durare. Hon. Bouche, *Caballe* putat, ob lapidem milliarium ibi repertum, qui Conſtantino Imp. inſcribitur, cuius fine xxxiiii mill. paſſ. compareant, quae is ad Forum Iulium referri putat; ſed inter Forum Iulium et Matauonium M. P. ſunt xxxvi. inquit Weſſelingius. Secundum rationes Danuillei, Matauonium, Metauonium, ſtatuitur ad xii a Turribus, ad x a Foro Voconii, lapidem. Numerus Tabulae eſt ab Turri ad Forum Voconii, euitato Matauonem verſus angulo; quamquam id ſpatium maius eſſe videtur, minimum xx M. P. cenſus columnae milliariae, ſi eſt ad vii ab Turri lapidem reperta, ad Aquas Sextias, ſi Matauonii ſitu, ad Forum Iulium refertur. Nam *Caballe iuxta Brinoniam*, vt Fabrettus e ſchedis Barberinis habet, laxius accipi debere videtur, quod Matauonium ad x a Brinonia milliare aberat. Nos, titulo Muratorii, *in vico Caballe*, *agri Foroiulienſis*, decepti, in geographia epigraphica columnam ad Carnos referri oportere cenſebamus, ex Fabretto meliora docti, vt ibidem notauimus.

XXX. **Foro. Voconi.** xxii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Forum Voconi.* xii. Simlero, *Forum Voconii*, vel *Vocona;* Pariſino, *Voconia.* Videtur hoc Forum fuiſſe, vbi *Luc* eſt in Prouincia, aut *le Canet*, non longe a *Ponte Argentei*, inquit e Boucheo Weſſelingius. Danuille, *Forum Voconii*, x M. P. in exortum auctumnalem, ſitu *Brignole* oppidi, quod rectum cenſeo. Meminit vrbis Plancus apud Ciceronem: Lepidus ad Forum Voconii caſtra habet, qui locus a Foro Iulii quatuor et viginti millia paſſuum abeſt." (a) Ipſe Lepidus ſcribit: Continuis itineribus ad Forum Voconium veni, et vltra caſtra ad flumen Argenteum contra Antonianos feci." (b) Plinius, *Forum Voconii*, Glanum Liuii; vnde locum non poſtremi nominis fuiſſe arbitrere. Interuallum Tabulae eſt a Turri per Matauonem ad Forum Voconii, ſi Danuillei rationes ſequamur; forſan ad ſequentem ſpectat manſionem.

(a) L. X. epiſt. 17. (b) Ibid. epiſt. 34.

Foro. iulii. XVII. insignia coloniae, ternis domunculis; Vels. *Foro Iulij*. XVII. Hodoeporicon, *Forum Iulii*. XXIIII. in Regio, *Forum Iuli*. XII. qui numerus in omnibus libris est constans; Simlerus in quodam reperit XXIIII. quod in textum posuit. Wesselingius, et Danuille secutus est. Itinere maritimo, a Lero et Lerino insulis, *Foro Iulii portus*. M. P. XXIV. Cellarius putat, Tabulae XVII fuisse XXII. ego denarium, priori mansioni perperam additum, huc pertinere censeo; sunt enim a *Brignole* ad *Frejus* mill. geogr. sex, seu M. P. XXX. Planci et Lepidi calculus, ad quem Simlerus suum procuderit, ampliori sensu accipiendus, extremis vtrimque aedibus spectatis. Plancus, *Forum Iulii* vocat; (a) Strabo, *τὸ ναύσταθμον τὸ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, ὃ καλοῦσι Φόρον Ἰούλιον, nauale Caesaris Augusti, quod Forum Iulium vocatur*. Plinius, Forum Iulii, Octauanorum colonia, quae Pacensis adpellatur, et classica; amnis in ea Argenteus." Tacito, *illustris Foroiuliensium colonia*. Melae, post Antipolin: Deinde est Forum Iulii, Octauanorum colonia." Ptolemaeo, in Commonis, ad Argentium amnem, *Φόρος Ἰόυλιος κολώνια, Forum Iulium colonia*. Numi Golzii, Augusti, COL. IVLIA OCTAVIANORVM. et Neronis, COL. PACENS. CLASS. sunt supposititii. Monachus S. Galli: Vrbem Foriolanam, quam, qui sibi scioli videntur, Forum Iuliense nuncupant." Annales Caffari Genuens. *nundinas et mercatum Fori Iulii*. Strabo dicebat, Forum Iulium inter Olbiam et Antipolim esse, distare a Massilia *εἰς ἑξακοσίους σταδίους, circiter sexcenta stadia*. Wesselingius, e doctrina Bouchei, contendit mensuram Strabonis heic acceptari non posse, nisi III M. P. Strabonis pro IV M. P. Itinerarii, et vtraque pro II et S. Leugis prouincialibus accipiantur. Cui bono haec implexa mensurae ratio, si Strabo aperte docuit, octona stadia in mille passus imputari; et diu ante Strabonem Polybius tradidit, Romanos ad Columnas vsque Herculis itinera dimensos fuisse, et octonis stadiis, id est, M. P. distinxisse? Heic autem Strabo de ora maritima locutus, mensuram omnino exactam tradidit; sunt enim a Massilia, oram absque flexibus legendo, ad Forum Iulii adcurate M. P. LXXV. seu stadia DC. Poterat etiam vir doctus mentem Strabonis inde adsequi, quod in continente mensura Romana M. P. in mari Graeca vtatur; quam et Hodoeporicon in maritimis tenet. Danuille, *Forum Iulii*, XXIV M. P. in exortum, laeua exeuntis Argentei, situ oppidi *Frejus*.

XXXI. Ad Horrea. XVII. Vels. *Ad Horrea*. XVII. Hodoeporicon, *Ad Horrea*. XVIII. in Regio, XVII. Alii *Napoule*, *Grasse* alii esse volunt. Danuille, interuallo quidem Tabulae, sed in ora maritima, *Horrea* statuit, laeua amnis exeuntis, situ vici *Cannes*, VII M. P. Antipoli relictis; quod nec Tabula, nec Itinerarium, admittunt. Ego locum in mediterraneis fuisse censeo; quod iter maritimum, adcurate oram perlustrans, eius non meminit, et interualla, c

(a) Cic. L. X. epist. 15. 17.

ſententia Hon. Bouche etiam, vrbem *Graſſe* expoſcunt, a *Frejus* tribus et vna quinta mill. geogr. remotam, directione in exortum aeſtiuum, ad quartum a laeua memorati amnis ripa in orientem.

Antipoli. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Antipoli.* XII. itinere maritimo, *Antipoli portus.* XXXV. a Foro Iulii, aut duobus amplius. Strabo, ab Aquis Sextiis, *εἰς Ἀντίπολιν καὶ τὸν Οὔαρον ποταμὸν, ογ΄. ad Antipolim et Varum amnem mill.* LXXII. ductu ſcilicet recto, quod eſt Antipolin ab Aquis intervallum adcuratiſſimum; ſunt enim mill. geogr. quatuordecim, et tres quintae vnius, in charta Europae. Proinde non habebat Weſſelingius, quod fluctuaret. Hodoeporicon cum Tabula diuertit ſecundum manſiones; Strabo rectam, more geographorum, tenet. Mela Pomponius: *Nicaea tangit alpes, tangit oppidum Deciatum, tangit Antipolis;* de Nicaea verum dicit, non de Antipoli. Plinius: *in ora oppidum Latinum Antipolis.* Tacitus, *Antipolim Narbonenſis Galliae municipium* vocat. (a) Ptolemaeus, a Foro Iulii, *Δεκιατιῶν*, *Ἀντίπολις*, *Deciatium*, *Antipolis.* Danuille, *Antipolis*, XXV M. P. a Foro Iulii in exortum aeſtiuum, ab Horreis VI. ſitu oppidi *Antibe*, ad iſthmum peninſulae, quod ab *Graſſe*, vbi Horrea poſuimus, duo mill. geogr. in exortum hibernum abſcedit; in Homannianis tres quintae adduntur.

VARRVM. x. exemplar noſtrum VARVM. Velſ. *Varum.* x. Hodoeporicon, *Varum flumine.* x. Strabo, *ὁ δὲ Οὔαρος μέσος ἐστὶ τῆς Ἀντιπόλεως καὶ Νικαίας, τῆς μὲν ὅσον εἴκοσι, τῆς δὲ ὅσον ἑξήκοντα σταδίους διέχων*, *Varus inter Antipolim eſt et Nicaeam, ab altera* XX. *ab altera* LX *fere ſtadiis diſtans.* Hic etiam Strabonis locus perplexum fecit Weſſelingium, vt de ſtadiis et M. P. ad Leugas prouinciales reuocandis cogitaret. Dicit autem, inter Antipolim et Varum eſſe Leugas II et S. vni Leugae prouinciali aequiualere M. P. III Strabonis, IV Itinerarii; proinde LX ſtadia eſſe x M. P. Poſtremum hoc nuſpiam docuit Strabo; is heic vtitur itinere maritimo, quo a portu Antipoleos ad oſtium Vari eſt mill. geogr. vnum cum duabus quintis; cum terreſtri itinere, in Europae charta, intercedant mill. geogr. duo. Poterat proinde Weſſelingius, cum Boucheo, et verbis, et Straboni, parcere. Danuille ad Varum cenſet XIII M. P. quod abundat. De Varo dictum in amnibus; fuerit manſio ei cognominis ad ripam. Et hactenus quidem de Gallia dictum eſto; cui Barbariam ſubiungere libet.

(a) L. II. Hiſt. c. 15.

CAPVT IV

BARBARIA

I. BARBARIAE vocabulo ſumimus prouincias, et regna, quae Romano non ſuberant iuri, neque in Tabula, more conſueto, deſcribuntur; quales ſunt Germania, Sarmatia, Scythia. Propoſitum quippe nobis eſt, nihil eorum, quae in Tabula exhibentur, ſilentio praeterire. Nemo autem mihi, hos populos barbarorum nomine vſurpanti, ſuccenſeat; vtor auctoritate veterum, qui eos, quorum linguam minus norant, neque ditioni ſuae obnoxios habebant, barbaros nuncupare conſueuerunt; etſi magnam ii partem in exercitu Romano militarint. Libet hoc loco Strabonem, ſcriptorem in primis grauem, hac de re diſſerentem audire. (a) Exiſtimo, inquit, *τὸ βάρβαρον*, vocem *barbarum* ita fuiſſe ab initio attributam his, quae non niſi difficulter, duriter, aſpereque poſſint pronuntiari; cuius modi ſunt battarizare, traulizare, pſallizare; ſumus enim ad hoc ingenioſiſſimi, vt ſimiles voces ſimilibus exprimamus, quod iam eiusdem videntur eſſe generis; atque hinc abundat vſus nouorum nominum confictorum, qualia ſunt celaryzare, clangor, pſophos, boë, ploſus; quorum nunc pleraque proprie vſurpantur. Cum ergo omnes, qui ſic craſſo ore loquuntur, *barbari* adpellarentur; exiſtimatum eſt, alienigenarum ora eſſe talia; eorum, inquam, qui non eſſent Graeci; *ἐκείνους οὖν ἰδίως ἐκάλεσαν βαρβάρους*, hos igitur initio vocauerunt barbaros, Graecis opponentes. Multa enim conſuetudo et commercia cum barbaris effecerunt, vt iam non ob oris craſſitiem, aut vitium aliquod inſtrumentorum voci ſeruientium barbari cenſerentur; ſed ob ſermonis peculiarem formam, quas dialectos nuncupamus. Alia porro in noſtra lingua craſſities vitiumque et quaſi barbaries oris exiſtit, cum quis, Graecum ſermonem adfectans, perfectam eius pronunciationem non attingit, ſed ita voces effert, vt barbari, quando ad Graecae linguae vſum introducuntur, neque poſſunt perfecte vocabula exprimere; quod et nobis in illorum idiomatibus vſuuenit. Maxime autem Caribus hoc contingit; nam, cum reliquae gentes non multum fere cum Graecis haberent commercii, neque operam darent, vt Graecam viuendi loquendique rationem diſcerent; niſi ſi qui pauci, et forte fortuna, ac ſingulatim Graecis quibusdam ſe permiſcuerunt; per totam Cares Graeciam aere militando merentes ſunt diſſipati; itaque barbaries linguae apud eos fuit frequens,

---

(a) L. XIV. p. 662.

ab eorum in Graeciam profectionibus; multoque magis deinde increbuit, postquam vna cum Graecis habitare insulas coeperunt; indeque in Asiam expulsi, ne ibi quidem incolere sine Graecis potuerunt, ingruentibus Ionibus et Doriensibus. Eadem de caussa barbarissare, βαρβαρίζειν, dictum est; quod vsurpare solemus, non de Carice, sed de male Graece loquentibus. Ita ergo etiam barbarilingues, βαρβαροφωνεῖν, sunt intelligendi, qui Graeca praue loquuntur. Hinc etiam in artes Graece loquendi a Carissando barbarissare est traductum; et solaecissare; siue a Solis ea vox, siue ab alio efficta est nomine." Hactenus Strabo, quem exscribere idcirco placuit, vt ratio nuncupationis barbarorum, quam nonnulli praue interpretantur, constaret. Ceterum Cares fuisse Thracum cognatos, ex eodem geographo cognoscere licet.

II. Postea vsus inualuit, vt hostes vniuersi, quibuscum Romani gessere bella, barbari nuncuparentur, non tam linguae, quam hostilitatis caussa; quales Scytharum potissimum, Sarmatarumque, et Germanorum populi fuere. Hoc sensu in epitaphio Probi, apud Sirmium legebatur, victor OMNIVM GENTIVM BARBARARVM. in pecunia Constantis, triumfatori GENTIVM BARBARARVM. Constantii, triumfator GENTIVM BARBARARVM. Valentiniani, triumfator GENT. BARB. qualia complura in regno epigraphico, in Dacia, referimus. Hos igitur populos, tam quam prouinciis Romanis confines, et saepe graues, Tabulae auctor idcirco nominare voluit, vt praefectis militiae constaret, quos in limitibus aduersarios nosse, et obseruare deberent. Quare praeter nuda populorum, Romano imperio vicinorum, vocabula, pauca insuper ibi referri videas; quae nos heic strictim percurremus, vt ea, quae Tabula duce nostri sunt argumenti, maturius accedere queamus.

S E C T I O I

G E R M A N I A

§ I

Nuncupatio et fines.

I. QVI postea Germani et Alemanni sunt nuncupati, Celtarum vocabulo veniebant olim; quod iam Herodotus, historiarum pater, prodidit, cum Istrum ἐκ Κελτῶν, ex Celtis deriuat. Fuit etiam tempus, quo vniuersus orbis in Indos, Aethiopes, Celtas, et Scythas diuidebatur. Libet Ephori, antiqui scriptoris, fragmentum, quod Cosmas Indicopleustes, apud Montfauconem,

conferuauit, isthuc referre. Indi ad apelioten sub oriente degunt; Aethiopes sub noto et meridie; τὸν δ' ἀπὸ ζεφύρου καὶ δυσμῶν Κέλτοι, sub occidente Celtae, sub septemtrione Scythae. Non aequales inter se hae partes sunt; Scythae et Aethiopes maiorem tractum incolunt; Indi et Celtae minorem; tractus autem illi inuicem in magnitudine succedunt. Indi enim intra aestiuum et hibernum orientem; Celtae intra aestiuum et hibernum occidentem; hique tractus pari sunt magnitudine, et maxime sibi e contrario siti; at Scythae regiones tenent eas, a quibus solis iter maxime remotum, et Aethiopes, e regione eorum siti, ab occidente hiberno, vsque ad breuissimum occidentem tendunt." (a) Hactenus fragmentum Ephori.

II. Inter primos, qui Germanorum meminerint, est Caesar: *Treuiri Germanos transrhenanos sollicitare dicebantur.* (b) Inde crebra eorum nuncupatio. Straboni originis Latinae videbatur: *Recte mihi videntur*, inquit, *Romani hoc iis nomen indidisse, cum eos fratres Gallorum dicere voluissent.* (c) Sed Tacitus, qui singularem de moribus Germanorum edidit libellum: Germaniae, inquit, vocabulum recens et nuper additum; quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerunt, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis, eualuisse paullatim, vt omnes primum a victore ob metum, mox a se ipsis inuento nomine Germani vocarentur." Qui hoc argumenti genus e iunioribus tractarunt, *viros bellatores* interpretantur, non incongrue; nemo enim, qui res veterum gestas norit, virtutem populi bellicam ignorare potest.

III. Vocabulum in regno epigraphico frequens. Fasti ad A. V. 748. Ti. Claudius Nero, DE GERMANEIS. K. Ianuar. A. V. 765. Tiberius Caesar, de Illyriis, Pannoniis, Dalmatis, et GERMANEIS. VI. Idus Maii. Epitheton, Germanicus; Fasti, ad A. V. 742. BELLVM GERMANICVM. ipse Tiberii filius *Germanicus* est nuncupatus, ab eo populo debellato; vnde Fasti, ad A. V. 770. Germanicus Caesar, DE CHERVSCEIS. CATTEIS. ANGRIVARIEIS. VII. Kal. Iunias. Hoc exemplo posteriores Augusti vsi, *Germanici* nomen frequens vsurparunt; in quodam Pannonico marmore, Sirmii reperto, Imperatore Gallieno, leguntur milites vexillarii Legionis GERMANICIANAE.

IV. Patriae quoque nuncupatio rara non est; tametsi Germaniam proprie dictam Romani numquam tenuere. Fasti, ad A. V. 773. Drusus Caesar, Tiberii fil. procos. ouans EX GERMANIA. quae phrasis post viginti annos, in Caio Caesare, repetitur. Meminerunt et partitionis marmora; Poetouione, in Pannonia, T. Varius Clemens, procur. VTRIVSQ. GERMANIAE. Inscriptio Romana, in qua P. Petronius, procur. prouinc. Belgic. ET DVARVM GER-

---

(a) Vid. Bayer Mem. Scyth. p. 217. ed. Hal. 1770. (b) L. V. B. G. c. 2.
(c) L. VII. p. 290.

MANIARVM. In lapide Pannonico, in vico *Környe*, prope Tatam, reperto, Victoria Verina, domu Foro Hadrianenſis, PROVINCIA GERMANIA INFERIORE. quam ea parte Tabula Patauiam nuncupauit. Sed hae Germaniae fuerunt cis Rhenum, quas nos, Tabula duce, Galliarum cenſu complexi ſumus; heic autem Germania nobis eſt magna, quam ab occaſu Rhenus, a ſeptemtrione Oceanus, ab oriente Viſtula cum Sarmatia, a meridie Danubius terminant; in longum a monte Adula ad Viſtulae oſtium, DCCLX M. P. in latum ab eodem monte ad Albis oſtium, CCCCLXXX M. P. procurrens.

§ II

Prouinciae Germaniae.

I. TABVLA Germaniae proprie dictae, ſeu magnae, non meminit; pro qua ibi FRANCIA caractere Latino, literis minio pictis, legitur, vna N ſeu N litera demta, quae poſtrema ſcribae manu in veterem epigraphen irrepſerit. Notatur ea vox ex aduerſo Nouiomagi et Argentorati, vbi Ptolemaei Tencteri, Ingriones, Intuergi, Vargiones, Caritni, Vſpii; ſecundum alios, Vſipii, Sicambri, Tencteri, Mattiaci. Paullo inferius, ex aduerſo ſiluae Marcianae, ſcribi videas,

II. ALAMANNIA. literis miniatis, ſed caractere, vt aiunt, Longobardo. Heic ab Tacito Sueuos et Sueuiam, libro de moribus Germanorum, nominari videas: *Dirimit, ſcinditque Sueuiam continuum montium iugum, vltra quod plurimae gentes agunt.* (a) Loco alio, *Sueuos Rhaetiae imminere*, perhibet. (b) Et Strabo: Primus (montium vertex) eſt trans Rhenum, et lacum (Acronium) dorſum quoddam verſus orientem ſolem flexum, mediocriter ſublime, *ὅπου αἱ τοῦ Ιστρου πηγαὶ πλησίον Σουήβων, καὶ τοῦ Ερκυνίου δρυμοῦ*, vbi fontes Iſtri ſunt prope Sueuos et Hercyniam ſiluam." (c) Neſcio proinde, quo pacto Sueui, apud geographos, his agris exulare cogantur, ad Viadrum plane reiecti. Ptolemaeus Straboni et Tacito non officit, cum Sueuos circa Viadrum ſtatuit, plures complexus populos, vti Longobardos Sueuos, Angilos Sueuos, Semnones Sueuos, in boreali Sueuorum termino; in occiduo, ad Iſtrum, minores cenſet familias, non prodito aperte Sueuorum vocabulo, intellecto tamen, cum Cauchis, Abnobae vicinis, Sueuos adſociat. Recte autem Strabo dixit, fontes Iſtri eſſe prope Sueuos; quod flumen illud, ripa vtraque, inde a fontibus, Vindelici tenuere, ad Dacorum vſque terminos; vt opere de Iſtro, et commentariis geographicis monſtramus.

(a) M. G. c. 43. (b) L. I. Annal. c. 44. (c) L. IV. p. 207.

Hi Sueui, Hercyniae vicini, postea in Alemannos partem abiere. Verum quidem est, primum e scriptoribus esse Dionem Cassium, qui *Αλαμβαννῶν*, *Alambannorum*, (ita eos vocat) meminerit, in Antonini Caracallae rebus; (a) et Spartianus, *Alemannici* cognomen, ab gente Alemannorum victa, eum adsumsisse refert; (b) sed tum primum aut gentem, aut vocabulum esse natum, nemo prudens sibi persuaserit. Nobis id sufficiet, sub Antoninorum aetatem, cum Tabula primam videret lucem, hanc Germaniae magnae partem, *Alamanniae* vocabulo venisse. Plures autem hoc nomine segreges Germaniae populos, Nicrum inter et Danubium colentes, fuisse comprehensos, inde colligas, quod *Alamannia*, veluti prouincia quaedam, nuncupatur.

III. SVEVIA. literis minio pictis, ex aduerso siluae *Vosagus* dictae, seu Vogesi, quo nomine montem nouit Caesar, scriptum comparet. His prorsus locis idem scriptor memorat Sueuos: Treuiri, inquit, (questum venerunt) pagos centum Sueuorum ad ripam Rheni consedisse, qui Rhenum transire conarentur." (c) Loco alio: „*Sueuorum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium, ii centum pagos habere dicuntur.* (d) Strabo, qui commentariis Caesaris vsus fuerit, Istri fontibus vicinos dixit; vt olim hinc Rheno, inde Vindelicis, vicini coluisse videantur. Pars eorum australior postea Alamannorum nomen adsumsit, cum illud prorsus absorberet. Teucteris vicinos fuisse, e Caesare quoque intellexeris; qui, a Sueuis exagitati, Rhenum transire medidabantur, sedes quaesituri. Tamen Sueuos hos, clarissimam Germanorum partem, geographi iuniores, vti monebamus, neque Rheno, neque Danubio, adpropinquare sinunt; cum in Tabula SVEVIA. prouinciae, non populi vnius, nomine ponatur; quae non sub alio quopiam sidere, sed ad fluminis ripam, Romanis conterminam, statui debet, ab Argentorati regione ad effluxum Mosellae amnis; inde Bructeri tenebant, de quibus postea dicemus.

IV. FRANCIA. a Nouiomago et Batauis, ad coloniae Agrippinae regionem, dextram Rheni ripam occupat, vt superius dictum. Velserus, cum plerisque recentiorum, id vocabuli ad aetatem Diocletiani, trahi vult ex eo, quod tum primum in scriptoribus compareat. Equidem apud Pollionem haec reperio: Contra Posthumium Gallienus cum Aureolo et Clodio duce, qui postea imperium obtinuit, principe generis Constantini Caesaris nostri, bellum incepit; et cum multis auxiliis Posthumius iuuaretur Celticis et Francicis, in bellum cum Victorino processit." Pollionem ex aeuo suo locutum dicere, est arbitrarium. (e) Tabulae aetas prima superat Diocletiani tempora, et cum Gallieni imperio nihil commercii habet. Si Velserus vniuersam Tabulam, vti est, prae oculis habuisset, cum in eas schedulas, vitiose desumtas, commentaretur, longe

(a) L. LXXVII. ad A. V. 905. Chr. 212. (b) Carac. c. 10. (c) L. I. B. G. c. 8.
(d) L. IV. B. G. init. (e) Conf. Vopisc. in Aureliano.

alia in medium prolaturus erat. Vicinos Rheno fuiſſe Francos, Imp. Diocletiano, ex Anonymi Panegyrico, Maximiano et Conſtantino Auguſtis dicto, collegeris; qui haec de Conſtantini patre: *Multa ille Francorum millia, qui Batauiam, aliasque cis Rhenum terras inuaſerant, interfecit.* In Tabula, *Francia*, prouinciae titulo, caractere eleganti Romano, expreſſa, gentis vires ea aetate inſignes monſtrare videtur. A iunioribus geographis, vti Sueui, ſic et Franci, ripa Rheni prorſus arcentur, in mediterranea reiecti. Franciae vocabulo, vti Sueuiae, et Alamanniae, plures populi, qui haec tenuere loca, ſumti fuerint; vt Velſero quoque videbatur; quales Vſipii, Sicambri, Tencteri, Mattiaci, aliique obſcuri nominis agri eius cultores. Vocabula haec in regno epigraphico non comparent. Haec de prouinciis Germaniae magnae ripenſibus, in Tabula exhibitis, dicta ſunto; ſiluas, populosque videamus.

§ III

Siluae Germaniae.

I. SVPRA lacum Brigantinum, et Iſtri exortum, pingitur ſilua, ſexdecim arbuſculis in iugo montium conſita, literis miniatis, eleganter arbuſto interiectis, cum hac inſcriptione:

SILVA MARCIANA. infra Alamanniam, ante memoratam. Meminit ſiluae Ammianus, haec de Iuliano ſcribens: Profecturus (a Rauracis) per Marcianas ſiluas, viasque iunctas Iſtri fluminis ripis, -- cum ad locum veniſſet, vnde nauigari poſſe didicit flumen, lembis adſcenſis -- ferebatur occulte." (a)

II. Siluam heic Nigram, vulgo *Schwarzwald*, indicari, viae ratio, et phraſis ipſa indicat. Seniores ſaltum Hercynium dixerunt; Caeſar: Ea, inquit, quae fertiliſſima ſunt, Germaniae loca, circum Hercyniam ſiluam, quam Eratoſtheni, et quibusdam Graecis, fama notam eſſe video, quam illi Orciniam adpellant vulgo, Tectoſages occuparunt." (b) Boii fuerunt regione Boiohemi conſidentes. Pars ſiluae huius extrema in auſtrum erat, qua Iulianus ad recentem Danubium eſt progreſſus. Videtur a Latinis poſterioribus M voci patriae *Artz*, quod Graeci modice inflexerunt in *Ortz*, addita litera, *Marciana* pro *Arciana* eſſe nuncupata.

(a) L. XXI. c. 8. (b) L. VI. B. G. c. 5.

§ IV

Populi Germaniae.

I. PLVRES horum Tabula censet; quales sunt Chauci, Chattuarii, Chrepstini, Chamaui, Quielpranci, Dureturi, Armalausi, Marcomanni, Vanduli, Quadi, Iutugi, Buri; quorum priores binos in Batauis dedimus. Et Chaci quidem, seu Chauci, aliunde sunt noti; Vapii Varii, seu Vapliuarii, videntur *Χαττουάριοι*, *Chattuarii*, Strabonis, Chasuarii Ptolemaei, Attuari Ammiani esse; vt suo dicebamus loco. Sunt etiam Ptolemaeo, *Οὐαριστοὶ*, *Varisti*, ad Gabritam siluam, qui cum Variis cognatione iungi queant; sequuntur,

CRHEPSTINI. scheda prior, CRHEPSTINI. posterior, CREPSTINI. Vels. CRHEPSTINI. Numquam sibi auditos, numquam lectos, ait Velserus. Pancirola putabat, equites Crispianos, sub duce Britanniae, explicari posse; de quo Velserus dubitat. Vox barbara sit, aut praue scripta. Plinio, *Istaeuones*, Rheno proximi, quorum pars Cimbri mediterranei; Hermiones, quorum Sueui, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Forsan ex vocibus Istaeuones et Cherusci nati sunt *Chrepstini;* Rheno certe vicini fuere. Vocabulum est, ingenio scribae, medio Chaucos inter et Vapiiuarios superne, et quos nunc dicturi sumus, inferne, spatio scriptum, colore nigro; cum ceteri minio sint notati.

CHAMAVI. QVIELPRANCI. scheda prior, *Chamaui Quierpranci.* posterior, NAMAVI. nihil praeterea. Vels. *Chamaui. qui Elpranci.* Velserus e scheda legit, CHAMAVI QVI ERPRANCI. Rhenanus, e Tabula, CHAMAVI QVI ELPRANCI. *Chamaui* antiquissimis temporibus ripam Rheni tenuerunt, vt ex Tacito colligere licet, qui eorum saepius meminit. Vicini erant Tencteris, Bructeris, Ansibariis, Tubantibus, Vsipiis. Quodam tempore a ripa remotius agebant, vt Tacitus perhibet; deinde, repetitis sedibus, habitationem, traiecto Rheno, promouere, potentes circa Iuliani tempora effecti. Tacito, *Chamaui*, (a) Ptolemaeo *Χαῖμαι*, *Chaemae*, vt Cellarius et Cluuerius legunt; apud Erasmum, *Καμαυοὶ*, *Camaui*, et *Τευριοχαῖμαι*, *Teuriochaemae*, distinguuntur; Schotti libro, *Καυμαοὶ* pro *Καμαυοὶ*, item *Καμαβοὶ*, *Camaui*, *Camabi ;* Italo *Camani ;* Cheruscis et Cattis finitimi; Ammiano *Chamaui;* Ausonio *Camaues.* Mannert, ex Tabula, inquit, seculo tertio ad Rhenum, priscis sedibus habuisse; (b) cum loco alio, Tabulam ad Antoninorum aetatem referri, nihilque ex Probi tempore habere, adseueret. (c) Id enimuero est, Tabulam pro arbitrio traducere. Puto autem cum Velsero, CHAMAVI QVI ET FRANCI olim fuisse scriptum; quod aliis quoque placuisse video; vt Antoninorum aetate ad Franciam Chamauos spectasse censeamus, non dum Rhenum transgressos.

(a) L. XIII. Annal. c. 55. (b) Vol. III. p. 196. (c) Ibid. p. 706.

II. **BVRCTVRI.** ſcriptum miniatum; Velſ. **Burcturi.** inter Franciam et Sueuiam medii, ex aduerſo coloniae Agrippinae, et effluentis Moſellae. Sunt Bructeri, procul dubio, populus antiquus et potens. Strabonis aetate ad amnem Lupiam habebant: Lupias inquit, *ῥέων διὰ Βρουκτέρων ἐλαττόνων, per Bructeros minores fluit;* (a) in textu heic *Βουκτέρων*, et paullo ſuperius *Βόυκτεροι*, legitur; ſed vbi de praelio nauali agit: Druſus, inquit, *Βρουκτέρους κατεναυμάχησε, Bructeros nauali pugna vicit.* Tacitus: Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant; nunc Chamauos et Angriuarios immigraſſe narratur, pulſis Bructeris." (b) Ptolemaeo Eraſmi, *Βουσάκτεροι*, *Buſacteri*, Schotti *Βουσάκτοροι*, *Buſactori*, quodam loco *Bacteri*, oblique *Βακτέροις*. Italo, more ſuo, *Buſattori*, ſeu *Buſuctori*. Non eſt reprobanda forma *Buſacteri;* ſic enim a vicinis compellati videntur, vti hodie quoque apud Illyrios ii, qui Germanice loquuntur, *Baſakter* (*was ſagt er*) audiunt. Noti Eumenio, Nazario, Claudiano, *Bructeri;* Bedae, in hiſtoria eccleſiaſtica, *Boructuarii;* Gregorio III Pontifici, *Borthari;* hoc barbigeros, Tabulae vocabulum incolas vrbium deſignet.

ARMALAVSI. literis minio pictis. Velſ. **Armatavſi.** ſupra Danubium recentem, vbi a Koelero *Harudes* et *Seduſii* ponuntur, ex quibus *Armalauſi* prodierint; niſi paruos Alamannos interpretari malis. Caeſar: Germani ſuas copias eduxerunt, paribusque interuallis, Harudes, Marcomannos, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Sueuos, omnemque aciem ſuam rhedis et carris circumdederunt." Cellarius, Harudes et Seduſios Marcomannici generis fuiſſe putat; vicini certe fuerunt, cum Sueuis Vindelicos ab auſtro contingentes. Omnis quippe Germania, aetate illa, non Danubio, ſed montibus et ſiluis a meridie et Vindelicis dirimebatur, Mela et Strabone teſtibus; vt in commentariis geographicis perſpicue monſtramus.

MARCOMANNI. Velſ. **Marcomani.** ſcriptura picta, ex aduerſo Regini et Boiodori, vbi vulgo Nariſci ponuntur, quos Tabula ignorat. Heic autem Boiohemum ab auctore eius indicari ex eo videas, quod inferius, ad ripam Danubii, *Vanduli*, de quibus mox dicturi ſumus, conſpiciuntur. Strabo: In Germania eſſe Hercyniam ſiluam, et Sueuorum gentes, quarum quaedam in ipſa ſilua habitent, vt Coldulos, in quibus ſit Marobodui regia; in quem locum ille cum alios plures transtulit, tum *τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάνους, gentiles ſuos Marcomanos.*" (c) Velleius: Nihil erat iam in Germania, quod vinci poſſet, praeter gentem Marcomanorum, quae Maroboduo duce excita ſedibus ſuis, atque in interiorem refugiens, incinctos Herciniae ſiluae campos incolebat." (d) Et loco alio: *Sentio Saturnino mandatum, vt per Cattos legiones in Boiohemum, (id regioni, quam incolebat Maroboduus, nomen eſt) duceret.* Tacitus,

(a) L. VII. p. 291. (b) M. G. c. 33. L. I. Annal. c. 60. (c) L. VII. poſt init.
(d) L. II. c. 108.

pulsis Boiis, locum obtinuisse Marcomanos, ait, vnde *Boiemi* nomen. (a) Sed haec adolescens Tacitus, sono vocabulorum ductus, de Boiis cogitasse videtur; quod neque Strabo, neque Velleius, adseruere. Et Ptolemaeo *Baemi*, valida natio, originis Vindelicae, haec tenuere loca, ad ripam Danubii retrusi; qua de re alias vberius dictum. Marcomani, republica a Maroboduo instituta, diu floruere, tum in primis, cum Tabula conficeretur, iuncti Quadis, Dacis, et Sarmatis, M. Aurelio graues.

VANDVLI. sub Marcomanis; Vels. VANDVLI. Plinius: Germanorum genera quinque; Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones." (b) Tacito, *Vandalii*, ob iter nominati. (c) Dio Cassius, Albim *ἐκ τῶν Οὐανδαλικῶν ὀρῶν*, *ex Vandalicis montibus* deriuat. (d) Loco alio, Burros et Iazygas *τοῖς Βανδήλοις*, *Bandelis* iungit, (e) bello Marcomannico. Eutropius: Ingenti labore et moderatione cum apud Carnuntum iugi triennio perseuerasset, bellum Marcomannicum confecit; quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatae, Sueui, atque omnis barbaria commouerat." (f) Paraphrastes, *συνηττηθέντων*, *Μαρκομάννοις Κουάδων τε καὶ Οὐανδάλων, καὶ Σαρμάτων, καὶ Σουήβων.* Ex quibus adparet, bello, quod M. Aurelius aduersus Marcomannos gesserat, Vandalos, Tabulae Vandulos, Quadis et Iazygibus vicinos coluisse, queis Bauariae et Austriae borealis pars, inter Danubium et montes Bohemicos, olim Hercynios, adsignatur; vbi Ptolemaeus Baemos statuit, qui partim in Sarmatas, in Dacos partim abierint. Germani quippe non erant, neque Marcomanni, sed Sarmatae Dacis iuncti.

III. QVADI. LVTVGI. commistis vocum literis, in priore minio pictis; Vels. Q v a d i. L v t v g i a Boioduro vsque ad Vindobonae regionem. Gentis meminit Tacitus, quod sciam, primus; nam Plinio, quem Mannert excitat, tacentur. Neque illud hic recte, Quados ad Danubium et Tibiscum coluisse. Tacitus habet, Marcomannos, Tiberii iussu, Marum inter et Cusum locatos, dato rege Vannio, gentis Quadorum; (g) non dicit, Quados ibi esse locatos, qui, Tacito ipso teste, montana tenuere, ab exortu Marcomannis vicina. Rectius fortasse illud, *Coldulos* Strabonis esse Quados; neque enim Sueui huius nominis Tacito, aliisque innotuerunt. Apud geographum, gens *τῶν Κολδούλων*, *Coldulorum*, in MSS. *Κολδούων*, *Colduorum;* fuerit scriptum *Κουαδούων*, aut *Κυαδούων*, *Quaduorum;* nam *λ* et *α* in manu exaratis libris eamdem fere figuram obtinent. Quod si autem in Colduis *Βουΐασμον*, *Buiasmum*, regia Marobodui, erat, non possunt ii ad ripam Danubii, minus ad Tibiscum, referri. Sedem eorum Tacitus adcurate descripsit, Marcomanis ab exortu iungens. Bello Marcomannico in primis clari fuere, pluribus scriptorum memorati. Capitolinus,

(a) M. G. c. 28. 42. (b) L. IV. c. 28. (c) M. G. c. 2. (d) L. LV. c. 2. (e) L. LXXII. c. 2. (f) L. VIII. c. 6. Conf. Capitolin. in M. Aurel. (g) L. II. Annal. c. 63.

in M. Aurelio, ſcribit: (a) Pannonias, Marcomanis, Sarmatis, Vandalis, ſimul etiam Quadis extinctis, ſeruitio liberauit." Sed ii a Marco quidem extincti non erant. In Pecunia Antonini Pii legitur, REX QVADIS DATVS. vt populum validum fuiſſe arbitrere. Ioannes Seuerini, de hiſtoria patria praeclare meritus, putat eos a fabricis metallorum Sarmatico idiomate nuncupatos, coniectura non prorſus contemnenda.

Non ita celebres Iutungi; obſcurum quippe eſt nomen illorum, in Quadis forſan deliteſcens, ad poſteriores vſque Imperatores; niſi *Gotones* Taciti, et *Guttones* Plinii, vt quibusdam placet, in Iutungos transformari velis. Ammiano: *Iuthungi*, *Alamannorum pars*, *Italicis* (Rhaeticis) *contermini tractibus*. (b) D. Ambroſius, Iuthungos Rhaetiam foede vaſtaſſe refert, contra quos Gratianus Hunnos exciuerit. (c) In quadam epigraphe Dacica, Iulius Ianuarius, Aug. ſtrator, et armiger tribuni alae numeri IVTVNGALAN. *Iutungalanorum*, vti legi oportere putabamus; tam quam ii ex Iutungis et Alanis conſcripti fuerint; niſi erat ALAM. *Alamanorum;* nam epigramma rudi caractere, et iam fugiente exaratum erat. Hi cum Marcomanis forſan iſthuc acceſſere, ſedes Quadis vicinas, ad ripam Danubii, obtinentes. Mannerto, *Vithungi*, ex Aurelii Victoris Caeſaribus, (d) vbi non comparent. *Virtinguos* nouit Pollio in Claudio; (e) ſed Auſtrogothis iunctos, in exortum remotius, in Dacia.

BVR -- Velſ. DVR- literis minio pictis, poſtrema I deſiderata. BVRI ſcriptum fuiſſe, non dubitarim. Bertius vult *Hermunduri* legi; ſed nulla ſunt tot literarum extritarum veſtigia; et ii occidua Hercyniae iuga coluere. Tacitus Burios vocat: Nec minus valent retro Marſigni, Gothini, Oſi, Burii; terga Marcomanorum Quadorumque claudunt; e quibus Marſigni et Burii ſermone cultuque Sueuos referunt. Gothinos Gallica, Oſos Pannonica lingua coarguit, non eſſe Germanos." (f) Dioni Caſſio, Bello Marcomannico, *Βοῦῤῥοι*, *Burri*, Hernado recenti vicini; vt e phraſi ſcriptoris colligere licet. In marmore, apud Gruterum, quod in Vindelicis dedimus, Flauius Veturianus, mil. Leg. III Ital. reuerſus ab expeditione BVRICA. Ioui Statori ex voto poſuit. Qui ſi ſunt *Βόρανοι*, *Barani* Zoſimi, ſedes promouerint in exortum, vt Gallo Imp. Carpis, Gothisque vicini colerent. (g)

IV. Blaſtarni. Velſ. BLASTARNI rectius in montium adpellatione, Alpes Baſtarnicae. Velſ. Alpes Baſtarnice. ſcriptura minio picta. Antiquus et clarus Germanorum populus, in Mithridaticis memoratus; quin, ſi Appianum audias, iam in Delphicis Gallorum turbis eos reperies. Scribit enim, Autarieos, Illyricam gentem, qui ſe Gallis in ea expeditione, praedae cupidine, iunxerant, ira Apollinis exagitatos, domo migraſſe, et in paluſtri

(a) Cap. 17. (b) L XVII. c. 6. A. C. 358. (c) Epiſt. 27. (d) Cap. 33. (e) Cap. 6. (f) M. G. c. 13. (g) Zoſ. L. I. c. 27. 31.

desertaque Getarum regione, *παρὰ τὸ Βασταρνῶν ἔθνος*, *prope Bastarnas* consedisse." (a) E Strabone et Liuio discimus, eos Germanicae originis fuisse. Ptolemaeus, e Tabula, iugis montium Carpaticorum ab Dacis eos dirimunt; vnde sedes ipsorum innotescunt. Strabo cum Peucinis, sono vocis deceptus, ad ostia Istri minus recte Bastarnas deducit; mediterranea quippe coluere, vt Tabula cum Ptolemaeo clare ostendunt, et nos veterum auctoritate vsi, in geographia Daciae monstramus. Sunt etiam epigraphico regno cogniti; in monumento Plautii, quod in Moesia referimus, regibus BASTARNARVM filios remisit. In Gothos demum abisse gentem, olim opinati sumus. Et hactenus quidem de Germania, populisque Germanicis, e Tabula, dictum esto.

S E C T I O II

S A R M A T I A

§ I

Nuncupatio et fines.

I. PERQVAM antiquus est Sarmatarum populus, sed in Scythis olim delitescens, vt ex Stephano de vrbibus colligas: *Σαρμάται, Σαυρομάται, Σκυθικὸν ἔθνος*, *Sarmatae, Sauromatae, gens Scythica.* Sed ii quidem Scythae proprie dici nequeunt, si linguae ratio habeatur. Distinguit Sauromatas ab Scytharum populis Herodotus, qui eorum primus meminerit, Scythis ab occasu vicinos faciens. Quamquam is quidem Scythiam, in Darii expeditione, ampliori significatu accipit, Getis etiam, qui in ea regione autochthones sunt, eo nomine inclusis. Scylaci, ex quo Herodotus profecit, *Συρμάται ἔθνος*, *Syrmatae*, apud Maeotidem; post hanc vero *Σαυρομάται*, *Sauromatae*, qui a mulieribus reguntur. Strabo quoque Scytharum vocabulo Sarmatas complectitur: *Σαρμάται*, inquit, *καὶ οὗτοι Σκύθαι*, *Sarmatae, ipsi quoque Scythae;* quod longa dissertatione, pluribusque locis, Homerum Scythas nouisse probaturus, confirmare nititur. Cuius auctoritas id effecit, vt a iunioribus promiscue Scythae cum Sarmatis acciperentur; quos tamen secerni oportebat, vt opere de Istro monstrauimus.

(a) Illyricor. c. 1.

II. Ceterum, Sarmatae non Europae modo, verum et Aſiae partes tenuere, et hodie vſque illorum poſteri, partim vicini, partim mixti nationibus Scythicis, tenent. A plerisque vagos, in plauſtris degentes, crudeles, humanis carnibus veſcentes, deſcribi videas. Aduerſus horum opinationes Ephorum, veterem ſcriptorem, de iis, qui Europam incolunt, excitare libet. Ephorus, inquit Strabo, (a) quarto hiſtoriarum libro, qui inſcribitur Europa, partibus Europae ad Scythiam vſque explicando peragratis, ad finem ſcribit, *εἶναι τῶν τε ἄλλων Σκυθῶν καὶ τῶν Σαυροματῶν τοὺς βίους ἀνομοίους*, cum aliorum Scytharum, tum Sauromatarum, non vnum eſſe vitae inſtitutum. Quosdam enim eo immanitatis progredi, vt humanis etiam veſcantur carnibus; contra alios ab aliis etiam animantibus abſtinere. Atque alii quidem, ait, de crudelitate eorum verba faciunt, quod ſciunt, animos rerum atrocium ac terribilium narratione percelli; cum tamen in alteram partem neque quod dicatur, deſit, neque exempla. Itaque ipſe, inquit, de iis loquor, qui moribus vtuntur probiſſimis. Sunt enim quidam de vagis ſeu Nomadibus Scythis, qui equorum lacte veſcuntur, iuſtitia omnibus hominibus ſuperiores; quorum et Poetae meminerunt. Homerus enim Iouem ait reſpexiſſe ad Lactiuoros, Abiosque; his non eſt iuſtior vlla gens hominum. Et Heſiodus, in Poëmate, quod circuitum terrae inſcripſit, ait Phineum ab Harpyis abductum in terram eorum veniſſe, quibus pro domibus currus ſunt, viuere lacte ſuerunt. Subiicit deinde cauſſam, quod, cum exili vtantur victu, neque ſint quaeſtui dediti, ſed inuicem vitam degant iuſtam, omnia habentes communia, vxoresque adeo et liberos ac familias; cum aduerſus exteros inuicti ſint atque inexpugnabiles, quod nihil habeant, cuius cauſſa ſeruitutem ſuſtinere vellent.“ Haec Strabo ex Ephoro de Scytharum et Sauromatarum vitae ratione.

III. Noti ſunt etiam regno epigraphico; in monumento Plautii Siluani, in Moeſia relato, motum orientem SARMATAR. compreſſit. Plura id genus exempla in Dacia epigraphica legas. Strabonis aetate ea, quae ſupra Iſtrum et Dacos eſſent, maximam partem ignota erant; Ptolemaeus, qui ſingularem de his partibus relationem habuerit, Sarmatiam Europaeam a Viſtula protendit ad Tanaim, Europae finem; cuius exemplum ſequuntur geographi iuniores. Menſuras particulares, quia regionem non deſcribimus, heic recenſere neceſſum non putamus. Tabulam quippe ſecuti, ea, quae Romanis prouinciis a ſeptemtrione vicina fuerunt, deſcribere conſtituimus; vbi praeter populos, et pauca alia, ad geographiam ſpectantia, non videas aliud. Quod etymon vocis concernit, Graeci Sauromatas nuncupatos cenſent ex eo, quod *ὄματα τῶν σαφρῶν*, *lacertinos oculos* haberent; ſed tales non ſoli fuerunt Sarmatae. Mihi eorum praeplacet opinio, qui ab regum, queis parebant, imperio, dictos arbitrantur.

(a) L. VII. p. 302.

Ζὰϱ Paphlagonum, apud Strabonem, eſt סאר *Sar* linguae primigeniae, et Slauicorum hodie populorum *Tzar*, princeps. Inde *Sarmiz*, antiqua Dacorum regia, inde *Syrmus* Triballorum rex, *Sirmium* Pannoniae ciuitas, inde Sarmatae nuncupati; qua de re alias dictum vberius. Longitudo Sarmatiae in Europa, ab oſtio Viſtulae ad Volgae ſciſſionem MCCXC. latitudo ab Criu Metopo ad Lytarmin promontorium Samoiedarum, *Canda Noſs*, regione *Teeſka*, MDCCCCL. quae maior eſt longitudine, ſed inculta ad boream.

§ II

Montes, fluuii.

I. BINOS exhibet montes Tabula, vnum alpium Baſtarnicarum vocabulo, ex quo quaternos in Iſtrum, vnum in Pontum deriuat amnes; alterum ſine nomine, ex quo Tanaim deducit; quamquam in ea Sarmatiae plaga, vbi is fluuius oritur, nulli montes occurrunt.

ALPES BASTARNICE. Velſ. Alpes Baſtarnice. A Baſtarnis, veteri populo Germanico, qui olim iſthuc commigrarit, nuncupatae ſunt hae alpes, nulli praeterea veterum memoratae. Accepit autem Tabulae auctor hoc vocabulo omnem illum tractum montium, quos hodie Carpaticos vocamus, a finibus Germaniae ad Getas; vt e fluuiis, quos inde producit, cenſere licet; etſi Baſtarnae ortiuam modo iugorum partem, Dacis obiectam, vt Ptolemaeus quoque docuit, obtinerent. Coſmographus occiduam montium portionem, Sarmatas a Germanis dirimentem, *τὰ Σαϱματικὰ ὄϱη*, *Sarmaticos montes;* ad exortum Tibiſci, *Καϱπάτην*, *Carpatem*, adpellat; producto poſteriore vocabulo ad Axiacem fluuium, Baſtarnas et Carpianos a monte nuncupatos. Nouit praeterea montes, quibus cincta ſit Sarmatia, plures, vti ſunt, *ἥ τε Πεύκη ὄϱος, τὰ Αμάδοκα ὄϱη, τὸ Βούδινον ὄϱος, τὸ Αλαῦνον ὄϱος, τὰ Οὐενεδικὰ ὄϱη, τὰ Ρίπαια ὄϱη*, *Peuce*, *Amadoci*, *Budinus*, *Alaunus*, *Venedici*, *Ripaei.* Boryſthenem ex Budino, Tanaim e Ripaeis deriuat, qui nulli ſunt. De Carpate recentem acceperit famam; ceteros ex antiquorum placitis, nomine populorum inſignes, depromſit. Neque eo tempore, quo tabula primum conſcripta eſt, interiora Sarmatiae cognita fuerunt, cum Tanais ex monte, qui abeſt, prodire iubeatur. Peuce a Peucinis, qui prope Baſtarnas coluere, dictus, eſt pars alpium Baſtarnicarum auſtralis, vbi Strabo *Κωγαίωνον*, *Cogaeonum* montem et fluuium, Ammianus Caucalandenſem ſaltum nouere. Huic in boream iunguntur Amadoci, et Venedici, quae ſint iuga Carpaticorum borealia, ex quibus hinc Tyras, Prutus, Seretus, inde Viſtula, profluunt. Venedici Ptolemaei ſint Dionis Vandalici, iuncti Sarmaticis; ex quibus hinc Granus, Vagus, Moraua, inde Viſtula,

Odera, Albis, emergunt. Ripaeorum meminerunt plures; Carpatis, praeter Ptolemaeum, et alpium Baſtarnicarum, praeter Tabulam, nemo.

II. Amnes, quos heic ex alpibus Baſtarnicis deduci videas, in Dacia referemus; in Pontum deriuantur terni, Tyras, Hypanis, Boryſthenes; et in paludem Maeotidem Tanais. De poſtremis hoc dicemus loco, ceteros in Dacia relaturi. Ad fontem, latere laeuo, literis minio pictis, ſcribitur,

TANASIS. GALATIE. Velſ. Tanaſis. Galatie. latere dextro, flum̄. tanais qui diuidit Aſiam et Europam. Velſ. *Flum̄ Tanais qui diuidit Aſiam et Europam.* Totidem verbis Scylax: Pertingit a mari extero ſuper Tauricam vſque Maeotim paludem, *Συρμάται ἔθνος, καὶ ποταμὸς Τάναϊς ὁρίζει Ἀσίαν καὶ Εὐρώπην, gens Syrmatae, et fluuius Tanais Aſiam et Europam diuidit.* Eadem Periegeta refert: Europam ab Aſia disterminat *Τάναϊς*, Tanais ſeptemtrionem verſus." • Strabo, Europam a Columnis Herculis, *μέχρι τοῦ Τανάϊδος ποταμοῦ, vſque ad Tanaim fluuium* eſſe ait. Mela quoque, *ad Tanain Europen vocamus*, inquit. Ptolemaeus, etiam fontes fluminis nouit: Pars Sarmatiae orientalis terminatur *διὰ τῶν πηγῶν τοῦ Τανάϊδος ποταμοῦ, linea transeunte per fontes Tanaidis*, que habet gr. 64. 0. 63. 0. et 64. 0. 58. 0." Qui tabulas ad geographiam eius adornarunt, quatuor fontes diſtinctos fluminis exhibent, in Ripaeis omnes; cuius rei nulla ſunt in geographo veſtigia. Nouit is *τὴν ἐπιστροφὴν τοῦ Τανάϊδος ποταμοῦ, flexum Tanais fluuii*, ſub quo aras Alexandri, qui huc non penetrauit, locat; vbi fontem principem, contra Ptolemaei mentem, tabularum architecti ſtatuunt. Flexus quippe fluminis eſt ſub gr. lat. 57. fons auſtralis gr. 58. borealis 64. vltra quem ait terram incognitam eſſe. Plures Tanais fontes non indicat. Hi autem numeri ducunt ad fontem Volgae orientalem; nam exortus Tanais gr. lat. 55 non excedit. Strabonis aetate oſtia quidem fluminis duo LX ſtadiis ab ſe ſe diremta, fuiſſe cognita; ſuperiora vero non longe, idque frigoris cauſſa. (a) Neſcio autem, qui factum, vt Herodoti, qui Tanain *ἐκ λίμνης μεγάλης, e lacu magno*, fluere dicebat, auctoritate nemo ſeu Graecorum, ſiue Latinorum, vti voluerit. Hunc lacum auctor Tabulae particula Cap̄. Anis paludis. alteri fluuio admota, indicari voluerit; quamquam et ibi bene habet. Nam Hypanis quoque, Herodoto teſte, e lacu, *μήτηρ Ὑπάνιος* dicto, emergebat. Plinius: Tanain ipſum Scythae Silin vocant, Maeotin Temerinda, quod ſignificat matrem maris." (b) Alterum nomen Sarmaticum eſt, Gothicum alterum. Hodie lacui, ex quo Tanais oritur, *Ivan*, Bayero vade, (c) flumini *Tan* vel *Don*, eſt nuncupatio. De Maeotide palude, in quam ſe Tanais exonerat, ſequenti ſectione dicemus.

III. Cap̄. fl'. Nuſacus. Velſ. *Cap. fl'. Nuſacus.* Fonte Hypanim exhibet, oſtio Boryſthenem, Tauricae proximus. Prope oſtium, latere dextro,

(a) L. XI. p. 493. (b) L. VI. c. 7. (c) Scyth. ſit. p. 86.

notatur Sorices, quod postea examinabimus. Borysthenem heic designari, situs amnis ostendit. *Βορυσθένης*, *Borysthenes*, Herodoto teste, nulli, nisi Nilo, secundus, alueo purissimo fluit, sata iuxta se fecunda habens, salis copiam in ostio, et cete magna, quos antacaeos vocant, quem piscem adcolae fluminis torrent. Noscebatur Graecis a regione Gerrheo, quatuordecim dierum nauigatione a mari distante. Scymnus, apud Anonymum Peripli Ponti Euxini scriptorem, refert, flumen circiter XL dierum nauigatione ferri; superius nauigari non posse, neque transmitti, quod niues et gelu impedirent. Strabo, aetate sua, neque Tyrae, neque Hypanis, neque Borysthenis fontes esse visos, perhibet. (a) Herodotus de Borysthene: *Huius solius fluminis et Nili non possum fontes dicere*, inquit. (b) Mela Pomponius: Longe venit, ignotisque ortus e fontibus, quadraginta dierum iter alueo stringit." (c) Ptolemaeus tamen binos fontes, longissime ab se se distantes, indicat, vnum in monte Budino septemtrionalem, alterum australem apud Amadocam paludem; quamquam heic fontem non indicat aperte. Haec sit palus, ex qua Hypanim Herodotus deriuat, et auctor Tabulae flumen *Nusacum.* Quis autem hic fluuius sit, nemo veterum docuit. Habet Herodotus *Exampen*, alias *Amaxampen* riuum, Scythis dictum, qui *ἱερὰς ὁδοὺς*, *sacras vias*, notet, sitque Alazonum et Scytharum Aratorum terminus, a mari octingentis stadiis abscedens, Hypani immersus. Mela et Plinius *Axiacem*, Tyram inter et Borysthenem, norunt. Ptolemaeo, ὁ *Ἀξιάκης*, *Axiaces fluuius percurrit et ipse Sarmatiam, paullo supra Daciam.* Cellarius et Danuille putant *Teligol;* sed is minutus est, et in Dacia totus. Bayerus, riuum *Sinauda* interpretatur Exampen. Nusacus ab vtrisque diuersus videtur. *Dneper* seu *Dnieper*, medio aeuo Danapris, Ortelio *Nyeper*, surgit apud oppidum *Viazma*, gubernii *Smolensko*, vicinus Volgae recenti, ex paludibus orto, quem auctor Tabulae respexerit. Hic Danuilleo Borysthenes septemtrionalior, ad mentem Ptolemaei. Notus regno epigraphico; in monumento Plautii, apud Moesos relato, regem Scytharum, ab Cherronesi, quae est vltra BORVSTHENEM. obsidione submouit. Infra vrbem *Rohaczow* ingreditur ab occasu amnis Lituaniae *Berezyna*, quem Danuille Borysthenem meridionalem vocat, ortus apud homonymon oppidum. Supra *Kiow* vrbem, excipit Desnam cum Semo, qui ab exortu fluunt, amnes non ignobiles; et *Desna* quidem in septemtrione, Danapri vicinus, exurgit, recensque amnem *Albatow*, e lacu fluentem, excipit; qui, aliis vtrimque receptis, Danaprem postea augent. *Desna* iste cum Nusaco videtur cognationem habere. Vno quippe alueo, ob spatii angustias, plures in Tabula amnes deuehuntur; heic autem Borysthenes, cuius in *Berezyna* vestigia, omnino accipi debet. Qui hunc ab occasu excipiunt amnes, in Dacia referentur. Borysthenes Turcis *Osi* vocatur.

(a) L. II. p. 107. (b) L. IV. c. 53. (c) L. II. c. 1.

§ III

Populi Sarmatiae.

I. AEVO Herodoti haec ad Pontum regio Sarmatis tenebatur et Scythis; horum erant Aratores, Neuri, Nomades, Regii. Tabula Scythas in Europa non habet, ſed Getas, Dacos, Sarmatas, vetuſtiſſimos patriae colonos. Scythae quippe, demtis Cimmeriis, e quibus Baſtarnae orti, aduenae fuerunt; vt ex Herodoto intellexeris. Sarmatas, vt in Tabula comparent, adducemus.

SARMATE. VAGI. Velſ. SARMATE VAGI. ex aduerſo Pannoniae inferioris, ab Aquinci regione ad Taurunum. Germanis Sarmatas Getasque iungit Periegetes: *Γέρμανοι, Σαμάται τε, Γέται, θ' ἅμα Βάσταρναι τε.* Priſcianus: *Germani truces, et Sarmata bellax, atque Getae, nec non Baſternae.* Strabo, Germanis Dacos iungit; quod Caeſar quoque, Danubium nominans, facit. Primus eſt Plinius, cui *Iazyges Sarmatae*, Danubium inter et Hercynium ſaltum, ad amnem Marum, plana colentes, Dacis montana tenentibus, ad Pathiſſum fluuium, memorantur. Quando primum Sarmatae in haec Dacorum loca irruerint, diſputamus opere de Iſtro, et in geographia Daciae. Neque tamen Daci vniuerſi his Morauiae et Hungariae ſuperioris finibus exacti fuere; vt lingua, a Bohemica dialecto Polonicaque non mimimum abſcedens, manifeſto oſtendit. Ptolemaeus Iazyges Metanaſtas, ſeu vagos, vt Tabula effert, nuncupat, *Ἰάζυγας μετανάστας.* Caſſius Dio *Ἰάζυγας*, *Iazyges* modo; neuter Sarmatas; quod tamen vocabulum iunioribus frequens vſurpatur. Iazyges nouit Strabo, Naſo, alii, ſed apud Maeotim paludem; quare nonnulli eo opinionis venere, vt noſtros Iazygas inde arceſſerent. Sarmatae, populis Germanicis a borea et occaſu impreſſionem facientibus, praeſertim circa Marobodui tempora, e vicinis Bohemiae, Morauiae, Sileſiaeque agris propius Danubium acceſſere, vlteriora tenentibus Dacis, quorum vſque hodie ſparſae coloniae iis ſuperant locis. Sarmatas hos, cum veſte patria, armis, et pugnandi modo, in columna Traiani ſpectare licet; a quibus Daci non minimum diſtinguuntur. Recte autem Ptolemaeo *μετανάσται*, id eſt, *exules*, patria pulſi, Tabulae *vagi*, dicuntur; ſed minus recte ab coſmographo omnibus Tibiſcum inter et Danubium incolentibus ea nuncupatio tribuitur. Rectius Dio *Iazygas*, a linguae dialecto, adpellauit, Sarmatico vocabulo non adhibito; tametſi enim lingua conuenirent, ſedium tamen priſcarum, vitae, et dialecti ratione diſtinguebantur. Proinde Tabula, aut militari vſu hos Tibiſcum inter et Danubium colentes Sarmatas vagos nuncupat, ad Dacorum, qui prouinciae formam tenebant, diuerſitatem; aut aduenas modo in tractibus montanis intelligit.

II. SOLITVDINES. SARMATARVM. literis minio pictis. Velſ. Solitudines Sarmatarum. ab Tauruni regione ad Viminatium. Ager hic expedi-

tionibus bellicis, quibus Romani, in primis Traiano Imp. Dacos petebant, non minimum afflictus erat, incolis in tutiora ſe ſe recipientibus, qui libertatem ſeruituti praetulerant. Quamquam nobiliores, clementiam Romanorum experti, in agris auitis vlt[illegible] perſtiterant, columna Traiana perſpicue indicante; apud quos deinde colonia ipſa, municipium Tibiſcum, conſtituta fuerunt. Sub M. Aurelio, cum Tabula conficeretur, hi circa Tibiſcum et Danubium agri adhuc deſolati fuerint, vt ſolitudines dici poſſent. Sarmatae, vt monebamus, vſu militari dicuntur, vt a Dacis, in prouinciam redactis, diſtinguerentur. Poſtea, agro colonis inſtructo, haec quoque terrae portio in Daciae nomen conceſſit.

AMAXOBII SARMATE. Velſ. AMAXOBII SARMATE. Straboni, *Ἁμαξικοὶ*, *Hamaxici*, ad Tanaim, Maeotidem, et Boryſthenem. (a) Plinius, ab oſtiis Danubii: Ab eo in plenum quidem omnes Scytharum ſunt gentes; varie tamen litori adpoſita tenuere, alias Getae, Daci Romanis dicti; alias Sarmatae, eorumque Hamaxobii aut Aorſi; alias Scythae degeneres a ſeruis orti, aut Troglodytae.“ (b) Ptolemaeus: Tenent Sarmatiam gentes maximae; Venedi per totum ſinum Venedicum; et ſuper Daciam Peucini et Baſtarnae; et per totum Maeotidis latus Iazyges et Roxolani; et qui interiores ſunt iis, Hamaxobii.“ Hoc illis epitheton datum, quod in plauſtris vitam agerent, quales Scythae a pleriſque veterum deſcribuntur. Sarmatae Hamaxobii Tabulae ſupra Daciam colebant partes Poloniae.

III. LVPIONES SARMATE. Velſ. Lupiones Sarmate. De his Tacitus haec ſingularia narrat: Vltra montium iugum, quod Sueuiam dirimit, plurimae gentes agunt; ex quibus latiſſime patet Lygiorum nomen, in plures ciuitates diffuſum. Valentiſſimas nominaſſe ſufficiet, Arios, Helueconas, Manimos, Elyſios, Naharualos. Apud Naharualos antiquae religionis lucus oſtenditur. Praeſidet ſacerdos muliebri ornatu; ſed deos, interpretatione Romana, Caſtorem Pollucemque memorant. (c) Ea vis numini; nomen Alcis. (d) Nulla ſimulacra, nullum peregrinae ſuperſtitionis veſtigium; vt fratres tamen, et iuuenes venerantur.“ (e) Strabo Luios nuncupat, Bohemiae et Sileſiae incolas, haec de Maroboduo narrans: Praeter Marcomanos ſubiecit ſibi etiam *Λουΐους*, (*Λουγίους* recte putat Caſaubonus) *τὸ μέγα ἔθνος, καὶ Ζούμους, καὶ Βούτονας, καὶ Μουγιλῶνας, καὶ Σιβινοὺς, καὶ τῶν Σουήβων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας*, Lugios, magnam gentem, item Zumos, Butones, Mugilones, Sibinos, et de ipſis Sueuis magnam nationem Semnonas.“ (f) Ptolemaeo Eraſmi, *Λίγγαι*, *Lingae*, *Λοῦτοι*, *Luti*, *οἱ Ὀμανοὶ*, *qui Omani*, Butuntae, ſub his *Λογγιδιδοῦνοι*, *Longididuni*, forſan *Λοῦγοι Διδοῦνοι*, *Lugi Diduni*, vſque Aſciburgium montem, *Ἴλιγγαι*, *Ilingae*, pro *οἱ Λοῦγοι* aut *Λοῦγαι*. Schotti edito, *Σίλιγγαι*, *Λούγιοι*

(a) L. II. p. 126. (b) L. IV. c. 25. (c) *Bratuceda*, Illyriis. (d) *Ialci*, iuuenes. (e) M. G. c. 13. (f) L VII. p. 290..

Ὀμανοὶ, Λοῦγοι Διδούνιοι. Italo, *Linci*, *Luti Omani*, *Lugi Diduni.* Ex Strabone porro, et non obſcure e Tacito, intelligere licet, Lugios a Sueuorum gente fuiſſe diuerſos; quod etiam ſacra, mores, et inſtituta monſtrant, et Tabula aperte Sarmatas nuncupat. *Lugi* apud Pannonios, populum, homines, multitudinem ſignificant; ſingulari autem *Lug*, lucum, ſaltum, quod ex Latino promanaſſe videtur. Quid autem, fortaſſe quispiam quaerat, Sarmatici populi in Germanis? Quod Germanici, inquam, vt Baſtarnae, in mediis Sarmatis, Dacisque, et Oſi Pannoniorum in vtrisque. Libertas mutandi ſedes, bella ingruentia, aliaque rerum adiuncta id facere poterant, vt vicina peterent rura; quamquam in Bohemiae et Sileſiae agris Sarmatae domi ſuae fuere ſemper. Puto autem in Tabula LVDIONES olim fuiſſe ſcriptos.

IV. VENADI SARMATAE. Velſ. VENADI SARMATAE. Plinius, Eninga inſula, Oceani borealis, memorata, *Quidam*, inquit, *haec habitari ad Viſtulam vſque fluuium, a Sarmatis, Venedis, Sciris, Hirris, tradunt.* (a) Tacito, *Venedi*, quos, vtrum Germanis, an Sarmatis adcenſeat, ambiguus haeret; in eam tamen propendet opinionem, vt ad Germanos referri putet; quia et domos figunt, et ſcuta geſtant, et peditum vſu ac pernicitate gaudent; quae omnia diuerſa Sarmatis ſunt, in pluſtro equoque viuentibus.“ (b) At non omnes Sarmatae Hamaxobii erant, quales Venedi, eorumque vicini, longo ſeculorum tractu Germanorum conſuetudine vſi. Ptolemaeus: *Κατέχει δὲ τὴν Σαρματίαν ἔθνη μέγιστα. οἵ τε Οὐενέδαι, παρ᾽ ὅλον τὸν Οὐενεδικὸν κόλπον, καὶ ὑπὲρ τὴν Δακίαν Πευκῖνοι τε καὶ Βαστάρναι, καὶ παρ᾽ ὅλην τὴν πλευρὰν τῆς Μαιώτιδος, Ἰάζυγες, καὶ Ῥαξολᾶνοι, καὶ ἐνδετέρω τούτων οἵ τε Ἀμαξόβιοι.* Tenent autem Sarmatiam gentes maximae: Venedae per totum ſinum Venedicum, et ſupra Daciam Peucini et Baſtarnae; et per totum latus Maeotidis, Iazyges et Roxolani, et interiores iis Amaxobii.“ Paullo deinde: *Παρὰ μὲν τὸν Οὐϊστούλαν ποταμὸν, ὑπὸ τοὺς Οὐενέδας, Γύθωνες, Iuxta fluuium autem Viſtulam, infra Venedas, ſunt Gythones.* Hi Tacito Gotones, Plinio Guttones, de quibus in Iutungis dictum. Ex his colligas, Venedorum ſeu Venedarum ſedes proprie ad Viſtulam fuiſſe, ab ſinu cognomine vſque ad *τὰ Οὐενεδικὰ ὄρη, montes Venedicos*, quorum pars Sarmatici erant, protentas. Pars eorum apud Getas conſederat, vt mox videbimus. His prorſus regionibus a Iornande quoque, ſeculi VI ſcriptore, ſed qui aetatem Ermanarici ibi reſpexerit, memorantur.

VENEDI. literis minio pictis; Velſ. V e n e d i. prope Iſtri oſtia, in agris Getarum, hodie Beſſarabia. Qui heic Venedorum meminiſſet, praeter Iornandem, ſcriptorem Gothum, neminem praeterea nouimus. Et ei quidem nunc *Vinidae*, nunc *Veneti* audiunt, vnius quidem linguae, ſed diuerſae propaginis, diuerſarumque ſedium populi, quos omnes Ermanarici imperio ſeruiſſe ait;

(a) L. IV. c. 27. (b) M. G. c. 46.

cuius dominatio ad Venetos quidem non pertinebat, neque ad Viſtulae adcolas. Ita vero ipſe, Gepidis ad Tibiſcum memoratis: Iuxta quorum, inquit, ſiniſtrum latus, quod in aquilonem vergit, et ab ortu Viſtulae fluminis per immenſa ſpatia venit, Vinidarum natio populoſa conſedit; quorum nomina licet nunc per varias familias et loca mutentur, principaliter tamen Sclauini et Antes nominantur. Sclauini a ciuitate Noua, et Sclauinorum Vnenſe, et lacu, qui adpellatur Muſianus, vſque ad Danaſtrum, et in boream Viſcla tenus commorantur. Hi paludes ſiluasque pro ciuitatibus habent. Antes vero, qui ſunt eorum fortiſſimi, qui ad Ponticum mare curuantur, a Danaſtro extenduntur vſque ad Danabrum." Alii, vſque ad Danubium, legunt. Tabula hoc loco Sarmatas non habet, ſed Venedos dumtaxat, Getis, Dacisque mixtos, quae ſunt reliquiae Sarmatarum, olim iam Geticis populis cohabitantium. Hi poſtea in *Slauos*, vt Iornandes et Procopius perhibent, abiere; quod vocabulum eſt iis domeſticum, et longe antiquius, quam vulgo exiſtimetur; *Venedi* adſcititium.

V. ROXVLANI. SARMATE. ſcriptura miniata; Velſ. ROXVLANI. SARMATE. Hypanim inter et Boryſthenem recentes. Strabo, *Ρωξολανοὶ*, *Roxolani maxime ſeptemtrionales, qui campos inter Tanain et Boryſthenem incolunt.* (a) Addit, Roxolanos contra Mithridatis Eupatoris legatos pugnaſſe, L millia in exercitu numerantes. Vtuntur galeis de crudis boum tergoribus, ac thoracibus, peltas gerunt cratibus contextas; arma iis haſta, gladius, arcus. Eorum ſimiles ſunt et reliqui plerique. Plinio, apud Tanaim, Alani et *Rhoxolani;* aliis *Rhoxalani.* (b) Ptolemaeo: *Μεταξὺ δὲ Βαστέρνων καὶ Ρωξολάνων, Χοῦνοι, Inter Baſternos et Roxolanos Chuni.* Et paullo ante, inter Amaxobios et Roxolanos, *Ρακαλάνοι*, *Racalani*, forſan *Recalani;* quos *Alaunos*, *Ἀλαυνοὺς*, ſeorſim nuncupat. Sunt etiam regno epigraphico noti; in monumento Plautii Siluani, quod in Moeſia retulimus, regibus Baſtarnarum et RHOXOLANORVM filios bello captos remiſit. Polae, in Iſtria, marmor erat, in quo P. Aelius Raſparaſanus, ROXOLANORVM rex legitur. Dudum viri docti obſeruarunt, vocem ex *Roſſis* et *Alanis* eſſe conflatam. Racalani erunt fortaſſe *Ρεκαλάνοι*, *Recalani*, adcolae fluminum; *Reka* enim, patria nuncupatione, non Roſſis modo, ſed Thracibus etiam Illyriisque fluuius audit. Alani autem ſunt adcolae montium, quos Tabula, popularem ſecuta expreſſionem, *Roxulanos* adpellat; cui autem *Vlani* hodie ſunt ignoti? Et hactenus quidem de Sarmatia in Europa dictum eſto.

(a) L. VII. p. 306. (b) L. IV. c. 25.

SECTIO III

TAVRICA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. CHERRONESVM, quae ab Scythis Tauris poſtea nomen accepit, autochthones olim tenuere Cimmerii, quos heic pater Poetarum nouit Homerus. Ii ab Scythis Olymp. xxxv an. 2 vi exacti, pars in occaſum, Carpatem verſus, in tutiora ſe receperunt, pars petiuere Aſiam, pars reſtitere domi, aduenae gentis iugum ferentes. Manſit memoria populi in Cimmerio Bosporo, quem ii matrem maris, *Temerinda*, Plinio teſte, nuncupabant, non Maeotim paludem, ſed Bosporum intelligentes. (a) Poſtea, nomine Scytharum, ſedes repetiuere, auctique coloniis popularibus, in magnam excreuere gentem, quos poſteri Gothos adpellarunt. Praeter Cherroneſum, de qua agimus, tenuerint ea, quae Scythae iis victis occuparant, inter Tanaim et Boryſthenem, a fontibus inde ad oſtia. Nam vltra Boryſthenem habebant Getae ad Iſtrum vſque; quae pars nonniſi improprie Scythia dicitur, peruulgato gentis, bellica virtute pollentis, nomine. Libet de hoc audire Strabonem: (b) Magna Cherroneſus Peloponneſo et forma et magnitudine reſpondet. Bosporani reguli eam tenent, totam continentibus bellis attritam. Ante Bosporanorum tyranni paruam obtinuerunt regionem, quae eſt ad Maeotidis fauces, et Panticapaeum, vſque ad Theodoſiam; maximam vſque ad iſthmum et ſinum Carcinitem, *Σκυθικὸν ἔθνος Ταῦροι, Scythica gens Tauri;* ac tota illa regio, et fere quidquid extra iſthmum ad Boryſthenem vſque eſt, nuncupatur *μικρὰ Σκυθία, parua Scythia.* Ob multitudinem autem illorum, qui verſus nos, Tyra et Iſtro traiectis incolunt, portio terrae non exigua (cis Iſtrum) nomen Scythiae paruae accepit; Thracibus partim quia reſiſtendo non erant, concedentibus, partim ob ſoli incommoditatem, quod maiori ex parte paluſtre eſt. At Cherroneſi, exceptis montanis, quae iuxta mare ſunt ad Theodoſiam vſque, reliqua omnia plana ſunt, et vberis glebae, ac praecipue frumentum copioſe profertur; nam ager ibi, quocumque foſſore ſciſſus, trigecuplum, *τριάκοντα γοῦν ἀποδίδωσι*, reddit.“ Haec Strabo de Cherroneſo; queis plura de redditibus, fertilitate, opibus, viribusque, non iniucunda atque inutilia lectu, adiungit.

(a) *The-meer-enge.* (b) L. VII. p. 310.

II. In Tabula, extra Cherroneſum, notatur SAVRICA. literis miniatis, latere Tanais laeuo; Velſ. Saurica. Intra Cherroneſum autem, BOS. FORANI. caractere miniato; Velſ. Bosforani. *Ταῦροι*, *Tauri*, et *Ταυρικὴ*, *Taurica*, Scylaci memorantur: In Scythia, inquit, Taurorum gens habitat peninſulam continentis; in mare autem excurrit haec peninſula. *Ἐν δὲ τῇ Ταυρικῇ οἰκοῦσιν Ἕλληνες*, *Tauricam incolunt Graeci;* praeter Scythas nimirum, qui mediterranea tenebant. Tempore, quo Darius petebat Scythas, Cherroneſum incoluerunt Turi et Scythae regii, illi ab occaſu, hi ab exortu, vt Herodotus, et ex eo Bayerus, tradidere. Paullo deinde, ait Scylax: In paludem Maeotidem nauiganti, ſiniſtram verſus quam primum obuii fiunt Scythae; pertingit enim a mari extero ſuper Tauricam vſque Maeotim paludem *Συρμάται ἔθνος*, *Syrmatae gens*, et fluuius Tanais Aſiam et Europam diuidit.“ Peninſula proinde, Cherroneſus, Latinis Cherſoneſus *Taurica*, *Scythica;* incolae Scythae, *Tauroſcythae*, et Graeci. Nonnumquam ſolum epitheton, *Taurica*, inſtar ſubſtantiui, vſurpatur. Plinius confuſam habuit regionis huius ideam, cum Scythiam Sendicam cum Taurica permiſcet, monens: Quidam Panticapen confluere infra Olbiam cum Boryſthene tradunt; diligentiores Hypanin; tanto errore eorum, qui illum in Aſiae parte prodidere.“ Neque Ptolemaeo omnia erant liquida, vt qui Hypanim a Boryſthene in exortum remouet, diſtincto alueo mari immiſſum. Tabula ſupra Cherroneſum *Tauricam* ponit, vt Scytharum ditionem eo pertinere oſtenderet; intra peninſulam *Bosporanos* locat, ad Bospori Cimmerii nomen in memoriam reuocandum. In marmore Puteolano, apud Dacas relato, Tib. Claudius Ilus, praef. coh. II. BOSPHORANORVM. Hodie peninſula *Crimea*, *Krim*, regio Boryſthenem inter et Maeotidem Tataria Nogaienſis, *Nogay*, alias *Tataria minor*, adpellatur; perperam *Tartari*, *Tartaria*, tam quam ex orco prodiſſent.

III. Dicebat Strabo, Tauricam Peloponneſo parem, tam figura, quam magnitudine; neque longe a vero abeſt. Quamquam Peloponneſus folii querni, Taurica rhombi figuram, exhibeant. Haec a Parthenio promontorio ad Panticapaeum longa eſt mill. geogr. triginta vnum, ſeu M. P. CLV. lata a promontorio Criumetopo ad intima Byces mill. geogr. viginti quinque, ſeu M. P. CXXV. Peloponneſus longa, a Pylo ad promontorium Maleam mill. geogr. viginti ſex, M. P. CXXX. lata, a promontorio Taenaro ad oppidum Rhium mill. geogr. viginti quinque, M. P. CXXV. Plinii menſurae ſunt iuſto maiores. Sic, dum per Maeotin, inquit ab extremo iſthmo, qui locus Taphrae vocatur, ad os Bospori CCLX M. paſſuum longitudo colligitur; vbi flexibus etiam per lacum Precopienſem factis, CLX ſufficerent. Ab oſtio Maeotidis ad Tanais oſtium, directo curſu, CCCLXXXV M. P. eſſe conſtat, inquit; vbi CCXXV. cum Bosporo ipſo CCL. numerantur in tabulis recentioribus; nam Danuilleanae ſunt antiquorum placitis plerumque adcommodatae.

§ II

Lacus, *Bosporus*, *fossae*.

I. LACVS MEOTIDIS. caractere atro; Vell. LACVS MEOTIDIS. in vndis ipsis; apud Scheibium altera prioris vocis litera, membrana lacerata, et postremae sequentis, sunt vitiatae. In quadam inscriptione, ad fontes Nili, haec ponuntur: *Hi montes subiacent* Lacui simili meotidi. *per quam Nilus transit*; qua de re in Aegypto disseruimus. Antiquis, *Μαιώτιδος λίμνης*, *Maeotidis lacus* nomine venit. Herodotus, *τὴν Μαιῆτιν λίμνην*, *Maeetin* paludem vocat; Scylax: A Panticapaeo ad os Maeotidis paludis sunt stadia XX. *ἡ δὲ Μαιῶτις λίμνη λέγεται ἥμισυ εἶναι τοῦ Πόντου*, *palus vero Maeotis dicitur dimidia pars Ponti esse*. Et talem fere Ptolemaeus formauit. Strabo, circuitum VIII mill. stad. ait proditum esse; Plinius: Lacus ipse Maeotis, Tanain amnem ex Riphaeis montibus defluentem accipiens, nouissimum inter Europam Asiamque finem, XIV. VI. circuitu patere traditur; ab aliis XI. XXV. M. Ab ostio eius ad Tanais ostium directo cursu CCCLXXXV. M. pass. esse constat.“ Falsa fuit haec de paludis magnitudine relatio; omni quippe ambitu suo, factis etiam diuerticulis, complectitur mill. geogr. centum sexaginta, seu M. P. DCCC. Et latere quidem occiduo, ab ostio Tanais ad os Maeotidis, sunt mill. geogr. 90. orientali 70. ab occiduo Tanais ostio ad Maeotidis os recto cursu sunt quadraginta quinque mill. geogr. seu M. P. CCXXV. Longitudo maxima ab ostio Tanais occiduo ad oppidum *Arabat*, mill. geogr. quinquaginta tria; latitudo, ab ostio *Kartinaja Berda* Europae, ad *Angali* Asiae amnium, mill. geogr. sexdecim, ibi M. P. CCLIII. heic LXXX. Respectu Ponti Euxini, vix sextam efficit partem; hodie Russis *Azofskoe More*, mare Azofense, ab vrbe, ostio Tanais orientali adsita, Tataris *Zabache*, *Zabatse*, vocatur.

Est in Tabula quidam lacus, supra Heniochos, vbi sal per se conficitur; qui forsan Strabonis erit, supra Eupatoriam. Sed pluribus locis salsae id genus aquae erant, vt hodie supra Theodosiam, ad vicum *Tusla*, cognominis lacus. De lacu, qui in Tabula exprimitur, sermo in Asia recurret.

II. Bosporus, qui Maeotidem Euxino iungit, Cimmerius vocatur. Polybius latitudinem eius stadia plus minus XXX. longitudinem LX. esse perhibet. (a) Strabo: *Τὸ δὲ στόμα τῆς Μαιώτιδος καλεῖται μὲν Κιμμερικὸς Βόσπορος*, *Maeotidis ostium vocatur Cimmericus Bosporus*, et maiore amplitudine incipiens, LXX circiter stadiorum, qui a Panticapaeo vicinis locis in proximam Asiae vrbem Phanagoream est traiectus, in longe arctius fretum definit. Diuidit autem

---

(a) L. IV. c. 39.

Europam ab Asia fretum hoc, et Tanais fluuius, qui e regione eius a septemtrione in Maeotidem defertur, et in ostium eius." Paullo inferius: Nauiganti in Bosporum Cimmerium, ad sinistram est Myrmecium oppidum, ad xx a Panticapaeo stadia; duplo huius interualli a Myrmecico abest vicus Parthenium, vbi fretum est angustissimum, circiter xx stadiorum; eique opponitur in Asia vicus, Achilleum nomine." (a) Plinius, quodam loco: *Cimmerius Bosporus, id os vocatur*, MMD *passu latitudine.* (b) Alio vero: In ipso Bospori introitu. Panticapaeum Milesiorum, a Theodosia LXXXVII M. pass. a Cimmerio vero oppido, trans fretum sito, MMD. vt diximus, pass. Haec ibi latitudo Asiam ab Europa separat, eaque ipsa pedibus plerumque peruia glaciato freto. Bospori Cimmerii latitudo XII M. D. pass. Oppida habet Hermissum, Myrmecium; intus insulam Alopecen. Per Maeotin autem ab extremo isthmo, qui locus Taphrae vocatur, ad os Bospori CCLX M. pass. longitudo colligitur." (c) Plinium, ob diuersam Bospori mensuram interpretes varie habebant; alii XII M. P. longitudinem cum Pintiano; alii non fretum, sed continentem, freto vicinam, accipi debere cum Harduino contendentes. At vero Plinius idem, quod Strabo, dixit; nisi quidpiam deesse velis, nimirum *vbi* particulam, vt sensus sit: vbi Bospori Cimmerii latitudo XII M. P. est, Cherronesus oppida habet, Hermissum, Myrmecium. Hoc in Crimea est *Kerts* oppidum, cui vrbs *Taman* in Asia opponitur; inter haec bina loca fretum est duorum mill. geogr. et duarum quintarum. Ad ingressum freti, supra oppidum *Kalati*, est, vt Strabo dicebat, stad. LXX. seu M. P. VIII et semis. Vbi Maeotidem excipit, M. P. II et semis, seu, vt Strabo ait, stad. XX. quae mensura est adcurata. Illa vero, a Taphris ad os Bospori CCLX M. P. est iusto amplior. Nam per Bycen (*Genicz*) paludem factis flexibus, ad *Kalati* oppidum non amplius octo et triginta mill. geogr. seu M. P. CXC. numerantur. Tabula *Bosporanos* in peninsula habet, quos in populis quoque referemus; Maeotidem autem per tenuem alueum deriuat in lacum quempiam, cuius nomen apud Scheibium est extritum, apud Velserum *Lac*. *Dor*. audit, ex quo amnis emergens in mare apud Albanos exit, qui *Kuban* videatur; nullo Maeotidis cum Euxino nexu signato, oscitantia aut ignorantia scribarum. Sane Bosporani a Bosporo nomen accepere, quem isthic necessario exprimi oportebat. Hodie alii ab oppido *Kaffa*, alii ab *Ieni-kale*, nuncupant; Tatari *Zabache-bogazy*.

III. Fossa facta p seruos scuta-vor. Vels. Fossa facta p seruos scutar. sine *Scytarum* seu *Scytharum* legeris. Herodotus scribit fossam a vernis Scytharum, a montibus Taurorum ad lacum Maeotidem fuisse ductam. Fossae cuiuspiam et Plinius meminit, oppido Cercine nominato: A tergo lacus Buges fossa emissus in mare; ipse Buges a Coreto, Maeotis lacus sinu, petroso

(a) L. VII. p. 310. (b) L. IV. c. 24. (c) Ib. c. 26.

discluditur dorſo; recipit amnes, Bugem, Gerrhum, Hypanin, ex aduerſo venientes tractu. Nam Gerrhus Baſilidas et Nomadas ſeparat; Hypanis per Nomadas et Hylaeos fluit manu facto alueo in Bugem, naturali in Coretum.“ (a) Doctiſſimus Bayerus, locum Plinii eſſe corruptum ait; quem ipſe, cum vniuerſum ad Europam, et agrum Precopenſem trahit, magis impeditum facit. (b) Continuo quippe Plinius: *Regio Scythia Sendica nominatur.* Atqui haec in Aſia erat. Lacus Buges, Ptolemaeo *Βόυκη λίμνη*, *Buce palus*, Flacco *Byces*, Melae *Buces*, foſſa emiſſus in mare, bene habet, iſthuc forſan referendus; at Coretus, Maeotidis ſinus, petroſo diſcluſus dorſo, huc pertinere nequit. Nulli enim heic montes, quos in Cherroneſo interiore, in parte Aſiae videmus. Proinde Plinius, qui paullo ante reprehenderat eos, qui Hypanim in Aſia ponerent, heic vtrorumque opiniones ſecutus, ſitum amnium turbauit. Sunt praeterea aluei in Aſia, *Kara-Kuban* dicti, veſtigia, qui manu factus videatur; quo Hypanis quidem et Coretus quadrent, non item Buges; niſi geminum, vt Hypanem, eſſe velis. Erat foſſa a lacu Byce, hodie *Gniloe more*, putre mare, ad Ponti ſinum Cercinitem, quem *Kalantza* amnis influit, ductu breuiſſimo, cuius et hodie veſtigia ſuperant, non a fluuio quopiam ad fluuium alterum, ſed a lacu ad mare percuſſa. Flumina vero alueis manu factis commiſſa in parte Aſiae occurrunt, vt ſuo dicemus loco. Conſtantinus Porphyrogenneta nouit foſſam, quae olim Cherſonis regionem a Climatibus et regione Boſpori ſecluſerit, interuallo circiter M. milliar. decurſu temporis terra obruta, et in denſam ſiluam conuerſa; duabus modo viis per eam ducentibus, vna Cherſonem et ad Climata, altera ad Boſporum. Huc ſpectent, quae Strabo de Cherroneſiis narrat: Quod ſtipendia non ſoluunt alteri, faciunt viribus ſuis conſiſi, quia aut propulſare aduentantes, aut etiam aditu arcere ſe poſſe ſentiunt; id quod Aſandrum feciſſe ſcribit Hypſicrates, qui iſthmum peninſulae ad Maeotidem, CCCLX ſtadia longum, muro ducto munierit, denis turribus in ſingula ſtadia conſtitutis.“ (c) Murum hunc inter oppidum *Shungar* et *Salgier* fluuium eſſe oportebat, vt XLV M. P. ab Cercinite ſinu ad Maeotidem longus decurreret. Danuille, in Atlante maiori tab. V. a Weigelianis Norimbergae peſſime repreſſa, *Aſandri muri*, infra aeſtuarium maris mortui, oppido *Baltsik* imminens, ducit ad ſinum maris putridi, *Gniloe more*, ſupra *Katai* oppidum, XXXV M. P. interuallo. Iſthmi quippe ad *Perekop* anguſtiae dimidium mill. geogr. non excedunt; Strabo dicebat ſtadia XL ſeu V M. P. patere. Loco alio, idem aggeris et foſſae apud Cimmerium vrbem meminit, de Aſia locutus: *τὸ δὲ Κιμμερικὸν, πόλις ἦν πρότερον ἐπὶ χεῤῥονήσου ὑδρουμένη, τὸν ἰσθμὸν τάφρῳ καὶ χώματι κλείουσα*, *Cimmericum vrbs fuit quondam in peninſula ſita, iſthmum foſſa et aggere claudens.* (d) Et paullo inferius, de alueo *Kuban*, in Aſia: Pharnacem ferunt, Hypanin fluuium expurgata quadam veteri

(a) L. IV. c. 26. (b) Scyth. ſit. p. 84. (c) L. VII. p. 311. (d) L. XI. p. 491.

fossa Dandariis induxisse, agrumque eorum proluisse." Ab his fossis diuersa videtur ea, quam Herodotus memorat. Ait quippe, fossam ab Scythis, a Taurorum montibus ad Maeotim fuisse ductam. Vnde Mannert, paruam peninsulam *Kerts* hac fossa a maiori fuisse diremtam, inquit. Pars haec orientalis Cherronesi audit historiographo *Χερσόνησος τρηχέη*, *Chersonesus aspera.* Sed potest Herodotus cum Strabone conciliari, si fossam hanc superius a mari mortuo ad putre, supra Taurorum montes, ductam intelligamus. Quamquam plures ea regione fossae olim duci potuere; et Strabo, portu Theodosiae memorato, addit: *Hic olim limes fuit Bosporanorum et Taurorum;* vt Herodoti fossa ab *Kaffa* ad *Arabat* percussa fuisse videatur, qua Bosporani ab Tauris dirimi possent. Idem Mannert opinatur, fossam *Prekop* esse operis recentioris; (a) mihi autem, Plinii phrasin cum Tabula conferenti, videtur aeque antiquum, immo ceteris antiquius, ad angustum illud spatium, quod isthmus occupat, muniendum, institutum; cuius opinionis, quamquam ratione diuersa, doctissimus quoque Bayerus erat.

§ III

Populi Tauricae.

I. PLINIVM heic prae ceteris audire libet: A Carcinite Taurica incipit, quondam mari circumfusa et ipsa, quaqua nunc iacent campi; deinde vastis attollitur iugis. Triginta sunt eorum populi; ex iis mediterranei XX. sex oppida: Orgocyni, Characeni, Lagyrani, Tractari, Archilachitae, Caliordi. Iugum ipsum Scythotauri tenent. Clauduntur ab occidente Cherroneso, ab ortu Scythis Satarchis." Haec Plinius; Straboni sunt, Taphii, Tauri, Bosporani. In Tabula, Sorices, Maniratae, Maeotae, Seracae, Mysucy, Nymphii, Beruani, Amyrni, Moruni, Cannatae, Psaccani, Sardetae, Aspurgiani, Alani; quorum nonnulli Asiae adscribuntur.

Sorices. Vels. *Sorices.* vulgari caractere, dextro Borysthenis latere, cum praecipue ad sinistrum spectarint. Straboni, Caucasum inter et Maeotidem, Sarmatae, Aorsi, *καὶ Σιρακοὶ*, MSS. *Σειρακοὶ*, *Siraci.* (b) Plinio, ad Dromon Achilleos, inter Borysthenem et Cerciniten: *Totum eum tractum Tauri Scythae, et Siraci tenent.* (c) Loco alio, Straboni, *Σίρακες*, *Siraces*, ad fluuium Achardeum, qui e Caucaso ortus in Maeotin exit. (d) Ptolemaeo, *Σιρακηνοὶ*, *Siraceni*, aeque in Asia, Tanaim inter et Volgam; sed ii Tabulae auctori *Seracae* sunt, cognati fortasse Europeorum. Hodie maiorem Dromi Achilleos partem Tatari Nogaienses tenent, angulo ad vrbem *Cherson* Russis parente.

(a) Vol. IV. p. 291. (b) L. XI. p. 492. (c) L. IV. c. 26. (d) L. XI. p. 506.

II. Mysucy. sic Velf. apud Scheib Mys -- y. penultimis, lacerata membrana, erosis. Ponuntur ad lacum Bycen, intra Cherronesum; forsan muri supra memorati adcolae, ab Graecis ita nuncupati. Est etiam oppidum *Mefhen*, supra fluuium *Salgier*, quod cum iis cognationem habeat. Poterant quoque Sarmatici generis esse, *Myochi*, acribus oculis, vt in Asia *Heniochi*, ab collimando, tamquam vnioculi, nuncupati; nisi viros bellatores accipi malis.

III. Beruani. Velf. *Bruam.* ad montes Taurorum, vnde nomen ortum, seu Sarmatica, siue Cimmeria dialecto; priore ante crediderim. Non pauca enim Sarmaticae originis vocabula his in partibus ex antiquitate etiam legere licet. Sic apud Ptolemaeum, *παρὰ τὴν Βύκην λίμνην*, *Τορεκκάδαι*, *iuxta paludem Bycen*, *Toreccadae*, pro οἱ *Ρεκάδαι*, *Recadae*, amnium Bycen a borea petentium adcolae; vt alias *Recalani.* Vtrique, Beruani et Mysucii geographiae ignoti. Est amnis *Burandfhuk*, ab austro, et oppido *Parin Salgir* amnem petens, qui cum Beruanis cognationem habeat; forsan et Toreccadae huc spectabunt.

IV. Amyrni. sic Velf. ad Maeotidem, ora Cherronesi orientali, vbi vrbs Myrmecium, a qua nostri sint nuncupati, aut cui nomen ipsi dederint. *Myrni*, Sarmatica dialecto, pacatum populum significant; ex eorum numero fuerint, qui agriculturam exercebant, prouentu frugum hac fertili terra celebres. Myrmecium in oppidis referemus.

V. Moruni. in exemplari nostro Monim. Velf. *Morimi.* postremi ad Bosporum, forsan in parte etiam opposita fuere, quod scribae Bospori alueum notare neglexerunt. *Moruni* seu *Morini* sunt adcolae maris, Sarmatica dialecto nuncupati. Nam Cimmeriis, qui Germanico orti genere erant, *meer* dicebatur mare; vt in *Temerinda* superius vidimus. Ita Cimmerios adpellarint populi Sarmatici, quae vox eiusdem originis est, cuius Temerinda; maris quippe adcolae Germanis *Cimmerii* dicuntur, (a) prorsus vt heic *Morini* Sarmatis. Cimmeriorum iam Poetarum pater meminit Homerus, gesta autem populi singulari calamo persecutus est Herodotus. Post cladem, quam ab Scythis sunt passi, nomen eorum aliquamdiu his in partibus obscurum delituit, dum in Basternis primum, deinde Gothis reuiuisceret; quos nemo iam aetate nostra cum Iornande e Scandinauia, quam numquam videre, arcessiuerit. Porro Morinorum seu Cimmeriorum vocabulo non Germanos modo, verum et Sarmatas acceperis oportet; hi enim et vetustissimi, et soli sunt horum Euxini litorum cultores, ante quam Scythicae adpellerent gentes. Nymphios in oppidis, Maniratas, Maeotas, Seracas, Cannatas, Psaccanos, Sardetas, Aspurgianos, Alanos, in Asia, apud Scythas, dicemus.

(a) *Zum-meer*, ad mare.

§ IV

Oppida, manſiones.

I. TAVRICA Cherroneſus in prouinciae formam redacta non erat, etſi reges arbitrio populi Romani in ea conſtituerentur. Idcirco oppida quaedam in Tabula cenſentur, ſed absque M. P. interuallis; quod tamen operarum culpa factum arbitrere. Nam neque Perſidem, neque Mediam, aut Indiam poſſedere Romani, et tamen menſurae in iis regionibus referuntur. Sunt autem Tauricae oppida ſequentia: Cabacos, Myſucium, Salolime, Acra, Theagina, Hermoca, Nymphium, Chimerium, Berua, Amyrnum, Macara, Hale, Morunum, Chritionis. Sequemur ordinem.

Cabacos. ſic Velſ. Eſt latere boreali Cherroneſi, ad Bycen paludem, vbi fere *Bachag* oppidum, in chartis recentioribus, comparet. Apud Ptolemaeum, *Βαδάτιον*, *Badatium*, non nihil auſtralius, viſitur, circiter oppidum *Kaptsak*, alias *Tschag*, prope laeuam recentis *Salgier* amnis ripam; et cum hoc quidem vocabulum Tabulae conuenit.

Myſucy. ſic Velſ. *Myſucum* aut *Myſucium*, quod ne Ptolemaeus quidem, in his diues, nouit. Eſt apud eum *Μισαρὶς ἄκρα*, *Miſaris promontorium*, ſed occiduo ſinus Cercinitis latere, in Dromo Achillis. *Meſhen* oppidum, ſuperius ad laeuam *Salgier* amnis ripam, ſono vocis et ſitu reſpondeat Myſucio. Partem hanc Cherroneſi borealem Sarmatae coluerint, *Myſochi*, ab acri viſu, nuncupati; niſi potius *Viſuchi*, ſuperiores dicti erant.

II. Salolime. Velſ. *Saloline.* Ptolemaeo, *Καλὸς λιμὴν*, *Pulcher portus*, latere Carcinitis ſinus occiduo. *Καλοῦ λιμένος* meminerunt Periplorum ſcriptores. Strabo hunc portum non habet, ſed ſtationem nauium, ad promontorium *Ταμυράκην*, *Tamyracen*, quod *Μισαρὶς* Ptolemaeo dicitur; inde *Καρκινίτης κόλπος*, *Carcinites ſinus.* Addit geographus, terram in Dromo Achillis eſſe arenoſam, aquam foſſilem; vnde Mannert putat, Pulchrum hunc portum eſſe permutatione huc poſitum, ſpectareque ad Symbolum, vrbem Cherroneſi; quem Anonymi Periplus, tranquillum, pulcrum, et *Ταυρικὸν*, *Tauricum* nuncupat; clare autem Pomponius Mela: *Καλὸς λιμὴν*, ait, ſinus portuoſus, promontoriis duobus includitur; alterum *κριοῦ μέτοπον* vocant; — Parthenion alterum.“ Salolime, ſecundum Tabulam, in Cherroneſum cadit, Symbolo conueniens. In ſitu locorum Cherroneſi terminando eſt mira apud ſcriptores diſſenſio. Danuille Symbolorum portum *Koſlov* interpretatur; Mannert oppidum *Baluklava;* quae eſt differentia grandis. Si Periplos ſequamur duces, Criumetopon, ſeu frons Arietis promontorium, hodie *Karadſhe burun*, *Aya burun*, eique proximum *Baluklava*, ſeu *Baliklava* (caput bouis) citra controuerſiam, portus Symbolorum erit. Neque enim haec alteri aptius adplicari poſſunt. Ad tricesimum octauum

inde lapidem eſt oppidum *Almaſarai*, ad aeſtuarium portui aptiſſimum, ſupra fluuium *Alma*, et ſinum cognominem. Portus hic cum altero in boream, quem *Κτενοῦντα*, *Ctenuntem* Strabo vocat, efficiebat iſthmum ſtadiorum XL. hodie X M. P. occupat; in eo portu, tamquam in peninſula parua, fuit Cherroneſus vrbs libera, a Graecis condita, poſt quam priorem Cherroneſum, apud Symbolum, Scythae latrocinia exercentes diruere. Menſura XXIII M. P. ab *Almaſarai* portu bene habet. In quibusdam chartis *Cherſon ou Koſleve*, *Koſlov* item, et *Koſlow* ſcribitur. Haec cum numeris Periplorum, et Strabonis phraſi adcurate reſpondeant, Cherroneſus vrbs, prouinciae cognominis, alteri loco conuenire nequit.

III. Hermoca. ſic Velſ. Habet Ptolemaeus, *Ἡράκλειον*, *Heraclium*, cum Zenonis peninſula, et Parthenio oppido, ad Maeotim. Erat quidem vicus Parthenion, Strabone teſte, ad Bospori ingreſſum in Maeotidem, vbi is anguſtiſſimus eſt ſtad. XX. ſed Zenonis peninſula et Heraclium videbuntur forſan ad Pontum ſpectare. Peninſula quippe, quam Strabo Symboli et Heracleae portubus effici ait, iſthmo XL (XX) ſtadiorum, eſt ad oram Ponti, vt paullo ante vidimus; is concurſum portuum *Κτενοῦντα*, *Ctenuntem* vocari ait, quae vox cum *Ζήνωνος*, *Zenonis* Ptolemaei vocabulo cognationem habeat; tametſi *Κτένους λιμὴν* ponitur in ora, tam quam locus ab Zenonis peninſula diuerſus. *Teniſk* vicus, latere ſinus boreali, nomen vetus ſeruat. Series apud coſmographum eſt hoc loco turbata, cum Symbolum Parthenio, et Parthenium Cherroneſo praeponitur, nulla peninſulae, quam Strabo recte ſignauit, mentione facta. Habent Mela, et Plinius, *Hermiſium*, Theodoſiam inter et Bosporum; cuius non meminit Ptolemaeus. *Hermonaſſa*, ad Bosporum, in Aſia erat. Ceterum, Heraclium et Parthenium Maeotidis, Strabone etiam vade, ab Heraclea vrbe et Parthenio ad Pontum ſecerni debent. Noſtra *Hermoca* cum Nymphis medio Cherroneſi ponuntur. Id vocabuli, vſu militari expreſſi, ad principem regionis vrbem ſpectare non dubitem, de qua Plinius: Heraclea Cherroneſos, libertate a Romanis donatum, Megarice vocabatur antea, praecipui nitoris in toto eo tractu, cuſtoditis Graeciae moribus, quinque millia paſſ. ambiente muro." Eſt in Tabula eo loco, quo Bosporum eſſe oportebat, Macara. quae huc pertineat, ſi Plinium audimus; qua de re in Aſia recurret ſermo. Melae Pomponio, *Cherrone;* vt Tabulae auctorem compendiis vocum vti adſuetum, non mirere. *Χερσονήσου τῆς τρηχέης*, *Cherſoneſi aſperae*, meminit Herodotus; ſed ea regio. eſt prouinciae montana, non vrbs, vt nonnulli cum Stephano cenſebant. Conſtantino, *Χερσὼν*, *Cherſon.* Huc ſpectet inſcriptio Plautii Siluani, apud Moeſos relata, in qua, regem Scytharum a CHERONENSI. quae eſt vltra Boryſthenem, obſidione ſubmouit." Hodie, *Göſlewe*, *Koſlow*, et recentiſſime *Eupator*, vrbi nomen inditum.

IV. Nimphi. ſic Velſ. Strabo, Theodoſia et Panticapaeo relatis: Tota regio, inquit, frumenti ferax eſt, habetque vicos, *καὶ πόλιν εὐλίμενον τὸ Νυμφαῖον*

καλόυμενον, et vrbem bono portu praeditam, Nymphaeum nuncupatam.“ (a) Plinius, ab occaſu progreſſus, Theodoſia memorata: *Vltra fuere oppida*, *Cytae*, *Zephyrium*, *Acrae*, *Nymphaeum*, *Dia.* Ptolemaeo, *Νύμφαιον*, *Nymphaeum*, oppidum prope os Bospori. Mela Nymphaeum aliud nouiſſe videtur, de vrbe Cherroneſo haec locutus: Oppidum adiacet (Parthenio) Cherrone, a Diana (ſi creditur) conditum, et Nymphaeo ſpecu, quod in arce ei et Nymphis ſacratum eſt, maxime illuſtre.“ Danuille ſitu oppidi *Kalati* Nymphaeum ſtatuit; Mannert ſub iſthmo, *Ortaſch*, *Otaſh*, Aſiae, quod eſt obſcurum. In chartis eo fere ſitu, ſed in mediterranenis, (ora enim Bospori locis vacua eſt) conſpicitur vicus *Sherbaſh.*

Ac--a. Velſ. *Acria*, poſt Salolime, ſiue Symbolum, ad oram Ponti. Strabo, *Ἄκρα κώμιον*, *Acra vicum* adpellat. (b) Anonymus Peripli ſcriptor, *Ἄκρας κώμιον*, *Acrae vicum*, a Nymphaeo LXV ſtadia, ſeu VIII M. P. cum exceſſu quodam. Plinius, inter oppida, quae fuerunt, *Acrae*, pluratiue. Strabo et Peripli auctor ſitum terminant, paullo ſupra *Kalati* oppidum, vbi fere vicus *Kabak*, ad iſthmum et ingreſſum Bospori, cuius latitudinem heic Strabo LXX ſtadia eſſe ait, ſeu M. P. VIII cum tribus quartis. Huic oppoſitus erat in Aſia vicus *Κοροκονδάμη*, *Corocondame*, circa *Taman* vrbem, vt in quibusdam ſignatur. Apud Ptolemaeum eſt *Ἄκρα πόλις*, *Acra oppidum*, ſed extra Cherroneſum, ad Bycen paludem, inter Gerrhum et Bycum fluuios; vbi nemo praeterea oppidum eius vocabuli nouit. Mihi rerum adiuncta expendenti, totum fere illud Maeotis ſiniſtrum latus, a nouis Moeniis (nouo muro) ad oſtium Tanais, ad Cherroneſum ſpectare videtur, vt mox ſum dicturus.

V. Teagma. Velſ. *Teagma.* Scylax, a fronte Arietis: Deinceps rurſus ſunt Scythae, vrbesque graecanicae, *Θευδοσία*, *Κύδαια*, *καὶ Νύμφαια*, *Παντικάπαιον*, *Μυρμήκειον*, *Theudoſia*, *Cytaea*, *Nymphaea*, *Panticapaeum*, *Myrmecium.* Strabo, ab auſtro progreſſus: Poſt montana, inquit, vrbs ſequitur *Θεοδοσία*, *Theodoſia*, campo praedita fertili, et portu vel centum nauibus recipiendis apto. Hic olim limes fuit Bosporanorum et Taurorum.“ Plinius, Theodoſia LXXXVII M. paſſ. a Panticapaeo; oram ſcilicet legendo; recta quippe ab *Kerts* ad vrbem *Kafa*, ſunt nouem mill. geogr. cum ſemiſſe, vt in charta Europae, ſeu M. P. XLVIII. aliae ſpatium producunt ad 11 aut 12 mill. geogr. Eſt enim ſumma chartarum his in locis, quoad menſuram et ſitum, diſſenſio; in quibusdam nouiſſimis, *Kaffa nunc Theodoſia.* Fata vrbis perſequitur Mannert. (c) Libet Anonymum Peripli Ponti Euxini auctorem, audire: Ab Cazeca ad Theodoſiam vrbem deſertam, inſtructam portu, ſtadia CCLXXX. Haec vrbs olim graeca erat, Mileſiorum colonia, multis paſſim literarum monumentis celebrata; nunc autem *Θευδοσία*, Theudoſia Alanica, ſiue Taurorum dialecto

---

(a) L. VII. p. 305. (b) L. XI. p. 494. (c) Vol. IV. p. 305. ſqq.

adpellatur *Αρδάυδα*, *Ardauda*, id eſt, *ἑπτάθεος*, Heptatheos, ſiue ſeptem habens deos. In hac Theodoſia dicuntur aliquando Bosporanorum exules habitaſſe.“ Ptolemaeo, *Θεοδοσία*, *Theodoſia*, et ad ſiniſtrum Maeotidis latus, *ἄλσος ἁλίευμα Θεοῦ*, *ſilua piſcatio Dei;* quae phraſis huc pertineat. Haec de Theodoſia, quae Tabulae, vſu militari, *Theagina* vocatur, tamquam mulierem diuinam dicas.

VI. **Chimerium.** Velſ. *Chimerium.* in mediterraneo. Strabo, de Cherroneſo in Europa agens, memorat *Κιμμέριον ὄρος*, *Cimmerium montem*, qui ab Cimmeriis incolis ſit nuncupatus; oppidum non refert. In Aſia autem, vbi *κώμην Κιμβρικὴν* (forſan *Κιμερικὴν*) *vicum Cimbricum*, *Τὸ δὲ Κιμμερικὸν πόλις ἦν*, *Cimmericum vrbs fuit quondam, in peninſula ſita, iſthmum foſſa et aggere claudens.* Mela et Plinius, Cimmerium in Aſia, ipſo Bospori ore, vbi Maeotim ingreditur, ponunt, nullo cognomine loco in Europa agnito. Sed *Cimmerium*, *Κιμμέριον*, Ptolemaeus in mediterraneis Cherroneſi, vbi *Chimerium* Tabulae, nouit; in Aſia promontorium Cimmerium, longius a Bosporo in exortum; Strabo autem, circa Bosporum in Aſia locutus, partem etiam Europaei Bospori, qui proprie Bosporus Cimmerius dicebatur, reſpicit; et Cimbricum pagum Aſiae ab vrbe antiqua Cimmerio, aut Cimbrio potius diſtinguit, quam cum foſſa et aggere iſthmum claudere dicit, manifeſte ad Europam refert. Anonymus Peripli auctor, *Κιμμερικῶν πόλιν*, *Cimmericum vrbem*, a Panticapaeo ſtadia CCL. ab oppido *Καζέκας*, *Cazeca*, mari adſito, ſtadia CLXXX. ab Cazeca ad Theodoſiam, vrbem deſertam, ſtadia CCLXXX. Locum eſſe corruptum, ait Voſſius; ſecundum cuius rationes Cimmericum ad oram Ponti, circiter vicum *Tuſla*, ſtatui deberet. Mannertus putat, auctorem Peripli erraſſe, cum in ora Cimmericum ſtatuit, quod in mediterraneis ponendum erat; ipſe tamen duplex Cimmerium facit, alterum Plinii, alterum Ptolemaei. Sed auctor Peripli cum ait, Cimmerium ab oppido Cazeca, mari adſito, CLXXX ſtadia, XXIV M. P. abeſſe; intelligi vult id oppidum, cuius alii Peripli ad oram non meminere, in mediterraneo exſtitiſſe. Secus enim particula *ἐπὶ θαλάσσῃ ᾠκισμένην*, *Καζέκας κώμην*, fuiſſet ſuperflua, ſi Cimmericum in ora cum Cazecis exſtitiſſet. Proinde locum illum corruptum, vt Voſſius dicebat: A Panticapaeo vrbe ad Cimmericum ſtadia CCL milia CIↃXL. pro *στάδια σμ′. μίλια αμ′.* pone inflexum, *στάδια αμ′.* ſtadia CIↃXL ſeu M. P. CXXX. quod eſt interuallum ab vrbe *Kerts* ad oppidum *Eſki Krim* iuſtum. Atque heic fuiſſe Cimmerium, numeri Ptolemaei, Tabula, Strabo docent; Plinius cum Hypani et Buge aberrauit, Cimmerio quoque in Aſiam, vbi non erat, translato. Strabo ſane, cum latus Bospori Aſiaticum legens, in angulo confluxus Bospori et Maeotidis fanum Achillis clare ponit, nulla Cimmerii facta mentione, Melam et Plinium iſthic Cimmerium ſtatuentes aperte refellit. Ptolemaeus Straboni reſpondet. De pago Cimbrico geographi, et Cerberio Plinii, in Aſia videbimus. Similitudo nominum fecit, vt pagus hic cum vrbe Cimmerio committeretur.

VII. Amyrni. Velſ. *Amyrni.* In hac voce Myrmecion contineri, ipſe quoque vocabuli ſitus oſtendit. Scylaci, Theodoſia, Cytaea, Nymphaea, Panticapaeum, *Μυρμήκειον, Myrmecium.* Poſitionem Strabo monſtrat: Nauiganti in Cimmerium Bosporum, *πολίχνιόν ἐστι Μυρμήκιον ἐν εἴκοσι σταδίοις ἀπὸ τοῦ Παντικαπάιου, ad ſiniſtram eſt Myrmecium oppidulum, ad* XX *ſtadia a Panticapaeo.* Auctor Peripli Ponti Euxini XXV ſtadiis remouet. *Ienikale* ab *Kerts*, omni ſpatio intercepto, VII M. P. abeſt. Ptolemaeo, *Μυρμήκιον ἄκρον, Myrmecium promontorium.* Plinius de Bosporo: Oppida habet, Hermiſium, Myrmecium. Artemidorus, apud Stephanum, *Μυρμηκίαν, Myrmeciam*, dixit; Tabulae auctor, *Amyrnum*, vſu militari; hodie *Ieni-kale*, noua munitio. Anguſtiſſimum heic fretum, recte dixit Strabo, vt Europae charta exhibet; nam aliae, qualibus Mannert vſus eſt, ſunt iſthic mendoſae. Strabonis, aliorumque, promontorium et ſinus *Ταμυράκη, Tamyrace*, erat occiduo Carcinitis ſinus latere, Ptolemaeo *Myſaris* promontorium, vt alias dictum. Eſt etiam coſmographo *Τυρικτάκη, Tyrictace* oppidum, infra Panticapaeum, loca a noſtro diuerſa.

Macara. Velſ. *Macara.* Plinius dicebat: *Heraclea Cherroneſos, libertate a Romanis donatum, Megarice vocabatur antea.* Vocabulum hoc nuspiam alias comparet; in Tabula eo fere loco ponitur, quo Bosporum ſignari oportebat, qui heic deſideratur. A poſtremis Tabulae ſcribis, qui haec vocabula non intellexerunt, ſint male disiecta, tam quam diuerſas notarent vrbes; niſi ad oppoſitum Bospori latus referri debeat; Plinius enim his locis inſulam nouit, cui Macra nomen, de qua ſectione ſequenti agemus.

Moruni. Velſ. *Morimi.* Hic ſit vicus Cimbricus Strabonis, Cerberion Plinii. Signatur vox ad alueum e Tanai profluentem, et in paludem deſinentem, ſitu fluuii *Kuban*, inſulae *Taman*, et oppidi *Temruk;* de quibus in Aſia ſermo recurret. Nouit etiam Strabo his locis *Τυράμβην, Tyramben*, oppidum, quod ibidem inueſtigabimus. Noſtri *Moruni*, dialecto Sarmatica, maris adcolae ſunt; nam lacum Maeotim etiam mare nuncupant, tam Ruſſi, quam Tatari, hi *Zabache deniz*, illi *Azoffkoe more.*

VIII. Hale. Velſ. *Hale.* inferius, ad Pontum, parte Aſiana. Locum hunc iſta regione geographia ignorat. Habet Ptolemaeus, dextro Maeotidis latere, inter Agarum et Lycum fluuios, *ἄλσος ἁλίευμα Θεοῦ, ſilua piſcatio Dei.* Herodotus, et plerique poſt illum, ſiluas ponunt ad ſinum Cercinitem; vnde regioni *Hylaeae* nomen. Strabo vnus has ſiluas praeteriit. Mela, ab Carcine: Siluae deinde ſunt, quas maximas hae terrae ferunt, et Panticapes, qui Nomadas Georgosque diſterminat." Plinius, in his ſuperſtitioſus, Dromo Achillis memorato: Totum eum tractum Tauri Scythae, et Siraci tenent; inde ſilueſtris regio, Hylaeum mare, quo adluitur, cognominauit; Enaecadloae vocantur incolae. Vltra Panticapes amnis, qui Nomadas et Georgos diſterminat; mox Aceſinus. Quidam Panticapen confluere infra Olbiam cum Boryſthene tradunt; diligentiores Hypanin; tanto errore eorum, qui illum in Aſiae parte prodidere."

Panticapes, qualis ab Herodoto deſcribitur, erat fluuius nobilis, qualem a Boryſthene ad Cercinen nullum nouimus. Quare in diuerſa abiere geographi. Strabo et ſiluas et amnem praeteriit, quod nihil horum toto eo tractu deprehenderat. Cherroneſi regionem Herodoto ignotam fuiſſe ex eo videas, quod in ea nullum prorſus oppidum nouit. Scylax proinde, qualem hodie habemus, non erit ille Cariandenſis, quem Herodotus memorat; neque enim vrbes, in Periplo Scylacis enumeratas, ſilentio praeteriſſet, ſi ab vetere illo Scylace proditae fuiſſent. His in tenebris libet cum Strabone peninſulam ingredi, vt Panticapen, Georgos, et Nomadas, Carcinen, et Bycen, et putrem lacum deprehendere valeamus. Sic vero is ab Tamyrace (*Tandra* hodie) promontorio: Poſt illud ſinus ſequitur Carcinites iuſtae magnitudinis, verſus ſeptemtrionem ad mille porrectus ſtadia; ſunt qui vſque ad intimum receſſum ſinus triplum huius numerent; dicuntur autem *Τάφροι*, *Taphri*.“ Ab *Tandra* vſque *Prekop*, litus cum diuerticulis legenti ſunt mill. geogr. quindecim; totidem a *Prekop* ad *Cap. Eſki Foros*, alias *Eſki Furun*, vbi ſinus Cercinitis accipit finem. Milliaria geogr. triginta faciunt ſtadia mille ducenta, M. P. CL. Haec eſt menſura ſinus Carcinitis vniuerſi. Triplum ſummae huius pertingit omnino ad Bosporum; vt ſenſu eorum, qui Cercinitin tantae magnitudinis exiſtimabant, vniuerſam peninſulae oram Ponticam ſumi videas.

Pergit Strabo: Ibi iſthmus eſt, qui *Σαπρὰν*, *Sapram* (putrem *Gniloe more*) lacum a mari diuidit, latus ſtadia XL. Atque is eam efficit peninſulam, quae Taurica et Scythica adpellatur Cherroneſus. Sunt qui latitudinem iſthmi CCCLX ſtadia faciant. Ceterum, putris palus ſtadiorum eſſe dicitur etiam IV mille; pars autem eſt Maeotidis occidua, magno illi ore coniuncta. Eſt autem paluſtris admodum, ac vix ſubtilibus poteſt nauigari cymbis.“ Hinc digreditur ad ſinum, et oram maritimam, quam ab vrbe Cherroneſo ad Bosporum et Tanaim adcurate deſcribit, Periplos ſecutus; in mediterraneis, praeter Taurum et Trapezum montem, obſcuram in Aſia Cimmerii mentionem, apud Theodoſiam Taurorum et Bosporanorum fines, murum in iſthmo CCCLX ſtadia longum, nihil nouit. Nullae ipſi vrbes, nulli fluuii; ſunt tamen *Γεωργοὶ*, agricolae, Scythae nimirum, ceteris ſui generis manſuetiores, a latrociniis tamen non abſtinentes; ſunt etiam *Βασιλικοὶ*, *regii*, qui Carcinitis latus orientale tenebant, cum vrbe Eupatorio, de qua haec geographus: (a) Eſt promontorium, ab Cherroneſitarum muro diſtans ſtadiis fere XV ſinum efficiens vtcumque magnum, qui vrbem verſus inclinat; ſupra hunc eſt lacus marinus, ſalinas habens; ibi erat etiam Ctenus. Quibus locis vt potirentur Regii, a Scythis (Tauris) obſeſſi, promontorio dicto praeſidium impoſuerunt, loco muris munito, et fauces ſinus vſque ad vrbem aggere ingeſto complanauerunt, vt facile pedeſtri itineri aptae

(a) L. VII. p. 312.

essent, et ex duabus vrbibus vna quodam modo fieret; atque ita minore negotio Scythas arcuerunt. Cum autem hi et murum, quo interclusus erat isthmus, ad Ctenuntem adgrederentur, et ingestis calamis fossam implerent, Regii, quantum ab his interdiu quasi ponte facto stratum fuerat, noctu incenderunt, ac tantisper restiterunt, donec tandem victoriam consequerentur." Conr. Mannert, duce fidissimo, quem sibi sequendum proposuerat, Ptolemaeo deserto, Eupatoriam ad frontem Arietis, *Karadshe Burun*, inuitis locorum praesidibus diis, ad vicum *Inkyrman*, vbi et Cherronesum vrbem posuerat, trahit. Cum in tabula, quam ipse e Ptolemaeo adornat, eum prorsus Eupatoria obtineat situm, quem Strabo heic descripsit, et Danuille ad *Manghit* peninsulam notauit. In numerum geographi irrepserit mendum, exmisso denario διακοσίους. nam CCXV stadia ad peninsulam eam adcurate ducunt. Murum, quo isthmus Cherronesi aduersus insestationes Scytharum praeclusus erat, infra *Baltsik* lacum, ab ora sinus Cercinitis ad mare putre, *Gniloe more*, apud vicum *Katai*, sinum in austrum protentum efficiens, ductum fuisse, superius in fossis memorauimus.

IX. E Strabone proinde in Cherroneso Taurica habemus Scythas Regios, Tauros, Georgos; nunc Panticapen fluuium, qui Nomadas et Georgos, Mela et Plinio, Herodotum secutis, testibus, disterminabat, quaeramus. Herodoto, Panticapes, Παντικάπης, post Borysthenem, ab exortu, e plaga septemtrionali, e lacu quodam ortus, per Hylaeam regionem infunditur Borystheni. Doctissimus Bayerus, qui gesta Scytharum singulari calamo persecutus est, *Samaram* interpretatur; alii reprobant, neque tamen probabiliora adferunt. Plinius, rem diligentius inuestigans, amnem vult a Borysthene seiunctum esse, deinde Accsinem mare petere; eos, qui Panticapen in Asia quaererent, reprehendens. Quidam e recentioribus amnem *Tsernaja Dolina* ita signant, vt verbis Herodoti respondere valeat. Sed ea regio arenosa, vt Strabo dicebat, neque Nomadibus, qui pascua quaerunt, neque agricolis vsque hodie apta est; Mela praeterea et Plinius flumen Borystheni non committunt. Ad haec, si Strabonis, Melae, et Plinii temporibus exstabant amnes, in Cherroneso cum Strabone eos quaerere oportebit. Est heic fluuius non ignobilis, in montibus Taurorum, duobus a Ponto mill. geogr. ortus, qui flexu in occasum format hemicyclum, deinde conuersus in boream, media putris lacus regione effunditur, *Salgier*, *Salgir* nomine, mill. geogr. septem et decem procurrens. Excipit ab austro fluentes praecipuos, *Argin-su*, aliis *Bekala*, *Burundshuk*, et *Kara-su*, omnes in montibus memoratis ortos. Haec vniuersa plaga, quod a Nomadibus teneretur saeuis, et latrociniis deditis, toti retro antiquitati, quod geographiam spectat, ignota fuisse videtur; quod fluuius *Salgier* cum sociis apud veteres non comparet. Sed, si longe remotiora, et aditu difficiliora, veteres illi rerum naturalium scrutatores, norunt, quis hanc exiguam terrae portionem, omnibus circumquaque exploratis, mensuraeque subiectis, et amnem media regione decurrentem, ignotum fuisse credat? Audiamus Plinium. Is, Cherronesum petiturus, ab

ſinu Carcinite, verbis de Hypani et Panticape ſupra relatis, haec continuo ſubiungit: Mare ſubit vaſto receſſu, donec quinque millium paſſuum interuallo abſit a Maeotide, vaſta ambiens ſpatia, multasque gentes. Sinus Cercinites adpellatur, flumen Paciris; oppida Naubarum, Carcine. A tergo lacus Buges, foſſa emiſſus in mare; ipſe Buges a Coreto, Maeotis lacus ſinu, petroſo discluditur dorſo; recipit amnem Bugem, Gerrhum, Hypanin, ex diuerſo venientes tractu. Nam Gerrhus Baſilidas et Nomadas ſeparat; Hypanis per Nomadas et Hylaeos fluit manu ſacto alueo in Bugen, naturali in Coretum. Regio Scythia Sendica nominatur." Poſtrema ad Aſiam ſpectare, Sendica regio monſtrat. Sinus Carcinites, vaſta ambiens ſpatia, multasque gentes, eſt ora Ponti a *Perekop* ad Bosporum, quod et Strabo ex aliquorum ſententia adſeruit. Proinde ea, quae ſinu hoc complectitur Plinius, propria Cherroneſi erunt. Lacum Bugen, Ptolemaeus *Βύκην λίμνην*, *Bycen paludem*, Strabo putrem lacum, adpellant, vt hodie quoque *Gniloe more* Sarmatis vocatur. Apud Melam Buces amnis flexum Maeotidis ſecat; in ſinu Carcinite, vrbs Carcine, quam duo flumina, Gerrhos et Hypacaris, vno oſtio effuſa attingunt. Herodoto, poſt Panticapen Hypacris, ex lacu per medios Scythas Nomadas delapſus, a tergo relinquens Hylaeos, ad Cercinitin vrbem, quam ſolam iſthic nouit, infunditur Ponto. Gerrhus, in ipſis fontibus regionem Gerrhum attingens, medius inter Scythas Nomadas et Regios fluit, donec in Hypacrin aquas effundat. Ponamus, Gerrhum eſſe *Salgier* amnem, Graecis Panticapen dictum; Hypacris, Melae Hypacaris, erunt *Argiu-ſu*, *Burundſhuk*, *Kara-ſu*. Buges, Buces, Byces, eſt *Bulganak* cum *Andalei*, *Bulſik*, *Suvaſh*, *Shirik*, auſtralem lacus putris oram diſtincto alueo petens. Corretum, Hypanim, Hylaeos, trans Bosporum, in Aſia, quaeremus. Neque enim heic circa putrem lacum petrae comparent, quae in parte Aſiana ſunt conſpicuae. Hac regione, a montibus Taurorum ad putrem lacum, foſſa per Scytharum vernas fuit percuſſa, Herodoto teſte, vt Georgos a Nomadibus dirimeret, ac peninſulam, quartam regionis portionem occupantem, efficeret. Foſſa haec ab *Eſki Krim* ad *Arabat* ducta fuerit ea regione, quam hodie *Shirik* fluuius perluit. Vrbs Panticapaeon a fluuio cognomine fuerit nuncupata, ante Bosporos dicta, vt hodie, ad memoriam veterem reuocandum audit, *Woswor*. Id Stephanus ex antiquis perhibet, addens, a fluuio praeterlabente vrbi nomen impoſitum. Longe quidem is ab vrbe non abeſt; haec autem nomina ſunt graeca; incolis vrbs et fluuius *Gerrhus* audierit; cuius vocabuli in vtroque ſuperant veſtigia, in fluuio *Salgier*, in oppido *Kerts*, *Gierts;* quae originis Cimmeriae videantur, cuius Germani. Haec ad geographiam veterem iuuandum, occaſione *Hale*, loci in Tabula expreſſi, dicta ſunto. Vtrumque autem vocabulum, *Hala* et *Chritonis*, ad Aſiam vicinam ſpectare cenſemus, vbi de iis ſermo recurret.

SECTIO IV

SCYTHIA

§ I

Nuncupatio, fines.

I. SCYTHIAE vocabulo heic accipimus, quidquid in Aſia regionum ſeptemtrionalium in exortum patet, quod Romani non tenuere, qua id parte in Tabula exhibetur; vbi praeter oram Ponti locorum nihil, ſed populorum, fluminum, montium, complura cenſeri videas. Erat tempus, quo vniuerſus orbis in Indos, Aethiopes, Celtas, et Scythas diuidebatur ſic, vt Scythae ſeptemtrionem, Aethiopes ipſis oppoſiti auſtrum haberent, ceteris in occaſum retruſis; vt principio capitis huius, e fragmento Ephori, diximus. De origine et priſcis ſedibus Scytharum nemo, mea quidem opinione, praeclarius Sigefridò Bayero diſſeruit. Id nominis non prodidit Homerus; Strabo tamen multis contendit, iis Poetae verbis:

Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν ἱππημολγῶν,
Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Myſorum cominus pugnantium, et illuſtrium hippomolgorum,
Lacte veſcentium, longaeuorumque iuſtiſſimorum hominum;

Scythas eorumque vicinos intelligi debere. (a) Sed Bayerus nomen Scytharum in Poeta merito requirit, qui longe poſterius cogniti, ex oriente, a flexu Volgae occiduo, vbi *Aſtrachan* hodie, priſcae eorum ſedes, in Europam, ab Iſſedonibus pulſi, Olymp. XXXV adpulerunt, Homero ante hos CCXX annos in viuis agente. Quare locus is de adcolis Iſtri, Strabone ipſo teſte, agens, Scythis adplicari nequit, vt qui heic ſint longe iuniores. Heſiodi verſum, apud Eratoſthenem, in quo *Σκύθαι ἱππομολγοὶ*, *Scythae hippomolgi* legantur, examinat Bayerus; (b) oſtendens, apud Heſiodum, qui Homero ſit multo adoleſcentior, verſum illum non reperiri; qui etſi exſtaret, non Homeri, ſed Heſiodi aetati adſcribi deberet. Sunt etiam regno epigraphico noti; Auguſtus LEG. IIII. SCYTHIC. cuius frequens in marmoribus mentio, in Syria conſtituit; in monumento Plautii, apud Moeſos relato, SCYTHARVM regem a Cherroneſi obſidione ſubmouit.

a) L. VII. p. 300. ſqq. (b) Chron. Scyth. p. 172.

II. De antiquis Scytharum ſedibus Herodoto haec innotuerunt: Scythas fuiſſe Nomadas, et in tuguriis paſſim circum opportuna paſcuis loca trans Araxem (Volgam) coluiſſe, inde pulſos a Maſſagetis, bellum intuliſſe Cimmeriis, ſuper auſtrali mari, ſeu Ponto Euxino habitantibus; quos priore ſectione memorauimus, et hac rurſus memoraturi ſumus. De vocis etymo libet audire Bayerum: (a) Scythae ſunt vocati tantum a Graecis, vt diſerte monet Herodotus. Inde autem manauit vocabulum, quod, cum Graeci, qui inter eos in coloniis Ponticis degebant, admirabilem eorum in ſagittando artem et induſtriam cernerent, ſagittariosque ab iis *Scythas* dici audirent, id nominis toti genti attribuerunt. Et manet adhuc vocabulum in Scythicae originis linguis; hodie Lituanis *Szauti* iaculari et iaculatorem ſignificat; a quo eſt apud Conſtantinum Szyrnidum *Szaudu*, arcu, ſagittis iaculor, et *Szaudikie*, ſagitta, ſpiculum. Fennis et Liuionibus ſagittarius eſt *Skitta*, et *Kytta*, ſeu *Kyt;* ſic Curonibus et Aeſtiis et Lapponibus, veteribus denique Prutenis, vt Praetorius in orbe Gothico nos docet, fuit *Szythi.* Manauit etiam in aliorum et diuerſae ſtirpis populorum linguas. Haec ipſe. Vtrum autem apud Thracas Illyriosque *Szkyte*, vagi, vagabundi, ſint a priſcis illis populis exorti, an ſic ab Sarmatis nuncupati, non continuo decreuerim. Certe, *Skyta-ſe*, vagatur, *Skytaocz*, *Skytalacz*, vagabundus, hodie vulgo efferri videas; quamquam ortographia recentior *Skita*, *Szkita*, penultima graui *Skìta*, ſcribi expoſcit.

III. Geographi recentiores, a Bosporo, Maeotide, et Tanai, ad flumen Daicem, hodie *Vral*, qui a borea Caſpium influit, Sarmatiam Aſiaticam, inde vero in exortum Scythiam, Imao monte diuiſam, eſſe volunt, vt citerior *intra Imaum*, vlterior *extra Imaum*, dicatur. Bospori medium eſt ſub grad. long. 55. min. 15. latit. 45. Ortiuus Scythiae terminus, ad fontem Temalae fluuii, grad. long. 111. latit. 32. Imai montis medium transit gradus long. 97. latit. 37. A Bospori medio ad oſtium Daicis fluuii ſunt M. P. DCCXC. ad medium Imai MDCLX. ad fontem aluei Temalae orientalem DCCCCXXX. M. P. Ad borealem et ortiuum, ſupra Indos, Oceanum, erat incognita antiquis terra.

§ II

Montes, inſulae, lacus, fluuii, foſſae.

I. IN Tabula mons quidam exprimitur, ex quo fluuius promanans ab exortu Maeotidem petit, qui *Geja* videatur, in Tataris Cubanis ortus, prope ſiluam nigram, *Lies csernoe.* Ptolemaeus hoc ſitu nouit τὰ Ἱππικὰ ὄρη, *montes*

(a) Priſc. ſed. Scyth. p. 66.

Hippicos; Lotterianae chartae recentiores omnem hanc Tatariam Cubanensem montibus vacuam exprimunt; Viennenses, ad Goiam vsque iis refertam.

CAVCASI. literis minio pictis; Vers. Caucasi. Populus ad montem cognominem, geographis omnibus, inde ab Herodoto, notus. Maris Caspii partem, inquit is, quae ad vesperam vergit, ὁ Καύκασος ἀπέργοι, *Caucasus disterminat.* Strabo, Κάυκασος, Caucasus mons vtrique supereminet mari, Euxino et Caspio, isthmum, quo ea distinguuntur, tam quam murus intercludens; distinguit versus meridiem Albaniam et Iberiam a Sarmatarum planitie, versus septemtrionem dissitas. Arborum diues est omnis generis, cum aliarum, tum ex qua naues compinguntur. Tradit Eratosthenes, Caucasum ab adcolis Caspium adpellari, forsan a Caspiis ita dictum. Cubitos autem quasi quosdam protendit versus meridiem, qui et Iberiam mediam complectuntur, et Armeniae montibus coniunguntur, et iis, qui Moschici adpellantur, item Scoedisae et Pariadrae; hi omnes Tauri montis partes sunt, austrinum Armeniae latus conficientes, ab eo quodam modo abruptae, et versus septemtrionem prolapsae vsque ad Caucasum, oramque Euxini maris, quae ab Colchide ad Themiscyram porrigitur.“ (a) Plinius, apud Cossaeos, in Media, Cambalidum vocari ait: Supra Cossaeos ad septemtrionem Mesabatene sub monte Cambalido, qui est Caucasi ramus; inde mollissimo tractu in Bactros.“ (b) Tabula iugo duplici incoat, australi ab Sindice, boreali ab Amazonibus, quae apud Lazios Colchidis iuncta, vsque ad Trapezuntem vno procurrunt ductu. De his montium iugis Ptolemaeus: Sarmatiam cingunt montes, quorum alii Hippici, καὶ τὰ Κεραυνία, καὶ ὁ Κόραξ ὄρος, εἰς ὃ περαιοῦνται τὰ διὰ τῆς Κολχίδος, καὶ τῆς Ἰβηρίας ἀνιόντα καλόυμενα δὲ Καυκάσια, alii Ceraunii, mons Corax, in quo terminantur ii, qui per Colchidem et Iberiam vadunt, Caucasii nuncupati. Pari ratione flexus eorum super Iberiam vocatur itidem Κάυκασος, Caucasus.“ Tertius iugorum tractus est in Tabula a prioribus, ob structuram operis, remotus, ex quo Phasis, quartus, ex quo Bathys, *Bitumi*, promanant; quintus inter Cyrum et Araxem, Caspium vno ostio petentes, porrigitur; de quibus suo dicemus loco.

II. MONS. CATACAS. scriptum minio pictum. Vers. Mons Catacas. exiguo tractu, latere Nigrini fluuii occiduo. Ptolemaeo, ad fontes Rhymmi fluminis montes Rhymmici; in exortum aestiuum Alani, in hibernum Norossus; inde in aequinoctialem Aspesii, Tapuri, Anarei, et sub his Ἀσκατάγκας, *Ascatancas*, australi fine iunctos Imao, vbi statio proficiscentium ad Seras, et fines Scythiae duplicis, extra et intra Imaum. Proinde tractus ille montium singularis proprie ad fontes Rhymmi et Daicis amnium, inscriptio autem ad iuga omnium, quos recensuimus, praecipue vero *Ascatancae*, rami montis Imai, pertineat, qui ad fontes Iaxartis, *Syr Darja*, vulgo *Terekdapan* vocatur. Ad exortum

(a) L. XI. p. 497. (b) L. VI. c. 31.

amnis Nigrini, qui eo loco Daicem refert, alius montis tractus notatur, pertinens ad Scaturigines *Ilek* et *Iemba* fluminum, ex quibus prior *Iaik* amnem, alter Caſpium mare petunt; ibi *Ural*, longum in boream patenti, heic *Aura Uruk*, monti nomen. Poſtremus in ſeptemtrione et exortu montium tractus eſt, ex quo Oxus, qui vna Iaxartem fluxu exhibet, promanat. Ptolemaeus ad originem Iaxartis montes Comedorum, ad Oxi Paropaniſum et Caucaſos ſtatuit. Plinius hos inter ſe connecti tradit: Junguntur inter ſe Imaus, Emodus, Paropamiſus, Caucaſus, a quibus tota (India) decurrit in planitiem immenſam, et Aegypto ſimilem.“ (a) In Paropamiſo Indus cum ſociis oritur; Emodus Imaum ab exortu, Paropamiſum ab occaſu contingit. Tabula montium quidem borealium heic terminum ſtatuit, ſed hoc poſtremo tractu vult omnes intelligi, quos Ptolemaeus ſingillatim ad Sinas vſque recenſet; quales ſunt Anaibi, Auzacii, Aſmiraei, Caſii, Serici, Tagurus, Ottorocorras. Progreditur enim Tabula cum Ptolemaeo ad Seram vſque, et Calincium amnem, prope Sinas; immo ad Lenam vſque, Siberiae flumen, procedit, quo coſmographi notitia non euaſit; vt in Indis dicemus. Imaum quoque Tabula nouit, ſed in Bactriana, vt ſuo referemus loco. Aſcatancam adcoluerint Catacae, ad Gyndem poſiti; de quibus in Perſide ſermo recurret.

III. **Iſ. Achillis. dicta.** Velſ. *Inſ. Achillis dicta.* apud Scheib **Iſ. Ac---l--** extritis vocibus; fanum, ſed in Ponto. Cum Tabula conſtrueretur, Achillis memoria quaedam circa haec loca ſuperabat; ſcribae commodius fore rati, inſulam in pelago ſignarunt, cum ea in continente, ſinu Boſpori et Maeotidis formata, exſtiterit, vt e Strabone videbimus. Scylax, memorata Cherroneſi ora maritima vſque Myrmecium: Eſt vero in hoc ſinu, inquit, *νῆσος δ' ἐρήμη, ᾗ ὄνομα Λευκὴ, ἱερὰ τοῦ Ἀχιλλέως*, *inſula deſerta, cui nomen Leuce, ſacra Achilli.* Quae nonnihil obſcura videantur. Strabo Leucen Tyram inter et Boryſthenem ſtatuit, (b) vbi *Vozia*, aliis *Gadzabei*, oſtio *Kagalnik*, ſeu *Kugulnik* amnis oppoſita, conſpicitur, parua, vt ab antiquis eſt deſcripta. Altera prorſus ſimilis, ab oppido *Kinburn*, qui eſt portus Achaeorum Plinii, laeuo Boryſthenis exeuntis latere, ad XXIII lapidem, vbi *Tendra*, ſeu Dromos Achillis incipit, hodie *Czile*, quam ſic innuit Plinius: Rurſus in litore (a Boryſthene) portus Achaeorum, inſula Achillis, tumulo eius viri clara. Et ab ea CXXV (XXV) millibus paſſuum peninſula, ad formam gladii in transuerſum porrecta, exercitatione eiusdem cognominata Dromos Achilleos; cuius longitudinem octuaginta millium paſſuum tradit Agrippa.“ (c) Bene habet Agrippa; ſed Plinius per numeros duas confundit inſulas, LXV M. P. ab ſe ſe diremtas, vtramque Achilli ſacram. Idem facit loco alio: Ante Boryſtenem Achillea eſt, ſupra dicta, eadem Leuce et Macaron adpellata. Hanc temporum horum

(a) L. VI. c. 21. (b) L. VII. p. 306. (c) L. IV. c. 26.

demonſtratio a Boryſthene CXL M. ponit, a Tyra CXX M. a Peuce inſula quinquaginta M. Cingitur circiter decem M. paſſuum.“ (a) Abeſt *Vozia* a *Kinburn* mill. geogr. octo, M. P. XL. vt centenarius abundet. A Tyra fluuio mill. geogr. nouem, M. P. XLV. proinde CXX eſt numerus mendoſus. *Gile*, *Czile* a *Kinburn*, vti dicebamus, abeſt M. P. XXV, quod interuallum Plinius per CXXV intelligi voluerit; nam Dromos Achillis ab *Czile* nonniſi V M. P. ſpatio diſtat. Iſthuc reſpexerit Mela, haec notans: Leuce Boryſthenis oſtio obiecta, parua admodum, et quia ibi Achilles ſitus eſt, Achillea cognomine; non longe a Colis Aria, quae Marti conſecrata (vt fabulis traditur) tulit aues cum ſumma clade aduenientium, pennas quaſi tela iaculatas.“ Obſcura et haec ſunt. Nos adiunctis rerum perpenſis, Leucen cum Strabone, inſulam *Vozia* ſeu *Godzabei*, Colin *Czile*, accipi oportere cenſemus; de Aria mox dicturi.

Strabo de noſtra inſula a vico Cimbrico, haec diſſerit: (b) *Εἶτ' ἐπὶ τὴν Ἀχίλλειον πόλιν, εἴκοσι στάδια, ἐν ᾗ τὸ Ἀχιλλέως ἱερὸν, Inde ad oppidum Achilleum ſunt ſtadia* XX. *vbi fanum eſt Achillis.* Ibi anguſtiſſimus eſt traiectus oris Maeoticae paludis, XX circiter aut amplius ſtadiorum; in altera continente opponitur Myrmecium vicus, Herculeo et Parthenio vicinus.“ Haec geographus. Anguſtiſſimus eſt traiectus ad vrbem *Ieni-Kale*, vt in Cherroneſo dictum. Proinde fanum Achillis in angulo iſthmi Bosporici, Myrmecio oppoſito, eſſe oportebat; non in angulo boreali, ad Maeotidem; ſecus enim Strabo Achilleum Parthenio oppoſitum dixiſſet, non Myrmecio. Ad haec, in angulo Maeotidis et Bospori latitudo freti eſt minimum IV M. P. ſeu XXXII ſtadiorum; quae menſura Strabonis ſententiae iterum relatae aduerſatur. Nuſpiam XX ſtad. latitudo Bospori deprenditur, praeter quam apud *Ieni-kalè.* Id fanum olim fuerit dirutum, vt diuerſis opinionibus occaſionem praeberet, et alii alio inſulam cum fano transferrent. Puto autem inſulae huius nomen fuiſſe *Macran*, ab graeco *Acra*, ſeu cuſpide; non enim ea vox in geographis, praeſertim Ptolemaeo, ſemper promontorium, vt vulgo reddunt, notat. Vtroque autem Bospori latere planities eſt, nulli montes, niſi remotius, in hac Aſiae parte; et ea inſulae Achillis lingula in cuſpidem omnino definit, quae fanum continebat. Plinius, vbi Achilleam ante Boryſthenem dixit Leucen et *Macaron* adpellari, ſubdit: *Reliquae in Cercinite ſinu*, *Cephalonneſus*, *Rhoſphoduſa*, *Macra.* Tabula, hoc prorſus ſitu, M a c a r a exhibet, quam ſuperius Bosporanae Acrae adplicuimus. Si ſcribae poſtremi alueum Bospori ſignare non neglexiſſent, lis omnis e Tabula dirimi poſſet. Sed et ſic mihi res in vado eſſe videtur. Strabo refert, Corocondamae vico (vrbs *Taman* eſt hodie) opponi in aduerſo Bospori latere vicum Panticapaeorum, *ὄνομα Ἄκρα, nomine Acra*, cuius et Peripli ſcriptor Anonymus meminit, Ptolemaeo *Ἄκρα πόλις, Acra oppidum*, ad Bycen-

(a) L. IV. c. 27. (b) L. XI. p. 491.

paludem extra Cherroneſum, quae cum toto fere illo ſiniſtro Maeotidis latere ad interiora Cherroneſi pertinet, vti monebamus. Haec vicina ſibi mutuo loca, ab ſitu *Ἄκρα* Graecis nuncupata, deſolato bellorum iniuria agro, cum in obliuionem abiſſent, diuerſa ſentiendi anſam praebuere. Itaque, Acra quidem vicus, poſtea oppidum, Cherroneſiis detur; *Macra*, *Macaron*, *Acria* inſula, cum fano Achillis, reſtituatur Bosporanis Aſiae. Cephalonneſum, quia heic multa turbauit Ptolemaeus, rectius fortaſſe *Balyklava*, Rhoſphoduſa *Sudak*, aut *Caffa*, ſeu Theodoſia, accipientur, quam alia hinc remotiora loca. Certe ad ſinum hunc Cherroneſi memoratae inſulae referuntur. Notauit quidem Zacharias Orphelin, de re literaria Slauica non male meritus, in ſinu Cercinite, *Olu deniz*, quatuor continuas, easque maiores inſulas, *Savici*, *Tendra*, *Terlagaſh*, *Dengel*; ſed eae, praeter Tendram, in chartis recentiſſimis, quarum quinas ad manus habeo, non comparent. Habet is in aditu peninſulae, quam e ſinu Maeotidis et Ponti efformat, vbi nonnulli Bosporon Arriani ſtatuunt, **Арабамъ**, *Arabath*, oppidum, quod in aliis, hoc ſitu, non conſpicor. Ortelius, vbi *Taman* eſt hodie, *Matriga* exhibet, quae a *Macara* Tabulae non longe abludit. Et haetenus quidem de inſula Achillis, quam ſede vagam, Tabula duce, natiuo ſolo reſtituere conati ſumus. Hodie inſula *Taman*, ab vrbe nuncupatur, Bosporo, palude *Temruk*, et alueo *Kuban* fluminis auſtrali, incluſa. Quidam id vocabuli promouent ad alueum amnis borealem, oppido *Atsuev* Maeoti infuſum. In mari Caſpio quaedam inſulae notantur, de quibus alias dicemus. Lacus ſequuntur.

IV. 𝔏ac'. 𝔇or. Velſ. *Lac'*. *Dor.* Scheib, 𝔳ic --ı--- literis extritis. Profluit e Maeotide per alueum tenuem, eo fere loco, quo Bosporum ſignari oportebat; tenuatur in alueum rurſus, et per montem Alanorum petit Oceanum. Hunc lacum norunt Strabo, Mela, Plinius, Arrianus; Ptolemaeus ignorat. Strabonis verba ſunt: Supra Corocondamen lacus eſt, ἐν μεγέθης λίμνη, iuſtae magnitudinis, quem ab ea vocant *Κοροκονδαμῆτιν*, *Corocondametin*, is ad x a vico ſtadia exit in mare; effluit in lacum hunc etiam pars Anticetis fluuii, inſulamque efficit circumdatam palude hac, et Maeotide, et fluuio. Sunt qui fluuium hunc Hypanin adpellent, vt eum, qui eſt apud Boryſthenem." Haec eſt inſula *Macra*, quam paullo ante deſcripſimus. Lacus eſt *Temruk* oppido ab exortu adſitus, per quem princeps *Kuban* fluminis alueus in Maeotin exit. Ex eodem alueo, paullo infra lacum paris magnitudinis ramus in auſtrum defluit, paludem Ponti ingreſſus; quem nonnullae chartae pro ipſo *Kuban* fluuio tenent. Mirum enim in modum heic fabri mapparum variant. Mela, Sindis memoratis: Obliqua tunc regio, et in latum modice patens, inter Pontum paludemque ad Bosporum excurrit; quam duobus alueis in lacum et in mare profluens Corocondame paene inſulam reddit." (a) Plinium quoque audire libet: Ipſius pen-

(a) L. I. c. 19.

insulae, inter Pontum et Maeotim lacum excurrentis, non amplius LXVII mill. D. pass. longitudo est; latitudo nusquam infra duo iugera." (a) Strabo his adcurata descriptione antistat. Ramus fluminis, quem is memorabat, ad semitertium mill. geogr. seu M. P. XII. in exortum, ex alueo principe prodit, et in austrum fertur, ad XXII M. P. memorato lacui Pontico immersus, V M. P. interuallo ab exitu aluei e palude Corocondamite promanantis, decursu trium mill. geogr. paludem Ponticam vsque. Alter *Kuban* fluminis alueus princeps, hodie *Kumli Kuban* dictus, in Maeotidem, ortiuo *Atsuk* oppidi latere, ab *Temruk* sex mill. geogr. cum duabus quintis, seu M. P. XXXII interuallo, effunditur; cum altero alueo, Maeotide, et palude Corocondamite insulam litoralem, Plinio *Eionem*, efficiens; quam hic tamen cum altera minore, Macra, permutauit; mensura quippe, quam Eioni tribuit, adcurate Macrae conuenit. Nam ea Strabonis, quam hi quoque duumuiri dicere volebant, longa ad litus Maeotidis est M. P. XXXII. vti dicebamus, in mediterraneis mill. geogr. nouem, seu M. P. XLV. lata medio mill. geogr. tria, M. P. XV. quae Eionis mensurae non conueniunt. Ptolemaeus vnico alueo deducit in Maeotin fluuium, Vardani vocabulo, qui alueo *Kumli Kuban* amni respondeat; nullis praeterea ramis, nullis paludibus, insulisque signatis.

Addit Strabo: Pharnacen etiam ferunt, Hypanin fluuium, expurgata quadam vetere fossa, Dandariis induxisse, agrumque eorum proluisse." Huius fossae vestigia in chartis notantur, media insulae Eionis regione, a fluuio ad Maeotin ductae, *Kara Kuban*, nigri Cuban vocabulo. Mirum foret, Plinium, diligentissimum antiquitatis vestigatorem, fossae huius non meminisse. Habet is fossam, sed cum altera Herodoti in Cherroneso commissam, de qua superiori sectione dictum. Libet orationem repetere, de lacu Buge differentis: Recipit amnes Bugem, Gerrhum, Hypanin, ex aduerso venientes tractu. Nam Gerrhus Basilidas et Nomadas separat; Hypanis per Nomadas et Hylaeos fluit manu facto alueo in Bugem, naturali in Coretum. Regio Scythia Sendica nominatur." Postrema ostendunt, quorsum Hypanis et Coretus spectent. Similem narrationem secutus Ptolemaeus, Hypanin quidem in Pontum, sed in exortum a Borysthene remotum; Axiacem, Bycum, Gerrhum, in Bycen paludem, extra Cherronesum; Agarum, Lycum, Poritum, in Maeotis latus occiduum deduxit. Plinius ante phrasin relatam dicebat: A tergo lacus Buges fossa emissus in mare; ipse Buges a Coreto, Maeotis lacus sinu, petroso discluditur dorso." Sic res se habet: fossae erant in Cherroneso, erant extra Cherronesum. Buges et Byces cum Gerrho, et forsan Agaro et Lyco, ad Cherronesi agrum spectabunt; nam Poritum esse Poratam, Daciae amnem, isthuc praue traductum, nihil dubitem. Hypanis et Coretus huc omnino faciunt. Coretus Plinii est Corocondametis

(a) L. VI. c. 6.

Strabonis, lacus petroſo dorſo a Bosporo disclusus. Hypanis eſt *Kuban*, incolis antiquis Buges, qui a principe alueo diuiſus, nomine *Αντικείτου*, *Anticetis*, Ptolemaeo Atticiti, hodie *Amanſae*, hinc manu facto alueo, *Kara Kuban*, in Maeotin, inde Coretum, Maeotis lacus ſinum, petebat, cum hoc in mare defluens. Caſaubonus, Strabonem hoc loco falſitatis arguit; paullo poſt, dicti prioris oblitus, Polyhiſtorem, apud Stephanum, tradidiſſe ait, Hypanim vno oſtio Tanain, altero mare petere. Idem ex antiquis Plinius docuit. In chartis quibusdam *Pugus*, ad exitum *Kuban* fluminis in mare, notatur. Ptolemaeus traditione mala ductus, nomina amnium permutauit. Vardanus quippe eſt *Aktar*, Atticitus, Strabonis Anticetes, *Amanſa*, ramus Hypanis. Nonnulli praeterea duos cenſent, *Temertſek* et *Kubantſek*, tamquam paruum *Temer* et *Kuban* dicas. In Tabula ſcriptum olim fuerit, Lac'. Cor -- Coretus, aut Corocondametis, ſcriptura vetuſtate attrita.

V. Lac'. ſalinag. hic ſal p ſe ɔficitur. in medio lacus. ſic Velſ. Lacus hic ſupra Heniochos exprimitur. Strabo, regione Eupatoriae, in Cherroneſo, dicebat, eſt *λιμνοθάλαττα, ἁλοπήγιον ἔχουσα, lacus marinus, ſalinas habens;* quem lacum *Baltſik* eſſe dicebamus, infra quem murus, iſthmum Cherroneſi claudens, ductus erat. Hodie quoque lacus eſt, *Tuzla* dictus, cum vico cognonomine ſupra Caſſam, ad litus, qui ſalem habeat. Duo alii, ſupra et infra *Kozlov*, lacus ſalſi in quibusdam chartis notantur. Eſt etiam ſupra *Baltſik* lacus ſalis, quem *'Αλμίτιδα* Arrianus vocat, a portu Scythotaurorum ſtadia ſexcenta remotus. (a) Auctor Tabulae ob ſpatii in Cherroneſo anguſtias, lacum ad Heniochos transtulerit; quamquam et heic ſalſae aquae eſſe poterant; nam ad flexum Volgae, latere ortiuo, notari videas, *Ozero ſolenoe Eltan, lacus ſalſus Ieltan;* quem architectus ille reſpicere potuit. Nullum hac regione lacum nouit Ptolemaeus, vno Maeotidis ambitu complexus omnes. Eſt quidam ſuperne fluuius inter mediocres, *Sal* nomine, ab exortu Tanaim, ex aduerſo *Donetz* fluminis, petens, qui decurſu ſuo plures efficit lacus; forſan ab ſale nuncupatus.

VI. Fluuii, Maeotidem ab Tanai petentes, ſunt terni: horum vnus, Tanai vicinus, caput Oceano ſeptemtrionali recondit; alter ex monte Alanis propinquo, vndas Tauridis influit; tertius prope Pontum e Maeotide egreſſus paludem efformat, tum per montem quemdam transiens Oceanum intrat. Scribarum negligentia factum, vt nomina horum fluuiorum ignoremus; ex ſitu tamen, et Tabulae aetate, quod probabile ſit, cenſere licet. Primum puto eſſe Ptolemaei *Ῥᾶ*, *Rha* ſeu Volgam, quem nonnulli veterum Araxem dixerunt, Tanai, et per hunc Oceano commiſſum; qua via Onomacritus ſuos Argonautas deduxit; ſiquidem id Poema, quod mihi longe adoleſcentius videtur, Onomacrito adſcribi debet. De Araxe Ariſtoteles in meteorologicis refert, *ἐκ Παρνάσου,*

(a) Vid. Voſſ. nott. in Perip. Pont. Eux. p. 5.

ex Parnaſo, (forſan Paropaniſo) maximo omnium ad orientem hibernum monte, Bactrium, Choaſpen, et Araxem fluere, *τόυτου δὲ ὁ Ταναΐς ἀποσχίζεται, μέρος ὢν, εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην*, ab hoc Araxe Tanais diuiſus (pars enim eius eſt) in Maeotin paludem exoneratur.“ Similia tradit Peripli Ponti Euxini auctor, cum Tanain ex Araxe profluere ait. Ptolemaeus quoque id credidiſſe videtur, haec ſcribens: *Εστι καὶ ἑτέρα τοῦ Ρᾶ ποταμοῦ ἐκβολὴ πλησιάζουσα τῇ τοῦ Ταναΐδοσ, Eſt et alius fluminis exitus Tanaidi vicinus.* Putat Voſſius, ad Melam, *ἐπιστροφὴ* pro *ἐκβολὴ* eſſe legendum; quod recentioris quidem geographiae rationes firmat, ſed Ptolemaeo vim infert, vt recte monet Bayerus. Itaque Ptolemaeus quoque eius fuerit opinionis, vt Volgam et Tanaim miſceri, et orientalem quidem Volgae alueum in Caſpium mare, occidentalem autem in Tanaim exonerari crederet. Neque enim plura ad Caſpium fluminis oſtia exprimit, quorum praeter princeps *Iargovſkoe uſtje*, alia vndecim cenſentur. De origine opinionis huius haec Strabo: (a) Multa etiam de hoc mari (Caſpio) mendacia opinio multorum pro veris accepit. Cum enim conſtet, Aſiam ab Europa fluuio Tanai diuidi, et magna Aſiae portio, quae inter Tanaim eſt et mare, non paruit Macedonibus; decreuerant autem id aliqua arte conficere, vt ſaltem fama iactaret, iſtas quoque partes ab Alexandro fuiſſe ſubactas; his inducti rationibus, in vnum conduxerunt Maeotidem paludem, quae Tanain haurit, et Caſpium mare; hanc quoque paludem nuncupantes, dicentesque, meatu quodam effoſſo eas inter ſe coniungi, et vnam eſſe alterius partem.“ Adducta deinde Polycleti ſuper hoc auctoritate, hunc, inquit, *Ιαξάρτην ὠνόμασαν Ταναΐν, Iaxartem nuncupauerunt Tanaim.* Sic ex Caſpio Maeotis, ex Iaxarte Tanais, ex Oxo Araxes effecti. Danuille in chartis ita Volgae fluxum expreſſit, vt inter *Donſkaja* et *Czariczin* oppida, vbi maxime vicini ſunt fluuii, alueo vtrumque iungeret; ſuperius autem, dato *Kama* flumini *Rha orientalis*, Volgae *Rha occidentalis* nomine, hunc circa vrbem *Vologda*, cum *Dvina*, per amnes *Szekſzna*, Volgam, et *Szucsona*, Dvinam petentes, iungeret; Argonautis viam aperturus. Auctor Tabulae, vno alueo, eoque ab Tanai diuerſo, a ſeptemtrione deducit fluuium, Oceano commiſſum, vt longiorem eius curſum indicaret, deductum vero in Maeotin, pro Caſpio, quod longe inde, ob conſtructionem operis abſcedit; vt hac ratione famam veterem ſaluaret, qua Volga Tanai commiſſus credebatur. Addit Bayerus, *Rha*, *Rhos*, nomina, ex antiqua mortalium et communi lingua ad Scythas et alios permanaſſe, quo fluuium dixere; apud Arabes eſſe *Roha*, apud Turcas et Perſas *Rud*, apud Ruthenos **Рѣка** *Reka*, Illyriis *Rieka.* (b) Ceterum inter *Donſkaja* et *Czariczin* oppida, vbi Volga Tanai maxime adpropinquat, intercedunt mill. geogr. tria cum ſemiſſe; fluuii minores vtrimque vicini decurrunt, nulla tamen commiſſio in chartis recentioribus notatur. Orphelin a *Donſkaja*, auſtrali ora arcium *Oſzker*, *Graczi*, *Mecsotnaja*, ad

(a) L. XI. p. 508. (b) Orig. et priſc. ſed. Scyth. p. 70.

vrbem *Czariczin* aggerem ducit; quo tractu hodie fines *Aſtrachan* inter et *Voronecz* ſignantur; in quibusdam ſerrata linea, muri inſtar, cum Gallica epigraphe *Lignes*, comparet.

VII. Alter fluuius ab exortu, ex monte Alanis vicino, prodit, apud Seracas Maeotidi immerſus. Praecipui ab congreſſu Volgae et Tanais ſunt *Sal* et *Manits* amnes, Tanaim ab oriente petentes; poſteriorem Ptolemaeus *Μαρα-βίου ποταμοῦ*, *Marabii amnis* vocabulo ſumſerit; quem is quidem in Maeotin deriuat; ſed amnes ii ſunt minutiores, quam vt his comparari queant. Sunt praeterea Maeotin ab exortu influentes, *Tsubur*, *Eja*, *Beiſuga* maior et minor, *Kerpeli*, *Kimin*, *Kimir;* queis Ptolemaei *Rombites* maior et minor, *Thespanius*, *Pſadius*, *Vardarus* reſpondeant; nam *Atticitus*, his interiectus, pro Vardaro, ad *Kuban* referri debet, vbi Anticetes Strabonis.

Vltimus Tanaim ingrediens eſt Hypanis, diuerſus ab Dacico, vt e Strabone et Plinio colligere licet. Ptolemaeus Vardanum vocat, ſingulari alueo, eoque bene prolixo, e Caucaſiis montibus in paludem deducens. Tabula fluxum amnis longiorem ſignificatura, e lacu Coreto, quem amnis transit, per montem, ex quo prior emergit, in Oceanum, qui heic mare Caſpium indicet, deriuat, vt Volgae oſtium intelligamus. *Kuban* eſt fluuius hac regione praecipuus, in borealibus Caucaſiorum iugis ortus, medios Tatarorum Cubanenſium agros, in occaſum vernum pererrat, Sarmatas a Bosporanis, auctore Ptolemaeo, qui curſum fluminis rite ſignauit, dirimens.

VIII. In mare Caſpium, Cyrus, in Hyrcanum Nigrinus, Oxus, Sigris, deriuantur, nominibus integre adpoſitis; quae olim videntur in Tabula cuiuis fluuio adſcripta fuiſſe. Prior ſic notatur:

fl. Nigrinum. literis minio pictis; Velſ. *Fl. Nigrinum.* Longo tractu a ſeptemtrione defluit, vt magis *Iaik* ſeu *Ural* fluuium, quam *Iemba* amnem, exprimere videatur. Ptolemaeo, *Ῥύμμος*, *Rhymmus*, quem Mannert *Ejaſuri*, minutum, Volgam inter et *Iaik*, interpretatur; Danuille *Iemba.* Nigrinus Tabulae ſono quidem vocis cum Rhymmo Ptolemaei congruit, fluxu autem *Vral* amnem, vti dicebamus, exhibet, quem ſuperne *Ilek* et *Sakmara* petunt. *Ejaſuri* in chartis noſtris locum non meruit; Orphelin riuum notat, e palude quadam in mare decurrentem, absque nomine. Si montium ratio habeatur, ex quibus amnes Ptolemaeus deriuat, *Satmara* nomen Rhymmi geſſiſſe videbitur; vt eos vno alueo Tabula in mare recte deuehat. Plinio, Rhymmici populus, Scythis adnumeratus; Tabulae quoque *Rumi* Scythae, ſed apud Sacas. Nemo praeterea veterum meminit amnis.

IX. fl. Oxus. Velſ. *Fl. Oxus.* priore voce minio ſcripta. Defluit ex monte, quem Tabula maxime ortiuum in ſeptemtrione exprimit, qui ſunt Imaus et Paropamiſus, ex quorum priore Iaxartes, e poſteriore Oxus, initium capiunt. Diuerſos eſſe fluuios, Strabo docuit: Iaxartes ab initio ad finem vſque alius eſt ab Oxo; quantumuis in mare idem effundatur; horum oſtia ad LXXX

parafangas diftare, Patrocles dicit." (a) Pomponius Mela: Iaxartes et Oxos per deferta Scythiae ex Sugdianorum regionibus in Scythicum exeunt; ille fuo fonte grandis, hic incurfu aliorum grandior, et aliquamdiu ad occafum ab oriente excurrens, iuxta Dahas primum inflectitur, curfuque ad feptemtrionem conuerfo, inter Amardos et Paeficas os aperit." (b) Paulo inferius quaedam de Araxe narrat, quae Polybius de Oxo; fed "Ὦξος *Oxus* Polybii *ἐκ τοῦ Καυκάσου τὰς πηγὰς*, *ex Caucafo fontium origines* ducit. (c) Herodotus, de Maffagetis: Haec gens fertur et magna effe et ftrenua, ad auroram folisque ortum fita, *πέρην τοῦ Ἀράξεω ποταμοῦ*, *trans Araxem fluuium.*" (d) Voffius Araxem hunc Oxum effe putat. Bayerus Volgam; Danuille, apud lacum, *Paludes recipientes Araxem apud Herodotum.* Plinius: *Derbices*, *quorum medios fines fecat Oxus amnis*, *ortus in lacu Oxo.* (e) Et quibusdam interiectis: includente flumine Iaxarte, quod Scythae Silin vocant; Alexander, militesque eius, Tanain putauere effe." Bayerus, Sylin, feu potius *Sihyn*, ab adcolis vocari ait. Ptolemaeus et fontibus et oftiis diuerfis, alueisque notat fluuios; Tabula, pro more, vtrumque fluuium alueo vno. Et fic profecto res fe habet; Iaxartes, hodie *Sir-Darja*, ortus in monte Imao, tendit in occafum, influitque lacum *Aralfkoe more*, ab vrbe adiacente nuncupatum, quem Plinius Oxum dicebat. Eumdem lacum petit Oxus, a Paropamifo decurrens, hodie *Amu-Darja*, auftrali lacus ora, interuallo cc M. P. ab oftio Iaxartis. Secundum Patroclis, apud Strabonem, calculum, fi parafangam Perficam triginta ftadiis metiamur, erunt bis mille quadringenta ftadia, ccc M. P. fi quadraginta, qui eft cenfus medius, erunt M. P. cccc. quae eft diftantia oftii fluminis Ochi, in mari Hyrcano, ab oftio Oxi in palude cognomine. E lacu Oxo vno alueo prodeunt omnes lacum petentes fluuii, in Hyrcanum delapfi oftio vno, ab oftio Ochi c M. P. diftante. Ita fignauit fluuios Danuille, in tabula Atlantis generali, cuius fingulari his in partibus induftria caremus. Idem, ex aduerfo influentis in lacum Iaxartis, fignat veftigia veteris aluei a lacu ad mare, ccclxx M. P. fupra oftium Oxi; quae, oram legenti, parafangas octuaginta, cenfu medio, xl M. P. pro vna parafanga fumtis, refpondent, additis triginta ftadiis. Orphelin duplici exitu, eoque tenui, parallelo fere, quatuor mill. geogr. minimum ab fe fe diremto, lacum emittit, parte lacus auftrali ab occafu, eo fitu fere, quo et Danuille; medio inter vtrumque fpatio canalem, tamquam recenti manu factum, producit a lacu ad mare, altero minori ex parte auftrali addito, a lacu ad medium prioris. In quibusdam chartis recentibus nullus eft e lacu in mare exitus, fed duorum alueorum, infra lacum ex Oxo prodeuntium veftigia, qui verfus maris aeftuarium *Kamifh* dictum, tendere videantur. Apud Danuille abeft a mari lacus, qua parte emittitur, cccxxx M. P. apud Orphelin 76 mill. geogr. M. P. ccclxxx. In chartis

(a) L. XI. p. 518. (b) L. III. c. 5. (c) L. X. c. 45. (d) L. I. c. 202. (e) L. VI. c. 18.

vetuſtioribus, lacui *Saluna*, Iaxarti *Cheſel*, Oxo *Albia*, Ortelio *Abiamu*, nomen, qui diſtinctis, vt Ptolemaeo, alueis mare petunt. Tabulae auctor, veterem Eratoſthenis et Strabonis famam ſecutus, apud memoratam *Aral* paludem, Caſpium amplo freto in Oceanum deducit; niſi lacum ſignare volebat. De Sirgi, Margianam et Bactrianam praefluente, vt videtur, alio dicemus loco; foſſam, cuius Strabo et Plinius ad Bosporum meminere, ſuperius deſcripſimus.

§ III

Prouinciae, populi.

I. CVM plerique harum partium incolae eſſent Nomades, in populos diuidebantur, nuspiam, quam iſthic, plures numerati. Plinius: Tanain transiſſe aiunt, Phatareos, Herticeos, Spondolicos, Synhietas, Amaſſos, Iſſos, Catazetos, Tagoros, Catonos, Neripos, Agandeos, Mandareos, Satarcheos, Spaleos.“ (a) Tabula, a tergo Tanais, in boream, vbi Sarmatiae Aſiaticae pars apud Ptolemaeum, habet,

TANASIS. GALATIE. literis miniatis; Velſ. Tanaſis Galatie. Plinius, Tanaitas memorat, qui ab Tanai flumine, quod adcolebant, nuncupati fuerint. Ptolemaeus, alios praeterea ab his diuerſos recenſet. *Galatiae* his locis vocabulum nemo prodidit. Sunt Plinio inter civitates Cherroneſi, *Caliordi;* Melae Pomponio, apud Dromum Achillis, inſula *Colis;* quae voces cum Galatia hac cognationem habeant. Forſan ſcriptum erat Salatie. litera S ad Tauricam translata; *Saurica* enim ſcribitur; vt prouinciam Sarmatarum, ab Sale amne adpellatam intelligamus. Opinio, quae ſit veroſimili proprior, non ſuccurrit. Situs vocabuli reſpondet Sarmatiae Ptolemaei.

MANIRATE. literis pictis; Velſ. MANIRATE. Plinio, *Mandares*, ad Tanaim, vt paullo ante vidimus; nonnulli Gandareos in Plinio legebant; Tabula firmat lectionem ab Harduino reſtitutam. Ptolemaeo, *Ματηνοὶ*, *Mateni*, Schotti libro, *Ματηϱοὶ*, etiam Italo *Materi*. Hi erunt forſan *Ματιηνοὶ*, *Matieni* Herodoti, ex quibus Araxem deriuat; ſed ii ad Mediam ſpectare videntur; noſtri *Veronecz* palatinatum et *Aſtrachan* incoluerint.

II. MEOTE. ſcriptura minio picta; Velſ. *Meote.* Tanaim inter et Maeotidem, latere huius dextro. Plinius quoque hac parte eos ponere videtur: A Buge ſuper Maeotin Sauromatae et Eſſedones; at per oram Tanaim vſque Maeotae, a quibus lacus nomen accepit.“ (b) Sed haec ad Aſiam referri, ipſe loco alio perhibet, cum Cerberio memorato Bosporoque: *A Cimmerio adcolunt*

(a) L. VI. c. 7. (b) L. IV. c. 26.

Maeotici, *Vali*, *Serbi*, *Arrechi*, *Zingi*, *Psesii.* (a) Strabo de hoc dextro Maeotidis latere plura notat: (b) Nauiganti pone terram a Tanai (oppido) intra DCCC stadia fluuius occurrit, qui magnus Rombites dicitur, (*Geja*) vbi plurimi pisces ad salsamenta capiuntur; deinde ad alia DCCC Rombites paruus, (Beissuga) promontorium, quod et ipsum capturas habet piscium, sed minores. Illi pro receptaculis vsurpant minutas insulas in minore Rombite, *οἱ Μαιῶται*, ipsi Maeotae opus faciunt; vbique enim ea in ora Maeotae adcolunt, agricolae quidem, sed non minus quam Nomades bellicosi. Diuiduntur in gentes complures, quarum propiores Tanaidi feriores sunt, Bosporo viciniores magis mansuetae." Postea vero: De Maeotis sunt Sindi, Dandarii, Toreatae, Agri, Arrichi, Tarpetes, Obidiaceni, Sittaceni, Dosci, alii plures, nec non Aspungitani." His addit quaedam historica, scitu non inutilia; vt cum inquit, Maeotarum alios Tanain emporium tenentibus, alios Bosporanis, pro temporum diuersitate, paruisse. Ptolemaeo Erasmi, *Θετμῶνται*, *Thetmontae*, Schotti *Θαιμεῶται*, *Thaemeotae*, pro *οἵ τε Μαιῶται*, Italo *Temeoti.* Hodie regio, quam Maeotae olim tenebant, *Kuban* dicitur, a principe eam permeante fluuio. Si Tabula et Plinius recte habent, pars eorum ad alterum quoque Maeotidis latus spectarit. Sarmatici generis fuisse videntur, Cimmeriis mixti. Nullos enim heic Scythas nouit Tabula, quos deinde sedulo recenset. Ptolemaeus, occiduo Maeotidis latere Scythas ponens, veterem famam secutus videtur.

CANNATE. literis miniatis; Velf. Cannate. inter bina flumina, quorum alterum Volgam, alterum Salem dicebamus. Ptolemaeo, Tanain inter et Volgam, *Χαινίδες*, *Chaenides.* Plinius dicebat, Tanain per *Catonos* transisse. *Kama* fluuii, in palatinatu *Kazan*, adcolae fuerint.

III. Seracoe. Velf. *Seracoe.* infra Cannatas. Strabo, a septemtrionali Tanais regione, Scythis memoratis: citra hos Sarmatae, ipsi quoque Scythae, Aorsi, *καὶ Σειράκοι*, et Siraci, vsque ad Caucasios montes." (c) Plinius, vbi de Achillis Dromo dixit: *Totum eum tractum*, inquit, *Tauri Scythae*, *et Siraci tenent;* (d) quos ibi Tabula Sorices dicebat; hi autem Seracae videntur Plinii *Serbi*, in Maeoticis relati. Ptolemaeo, iuxta Tanais et Volgae vicinitatem, *Σηρακηνοὶ*, *Seraceni*, Schotti edito, *Σιρακηνοὶ*, *Siraceni;* eidem cosmographo, oppidum *Σεράκα*, *Seraca*, Schotti libro, *Σαράκα*, *Saraca* Erasmi, Italo *Seraca*, quod Tabula probat. Populum vrbi admoueas oportet; hanc is ad Vardanum, *Kuban*, statuit. Si medium teneas, amnis *Terek* adcolas putabis; nisi superius ad *Sarpam* eos poni malis, vbi a Ptolemaeo statuuntur. Erat vetus oppidum *Serai*, supra *Czariczin*, agro Volgae orientali.

PSACCANI. scriptum minio pictum; Velf. Psaccani. Ptolemaeo, inter Hippicos montes et Ceraunios, *Σάκωνοι*, *Saconi;* Schotti libro, *Σακάνοι*,

(a) L. VI. c. 7. (b) L. XI. p. 493. (c) L. XI. p. 492. (d) L. IV. c. 26.

Sacani; ſic etiam Italo. Fuerint adcolae *Manics* amnis, circiter medium fluxus eius, vbi lacus ſalſus, quem praefluens transit. Eſt etiam oppidum *Satkovka*, ripa dextra, verſus exitum fluuii eiusdem.

SARDETAE. Velſ. SARDETAE. Ptolemaeo, ſupra Chenidas, *Σαναρδηνοί*, *Sauardeni;* regionis *Saratov*, ad Terſam fluuium, incolae. Plinius, *Satarcheos* ad Maeotin, cum Mandareis, cenſet; qui, neſcio, vtrum iidem cum Sardetis Tabulae ſint. Id autem heic obſerues, diphthongum AE ſine vocis integre ſcribi; quod alias quoque ſubinde fieri videas; olim vbique haec ſcribendi ratio in Tabula ſeruata fuerit. Forſan Vardanus Ptolemaei, alieno loco poſitus, huc ſpectabit. Ceterum Sardetae ſic in Tabula ponuntur, vt *Serbos* quoque, Plinio et Ptolemaeo memoratos, complecti valeant; qui Eraſmo *Σίρβοι*, *Sirbi*, Schotto *Σέριοι* pro *Σέρβοι*, Italo *Serbi*, dicuntur. Nemo autem cum Porphyrogenneta putet, hos Serbos, modicum populum, Serborum in Moeſia maiores eſſe. Hi enim e Threicia progenie ſati fuere, patriae autochthones, Serdorum poſteri; Serbi ad Volgam et Maeotin Sarmatae fuerunt.

IV. ASPVRGIANI. ſcriptum minio pictum; Velſ. Aſpurgiani. Neque Plinius horum meminit, neque Ptolemaeus, meminit autem Strabo, in Maeoticis, qui eorum ſedes ita deſcribit: (a) *Ἀσπουγγιτανοί*, Aſpungitani, inter Phanagoriam habitantes et Gorgippiam ad D ſtadia; quibus cum inſidiaretur ſub amicitiae praetextu rex Polemo, re comperta bellum iis inferens, in poteſtatem eorum viuus peruenit, et interiit.“ Caſaubonus, *Ἀσπουργιανοί*, *Aſpurgiani*, ex alio Strabonis loco, recte legit; vbi geographus de eodem Polemone: marito apud barbaros mortuo, *ἐν τοῖς Ἀσπουργιανοῖς καλουμένοις τῶν περὶ τὴν Σινδικὴν βαρβάρων*, *in Aſpurgianis barbaris*, *qui ſunt circa Sindicam*, Pythodoris vxor in regno ſucceſſit. (b) Stephanus e priore geographi loco, *Ἀσπουργιανοί*, *ἔθνος τῶν περὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην*, *Aſpurgiani*, *populus iuxta Maeotin paludem.* Situm Phanagoriae ipſe Strabo et Plinius ita deſcribunt, vt eam ad lacum Corocondamitem, infra *Temruk*, ad confluxum Amanſae cum lacu, intra inſulam, vbi rudera vrbis *Amanga*, fuiſſe intelligamus. Inde flumine aduerſo procedenti ad LXII lapidem occurrit oppidum *Kepil*, *Kopil*, *Kopyl*, infra ſciſſionem amnis in *Kuban* et *Amanſa* alueos. Heic igitur Aſpurgianorum patria. Geographi *Kepil*, e vocis cognatione, *Κῆπος*, *Κῆποι*, *Cepos*, *Cepi* interpretantur; quod Strabo cum Phanagoria ad laeuam inſulae ſtatuit; Hermonaſſam et Apaturum ad dextram, trans Hypanim, in Sindica. Cepis reſpondeat oppidum *Kizil-taſh*, intra inſulam, ad oſtium *Kuban* fluminis, e palude prodeuntis in mare. Mannert ſitum his oppidis non adſignauit.

ILMERDE. Velſ. ILMERDE. trans Hypanim, in Sindis. Plinio *Mandurei* ſunt ad ripas Tanais; *Mardi* inter Achaeos et Cercetas, ad oram Ponti;

(a) L. XI. p. 194. (b) L. XII. p. 556.

Μάνραλοι, *Manrali*, Ptolemaeo, Schotti edito *Μάνραλοι*, *Maurali*, initio Colchidis. Sed Bosporo vicinus hic fuit locus, vt in oppidis dicemus. Strabonis *Δανδάριοι*, *Dandarii*, Plinii *Dandari*, in Maeotis relati, cum Ilmerdis cognationem habeant. Sunt in Sendica montes, Tataris *Varda-daghi* nuncupati, quos hi Ilmerdae, quorum nemo praeterea meminit, adcoluere. Sunt apud Ptolemaeum *Περιέρβειδοι*, *Perierbidi*, ad flexum borealem Tanais; qui ſono barbarae vocis conuenire videantur, ſed ſitu diſcrepant; coſmographo *ἔθνος μέγα*, *populus grandis*, vocatur.

LAZI. literis minio pictis; Velſ. Lazi. Plinio, *Lazi*, Ptolemaeo, *Λάζαι*, *Lazae*, in ora Colchidis; Arrianus, *παλαιὰν Λαζικὴν*, *veterem Lazicam*, cum Achaeis, hos cum Sindis, qui Bosporo vicini fuere, coniungit, prorſus, vt in Tabula ponuntur. Straboni, eorum loco, ſunt *Ζύγοι*, *Zygi*, de quibus mox dicemus; Lazos non habet geographus. Procopii aetate validi in Colchide fuerunt Lazi, quorum frequentius meminit ſcriptor.

ENIOCHI. literis miniatis; Velſ. Eniochi. Strabo: Poſt Sindicam et Gorippiam ad mare ora eſt, *τῶν Ἀχαιῶν, καὶ Ζυγῶν, καὶ Ηνιόχων*, *Archaeorum, Zygorum, et Heniochorum*, maxima ſui parte importuoſa, et montoſa, vtpote portio Caucaſi. Viuunt e praedationibus maritimis. Aiunt, poſt Iaſonis expeditionem Laconas *Ηνιοχίαν* Heniochiam, Achaeos Achaiam, quae heic eſt, habitaſſe. Heniochi quatuor reges habuerunt, quo tempore Mithridates fugiens ex auita ditione in Bosporum, per ipſorum regionem transiuit. Artemidoro teſte, ora Heniochorum ad mille ſtadia procurrit. Eidem poſt Sindos ſunt Cercetae, tum Achaei, deinde Heniochi. Strabo ex iis, qui Mithridatica tradidere, ait, ab Sindis eſſe Achaeos, tum Zygos, Heniochos, Cercetas, Moſchos, Colchos. (a) Pomponio Melae, Sindones, Cercetici, Achaei, Heniochi, alias Heniochae, in feris gentibus numerati. (b) Ortos ab Amphito et Telchio, Caſtoris et Pollucis aurigis Heniochos, conſtare, inquit Plinius. (c) Heniochi ſunt idem Sarmatis, quod Scythis, Herodoto teſte, Arimaſpi, ſeu monoculi, ſic ab arte ſagittas emittendi nuncupati. Addit Plinius, Cyrum ex Heniochiis montibus, quos alii Coraxicos vocauere, oriri; quo loco forſan auſtrales reſpexit Heniochos, Colchis a meridie finitimos. Alias, multis nominibus Heniochorum gentes, vocat. (d)

V. CHISOE. Velſ. CHISOE. Hi ſint Strabonis Zygi *Ζύγοι*, Achaeis et Heniochis interiecti, vt ex Mithridaticorum ſcriptoribus paullo diximus ante. Melae, *Sedochezi*, Cerceticis vicini. Plinio, Choatrae, *Zigae*, Dandari. Ptolemaeo, ad Coracem montem, Arichi, et *Ζιγχοὶ*, *Zinchi*, Schotti libro, *Ζινχοὶ*. Plinius, paullo ante, Serbi, Arrechi, *Zingi*, Pſeſii; tam quam ſint a prioribus diuerſi. Idem ſcriptor, Imityem fluuium ex montibus Ciſſiis deriuat, qui ſunt auſtrali Colchidis parte. In chartis *Ziketi*, ſinui *Koldaf* oppoſiti.

(a) L. XI. p. 496. (b) L. I. c. 19. (c) L. VI. c. 5. (d) L. VI. c. 4.

SANNIGAE. Vers. SANNIGAE. Plinio forsan *Zingi*, Ptolemaeo *Zinchi*, ad montem Coracem, in mediterraneis, vt eos Tabula quoque statuit. Habet tamen Plinius, australi Colchidis ora, a Trapezunte: *Vltra*, inquit, *gens Sannorum*, *Heniochorum*. Inferius, a Sebastopoli, parte Colchidis boreali: Gens Sannigarum, oppidum Cygnus, flumen et oppidum Penius; deinde multis nominibus Heniochorum gentes." Hi sint *Σάναροι*, *Sanari*, *Σαναραῖοι*, *Sanaraei*, Ptolemaei, supra Albaniam. *Zigi* ad oram maritimam fuere.

ARSOE. Vers. ARSOE. Strabo, in Maeoticis, Agri, *Ἀῤῥηχοὶ*, *Arrechi*, Tarpetes; in vulgatis *Ἀῤῥιχοὶ*, *Arrichi*. Plinius, Serbi, *Arrechi*, Zingi. Ptolemaeus, *Ἀριχοὶ*, *Arichi*, Schotti edito, *Ἀρινχὶ* pro *Ἀριγχοὶ*, *Arinchi*, Italo, *Arichi;* ad montem Coracem, Zinchis vicini, vt in Tabula. Nisi AORSI legi debeant, quos Plinius Getis, Sarmatis, et Scythis adnumerat. Pars eorum Achaeis vicini coluerint.

Sindecae. Vers. *Sindecae*. Loco positi alieno, quod Sindica ab vniuersis Bosporo contermina statuitur, et hodie quoque *Sundshik* oppidum, lacus et fluuius, nominis eiusdem, situm loquuntur. Validum populum fuisse, ex eo adparet, quod ab Hypani, *Kuban*, fluuio ad mare vsque tenuerunt, Achaeis finitimi; vnde factum, vt a Strabone Maeoticis adnumerati sint, prout vidimus. Ager eorum *Σινδικὴ*, *Sindica*. Scylaci, post Maeotas, *Σιντοὶ ἔθνος*, *Sinti gens*, in quibus vrbes, Phanagori, Cepi, Sinticus portus, Patus, Straboni Bata. Mela, Heniochi, Achaei, Cercetici, et iam in confinio Maeotidis Sindones; in Heniochorum finibus Dioscorias, a Castore et Polluce, Pontum cum Iasone ingressis; Sindos in Sindonum ab ipsis terrarum cultoribus condita est." (a) Plinius, Coreto lacu, et Hypani amne memoratis: *Regio Scythia Sendica nominatur.* (b) Loco alio: In ora, iuxta Cercetas, flumen Icarusa, cum oppido Hiero et flumine, ab Heracleo CXXXVI mill. inde promontorium Crunoe, a quo supercilium arduum tenent Toretae. Ciuitas Sindica, ab Hiero LXVII M. D. passuum; flumen Setheries. Inde ad Bospori Cimmerii introitum LXXXVIII mill. D passuum." (c) Ptolemaeo, *Σίνδα κώμη*, *Sinda vicus*, *Σίνδικος λιμὴν*, *Sindicus portus;* Schotti libro, *Σινδὰ*, *Σινδὶς*, praue; Italo, *Sinda castello*, *Sindico porto;* populi cosmographus est oblitus. Strabo, post Sindicam, *Σινδικὴν καὶ τὴν Γοργιππίαν*, et Gorgippiam, ad mare, ora est Achaeorum, Zygorum, et Heniochorum." Paullo ante dicebat, ab Corocondame nauigationem esse, qua ad stadia CLXXX *Σινδικὸς λιμὴν*, *καὶ πόλις*, *Sindicus portus*, et oppidum occurrunt. In chartis, *Anapa* desertum, deinde *Tsani* incolae notantur. Mensuras explorabimus deinde.

VI. **ACHEI.** Vers. *Achei*. et paullo posterius, **ACHEON. MALICHI.** Vers. *Acheon. Malichi.* Hos dispiciemus postea; de Achaeis Strabo: Aiunt,

---

(a) L. I. c. 19. (b) L. IV. c. 16. (c) L. VI. c. 5.

inquit, ab Iafonis expeditione, *τοὺς μὲν Φθιώτας Ἀχαιοὺς τὴν ἐνθάδε Ἀχαΐαν οἰκῆσαι*, *Phthiotas Achaeos hanc Achaiam incoluiſſe.* (a) Mela, Heniochi, *Achaei*, Cercetici; Plinius, ab Diofcuriade, *Achaei*, Mardi, Cercetae, Serri, Cephalotomi, Heniochi. Strabo, poft Sindicam et Gorgippiam, oram Achaeorum, Zygorum et Heniochorum effe ait. Ptolemaeo, Sindi, quos nominare omifit, Achaei, Cercetae, Heniochi. Plinius cum Tabula tenet. Poterant Achaei, vti Lazi et Heniochi, diuerfis regionibus habere fedes. Malichos nemo ifthic nouit. Sunt Ptolemaeo, in Arabia felice, *Μαλίχαι*, *Malichae*, qui huc referri nequeant; noftri eam occupant regionem, quam *Μελάγχλαινοι*, *Melanchlaeni* apud Scylacem et Plinium tenent; vt in oppidis oftendemus. *Makizir* amnis, Scylaci Metaforis, praefluebat gentem. Achaei hodie *Avkaſſi* nuncupantur; quamquam vocabulum hoc plures veterum populos complectitur.

Svani. Velf. *Suani.* Strabo *Suanes* vocat, fupra Heniochos, in mediterraneis, Phthirophagos, *Σοάνας*, Soanes, aliasque gentes, circa Caucafum, aiunt Mithridaticarum rerum fcriptores. Vulgati *Θοάνας*, fcripti *Θοῶνας*, *Thoanas*, *Thoonàs* praeferunt; fed *Σοάνας*, *Soanas* legi oportere, Cafaubonus recte monuit; et ipfe Strabo deinde: *Σόανες*, *Soanes*, inquit, Phthirophagis quoad fordes quidem fimiles, potentia potiore, qua et fortitudine reliquos fere omnes excedunt, et in orbem circumfita tenent, fumma Caucafi habitantes, quae Diofcuriadi imminent. Regem habent, et concilium ccc virorum; conducunt exercitum hominum, vt fertur, etiam ad ducenta millia. — Aiunt apud hos etiam aurum deferri a torrentibus, idque barbaros excipere alueolis perforatis, et velleribus lanofis, vnde etiam *aurei velleris* exftiterit fabula.“ (b) Plinius: Gens Salae, antiquis Phthirophagi dicti, et Suani; flumen Cobum e Caucafo per Suanos fluens; dein Rhoas; regio Ecrectice; amnes, Singames, Tarfuras, Aftelephas, Chryforrhoas; gens Abfilae, caftellum Sebaftopolis.“ Placuit integrum referre locum, quoniam fingularis eft, et Suanorum regionem eximie depingit. Vides autem heic recentis Cubani, eumque petentium amnium, *Baſtſian*, *Oſet*, *Dialkot*, *Entelek*, *Barkakli*, *Barſukli*, regionem exhiberi. Hodie praecipuus alueus eft *Suanes*, cuius adcolae *Suanotae*, Plinio amnis *Singames;* Cobus autem, citra controuerfiam, *Cuban* eft, quod a nemine obferuatum video. Mannert, Soanes Strabonis, inquit, Suani, Sanigae et Sagidae Plinii, funt iidem; nihil praeterea e geographia Plinii. Sagidas non lego; Sannigae Plinii, Sanni, et Suani, funt populi diuerfi, etfi non longe ab fe fe mutuo diremti. Ptolemaeo, *Σουενόχαλκοι*, *Suenochalci*, rectius Schotti libro *Σουανοκόλχοι*, *Suanocolchi*, vti etiam Italo, e Suanis et Colchis, quorum fines adcolebant, confiftentes, a frigida regione forfan adpellati. Loco alio, in Tabula, *Suani Sarmatae* leguntur; de quibus poftea, vti et de Phrytanitis conterminis.

(a) L. XI. p. 495. (b) L. XI. p. 499.

VII. Ante quam progrediamur, fines horum populorum, qui oram Ponti a Bosporo coluere, secundum promissa, describere libet. Contendemus Strabonem cum Plinio, qui mensuras dederunt. Strabo dicebat, ab Corocondama nauigationem esse austrum versus, et ad CXXC stadia Sindicum portum occurrere. Plinius, directione opposita progressus, a ciuitate Sindica, et flumine Setherie ad Bospori Cimmerii introitum, LXXXVIII mill. D. passuum. Sindos oppidum est *Sundshik*, Ruthenis *Bovudjak*, chartis quibusdam *Bogudjak*, lacui et amni cognomini adsitum, quod ab exitu australi *Kuban* fluminis per paludem *Kisil-tash*, vbi oppidum Cepi esse putabamus, quatuor mill. geogr. cum tribus quintis, recto ductu, oram legendo sex mill. geogr. abest; inde ad introitum Bospori mill. geogr. duo cum tribus quintis. Proinde Strabo, siquidem calculus recte habet, non a palude Corocondama, sed ab exitu eius in mare, CLXXX stadia, seu M. P. XXII cum semisse, acceperit; quae mensura est iusta. Nam ab Corocondama oppido, quod est *Taman*, per oram, ad Sindon oppidum sunt mill. geogr. decem, M. P. L. stadia CCCC. Arrianus ab Sindica ad Bosporum censet stadia DXL. seu M. P. LXVII. cum semisse; quae mensura, cum litoris ambagibus, non male habet. Plinii census ad Phanagoriam, quo nauigia cum mercibus tendebant, pertingit, cum portuum et litoris diuerticulis. Erat autem Phanagoria ab Corocondame in exortum aestiuum ad lapidem decimum sita. Nonnulli recentiorum *Sundshik* seu *Anapa* oppidum ab *Sundjak* quatuor mill. geogr. remouent, tamquam diuersa forent loca; quam repetitionem in chartis melioribus non video.

A portu Sindico ad Bata vicum et portum, stadia CCCC numerat Strabo, quae sunt M. P. L. Plinius, ab Hiero ad Sendicam LXVII M. P. Arrianus stadia CCC. seu M. P. XXXVII cum semisse. Hiero Arriani respondet *Glindshik liman*, cum oppidulo *Zikevi*; Bata Strabonis, prope vicum *Koldof*, ab occasu, ad quintum fere lapidem, vbi locus stationi nauium idoneus, hodie desertus. Hieron Plinii, est vicus *Voutali*, inter *Koldof-liman* et fluuium *Kaportis*, Plinio Icarusam, promontorio medium procurrente, de quo scriptor: In ora, iuxta Cercetas, flumen Icarusa, cum oppido Hiero et flumine, ab Heracleo CXXXVI mill. Inde promontorium Crunoe, a quo supercilium arduum tenent Toretae.“ Ptolemaeo, promontorium, Taretica, in Heniochis; Toretas nec ipse, nec Tabula habent. Scylax, a portu Sindico Cercetas ducit, in quibus Τοϱικὸς πόλις καὶ λιμὴν, *Toricus oppidum et portus.* Artemidorus, apud Strabonem, Sindos ad Bata promouit, a Batis Cercetorum oram, stationes habentem et vicos, porrectam ad DCCL stadia, memorat; oram Achaeorum ad stadia D. inde Heniochorum ad CIↃ. post Pityunta magnum, vsque ad Dioscuriadem, CCCL. Secundum Artemidori, litus cum omnibus diuerticulis secuti, censum, Cerceti tenuerunt ab *Koldof* ad *Vonjach* vicum et montem inter *Mutzis* et *Alatsa* fluuios procurrentem, oram XCIV M. P. productam. Eos excipiunt Achaei ad vicum *Sutsia*, et fluuium *Makizir*, qui est *Μετάσωϱις Metasoris* Scylacis, in Melanchlaenis,

LXIII M. P. interuallo. Inde Heniochi ad oppidum *Tſom*, vbi Heraclium Plinii. Supra oppidum eſt ſinus, in occaſum aeſtiuum procurrens, quem fluuius *Tſomis*, et mox *Kodoris*, Ptolemaeo Corax, qui olim quoque Colchidem ab Scythis Sarmatisque dirimebat, vti hodie ab Cercaſſis Tatarisque Mincreliam disiungit, excipiunt. A *Tſom* porro ad *Marmari* fluuium et *Iſkuriah* oppidum ſunt ſeptem mill. geogr. cum ſemiſſe; tum *Ilori* oppidum, et amnis *Ekalis*, mill. geogr. ſex cum ſemiſſe. Heic Sebaſtopolin, ibi Dioſcuriadem poni oportere, menſurae a veteribus datae expoſcunt. Mannert hanc oram obiter percurrit, et vulgari opinione ductus, Sebaſtopolin cum Dioſcuriade, Plinio palam reclamante, committit. Perſequamur populos.

VIII. PHRYSTANITE. caractere picto; Velſ. Phryſtanite. ſupra Achaeos, intra montes. Strabo *Φθειροφάγους*, et Plinius Phthirophagos, ab ſordida vitae ratione dictos, Suanis conterminos, norunt. Hic praeterea, de Pityunte oppido opulentiſſimo, cuius nomen ad oram in *Pitſiunta* ſuperat, ab Heniochis direpto, agens: A tergo eius, inquit, Epageritae, Sarmatarum populus, in caucaſi iugis; poſt quem Sauromatae.“ (a) Videntur populari vocabulo *Priſuanitae* nuncupati, Suanis fluuii, quem Plinius Singamen vocauit, adcolae. Hodie quoque in chartis *Suanetae*, auſtrali amnis latere, in iugis Caucaſiis, notantur. Heic Tabula montium tractum, quae ſunt Caucaſi iuga, terminat, vbi ſines Colchidis, Iberiae et Sarmatiae; hodie, Cubaniae, Mingreliae, Georgiae, Aſtrachani.

CAVCASI. literis minio pictis: Velſ. Caucasi. Eo fere ſitu comparent, quo Ptolemaeus Ceraunios montes cum Caucaſiis iungit; vt vocabulum *montes* in Tabula ſubaudiri videatur; quamquam et populus, qui hodie *Avkaſſi*, olim *Caucaſii*, in iugis borealibus, quae proprie Caucaſiorum nomine veniebant, et hodie vſque, in omnibus chartis notantur, adpellari potuit. Nunc eam obtinentes plagam, Cercaſſi, *Tserkaſſi*, vocantur. Et hactenus quidem circa montes Caucaſios verſati ſumus; ſuperiora luſtremus. Ab occaſu conſpiciuntur,

IX. ALANI. caractere miniato; Velſ. Alani. Supra montem, ex quo deriuatur amnis in Maeotin defluens, qui fontibus Volgam exprimat. Ptolemaeo, in Scythia intra Imaum, vltimi in ſeptemtrione, *Ἀλανὰ ὄρη*, *Alani montes*, *Ἀλανοὶ Σκύθαι*, *Alani Scythae*, item *Ἀλάνορσοι*, *Alanorſi*, vt Schottus habet, Eraſmo *Agathyrſi*, qui huc non ſpectant. Hos et Tabula indicare voluerit, qui vltimi in ſeptemtrione montana coluere; id enim vox *Alani*, ſeu, vt in Europa expreſſit Tabula, *Vlani*, *Olani*, ſignificat. Straboni hae regiones erant ignotae, et fere etiam Ptolemaeo, qui ſupra hos terram incognitam ſtatuit. Plinius Alanos et Rhoxolanos in Europa nouit; heic non memorat.

(a) L. VI. c. 4. ſq.

PSACCANI. Velſ. PSACCANI. Pars fuerint Pſaccanorum, quos ad *Manics* amnem poſuimus; forſan compoſito vocabulo *Pſacae Cani*, adpellandi. Ponuntur ſupra lacum ſalinarum, *vbi ſal per ſe conficitur*, prout in Tabula ſignari videas. Eſt lacus ſalis in prouincia *Aſtrakan*, ortiuo Volgae agro, ſupra flumen *Aktuba*, *Elman* dictus, quem hi Pſacecani, alias ignoti, adcoluerint. Ptolemaeo, hoc fere ſitu, eſt *Κανοδιψὰς χώρα*, *Canodipſas regio*, Eraſmi edito *Κοναδιψὰς*, *Conadipſas;* quae cum Pſaccanis ſeu Pſacecanis Tabulae cognationem habeant.

NERDANI. literis pictis; Velſ. Nerdani. Plinius, inter adcolas Tanais, cenſet Neripos; Ptolemaeo, nonnihil orientem verſus, *Σουαρδηνοὶ*, *Suardeni*, ſupra Chaenidas, Schotti libro *Σεαρδηνοὶ*, *Seardeni*, Italo *Suardeni*, qui cum Tabulae Nerdanis conuenire videntur, palatinatus *Voronez*, *Voronezs*, fortaſſis incolae. Niſi ſint *Δανδάριοι*, *Dandarii* Strabonis, Dandari Plinii, ad oram Ponti, quorum veſtigia ſuperent in oppido *Dandars*. Suardeni quippe Sardetis Tabulae conſonant, vt ſuo diximus loco.

AMAZONES. literis minio pictis; Velſ. Amazones. Supra montes, quos Hippicos et Ceraunios Ptolemaeus nuncupat, vbi eidem *Ἀμαζόνες*, *Amazones*, infra Scymnitas, ponuntur, intra Volgam et Sarpam fluuios, qua regione ſunt *Uluſi Kana Kalmutſkago*, apud Orphelin. Plinius: Tanaim, inquit gemino ore influentem, colunt Sarmatae, — et ipſi in multa genera diuiſi. Primo Sauromatae Gynaecocratumeni, vnde Amazonum connubia.“ Nouit Amazonas viragines Homerus; multa et Herodotus de iis narrat. Id apud hunc ſingulare, quod Iſtro inuectas, dein Ponto, in haec prorſus loca deducit. Sed etiam Dalmatae, memoria Romanorum, imperio muliebri regebantur, et bello, quod Traianus aduerſus Dacos geſſit, mulieres Sarmaticae equites, ſagittas et arcus tractantes, in columna illius imperatoris cernuntur. Neque memoriae recentiores id genus heroinarum deſunt. Celebris eſt apud Illyrios *Marula divojka*, quae Turcis an. 1475 Lemnum obſidentibus, patre vrbis praefecto caeſo, ſumtis eius armis et veſte, adeo fortiter irruit in hoſtem, vt militem metu correptum excitarit, hoſte a moenibus repulſo. Proinde ea, quae antiqui de idgenus heroinis narrant, nemo vniuerſa fabulis adcenſuerit. Nonnulla de Amazonibus et in Ponto Aſiae dicemus.

X. **CHIREOE.** caractere picto; Velſ. Chireoe. Sunt *Σκυμνεῖται*, *Scymnitae*, Schotti libro *Συμνῖται*, Amazonibus apud Ptolemaeum vicini; quorum praeterea meminit nemo. Videntur nominis graeci *γυναικοκρατούμενοι*, *Gynaecocratumeni*, ſeu imperio muliebri recti, veſtigia tenere; vt, quae de his prodidit Herodotus, et nos paullo ante memorauimus, firmentur.

COLOPHENI. Velſ. COLOPHENI. ſupra Caucaſi iuga, quae Suani tenuere. Plinius heic regionem Colicam nouit; memoratis quippe Heniochis: regio Colica, inquit, in qua iuga Caucaſi ad Riphaeos montes torquentur, — altero latere in Euxinum et Maeotin deuexa, altero in Caſpium et Hyrcanium mare.“

His vicini Melanchlaeni, Coraxi, ad vrbem Colchorum Dioſcuriadem. Scylaci, poſt Coraxos, *Κωλικὴ ἔϑνος*, *Colica gens*, vt Voſſius emendat, pro *Κορικὴ*, *Corica*. Stephano, *Κώλη ἔϑνος πρὸς τῷ Καυκάσῳ. ἡ χώρη Κωλικὴ*, *Cole gens ad Caucaſum; regio Colica*. Idem Coraxos dicit Colis vicinos. Sunt etiam *Γέλωνοι*, *Geloni*, Scylaci, inter Colchos et Melanchlaenos; de quibus poſtea quoque dicendi locus erit. Ptolemaeo, prope mare Caſpium, *Οὖλαι καὶ Ολόνδαι*, *Vlae* et *Olondae*. Sed Plinii et Tabulae ſitui reſpondet ager Mingreliae, circa vicum *Oluſe*, ad exortum *Echalis* fluuii. Adeo multa ſunt in Tabula, quae vſu militari prolata, apud incolas tot ſeculorum decurſu perſtitere. Alia quippe eſt popularis, quam ſaepenumero Tabula ſequitur, alia Graecae et Latinae geographiae ratio.

XI. PARNACI. Velſ. PARNACI. Ptolemaeo, ſupra Albaniam, *Σάναροι*, Schotti edito *Σαναραῖοι*, *Sanaraei*. Habet Strabo *Πάρνους*, *Parnos*, qui et Aparni dicuntur; ſed apud Hyrcanos, ad ſiniſtram Caſpii, Dahis vicinos, qui huc facere nequeunt. Mihi videntur noſtri in Bosporanis fuiſſe, quos Strabo et Plinius Dandarios nuncupant, Tabula *Parnacios* ſeu *Pharnacios*, a Pharnace rege Bosporano, de quo Strabo: Pharnacen ferunt, Hypanin fluuium, expurgata quadam vetere foſſa, Dandariis induxiſſe, agrumque eorum proluiſſe.“ (a) *Kara-Kuban* interpretati ſumus. Hi *Δανδάριοι*, Dandarii poſtea ſint *Φαρνάκιοι*, *Pharnacii* nuncupati, vt memoriam benefactoris conſeruarent. Pars eorum deinde in haec montana loca conceſſerit, vbi a Tabula ponuntur. Oppidum *Kermentsuk*, in veteri patria, nomen eorum ſeruare videtur. Eſt etiam ad *Salpik* fluuium, qui ex Caucaſiis iugis in Cubanum exit, oppidum cum agro adiacente *Remenuk*.

SUANI SARMATAE. literis pictis; Velſ. Suani Sarmatae. Per Suanos Cobum, *Kuban*, fluere, dicebat Plinius; Sarmatas fuiſſe hoc loco, Tabula oſtendit. Populum alias memorauimus. Ptolemaeo, *Σουανοκόλχοι*, *Suanocolchi*, vt ab Suanis Sarmatis diſtinguerentur; agros vtrobique habuerint.

SASONE SARMATAE. Velſ. Sasone Sarmatae. Plinius, Sarmatas heic in multa genera diuiſos fuiſſe ait; quales Sauromatae Gynaecocratumeni, Euazae, Cottae, Cicimeni, Meſſeniani, Coſtobocci, Choatrae, Zigae, Dandari, Tuſſagetae, Turcae, vſque ad ſolitudines ſaltuoſis conuallibus aſperas; vltra quas Arimphaei, qui ad Riphaeos pertinent montes.“ Ptolemaeo, in Scythia intra Imaum, infra montes Alanos, Zaretae, et *Σάσονες*, *Saſones*, qui conſtanter in omnibus libris ita ſcribuntur. Mannert, quia in Tabula Schotti eos non vidit, prorſus praeteriit. Nemo praeterea nouit populum. Fuiſſe Saſones generis Sarmatici, Tabula docet. Fluuium *Iſet*, boreali ora palatinatus Orenburgenſis, adcoluerint, Sarmatarum poſtremi, qui nomine tenus exprimantur.

(a) L. XI. p. 495.

𝔇𝔦𝔳𝔞𝔩𝔦. Velſ. DIVALI. ad Ceraunios montes. Plinius: A Cimmerio adcolunt Maeotici, Vali, Serbi, Arrechi, Zingi, Pſeſii.“ Ptolemaeus, inter Volgam et Ceraunios, Orinei, *Οὔαλοι*, *Vali*, Serbi; Eraſmi edito *Ἄρβαλοι*, *Arbali;* priorem lectionem firmat Plinius. Tabula, Diualos nuncupat. Secundum Ptolemaei poſitionem, coluerunt infra Gynaecocratumenos, orientali *Aſtrakan* palatinatus regione, ad lacum *Danalovſko*, ipſi quoque Sarmatici generis fortaſſe. Vt in Tabula ponuntur, colebant infra Saſones, ad fluuium *Ilek;* ſequuntur enim Scythae.

XII. 𝔓𝔞𝔯𝔞𝔩𝔬𝔠𝔞𝔢 𝔖𝔠𝔶́𝔱𝔥𝔞𝔢. ſcriptura minio picta; Velſ. Paralocae Scythae. Ponuntur ii quidem ad flumen Cyrum, ſpatii cauſſa, ſed, reſpectu priorum, Iaxarti admoueri debent. Niſi *ἀπὸ τῆς παραλίας*, ab ora maritima, nuncupati ſunt, forſan ab lacu *Aral*, qui Iaxartem et Oxum fluuios excipit, de quibus ſupra dictum, id nominis accepere; regio *Kara-Kalpak*, lacus *Aralſkoe more*, adpellatur. Alias monebamus, Tabulam non raro ſequi popularem loca incolasque nuncupandi rationem. Hanc paludem, ab vrbe adiacente nuncupatam, vti reapſe eſt, veteres ignorauerunt, quod Iaxartem et Oxum amnes, quos ea haurit, recta in mare deriuant. Habet quidem Ptolemaeus *Ὠξιανὴν λίμνην*, *Oxianam paludem* (Mannerto eſt *Oxianes*) ſed minutam, et ab Iaxarte in auſtrum longe remotam, in quam neque Oxus, neque Iaxartes influant. Plinius Oxum amnem e lacu Oxo deriuat; ſed ab Iaxarte ſeiungit, vt ſuperius dictum. Notandae ſunt his in vocibus AE diphthongi integrae, et heic ý puncto notatum.

𝔏𝔲𝔭𝔬𝔫𝔢𝔰. Velſ. LVPONES. In Sarmaticis, ad Viſtulam, habuimus Lupiones; ſed ii nihil iſthuc facere poſſunt. Supra *Syr* fluuium, qui Iaxartes fuit; eſt lacus *Akkul*, et alius paullo ſuperius *Akſakul*, *Akſakal*, in quem *Torgaj*, *Ulkojak*, et *Irgis* amnes effunduntur, regio *Kirgis-kaiſak;* quam Lupones hi, Lupi forſan, *Volk*, *Vulk* ab Sarmatis nuncupati, coluerint, nulli praeterea veterum memorati. Poſitio eorum in Tabula ad Cyrum amnem; ſed eo quidem ipſi ſpectare nequeunt, quemadmodum Paralocae. Scythiam quippe a Volga orditur Ptolemaeus, producitque in ſeptemtrionem et orientem extremum.

𝔒𝔱𝔦𝔬. 𝔖𝔠𝔶𝔱𝔥𝔞𝔢. literis minio pictis; Velſ. Otio Scythae. Scriptum olim fuerit, *Oxio Scythae*, vt adcolas fluminis Oxi intelligamus. Tametſi enim hic fluuius Sogdianam, prouinciam vrbibus cultam, pertransiret, ante ingreſſum tamen in lacum CCL M. P. interuallo in Scytharum poſſeſſione erat. Sunt Ptolemaeo *Οὐξιανοὶ*, *Vxiani*, Schotti libro *Ὠξιανοὶ*, *Oxiani*, ad fluuium cognominem, in Sogdiana; ſed ii Scythae non erant. Neque Oxio Scythas vllus veterum nouit. Heic Tabulae auctor, paludem *Aral* ſignaturus, mare Hyrcanum vaſto freto deducit in Oceanum ſeptemtrionalem, reliquos Scythas a prioribus dirimente. Haec erat traditio veterum, vt e Strabone colligere licet,

cuius verba sunt: πρὸς τὸν Ὠκεανὸν, τὸν πληροῦντα τὸ Κάσπιον πέλαγος, *versus Oceanum, qui Caspium mare implet.* (a)

XIII. **SAGAE SCYTHAE.** Vels. SAGAE SCYTHAE. Antiquissimus Asiae populus, inde ab Herodoti aetate notus; qui id vocabuli in Oriente commune fuisse, refert, plurium populorum. Plinius a Persis in vniuersum *Sacas* dictos ait; Mela Pomponius *Belcas.* Strabo, Hyrcanis et Caspio memoratis: In laeua parte, inquit, his opponuntur Scythicae gentes et Nomadicae, totum complentes boreale latus. Plerique Scytharum, qui a Caspio mari incipiunt, Daae adpellantur; orienti viciniores Massagetae, et Sacae; reliquos communi nomine Scythas vocant; quamquam singuli populi etiam sua nomina habent." (b) Post haec quaedam historica de iis narrat; prouinciam describit Ptolemaeus, enumerans Caratas, Grunaeos, Massagetas, Comaros, Toornas, Byltas, Comedos, absque oppidis, praeter vnam turrim lapideam, quam in Seras proficiscentes adibant. Sogdianae et Bactrianae ab exortu vicini fuere, ad Scythiam intra Imaum relati, vbi Bucaria hodie minor, et *Kalmukia.*

RUMI SCYTHAE. Vels. Rumi Scythae. Plinius, memorato Iaxarte: Vltra sunt Scytharum populi; Persae illos Sacas in vniuersum adpellauere a proxima gente, antiqui Aramaeos; Scythae ipsi Persas, Chorsaros; et Caucasum montem Groucasum, hoc est, niue candidum. Multitudo populorum innumera, et quae cum Parthis ex aequo degat. Celeberrimi eorum Sacae, Massagetae, Dahae, Essedones, Ariacae, Rhymmici, Paesicae, Amardi, Histi, Edones, Camae, Camacae, Euchatae, Cotieri, Autariani, Pialae, Arimaspi, antea Cacidari, Asaei, Oetei." (c) Ptolemaeo Rhymmus fluuius, Rhymmici montes, de quibus supra dictum; populus Italo et Schotto, Ἐρυμμοὶ, *Erymmi, Erimi;* Erasmo, post Orgasos, μέχρι τῆς θαλάσσης Ρυμμΐων πρὸς ἀνατολὰς Ἰῶται, *vsque ad mare Rhymmiorum, orientem versus, Iotae;* quae lectio non est spernenda; magis enim *Rhymmii* cum amnis et montium nuncupatione conueniunt, quam *Erymmi* aut *Erymi.* Tabulae Rumi eo loco sunt, quo Sacarum Γρουναῖοι, *Grunaei,* vt Schotti liber habet, Erasmo Γριναῖοι, *Grinaei,* Italo quoque *Grinei;* longe enim Rhymmus inde in occasum abest, quem Tabula Nigrinum adpellauit, hoc agro, ob constructionem operis, positum.

DERBICCE. Vels. DERBICCE. Straboni, Δέρβικες, *Derbices,* quorum vitae rationem describit. (d) Plinius, oppido Heraclea memorato: Derbices, quorum medios fines secat Oxus amnis, ortus in lacu Oxo; Syrmatae, Oxidracae, Heniochi, Bateni, Saraparae, Bactri." Nescio, qui huc Syrmatae, Heniochi, Bateni, Saraparae, ad oram Euxini referendi, irrepserint; certe non suo ponuntur loco. Ptolemaeo, in Margiana, ad Oxum, Δερβίκκαι, *Derbiccae,* vt in Tabula; sed iuxta hanc extra fines Margianae statuendi, lacum

(a) L. XI. p. 519. (b) L. XI. p. 511. (c) L. VI. c. 19. (d) L. XI. p. 520.

verſus, in prouincia Chiuenſi, alias *Vſbek*. Memoria populi in fluuiis, *Syr-Darja* et *Amu-Darja*, quorum hic Iaxartes, ille Oxus eſt, ſuperare videtur. Mela, cum eos ad fretum maris Scythici (ſic partem Caſpii ortiuam vocat) conſtituit, paludem hanc, quae pro freto apud antiquos ſumebatur, intellexerit.

XIV. ESSEDONES. SCYTHAE. literis minio pictis; Velſ. Eſſedones Scythae. inter Abios et Sacas. Mela et Plinius eos Maeotidi admouent; et hic quidem in ſitu terminando eſt inconſtans; nunc enim: *A Buge ſuper Maeotin Sauromatae, et Eſſedones;* (a) nunc aliorum opinione: Sunt, qui circa Maeotin, ad Ceraunios montes, has tradant gentes: A litore Napitas; ſupraque Eſſedones Colchis iunctos, montium cacuminibus.“ (b) Alias, in haec loca reſpiciens, cum Sacis, Maſſagetis, Dahis, Rhymmicis, Eſſedonas recenſet; vt paullo ſuperius in Rumis vidimus. Mela; de Maeotide differens: Hominum primi ſunt Scythae, Scytharumque queis ſinguli oculi eſſe dicuntur, Arimaſpoe; ab eis Eſſedones vſque ad Maeotida.“ (c) Ptolemaeus in Serica, *Ισσηδόνες μέγα ἔθνος*, *Iſſedones magna gens*. His regionibus etiam ab Herodoto ponuntur, qui Graecorum commercia ex oriente per eos ad Caſpium, inde ad Euxinum tractata refert. Iam Ariſteas Proconneſius, qui CCCL annis ante Herodotum fuiſſe dicitur, Iſſedonum in oriente meminit. Tabula has gentis in prouincia *Tangut* ſedes firmat. Apud Plinium, qui diuerſos absque diſcrimine ſequitur, multa ſunt turbata, et ſuo loco mota. Mihi adiuncta rerum perpendenti, videtur Plinius diuerſas habuiſſe prae oculis tabulas, noſtrae ſimiles, in quibus ea, quae remota adpareant, primo conſpectu vicina cenſeantur, populosque ſedibus permutaſſe, Eſſedonum, et Heniochorum, Batenarum, Syrmatarum, quos Maeotin inter et Caucaſum coluiſſe, ex ipſo Plinio certi ſumus. Iſſedon Scythica, Seris vicina, ſecundum Danuille, incidit circiter grad. long. 103 lat. 43. ad borealem *Yerken-Daria* amnis alueum, ſitu oppidi *Kaſhkar*, in Bucharia minore, prouincia Chalmucorum; his a borea vicini fuerint Maſſagetae, ad *Balchaſu* paludem, et amnem *Ili*, regione *Soongarr*.

XV. SAGAE. SCYTHAE. Velſ. SAGAE SCYTHAE. Sunt Sacae ſeptentrionales, Eſſedonibus ab auſtro vicini; quorum populos e Ptolemaeo recenſuimus. Sacas Perſis vniuerſos orientales dictos eſſe Plinius teſtatur; quod ante eum Herodotus tradidit. Chalmucorum ea regio eſt, ora Buchariae minoris auſtrali, ad *Muſtag* montem, ſupra fontes Indi.

ABIOS. SCYTHAE. Velſ. ABIOS SCYTHAE. maxime boreales, vti a Ptolemaeo quoque *Ἄβιοι Σκύθαι* ponuntur. Epitheton Poetae, *ἀβίων*, *longaeuorum*, Strabo de Scythis accipi voluit, ad Pontum, quo ſerius conceſſere; alii claſſem Scytharum, ſed longius ab conſortio reliquorum degentium accepere; vt heic Ptolemaeus cum Tabula; cum nulli, qui ſic adpellarentur, vſquam

(a) L. IV. c. 26. (b) L. VI. c. 7. (c) L. II. c. 1.

exſtiterint. Iſthuc egregium Plinii locum referri velim: (a) Scytharum nomen vſquequaque transit in Sarmatas atque Germanos; nec aliis priſca illa durauit adpellatio, quam qui extremi gentium harum ignoti prope ceteris mortalibus degunt." Interpunctio, ſcribae oſcitantia, praepoſita, alias quoque occurrit. Putabat is, *Sagaes. Cythae*, *Abios. Cythae*, rectius dici, quam *Sagae Scythae*, *Abio - Scythae*.

XATIS. SCYTHAE. Velſ. XATIS SCYTHAE. in exortum poſtremi, ad Oxi fontes, et paullo orientalius, regione *Boutan* ſeu *Laſa*, in Tataris Chineſium, ad *Nauk* et *Sanki* amnes, ſupra Indiam. Ptolemaeo, in Scythia extra Imaum, *Χαῖται Σκῦϑαι*, *Chaetae Scythae*, Schotti libro, *Χάται*, *Chatae*, in plaga auſtrali, quorum oppidum, absque nomine, ſignauit Danuille, ſub gradu longit. 98. min. 45. latit. 37. min. 30. circiter oppidum *Eſkerdou Tibet*, ad amnem quempiam obſtructum, in auſtralibus Buchariae minoris, vbi Sacas poſtremos poſuimus. Vltimi in auſtrum et exortum Ptolemaeo ſunt Chauranaei Scythae, Brachmanis Indisque vicini, quos Tabula non habet. De Seris et Indoſcythia ſuo dicetur loco.

§ IV

Oppida, *manſiones*.

I. QVAEDAM loca recenſet Tabula, quorum pleraque ad Bosporanos Aſiae ſpectarint, vti ſunt: Ilmerde, Macara, Morum, Hale, Chritionis, Sopatos, Phamacoruim, Stratoclis, Cepos, Hermonaſſa, Sindecae, Malichi Dandari, Geloni. Id incommodo accidit, quod pleraque loca haec, aliis ignota, ſine numeris, et turbata ſerie ponuntur; operam tamen dabimus, vt ea ſibi reſtituamus.

ILMERDE. Vocabulum in populis dedimus, quod nemo praeterea nouit; e ſitu, lacui *Temruk* admoueri debet; quo pacto reſpondebit Strabonis Tyrambae, de qua ipſe: (b) *A Rombite minore* DC *ſunt ſtadia* ἐπὶ Τυράμβην, *ad Tyramben, et fluuium Anticetem;* intelligit paludem ingredientem. Ab amne *Kunir* ſeu *Kimir* ad oppidum *Temruk*, occiduo lacus cognominis lateri adſitum, ſunt omnino ſtadia DC ſeu M. P. LXXV. Proinde Tyrambe heic ſtatui debet, quam Ptolemaeus iuſto longius in exortum remouit; diem longiſſimum 16 hor. 12 min. eſſe perhibens. Conueniunt etiam vocabula.

Morum. In Cherroneſo dicebamus, *Moruni* legi poſſe, vt adcolae pelagi intelligantur; ſed Tabula populos plerumque maiusculo exprimit caractere,

(a) L. VI. c. 25. (b) L. XI. p. 494.

hanc curfiuo notat. Situs eius a Bosporo diuelli nequit. Nihil propius vero cenfeas, quam in hoc vocabulo Cimbricum, feu Cerberion latere. Strabo, fuperius dictis continuo fubiungit: deinde cxx ftadia, *ἐπὶ τὴν κώμην τὴν Κιμβρικὴν*, *ad vicum Cimbricum*, vbi naues foluunt, qui paludem nauigant. In ora hac etiam fpeculae funt, quae Clazomeniorum dicuntur. Cimbricum vrbs fuit quondam, in peninfula fita, ifthmum foffa et aggere claudens.“ Pofteriore hoc loco *Κιμμερικὸν* legitur pro *Κιμβρικὸν*, vel potius *Κερβερικὸν*, vt Plinius habet, cuius haec funt: (a) *Apaturos*, *vltimoque in oftio Cimmerium*, *quod antea Cerberion vocabatur; inde Maeotis lacus.* Ptolemaeo, *Κιμμέριον ἄκρον*, *Cimmerium promontorium*, ad Maeotin; Pomponio Melae, *in ipfo ore Cimmerium.* Adeo veteres quoque fitu diffentiunt. Diuerfum erat Cimmerium oppidum, cuius Anonymus Peripli Ponti Euxini fcriptor in mediterraneis Cherronefi meminit, et quod proprie Cimmerium vocabatur. Hoc autem oppidum Scymnus, et ex eo Peripli auctor, *Φαναγόρου πόλιν*, *Phanagorum*, vrbem autem, quam Phanagoras Teius condidit, *Φαναγόρειαν*, *Phanagoream* adpellant. Confpiciuntur ad tertium mill. geogr. ab *Temruk* antiquae vrbis *Berbarfemin* veftigia, quod interuallum ftadiis cxx feu M. P. xv refpondet, fi oram legas; nam recta ab *Temruk* ad ifthmum peninfulae, in charta Europae, funt mill. geogr. duo; quamquam nonnihil maius id fpatium effe videtur; in quibusdam chartis tria mill. geogr. cenfentur, in aliis amplius quinque, in Danuilleanis xvi M. P. vt Strabonis calculus exigit.

Macara. Plinio, *Macra*, *Macaron*, infula, quam Tabula infulam Achillis vocat, de qua fuperius actum. Strabo, Cimbrico memorato: Deinceps *ἐπὶ τὴν Ἀχίλλειον πόλιν*, *εἴκοσι στάδια*, *ἐν ᾗ τὸ Ἀχιλλέως ἱερὸν*, *ad Achilleum oppidum ftadia* xx. *vbi fanum eft Achillis.* In vulgatis *κώμην*, *vicum* legas; in fcriptis, Cafaubono tefte, *πόλιν*, *oppidum;* quod olim euerfum fuerit cum fano, vt tam diuerfis opinionibus occafionem praeberet. Loco, vbi tumulus et fanum erant, nomen Graecis *Ἄκρα*, *Acra*, vnde Latini *Macra*, *Macaron*, Tabulae auctor *Macara*, fecerunt. Vnus Schimek, quantum fciam, in Theatro belli Turcici, ifthmo *Otafh*, tumulo *Kofa Sotsna*, nomen prodit. Heic Bospori anguftias effe xx ftadiorum, ex aduerfo Myrmecii, recte docuit Strabo. Proinde Achilleum, quod vulgo geographorum hactenus placuit, ad os Maeotidis Bosporique, ad xiii inde in boream lapidem, vbi Bosporus nimirum iv M. P. latus eft, transferri nequit; vt in infulis monebamus. Habet Ptolemaeus *Ἀχίλλειον*, *Achilleum* oppidum, ad os Maeotidis; fed in ora lacus etiam Cimmerium et Apaturos confpiciuntur, quae alium obtinent fitum.

II. Pergit ab ifthmo Strabo: Inde ad Satyri monumentum ftadia xc. id eft ager in quodam promontorio, factus ob memoriam viri cuiusdam, qui in

---

(a) L. VI. c. 6.

Bosporo potentia claruit. Prope eſt *κώμη Πατραεύς*, vicus Patraëus, *ἀφ ἧς ἐπὶ κώμην Κοροκονδάμην ἑκτὸν τριάκοντα*, inde ad pagum Corocondamen cxxx ſtadia. Hic eſt finis Bospori Cimmerici; ſic autem fauces adpellantur in ore Maeotidis, ab anguſtiis, quae iuxta Achilleum et Myrmecium ſunt, pertingentes vſque ad Corocondamen, et huic oppoſitum vicum Panticapaeum terrae, qui Acra dicitur, freto ſtadiorum LXX interceptis; eo enim vſque etiam glacies peruenit, Maeotide per hiemem congelante interdum, ita vt ambulari pedibus poſſit." His nonnulla de Corocondamite palude, Anticete et Hypane fluuiis, cum palude inſulam efficientibus addit, quae alias exſecuti ſumus. Lacui *Taman*, quem Bosporus efficit, ab exortu mons praetenditur, in quo ad XII a Cerberio lapidem, Satyri monumentum, deinde vicus Patraëus, conſtiterint; qui ager hodie locis vacuus eſt. Inde M. P. XVI vrbs *Taman*, ſitu Corocondames oppidi, quod et Ptolemaeo *Κοροκονδάμη*, *Corocondame*, auſtrali Bospori fine, vocatur. E Latinis Mela, ab Sindis: Obliqua tunc regio, et in latum modice patens, inter Pontum paludemque ad Bosporum excurrit; quam duobus alueis in lacum et in mare profluens Corocondame pene inſulam reddit." (a) Quae videantur obſcura. Neque enim intelligas, vtrum Corocondame fluuius ei, an lacus ſit. Plinius id vocis non habet, ſed Stratocliam, quae aliis, praeter quam Tabulae, eſt ignota: Mox *Stratoclia et Phanagoria*, inquit. (b) Strabo Phanagoriam lacui Corocondamiti adplicat, vt mox videbimus. Nihil proinde magis probabile videri, quam Corocondamen oppidum (Strabo vicum dixit) alio nomine Stratocliam audiſſe; Tabula,

Stratoclis. Velſ. *Stratoclis.* inter Cepos et Phanagoriam. Harduino, ad Plinium; *Στρατοκλέια*, quo auctore, non memorat. Ab Stratocte quopiam, forſan graecae coloniae duce, fuerit nuncupata; quam geographi iuniores neglexerunt. Mannert vnam Corocondamen, ſitu *Taman* vrbis, ſtatuit, ceteris loco vagis. Sequitur in Tabula,

Phamacorum. Velſ. *Pharmacorium.* Scylaci, et Ponti Euxini Periplo, *Φαναγόρου πόλις*, *Phanagori oppidum;* auctor tamen Peripli, Scymnum ſecutus, *Φαναγορέιαν*, *Phanagoriam*, coloniam graecam, et *Φαναγόρου πόλιν*, diſtinguit; alii vnam nouerunt huius nominis vrbem. Strabo: Vbi intra Corocondamitem nauigaueris, *Φαναγορία πόλις*, *Phanagoria vrbs* eſt memorabilis." Hecataeo, apud Stephanum, *Φαναγόρεια πόλις*, *Phanagorea ciuitas.* Vrbem claram et emporium fuiſſe, Strabo docet; addens, Phanagoriam et Cepos in introitu inſulae ad laeuam eſſe; lacum a vico Corocondama decem ſtadiis remoueri, vbi Anticetem fluuium excipit; pari interuallo abeſſe ab Corocondame mare, quod lacus influit; ſic enim eum geographi locum accipio. Et interuallum quidem in charta Europae vtrimque conuenit, vnius mill. geogr. ſpatio intercedente, cum

(a) L. I. c. 19. (b) L. VI. c. 6.

olim amplae essent vrbes. Eo situ, latere exeuntis e palude Cubani occiduo, sunt rudera vrbis *Amanga.*

III. **Cepos.** Vels. *Cepos.* Scylaci, *Κῆποι*, *Cepi*, post Phanagori oppidum; etiam Straboni, *Κῆποι*, in vulgatis *Κῆπος*, *Cepos*, vt Tabulae in introitu ad laeuam insulae. Eadem serie Mela recenset: Hermonassa, *Cepoe*, Phanagoria. Plinius: Oppida in aditu Bospori primo, Hermonassa, dein *Cepi Milesiorum.* Scymno, et ex eo Peripli Ponti Euxini auctori, *Κῆποι πόλις.* et inferius, *Κῆπος δ' ἀποικισθεῖσα διὰ Μιλησίων*, *Cepos autem a Milesiis deducta est.* Recte porro monet Harduinus ad Plinium, *Κῆποι*, *Horti*, ab amoenitate loci. Danuille, vocis cognatione ductus, *Kopil*, *Kepil*, *Kopyl*, pro Cepis accepit; quod oppidum longius in exortum, extra insulam, conspicitur. Propius vero *Kizil-lache*, seu *Kisil-tash*, ad Cubani, e lacu emergentis, exitum, latere occiduo, Cepos opinere. Huc pertineat,

Hale. a piscatura forsan, quam Strabo circa Maeotidem esse dicebat, nuncupatus locus, quem alias non reperio. Poterat etiam a siluis, quas his locis post Herodotum, alii norunt, regionemque Hylaeam nuncupant, sic adpellari oppidum. Oleas circa Phanagoriam Strabo memorat. In quibusdam chartis hoc tractu comparet oppidum *Katerinskaja*, vocabulum recens, sed locus olim habitatus fuerit.

Sopatos. Vels. *Sopatos.* Strabo: Habet Phanagoria *τῆς Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐπίσημον τῆς Ἀπατούρου*, *templum Veneris Apaturi insigne;* nomen deae a fabula sumta occasione a dolo apte deducunt; ibi locorum Venerem, cum eam Gigantes adorirentur, Herculem acciuisse, inque spelunca quadam abscondisse, deinde singulos Gigantes excepisse, et Herculi vnum post alium per fraudem necandum praebuisse.“ Plinius, Phanagoria, et paene desertum *Apaturos.* Ptolemaeo, in oppidis, *'Απάτουρος*, *Apaturos*, sed longius a Phanagoria in exortum; idem, infra Gerusam, habet *Ψάτος ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Psatis fluuii ostia;* Erasmi libro *Ψάπος*, *Psapis;* Italo *Psati*, vt legisse videatur *Ψάτιος*, *Psatios*, recto *Ψάτης* forsan; ortiuus Cubani ramus fuerit, lacum maritimum cum illo maiore petens. Mannerto *Psadius* F. sed *Ψάδιος*, rectius *Ψάτιος*, gignendi casus est, rectus *Psates.* Sunt montium iuga lacui *Temruk* ab occasu praetenta, quod Plinius petrosum nuncuparat dorsum, vbi ea deae vafrae spelunca exstiterit, prope vrbem. Tabula graeca vocabula inflexit more militari.

Chritionis. Vels. *Chritionis.* tractu eodem. Ptolemaeo, infra ostium Atticiti, *Γερόυσα πόλις*, *Gerusa oppidum*, quod respectu Tyrambes, oppido *Kurki*, dextra Atticiti e lacu promanantis ripa, respondeat, vbi Tabulae *Chritionis;* neutrius vocabuli meminit alter.

IV. **HERMONASSA.** Vels. HERMONASSA. Scymno, Straboni, Ptolemaeo, *Ἑρμώνασσα*, *Hermonassa.* Strabo, in introitu insulae, ad dextram, statuit; Plinius, in aditu Bospori primo; Ptolemaeus, ad oram Ponti, cum amplissima die horarum 15 min. 50. Danuille non designat; Mannert de situ tacet;

nam orientale Anticetis latus ipſi quoque obſcurum eſt. Strabo clarius dixit, ingredienti Bosporanam regionem, per fluuium Anticetem, ad laeuam eſſe Phanagoriam, et Cepos, ad dextram vero Hermonaſſam, trans Hypanim, in Sindica. Haec ad Tanaim vſque patebat, hac parte, ſi Plinium audias: Hypanis per Nomadas et Hylaeos fluit manu facto alueo in Bugem, naturali in Coretum. Regio, Scythia Sendica nominatur:" Factum manu alueum, *Kara-Kuban* dicebamus. Hermonaſſa ex dictis, conueniat cum oppido *Kermentsuk*, ea regione, ripa fluminis dextra, ſito.

ARSOAE. Strabo in regione Sindica ponit etiam *Γοργιππίαν*, *Gorgippiam*, et *Ἀβοράκην*, *Aboracem*. Gorgippiam, ex interuallo a Strabone prodito, *Kopil* eſſe putabamus; Tabula ſupra Hermonaſſam ponit *Arſoae*, quae vox magis locum quam populum ſignare videatur. Sit alteruter geographi locus; neutrius meminerunt priſci; inde Arſois nomen fortaſſe. *Nekroſovi* eſt oppido *Kopil* vicinum, laeua Cubani ripa, quae ſit Aborace Strabonis.

Sindecae. populi aut prouinciae nomen, quam alii Sindicam, Sendicam adpellant. *Σινδικὸς λιμὴν*, *Sindicus portus*, iam Scylaci notus; Plinio, ciuitas Sindica, flumen Setheries; Ptolemaeo, praeter portum, etiam *Σίνδα κώμη*, *Sinda vicus;* Mela oppidis adcenſere videtur: *Sindos in Sindonum ab ipſis terrarum cultoribus condita eſt.* Mannert ſcriptorem arguit, quod Scylax vrbibus Graecis adnumeraſſet; verum hic portum modo nominauit, Phanagoriam et Cepos Graecis recte adſignans. Ad haec, ab Scylace ad Melam ſecula interceſſerunt plura, queis non paucae in vrbibus conuerſiones accidere. Sane, vt Sinda vicus, Sindicus portus, ita Sindos oppidum ab Sindis nomen accepere; quem validum fuiſſe populum e Strabone etiam colligere licet. Sitam fuiſſe Sindam, vbi *Anapa*, alias *Sundſhik*, hodie eſt, in populis diximus. Ruſſis *Bovudjak* locus munitus, ſed non ad fluuium *Kaportis*, vt Mannert inquit, verum ad *Sundſhik*, oppido cognominem. *Kaportis* longius in exortum abeſt, quam vt iſthuc referri queat. Neque Nicopſis Porphyrogennetae cum *Caportis* recte committuntur.

ACHEOI. Ptolemaeo, *Ψύχρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Pſychri fluuii oſtia*, et mox *Ἀχαία κώμη*, *Achaea vicus.* Flumen *Kaportis*, alias *Igris*, oppidum *Vonjach;* vbi et Danuillei *vetus Achaia*, fluuio non adpellato. Danuilleum, qui *Ukruch* amnem heic ſignarit, Mannert reprehendit, tamquam ſit Porphyrogennetam praue interpretatus, ipſe nihil definiens. *Ukruch* eſt *Ukrach*, non heic, ſed inter *Koldof* et *Zikevi* oppida mare petens, cui Icaruſam Plinii Danuille reſpondere putabat; nos e ſcriptoris phraſi, Icaruſam, ad oppidum Hieron, hodie *Busjunta*, promontorium Crunoë ab exortu praefluentem, Pſychrum ſine ambage interpretamur. Hanc oram tenuerunt Achaei ad *Makizir* fluuium, qui Danuilleo *Achaeus* dicitur. Tabula cum ſeorſim populum exhibeat, hoc loco oppidum deſignare voluerit.

V. In Tabula, prope Caucaſios, Nerdani leguntur, qui ſint Strabonis *Δανδάριοι*, *Dandarii*, Plinii *Dandari*, Maeoticis adcenſi; quorum veſtigia in

Dandars oppido, prope dextram *Kodoris*, Ptolemaeo Coracis, et hodie a Mingreliis Tataros dirimentis ripam. Sed Nerdani hi rectius fortaſſe ponentur ad oppidum *Vardan*, infra oſtium *Alatsa* fluuii, vt in Maeoticis cenſeri queant. Danuilleo, *vetus Lazica*, inſtar oppidi, hoc agro ponitur. Ceterum hi populi, pro temporum diuerſitate, ſedes tenuerint varias; et non raro diuerſis regionibus eiusdem nuncupationis gentes comparent.

In Scythicis habuimus *Derbiccas*. Plinius dicebat, medios eorum fines ſecare Oxum amnem; ſed ibi Heniochos etiam, et Batenos, qui hanc Ponti oram tenuere, cenſet; quorum pars cum Derbiccis vtrobique coluerint. Eſt infra *Piſiunta* ſeu *Pitsiunta*, vrbem antiquam, in angulo orae maritimae, auſtrum verſus flexae, oppidum *Derbent*, quod ſono vocis cum Derbicibus conueniat.

MELANCHL. in populis relati, prope Colchos. Scylax, a Maeotide progreſſus, poſt Coraxos, Colicosque, habet Melanchlaenos: Poſt Colicam, inquit, ſequuntur *Μελάγχλαινοι ἔθνος, καὶ ποταμὸς ἐν αὐτοῖς Μετάσωρις καὶ Αἰγίπιος ποταμός, Melanchlaeni gens, et in iis Metaſoris fluuius et Aegipius fluuius.* Herodoto teſte, Melanchlaeni ab Cimmeriis et Maeotide viginti dierum iter in exortum coluere, a nigra veſte ſic nuncupati. Mannert circiter *Moſkva* vrbem, et vlterius, fuiſſe putat. Scylax Melanchlaenos ad oram Ponti nouit. Hi autem, vt e ſedibus colligas, pars eorum erant, quos alii Achaeos, et Heniochos vocant; nam fluuius Metaſoris eſt procul dubio *Makizir*, et Aegipius *Kopu*, inter quos *Avcaſſi* hodie colunt. Hic erit Ptolemaei *Θέσσυρις*, *Theſſyris*, non Theſſyrius, vt Mannert expreſſit; nam *αἱ Θεσσύριος ποταμοῦ ἐκβολαί*, eſt gignendi caſus. Quare *Βοῦρκα*, *Burca*, non poterit eſſe *Tſchukomi* (Tsemis) prope Mangreliae fines; ſed erit *Iſmil*, aut *Alatsa*, oppido *Ἄμψαλις*, *Ampſalis*, huic ſitu et ſono reſpondente. Eſt item vrbs *Zalumka* ſeu *Zalomaſchia*, quae his Melanchlaenis reſpondere poſſet; verum longius in exortum abſcedens, iam intra Mingreliae fines.

Idem Scylax, Colchis vicinos ponit Gelonos: *Μετὰ δὲ Μελαγχλάινους Γέλωνοι, μετὰ δὲ τούτους Κολχοὶ ἔδνος, καὶ Διοσκουρὶς πόλις, Poſt Melanchlaenos ſunt Geloni; poſt hos ſequitur Colchorum gens, et Dioſcurias vrbs.* In populis habuimus *Colophenos*, qui cum Colis et Gelonis ſono conueniant; ſed Gelonos magis exprimere videntur. Inde ſua ſumſerit Onomacritus, aut quisquis eſt Orphici carminis auctor: Heic totius diei remigatione fatigati, ad Maeotas primum deuenimus, molliter veſtitos; *Ηδε Γελωνὸν ἔθνος, βαθυχαίτω τ' ἄπλετα φῦλα, et Gelonam gentem, et comatorum populoſas nationes*, Sauromatasque, Getasque." (a) Poſtrema innuunt, ſcriptorem hunc et geographiae imperitum, et Onomacrito longe iuniorem eſſe. Plinius quoque, antiquos ſecutus, Melan-

(a) Verſ. 1059.

chlaenos et Coraxos hac Ponti ora nouit. In vrbe *Zalumka* veterum habitatorum veſtigia ſuperſint; ſitus certe phraſi Scylacis reſpondet; ſequitur enim Dioſcurias, Colchorum oppidum, hodie *Iſkuriah*, ad fluuium *Marmori*, qui Scylacis aetate finis Colchorum et Maeotarum fuerit. Neſcio autem, quid Mannerto euenerit, qui vrbem Scylace iuniorem dicit, quod is eam non noſſet; cum ab Scylace *Διοσκουρὶς* pro *Διοσκουριὰς*, vt Voſſius monet, clare nominetur. Plinius dicebat, Dioſcuriadem eſſe iuxta fluuium Anthemunta; Strabo, *περὶ τὴν Διοσκουριάδα ῥεῖ ὁ Χάρις ποταμὸς*, *circa Dioſcuriadem fluit Charis amnis.* Mannert vtrumque conciliaturus, hodie quoque, ait, *Iſkuria* inter duos minutos fluuios ponitur, quos ipſe ignoret. Oppidum *Iſkuriah*, nonnullis *Saratopoli*, et deterius *Sebaſtopoli*, conſiſtit laeua exeuntis *Marmori* amnis ripa; hunc Plinius, graeco vocabulo, Anthemunta nuncupat; incolae dixerint aliter; Scylax *Tyenin* adpellaſſe videtur. *Charis* Strabonis (perperam Xylandro Charus) eſt Ptolemaei *Corax*, Scylacis *Χορόβιος*, *Chorobius*, hodie *Kodori-ſu*, Circaſſiae et Mingreliae finis. Et hactenus quidem de oppidis Maeotarum In Scythis, quos recenſuimus, nulla ſunt in Tabula oppida; quod more Nomadum in plauſtris vitam agebant; Ptolemaeus quoque populos dumtaxat Scytharum recenſuit. Itaque gentibus, quas veteres barbaras nuncuparant, abſolutis, cultas iuſta ſerie perſecuturi accedamus.

C A P V T V

V I N D E L I C I A

§ I

Nuncupatio et fines.

I. Ex iis vna eſt Vindelicia prouinciis, quas in adcolis Iſtri, Illyrico nomini adcenſis, tam commentariis geographicis plenis, quam regno epigraphico, ſingulari exequimur calamo. Quare heic ea modo, quae Tabulam ſtricte concernunt, eiusque ſocium Hodoeporicon, ſitum, interualla, et id genus alia, quae huc proprie faciunt, conſiderare libet. Quod epigraphae hoc in argumento ſuppeditarint, id neglecturi minime ſumus. Tabula neque populi, neque pro-

uinciae nomen prodidit. Populus Vindelici; in tropaeo alpium Drusi, VINDELICORVM gentes quatuor inter victas numerantur; in marmore Floriani reperto, Q. Caecilius Cisiacus, procurator prouinciae Rhaetiae et VINDELIC. Vindelicorum; Venafri, Sex. Fulfennius, trib. mil. coh. I. VINDELICOR. Numus Augusti, COL. AVGVSTA VINDELICOR. praeferens, est suppositititius. Belgradi, in Moesia, Vlpia quaedam, domu Augusta VINDOR. Vindorum. Pisauri, Q. Abutius, natus VIND. Vindelicus. Proinde, Vindelici, Vindique, marmorum fide, dicebantur. In quodam epigrammate Romano, C. Vehilius, miles, Aug. VINDELICVM. per syncopen. Scriptoribus quoque Vindelici audiunt, Horatio, Straboni, Velleio, qui eorum primi meminere. Et Strabo quidem nunc Vindelicos, Vindolicos, Vindulicos, nunc Vindologos nuncupat. Eusebius, in Chronico, Vindicos dixit. Sunt etiam oppida, viri, et mulieres, nomine populi insignes; vt Vindobona, Vindoroicus, Vindilla, et id genus complura. Superat nuncupatio in *Vindis*, quos Germani *Windish* adpellant, ab dialecto, qua Carni, Stiri, Carinthi, vsque hodie vtuntur. Olim *Vinodolci* fuere nuncupati, quod montanas planities, vt Strabo dicebat, incolerent, Istrum versus ab austro patentes; hoc enim id vocabuli significat.

II. Patrium nomen epigraphae non prodiderunt, neque scriptores ante Ptolemaeum; cui *Οὐινδελικία*, *Vindelicia*, vt Schottus e Pici Mirandulae codice expressit; sic vulgo in Latinis, *Vindelicia;* Erasmus ex Fettichii MS. vbique *Οὐινδελκία*, *Vindelcia*, habet; vt Vindelcos quoque incolas dictos putes. Postea, inualescente Rhaetiae vocabulo, Vindelicia in desuetudinem abiit. Neque, praeter Rufum, facile reperias, qui patria nuncupatione sit vsus; haec sunt verba eius: (a) Limes inter Romanos et barbaros ab Augusto per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam, ac Moesiam est constitutus.“ Ptolemaeus Rhaetiam et Vindeliciam vno complectitur capite, finibus tamen distinctis; quamquam ea diuisio in capita, quam codex Fettichii non habet, a recentioribus inducta videtur. Sed cosmographus singularem vtrique prouinciae situm tribuit, cum vtramque a Danubio ad alpes procurrere iubet, flumine Lyco diuisam. Nos Strabonem et Plinium secuti, Vindeliciam ab alpibus ad Danubium producimus, Rhaetia in austrum translata.

III. Fines proinde, e veterum doctrina, statuimus, ab occasu montem Abnobam, vsque ad Rhenum, deinde amne Duro aduerso, ad iuga montium, Rheno ab occasu praetenta, sed initio dumtaxat, quod est prope lacum Brigantinum; nam reliquum tenebant Rhaeti; a borea siluam Marcianam, cum saltu Hercynio, supra Danubium, sic, vt Decumates agri, cum recenti Nicro, in Vindeliciam cadant, linea ad saltum Bohemiae, in meridiano Passauiae, et exitus Aeni fluuii; ab exortu Aenum, ad flexum amnis in austrum; inde iuga

(a) Breuiar. Hist. c. 9.

montium, Brigantio fluuio ab occaſu praetenta, vt reliquum, ad Rhenum vſque, Rhaetis maneat. Hos fines etiam Danuille in quibusdam chartis notat; in tabella ſingulari, ad commentarios hiſtoriae Romanae Crevierii, Brigantium Rhaetis, et vniuerſum latus occiduum cognominis lacus Heluetiis, minus recte tribuit. Omnem quippe lacum, quem Venetum praeterea et Acronium veteres dixerunt, modica ad Rhenum, lacui ab auſtro mixtum, portione demta, quae iuris Rhaetorum erat, Vindelicos tenuiſſe, alias oſtendimus. Sic deſcripta prouincia explicatur ab gradu long. 26 ad 31 min. 10. latit. vero gradu 47 ad 49. Longitudo ſumma, a fontibus Danubii ad exitum Aeni M. P. CCL. latitudo a flexu Aeni et fonte Brigantii ad ſaltum Bohemiae M. P. CC.

§ II

Montes, ſiluae, flumina, lacus.

I. MONTEM Rheno ab exortu praetentum, deinde alpibus iunctum, exhibet Tabula, ex quo Danubium deriuat amnem. Plinius et Tacitus *Abnobam* vocant; Feſtus Auienus, qui Periegetam Latino reddidit verſu, etiam Abnobae meminit, quod vocabulum in Dionyſio abeſt. Ptolemaeo, *Ἄϋνοβα ὄρη*, *Aunobi montes*, pluratiue; caſu obliquo *Αυνοβαίων ὀρέων*, *Aunobaeorum montium;* Schotti libro, *Αβνοβα*, *Αβνοβώων* pro *Αβνοβάιων*, *Abnobi*, *Abnobaeorum*, quod rectius eſt, Italo quoque probante, cui dialecto ſua *Abnobi.* In eo peccat coſmographus, quod Abnobam duobus gradibus a Danubio in boream remouet, et Adulam fere Abnobae ſubſtituit, alpiumque ſupra Danubium in exortum procurrentium tractum, cuius meminit Strabo, pro iugis Abnobae ponit. Haec in Tabula quoque comparent iuga, arboribus conſita, ſub nomine ſiluae Marcianae, quam priori capite, in Germania, dedimus. Habet Ptolemaeus Gabretam, deinde Lunam ſiluam, ſed in boream et exortum remotius; noſtram non habet, pro ea deſertum Heluetiorum, quos Strabo campos dicebat, ſtatuens. In Hodoeporico, itinere per Pannoniae ripam a Tauruno in Gallias, inter Campodunum et Guntiam eſt manſio *Celio monte*, Simlero *Celio Monte*, in imperii Notitia *Coelio*, *Caelio;* cuius ſitum explorabimus deinde. Eſt item alpium tractus borealis, ex quo Ticinus prodit, ſed qui ad fontes Aichae pertineat, Vindelicos a Rhaetis dirimens, quae Rhaeticae alpes nuncupantur.

II. Lacum Acronium, quem Ptolemaeus ignorauit, perſpicue exprimit Tabula, nomine tacito. Strabo quoque, cum lacus non vna meminit vice, nuncupare omiſit. Pomponius Mela, Rhenum, ait, ab alpibus decidentem, duos efficere lacus, *Venetum* et *Acronium;* (a) quae vocabula nuspiam leguntur alias.

(a) L. III. c. 2.

Plinius et Solinus, a vicino oppido *Brigantinum* dixerunt; Ammianus, vrbem et lacum Brigantiam. Hodie, *Boden-ſee* Germanis, item *Conſtanzer-ſee*, ab vrbe alteri lacus parti adiacente, quam Cellarius Acronii vocabulo Melam intellexiſſe putat, nuncupatur.

III. Fluuii, Rhenus, Danubius, Aenus; priorem in Rhaetis dabimus; alterius non meminit Tabula, niſi apud oſtia: Hoſtia fl. Danubii. fontem rite exprimit auctor, in monte ſupra dicto, deducitque fluuium Europae principem, qualem iam Herodotus nominauit, pro conſtructione operis, nouem pedes, tres vncias, menſurae Viennenſis. Horatius, de origine fluminis, ſibi ignota: *Te fontium qui celat origines Nilusque et Iſter.* Cum iam Halicarnaſſenſis ille hiſtoriarum pater, Iſtrum *ἐκ Κελτῶν καὶ Πυῤῥήνης πόλιος*, *ex Celtis et Pyrrenæ oppido*, defluere pro certo teneret, gloriatus, Iſtri ſe fontes noſſe, Nili ignorare. Sed cum Celtas hos Cynetis finitimos ait, vocabulo *Πυῤῥήνης* montem Pyrenen eum reſpexiſſe, mihi quidem nullum eſt dubium; in primis cum dicit, *omnem* eum *emetiri Europam.* Firmat ſententiam Ariſtoteles, qui Iſtrum ex montibus Pyrenaeis oriri ſcribit: (a) *Ἐκ δὲ τῆς Πυρήνης τοῦτο δέ ἐστιν ὄρος πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν ἐν τῇ Κελτικῇ. ῥέουσιν ὅ τε Ἴστρος καὶ ὁ Ταρτησσός. οὗτος μὲν οὖν, ἔξω στηλῶν. ὁ δὲ Ἰστρὸς δι' ὅλης τῆς Εὐρώπης, εἰς τὸν Εὔξεινον Πόντον*, Ex Pyrene autem (hic eſt mons ad occaſum aequinoctialem in Gallia) fluunt Iſter et Tarteſſus; iſte quidem extra columnas; Iſter autem per totam Europam, in Pontum Euxinum.“ Aliam prodidit opinionem Aeſchylus, quem complures ſecuti fuere; ſcilicet, Iſtrum oriri ex Hyperboreis et Rhiphaeis montibus, apud Thracas deinde ſcindi, et vno alueo in Adriam, altero Aegaeum, tertio in Pontum Euxinum effluere. Primus Strabo, poſt bellum, quod Druſus aduerſus alpium incolas geſſerat, de fontibus Iſtri certiora ſcripſit. Danubium primus adpellauit Caeſar; quo vocabulo etiam regno epigraphico innotuit amnis DANVVIVS.

IV. Aenus, non ignobilis fluuius, in Tabula comparet, fontibus Iuuauum exhibens, effluxu Aenum. Eſt manſio ad eum amnem, circiter *Oeting* oppidum, ad Enum dicta, absque fluuii ſigno. Etiam Arriano, in Indicis, vocali ſimplice, *Ἔνος*, *Enos* ſeu *Enus.* In Hodoeporico legebatur paſſim *Oenus*; Weſſelingius vbique *Aenum* reſtituit; in Regio Suritae, *Ponte Eni*, in quibusdam *Pontes Eni;* vnde putes, veram in Hodoeporico ſcripturam fuiſſe *Eni*, vt in Tabula. Surgit apud Griſones, qui hodie ad Heluetios ſpectant, prope vallem Tellinam, procedit primum in aquilonem, vbi fit proximus Lyci et Brigantii fontibus, in exortum, ab Aeniponte rurſus in aquilonem, tum in ſeptemtrionem, receptoque curſu priore, apud Paſſauiam Danubio miſcetur.

(a) Meteor. c. 13.

§ III

Oppida, manſiones.

I. VIAM exhibet Tabula ripenſem a Rheno ad Boiodurum vſque, quam Hodoeporicon ignorat; vnde nonnulli cenſent, eam Vindeliciae partem tempore, quo Hodoeporicon poſtremam accepit manum, Romano iuri non paruiſſe amplius. Tabula proinde, quae iter illud integre promit, aetate illa erit antiquior. Procedit inter ſiluam Marcianam et lacum Brigantinum, ad ripam recentis Danubii dextram, vſque ad oppidum Samulocenas, vbi fluuius nauigabilis eſſe incipit; inde transit ad laeuam, non minimo locorum ſpatio proceſſura. Meminit huius viae Ammianus, cum Iulianum a Rauracis in Pannoniam profecturum, *per Marcianas ſiluas, viasque iunctas Hiſtri fluminis ripis*, vectum fuiſſe ait, vſque ad locum, vbi flumen nauigari poſſe didicit; conſcenſis itaque lembis, per alueum ferebatur occulte. (a) Loco alio, de Rheno differens: lacum inuadit rotundum et vaſtum; quem Brigantiam adcola Rhaetus adpellat, - horrore ſiluarum ſqualentium inacceſſum, niſi qua vetus illa Romana virtus et ſobria iter compoſuit latum, barbaris et natura locorum, et caeli inclementia refragante.“ (b) Hoc itinere, a Vindoniſſa, quam in Heluetiis dedimus, Tabula habet,

Tenedone. VIII. ſic Velſ. Fluminis Traiectus notatur, manſione dextro Rheni latere poſita; Bertius, *Tenedo*, absque cognomine. Mannert putat, ad exitum Ruſſi, *Rüſs*, fluuii Tenedonem ſtatui oportere, quod octo Leugae ab Vindoniſſa eo pertingerent. Sed Leugis heic quidem opus non habemus; manſio autem nonnihil in exortum remoueri debet, ad vicum *Tengen*, dexta Rheni ripa, ex aduerſo *Kayſerſtuhl* oppidi, vbi Danuillei *Tenedo* recte conſiſtit. Rhenus ibi Antiquae Vindoniſſae propior eſt, quam ad effluxum amnis memorati, vnum mill. geogr. et tres quintas interuallo non excedens. Heic Mannert, occaſione viae huius, quae in Hodoeporico deſideratur, de aetate Tabulae ſermonem inſtituit, adſerens, eam ad Antoninorum tempora referri oportere, quod Dacia quoque integra in ea exprimeretur, et ex Probi aeuo nihil occurreret; ipſe tamen huius ſententiae alias oblitus, ad quartum ſeculum Tabulam referre non dubitauit; vt in Galliis diximus. Hodoeporicon autem quarto ſeculo eſſe compoſitum, nemo arbitretur. Aeque antiquum id opus eſt, vt Tabula; ſed viae, pro adiunctis temporum, a ſcribis, regionibus iis, quas Romani non poſſedere amplius, ſunt exmiſſae; vt heic manifeſto adparet.

(a) L. XXI. c. 8. (b) L. XV. c. 4.

Iuliomago. XIIII. ſic Velſ. Bertio, Iuliomagus, *Pfüllendorf;* Cellarius *Dütlingen*, Danuille *Schafhauſen*, interpretantur; Mannert apud *Bondorf* extitiſſe arbitratur; nos, itineris vtrimque habita ratione, *Stuhlingen* eſſe putamus, oppidum dextra *Wutach* amnis, a borea Rhenum petentis ripa, ab *Tengen* in boream abſcedens. Viam quippe ab Rheno Danubium verſus iſſe, e ſupra dictis colligere licet. Danuilleo, *Iuliomagus*, xx M. P. in exortum aeſtiuum, agro oppidi *Schafhauſen.*

II. Brigobanne. XI. ſic Velſ. Bertio, *Brigobannis*, absque recentiori vocabulo. Cellarius ad ripam Danubii, ſed in exortum longius, Danuille ad lacum, Brigobannam quaerunt; Schottus *Stielingen*, nos *Brühlingen* oppidum, ad torrentem *Breg*, occiduum Danubii orientis ramum, conſtituimus, conſentientem heic nobis Mannertum habentes. *Breg* torrens cum *Briege*, ramo orientali, alueum Danubii proprie conſtituunt, vterque, quod etymon vocis concernit, originis Vindelicae; *Brig*, *Breg*, ripam Illyriis notare, alias diximus; Thracibus, Strabone teſte, oppida ad ripam et litus, id eſt, loco altiore ſita, eadem vox ſignificabat. Vt vel inde priſcos huius agri incolas intueare. *Brigovani* ſunt adcolae ripae; vt eos, qui heic origines Germanicas conſectari vellent, operam ludere cenſeas. *Βραγόδουρον*, *Bragodurum*, Ptolemaei, Schotto *Βρασόδουρον*, *Braſodurum*, e ſitu, huc fortaſſe ſpectabit. Danuille, *Brigobanne*, XIV M. P. in exortum aeſtiuum, ſitu vici *Bodman*, ora lacus boreali; noſtrum, a priore, in ſeptemtrionem paulliſper occiduum abſcedit; ad quod via olim a Monte Briſiaco, ſex mill. geogr. in occaſum abducto, inſtituta eſſe poterat.

Aris flauis. XIII. Velſ. *Aris flauis.* XIIII. Bertio, *Arae Flauiae, Nordling;* Cellarius longe in boream abit ad *Aurach;* Danuille, paullo ſupra lacum, circiter vicum *Stein*, in principatu *Heiligenberg*, ſtatuit; Mannert, obſeruaturus medium, *Rothweil* oppidum, ad exortum Nicri, ab itinere noſtro XII in aquilonem remotum, eſſe contendit, idque numeris, vt inquit, exigentibus; qui hoc quidem loco ei minus fauent. Nobis *Willingen* oppidum Aris Flauiis reſpondere videtur, dextra *Briga* torrentis memorati ripa, a praecedente in exortum aeſtiuum recedens. Ptolemaeo, *Βωμοὶ Φλάυϊοι*, *Arae Flauiae*, in Germaniae cenſu, quo fere Cellarius abiit; ſed Danubio eas admoueri debere, phraſis coſmographi, et Tabula, expoſcunt; in hac *Aris Flauis* pro *Flauiis*, per ſyncopen ſcriptum, non habuit Mannert, quod erroris poſtulet. Id genus quippe ſyncope, non in Tabula modo, et Hodoeporico, ſed in epigraphis etiam eſt frequens.

III. Samulocenis. XIIII. inſignia municipii; Velſ. *Samulocenis.* XIIII. Bertio, *Samulocenis*, absque cognomine, qui putat *Ἀλκιμοεννὶς*, *Alcimoënnis* Ptolemaei huc referri poſſe; quod non videatur improbandum. Danuilleo, *Samulocenis*, XIX M. P. in exortum aeſtiuum, circiter vicum *Oſtrach*, regione *Salmanſweil*, prope *Pfüllendorf* oppidum, alias *Samulocenes* ſcribit. Tabula transit recentem Danubium, dextram fluminis ſecutura. Nobis eſt *Dutlingen*

oppidum, dextra Danubii ripa, ex aduerſo effluentis riui cuiuspiam; adſtipulante Mannerto, cui *Samulocenae* recte ſcribuntur.

Grinarione. XXII. ſic Velſ. Bertius, *Grinario*, *Guaringen;* Danuille, *Grinario*, interuallo eodem, in exortum aeſtiuum, prope ripam Danubii, circiter *Moſsbeuren* vicum; Mannert prope *Sigmaringen*, XXII M. P. ab Clarenna; nobis Grinario eſt oppidum *Stockach*, aliquantum a ripa recedens.

Clarenna. numero deſiderato; ſic Velſ. Bertius, *Clarenna*, *Rain.* Danuilleo, *Guntia* in *Güntzburg*, *Clarenna* in *Burgau*, quorum illud ab Vlma ad X. in exortum lapidem abeſt, Burgau a *Guntzburg* ad VII. quem ſitum viae ratio non admittit. Mannert in occaſum abit, ad XXX fere ab Vlma lapidem, vbi *Kantzach* fluuius ex *Feder* palude in Danubium exit. Nobis *Clarenna* eſt *Hohenfels* oppidum, non longe a ripa, ad quintum a priore lapidem: qui numerus idcirco fortaſſe a ſcriba exmiſſus eſt, quod loca vicina forent. Hunc manſionis ſitum expoſcunt eae, quae ſequuntur; quare XXII M. P. quae Mannert heic deſiderari putat, ſunt nimia.

Ad lunam. XXII. ſic Velſ. Bertius, *Ad Lunam*, abſque cognomine; Cellarius, Danuille, alii, cum Clarennam iuſto remotius in orientem abduxiſſent, Lunam ſpectare non dignabantur. Mannert ex aduerſo *Ehingen* oppidi ſtatuit, neſcio, qua ratione; quod *Elhing* oppidum, laeua Danubii ripa, non niſi V M. P. ab effluxu *Kantzach* amnis in boream paullisper ortiuum, abſcedit. Idem ſibi videri ait, tria Tabulae loca, Ad Lunam, Mediana, Biriciana, iuxta poſitum et menſuras, eſſe Ptolemaei *Οὐΐανα*, *Φαινίανα*, *Ἀρτόβριγα*, *Viana*, *Phaeniana*, *Artobriga;* mihi haec in eadem ſede videntur non poſſe conſiſtere, vt alias monebo. Tabula ab Clarenna ripam acceſſerit, cuius Lunae oppidum *Fridingen*, laeua Danubii, in flexu eius, reſpondeat; quam partem ex hoc iter porro tenet. Eſt in Tabula hoc loco lateralis quaedam via, Auguſtam verſus, hac ſerie:

IV. Pomone. XL. Velſ. *Pomone*. XL. Mannert 52 Mill. legit, quae eſt menſura ſequenti numero iuncta, putatque locum ab arboribus fructiferis nuncupatum, cui non adſignat poſitum. E numeris incidit ad fluuium *Zuſam*, circiter arcem *Zuſameck;* vnde XL M. P. in occaſum hibernum, ad *Mengen* oppidum, X M. P. a *Buchau*, in occidentem, paullo amplius a *Fridingen* in exortum, pertingunt; a quo circiter loco ea lateralis via, Auguſtam verſus proceſſerit.

Auguſta uindelicū. XII. Velſ. *Auguſta Vindelicum.* XII. Interuallum eſt ab arce memorata *Zuſameck*, in exortum hibernum, ad vrbem vſque adcuratum; de Auguſta ſuo agemus tempore; nunc iter ripenſe, ab Luna perſequi libet.

Aquileia. XX. ſic Velſ. Bertio, *Aquilea*, abſque ſitu. Danuille, cum praeceſſoribus tacet; Mannert, ex aduerſo Vlmae, prope *Iler* fluuium, conſtitui poſſe arbitratur; nos oppidum *Riedlingen*, ripa Danubii laeua, ad quintum et

vicesimum ab Vlma in occasum auctumnalem milliare, Aquileiae conuenire putamus.

Opie. xviii. Velſ. *Opie.* xviii. Praeterit Opias Danuille, cum magistris; Bertius, *Opie*, absque adiecto; Mannert, *Gundremingen*, apud effluxum *Mindel* amnis, *Burgau* oppidum praefluentis, vbi Danuille Clarennam posuit, interpretatur. Nos vicum *Opsingen*, ripa laeua, prope *Riss* fluuii exitum, ad iv fere ab *Ehingen* in exortum aestiuum lapidem, sono vocis, et mensuris poscentibus, Opias esse censemus. Olim locus non postremi nominis fuerit, quod ab eo lapis septimus mansioni subsequenti nuncupationem dedit.

Septimiaci. vii. sic Velſ. Bertius, *Septimiacum*, absque addito; Mannert, *Septemiacis* legit, ex aduerso *Dillingen* statuens. Danuille cum sociis praeterit; nobis est vicus *Seftingen*, prope Vlmam, alias *Cl. Siflingen*, dextra *Blau* amnis ripa, ex cuius ruinis Vlma surrexerit postmodum, vocis cognatione et interuallis loco respondentibus. Heic flumine traiecto via dextra eius ripa progreditur.

Losodica. vii. Velſ. *Losodica.* vii. Bertio, *Losodica*, sine adiecto; reliqui tacent. Mannertus ex aduerso *Hochstädt* ponit; nos ad vicum *Reute*, ripa Danubii dextra.

Medianis. xi. Velſ. *Medianis.* xi. Bertio, *Medianae*, absque positione; Mannerto, *Medianae*, alias *Medionae*, apud exitum amnis *Zusam;* ceteri praetereunt. Nos oppidum *Güntzburg* pro Medianis accipimus, vbi Danuille cum sociis Guntiam posuit, dextra *Güntz* fluuii exeuntis ripa.

Iciniaco. viii. Velſ. *Iciniaco.* vii. Mannert, *Leimacum*, aut *Leiniacum*, vnde, nescio, sumtum, occiduo Lyci, *Lech*, latere, prope exitum, statuit; forsan loco veteri amnis nuncupationi adcommodato. Bertio, *Iciniacum*, absque cognomine; nobis est *Aislingen* oppidulum, nonnihil a ripa dextra remotum, sono quoque vocis Iciniaco respondens.

V. **Biricianis.** vii. sic Velſ. Bertio, *Buricianae*, *Burchaym.* Danuille, *Bericiana*, situ Neyburgi, longe in exortum, prioribus, ab Clarenna inde, exmissis. Mannert, *Biricianae*, ad fluuium *Acha*, supra oppidum Bauariae *Rain* a septemtrione. Nobis est *Wertingen* oppidulum, ripa Danubii dextra.

Vetonianis. xviii. Velſ. *Vetonianis.* xiii. Bertio, *Vitonianae*, *Winten*, vicus ad fluuium *Ilm*, ex aduerso *Geissenfeld;* idem Cellarius, Cluuerio duce, censuit. Mannert, *Vetonianae*, apud *Grienau*, ab exortu Neuburgo; Danuille in exortum longius abit, *Vetoniana* cum Cellario nuncupans, tamquam castra intelligantur; nos ipsum *Neuburg* oppidum pro Vetonianis sumimus, quas femineo quoque genere non male dixeris. Heic traiicit Tabula Danubium; quamquam is traiectus in ea signatus non est, sed viae ratio exposcit.

Germanico. XII. ſic Velſ. Bertius, *Germanicum*, *Foburg*, Cluuerio; quem et Cellarius ſequitur. Mannert, *Germanicum*, vicus *Menching*, ad fluuium *Par*, vbi Danuille Vetoniana ſtatuit. Nobis eſt oppidum *Ingolſtadt*, laeua Danubii ripa.

Celeuſo. VIIII. ſic Velſ. Cellarius circiter *Abbach*, ripa dextra; melius Danuille aduerſa, ſed apud *Kelheim*, cum Germanicum Neuſtado admouiſſet. Mannerto eſt *Münchsmünſter*, in occaſum ab *Neuſtadt;* nobis *Pfering*, latere Danubii laeuo. Hactenus Tabula ſola, absque ſocio vllo, proficiſcebatur, inde ab Vindoniſſa, manſionibus octodecim, quas cum interuallo M. P. CCXXIX ſola e vetuſtate ad nos perduxit; quo itinere ſi careremus, vniuerſa haec Danubii portio in tenebris ſoret. Ex hoc autem ſocium Hodoeporicon, quamquam non pari vbique ratione, adhibet.

Aruſena. III. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ripenſi, *Abuſina;* in Regio, *Auſina.* Auentinus oppidum *Abensperg*, ſibi patrium, eſſe contendit, quem Cluuerius, Cellarius, aliique ſequuntur; ſed interuallum XVII M. P. quod ab Regino eſt, Abuſinam eo conſiſtere loco non admittit. Menſo Altingius, *Abenstorff* exiſtimat, quem Danuille expreſſit; quamquam reſpectu Celeuſi nonnihil violente, quod proficiſcens in occaſum redire cogitur. Nos apud *Neuſtadt* oppidum, prope fluuiolum *Abenſt*, conſtituimus Aruſenam, ripa Danubii dextra, conſentientem heic Mannertum habentes. Notitia quoque imperii *Abuſinam* vocat. Hodoeporicon inde Auguſtam proficiſcitur, quae via in Tabula deeſt.

Regino. XXII. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Regino.* XX. Simlerus, *Regio;* codex Regius *Regino*, alii *Regio;* Notitia imperii, *caſtra Regina.* Annales Reuberi, ad an. DCCXCI. *Reginum*, *quod nunc Reganesburg vocatur.* Idem Saxo Poeta perhibet. Auentinus et Simlerus *Roking* eſſe volebant, quos iure deſerit Cluuerius. Mannert ait, vnum e caſtellis, quae Romani aduerſus transdanubianos erexerant, fuiſſe Reginum; ſed municipii iura oppido Tabula tribuit. *Ratisponam* a ratibus nucupatam eſſe volunt, ſi Gunthero fides.

VI. Soruioduro. XXVIII. Velſ. *Seruioduro.* XXVIII. Hodoeporicon aliam tenet viam, de qua poſtea dicemus. Danuille, dextro Labri exeuntis latere, *Seruiodurum*, vbi Auguſta Hodoeporici ſtatuemus. Mannert putat, vetuſtius nomen Auguſtanorum caſtrorum eſſe, tamen menſurae cauſſa nonnihil orientalius poni debere. Nobis oppidum *Straubing* eſt, dextra Danubii ripa, quod Cellario aliisque iam placuiſſe video.

P::Renſib'. XXVII. Velſ. *Petrenſib'*. XXVII. Danuille, *Petrenſia*, dextra *Vils* fluuii ripa, oppido *Haidenburg*, extra viam militarem, in mediterraneis. Mannert obſcure, cadit ad *Vils.* Cellarius cum aliis, *Oſterhoven*, interpretatur; quod, menſura poſcente, bene habet.

Caſtellum. Boloḋurum. XVIII. ſic Velſ. Nonnulli haec vocabula diuidi volunt, vt Caſtellum Paſſauiae, Boiodorum ciuitati Aenanae, *Innſtadt*, tribua-

tur; ſic Cellarius, Danuille, alii, Notitiam praeterea ſecuti, in qua Bataua Rhaetiae, Boiodurum Norico, adſignatur. Tabula quoque id innuere volebat, cum Boiodurum ſuperne ſtatuit. Mannert, vnum olim fuiſſe locum, Boioduri vocabulo, idque in Vindelicia, Ptolemaeo duce, praetendit; ſed caſtra Bataua non recte cum ſitu Aenanae ciuitatis permutat, Notitia repugnante. Locus ex vita Seuerini adductus Notitiae imperii fraudi eſſe nequit; et auctor vitae, more Romano *trans* particulam ſumſerit, ad locum in orientem remotum ſignificandum. Proinde opinio geographorum vſu probata maneat. Neque enim auctor vitae Patauinum oppidum ortiua Aeni ripa, vbi non fuit, accipere poterat. Recte proinde Weſſelingius, relato illo vitae S. Seuerini loco: *Baſilicae extra muros oppidi Batauini, in loco nomine Boiotro trans Aenum flumen conſtitutae*, addit: Batauinum oppidum eſt Paſſau, vnde Boiodurum videtur eſſe Inſtat." Quod ergo Tabula Caſtellum adpellat, Notitia ab cohorte Batauorum, caſtra *Bataua* nuncupauit.

Hodoeporicon, vti monebamus, aliam ab Regino viam ſequitur: *Auguſtis.* XXIIII. *Quintianis.* XX. *Boiodoro.* XXIIII. Quintianis ſecundarum Retiarum municipium vocat Eugippius, in vita S. Seuerini. Volunt ex Panuinii epigrapha, COL. AVGVSTA QVINCTANORVM. et numo Neruae apud Golzium, locum hunc obſcurum facere coloniam; ſed numum eſſe ſuppoſititium, epigraphen alio ſpectare, nemo dubitarit. Si *Künzen* vicus, vti volunt, Quintianis conuenit, XX M. P. ab Auguſtis non ſufficient; ſunt enim eo interuallo fere XXXIV M. P. Qua de cauſſa Mannert Quintiana cenſuit *Oſterhoven* oppidum, cui Petrenſia adſignauimus. *Auguſta* Cellarius *Perbing*, ad quintum a Regino lapidem; Cluuerius *Gaiſling*, ad decimum; Auentinus, Velſerus, cum Simlero, *Atzelburg;* conſentit Mannert, etſi numeros exiles eſſe videret. Forſan rectius quis ad vicum *Landsdorf*, fluuio *Laber* circumdatum, Auguſta ponet. *Auguſtiana* Notitiae Norico adſcribuntur. Et hactenus quidem de via Tabulae ripenſi; reliquas perſequamur.

VII. Mediterranea itinera ſunt duo; vnum ab Auguſta Rauracum, per Brigantium et Aug. Vindelicum Iuuauim; alterum ab Aug. Vindelicum Tridentum. In priore, ab Rauracis ad Arborem Felicem progreſſi ſumus, in prouincia Narbonenſi; (a) de Finibus et Arbore, ad Rhaetos ſpectantibus, repetemus quaedam capite ſequenti. Poſt Arborem, in Tabula, haec notantur:

Ad Renum. X. Velſ. *Ad renum.* X. Bertio, *Ad Rhenum.* Manſio haec, vitio ſcribarum, ſubſequenti eſt poſtpoſita. Interuallum X M. P. eſt ab oppido *Arbon* ad Rhenum adcuratum. Hodoeporicon neutro itinere locum exprimit; hodie *Rheineck* oppidum, ripa laeua, quod olim ad Rhaetos ſpectabat.

(a) §. IV. n. 14.

Brigantio. VIIII. insignia municipii; Vess. *Brigantio.* VIII. Bertio, *Brigantium*, *Bregnitz.* Traiectus Rheni notatus quidem est, sed oppidum mansioni praepositum, vt monebamus. Hodoeporicon, *Brigantia.* XX. ab Arbore Felici, vtroque itinere; nouem ab Rheno sufficiunt. Simlero, *Brigantia* vel *Brigandia;* in Regio, *Brigancia.* Straboni et Ptolemaeo, *Βριγάντιον*, *Brigantium;* Ammiano, *Brigantia;* Notitiae, praefectus numeri Barbaricariorum, Confluentibus siue *Brecantiae;* Surita *Bracantiae* legit; in vita S. Magni, *oppidum Brigantium*, *locus Brigantia;* illud Wesselingio displicet, quod antiquioribus placebat. Hodie oppidum *Bregenz*, dextra amnis homonymi in lacum effluentis ripa.

Vemania. XV. Vess. *Vemania.* XV. Hodoeporicon, itinere mediterraneo, *Vemania.* XXIIII. Simlero etiam *Veniana;* quae cum Ptolemaei *Φαινίανα*, *Phaeniana*, conuenit. Vossio, *Veniania;* itinere ripensi, M. P. XIIII. Suritae, *Nimauia.* Varietas numerorum fecit, vt in situ non conueniret geographis. *Wangen* esse nequit, aiunt neoterici, quod eo interuallo amplius XV. et minus XXIIII M. P. censeri debent; itaque in id iam consentiunt, vrbem imperialem *Isny* seu *Isne*, Vemaniam esse; suadente alio itinere, a Lauriaco Brigantiam, in quo itidem XXIIII M. P. a Brigantia Vemaniam ponuntur. Tamen iter ripense, in quo XIIII M. P. notantur, abiiciendum esse non putem; conuenit enim cum censu Tabulae; et in mappa Europae, quae mihi ceteris adcuratior esse videtur, a *Bregenz* ad *Kempten* quatuor mill. geogr. censentur. Quare, si Tabulam in dissensu Hodoeporici adpellemus iudicem, vetus opinio pro *Wangen* stabit. Et sane in tabulis Danuillei adcuratioribus, etsi Vemania ab directione Campodunum versus nonnihil in septemtriones abscedat, vtrimque tamen M. P. XV sufficiunt. Neque obstat lapis milliarius, apud Isnam repertus; nam M. P. XI a Camboduno, Isnae non conueniunt, sed viae a *Kempten Augspurg* versus; vt columnam Seuero inscriptam, quam in geographia epigraphica examinamus, olim loco motam opinere. Inde Tabula seorsim ab Hodoeporico vadit.

VIII. **Viaca.** XXIII. Vess. *Viaca.* XXIII. Bertius nominat absque interpretatione, admonens, videri sibi, hanc esse Ptolemaei *Vianam;* reliqua geographorum turba oppidum praeteriit. Ptolemaeo, *Οὐΐανα*, *Viana*, Schotti libro *Οὐϊάνα*, aliquot minutis in austrum remouenda, vti et Phaeniana, quas situ longitudinis permutauit. Numeri Tabulae ducunt ad oppidum *Mindelheim*, quod a *Bregenz* octo mill. geogr. cum semisse, in exortum aestiuum abest, dextra amnis recentis, cum *Kamblach* fluuio Danubium petentis, ripa. Est apud cosmographum, post Brigantium et Taxgaetium, *Οὐΐκος*, *Vicos* oppidum, quod cum Viaca sono congruere videatur; sed in austrum iusto remotius abscedit, vt Vianae praeripere palmam nequeat. In marmore Sopronienfi, Pannoniae, P. Pompeius, tribu Voltinia, colonus VIANA. Sic olim et in Tabula scriptum fuerit; nisi militari vsu expressum velis. Mannerto *Οὐΐανα* Viana est Tabulae Luna; sed is Viacam in Tabula non vidit.

Augusta vindelicū. xx. insignia coloniae; Velſ. *Augusta Vindelicum.* xx. Hodoeporicon, *Augusta Vindelicum*, *Augusta Vindelic.* Simlerus, ſeu *Vindelegorum;* in quibusdam ſcriptis, *Vindelicus*, *Vindeleus.* In epigraphe Romana, C. Vehilius, miles, AVG. VINDELICVM. Belgradi, in Moeſia, Vlpia, domu AVG. VINDOR. in marmore domeſtico, C. Antonius Aelianus, decur. MVNICIPI AEL. AVG. item, C. Iulianus Iulius DEC. MVN. aut ſingularibus literis D. M. in quodam, IV---COL. forſan IV vir Coloniae; niſi collegii malis. Coloniam tamen fuiſſe, ex Tacito intellexeris, qui vrbem noſtram *ſplendidiſſimam Rhaetiae prouinciae coloniam* vocat; (a) quam phraſin Roſchmannus ingratiis ad Veldidenam, quae ne municipii quidem iura habuit, trahere conatur. Numi Golziani, COL. IVL. AVGVS. item COL. AVGVSTA VINDELICOR. aut COL. AVGVSTA RHÆTORVM. ſunt procul dubio ſuppoſititii; neque habuit doctiſſimus Velſerus, patriae ſuae amator et illuſtrator ſingularis, quod huic carioſo fundamento ſplendidas ſuperſtruat aedes. Columnae milliariae, AB AVG. praeferentes, ſunt antiquitatis teſtes certi, quos in epigraphica recenſemus. Locus hic natalis eſt TABVLAE noſtrae, quam, in rei literariae incrementum, illuſtrandam ſumſimus. Heic enim, apud Peutingerum, elegantioris literaturae amatorem, ab Conrado Celte relicta, diu manſit. Hodie vrbi nomen *Augsburg*, ſiniſtro *Lech* amnis latere, ab cultu bonarum artium notiſſimum, ideo quoque nobis memorandum, quod heic tabulam Europae, in ſex foliis regalibus, qua hoc in opere plurimum vſi ſumus, ſatis munde, nitide, et quoad dimenſiones aſtronomicas, adcurate, Tob. Conradus Lotter procudit.

Hodoeporicon, a Vemania habet, *Campoduno.* xv. *Roſtro Nemauiae.* xxxii. *Augusta Vindelicum.* xxv. itinere ripenſi, *Campoduno.* xv. *Celio Monte.* xiiii. *Guntia.* xvi. *Augusta Vindelicum.* xxii. In ſitu horum locorum ſtatuendo, ſententiae ſcriptorum mire variant. Campodunum eſſe *Kempten* oppidum, conuenit inter omnes. Roſtrum Nemauiae, Cellarius, Cluuerius, Simlerus, *Memmingen* putant; alii *Vertach* inter et *Gennach* fluuios, infra *Türkheim*, auſtrum verſus, quaeri volunt. *Memmingen*, per *Kempten* procedenti, longe a via in Thraſciam, ſeu occaſum ſolſtitialem aeſtiuum, abſcedit; proinde opinio poſterior ante ſubſiſtet. Itinere altero, Montem Celium (Mannerto *Caetius mons*, neſcio, vnde) Cellarius, duce Cluuerio, et hos ſecutus Danuille, *Kehlmünz* interpretantur; propius a vero abſunt, qui *Yrſen*, *Irſen*, quod eſt oppidum *Abtey Yrrſee*, paullo ſupra *Kaufbeuren* oppidum, haud longe a laeua Lyci amnis; Guntiam autem *Türkheim*, eſſe volunt.

IX. Ab Auguſta triplicem exhibet Tabula viam, in exortum, Iuuauim, in auſtrum Tridentum, in occaſum aequinoctialem Lunam verſus; hanc in ripa memorauimus. Nunc in ortum tendentem luſtrare libet, in qua manſio prima

---

(a) Mor. Germ. c. 41.

Rapis. XVIII. Velſ. *Rapis.* XVIII. Bertio, *Rapae*, *Songe.* Mannerto, *Rapi*, prope oppidulum S. Mariae *Hilf.* Alius geographorum viam hanc ingredi noluit. Hodoeporicon aliam tenet; vſque *München* tamen vrbis viciniam, vt columnae milliariae oſtendunt, cum Tabula proceſſerit. Rapis *Altomünſter*, in geographia Vindeliciae, reſpondere putabamus.

Nauoae. XXIIII. Velſ. *Nauore.* XXIIII. Bertio, *Nauoris*, absque cognomine; Mannert, *Nauoae*, ad Lycum, *Lech*, apud *Landsberg*, in auſtrum; quae a noſtro itinere longe abſunt. Idem, ex alio itinere putat, pro *Nouoae*, *ad Nouas* legi debere; de quo alias viſuri ſumus. Apud Ortelium prope *Amber* fluuium, eſt oppidulum *Nanhoue*, quod Nauois etiam ſitu reſpondere videatur; nos tamen *Pruk* oppidum, Ambri adſitum eſſe cenſebamus.

Camboduno. XVIII. Velſ. *Camboduno.* CVIII. Bertio, *Camboduno*, *Freyſing;* in adiecta nota, Friſinga vel Monachium; Auentino *Bargen;* nobis *München* eſt, vrbs laeuo Iſari, *Iſer*, amnis latere ſita. Idem hoc eſt *Καμβόδουνον*, *Cambodunum*, Ptolemaei, vt recte monet Bertius, et *Cambidunum* Notitiae. Mannert, in auſtrum abit, ad Weilheim, infra lacum *Amber*, ab itinere noſtro longe remotum.

Eſcone. XX. ſic Velſ. Bertio, *Eſcon*, absque ſitu. Danuille cum Cellario ad *Schongau*, via Tridentina, ſecus Lycum, abſceſſit, miro deinde ſaltu ad Iſiniſcam facto, forſan numero Velſeri CVIII duce. Mannert, *Starnberg*, ſupra lacum *Wurm*, vbi fluuius cognominis emergit. Nobis eſt vrbs *Freiſing*, laeua Iſari. Sunt haec quidem diuerticula; ſed per loca, quae tum praecipua hoc fuere tractu; recte autem nos cum Tabula procedere ſequentia docebunt.

Abodiaco. XVIII. ſic Velſ. Bertio, *Abodiacum*, *Happing.* Danuille Abodiacum hoc cum Auodiaco, via Tridentina, idem eſſe putabat, Cellarium ſecutus, qui *Fueſſen* interpretatur. Mannerto *München* videbatur, quod reliquimus; nobis *Landshut* oppidum, ripa Iſari dextra, Abodiacum Tabulae, idemque *Ἀβουδίακον*, *Abudiacum* Ptolemaei eſt, numeris ſitui reſpondentibus.

Vruſa. XIII. ſic Velſ. Bertio, *Vruſa*, absque ſitu. Danuille, ad *Eurasburg*, apud lacum *Wurm*, e vocis cognatione, ſtatuit, *Iruſam* nuncupans. Mannerto eſt *Erching*, ad Iſarum, quem Vruſam dictum putat; nos pro *Wartenberg* oppido ſtamus.

Bratanamo. XII. ſic Velſ. Bertio, *Bratananium*, ſine addito. Mannert, *Bratanano*, *Brotanamo*, neſcio, vnde, vocat, ſitum loco dare oblitus; alii quoque tacent. Nos *Aerding* oppidum, dextra *Sempt* amnis ripa, eſſe cenſemus.

Iſuniſca. XII. ſic Velſ. Bertio, *Iſuniſca*, *Iſen.* Hodoeporico, *Iſiniſca*, itinere mediterraneo. Ad *Iſen* plerique geographorum collimant, ſono vocis etiam reſpondente. Nonnulli tamen Iſuniſcam quaſi Iſariſcam, ab Iſarcis nuncupatam, apud Monachium quaerebant; quos Velſerus deſerit, quod in ea opi-

nione ratio numerorum non habetur. *Isen* oppidum, laeua cognominis fluuii ripa, qui Aenum ex aduerſo *Oetting* oppidi, ab occaſu petit, ſitum; Ortelio *Iſm* amnis et locus.

Ad enum. xx. Velſ. *Ad Enum.* xx. Bertius, *Ad Aenum.* Haud dubie ad flumen erat, etſi nullum habeat Tabula depictum, inquit idem, ſitu non expreſſo. Mannert, *ad Aenum.* Hodoeporicon, *Ponte Aeni.* xx. ab Iſiniſca. Surita, *Pontem Oeni;* in Regio, *Ponte Eni;* in aliis *Ponte Ceni*, *Ponteſeni*, *Pontetieni.* Regii codicis lectionem Tabula firmat, quae ſincera ſit, diphthongo poſterius inducta. Surita vbique, etiam in Notitia, et Arriano, *Oenum*, Weſſelingius *Aenum* legi volunt; rectius vterque facturus, veterem tuendo ſcripturam. Neapolitano M. P. XXVII. in reliquis XX. Plerique, Simlero duce, *Oetingen*, hodie *Oeting*, interpretantur; quod interualli ratio non admittit. Mannert, apud *Voektareit*, ad Aenum, quaerit; nos *Waſſerburg* oppidum, laeua Aeni ripa, prope *Atil*, inſignem antiquitatibus locum, manſionem *ad Enum* eſſe cenſemus. Badaium, quod ſequitur, eſt trans Aenum, in cenſu Norici. Vias ex Hodoeporico in commentariis geographicis executi ſumus. Superat via auſtralis ab Auguſta Tridentum.

X. Ad nouas. absque numero; Velſ. *Ad nouas.* Quia numeri hac via, ternis locis, ſunt incuria ſcribarum exmiſſi, nemini viam ingredi, nemini de ſitu manſionum hariolari placuit, praeter Mannertum, qui ad priorem viam, apud Nauoas, putat, eo hanc quoque proceſſiſſe, et idcirco bina loca ſine numeris eſſe poſita, et pro Nauoae ſcribi debere *ad Nouas Auodiacum;* cuius opinionis poſtea, cum ad Nouas veniſſet, non meminit. Auodiaci, quod ſequitur, ſitum ſcimus. Supra id, ad ripas Lyci amnis, praecipuus eſt hodie locus *Landsberg*, dextra fluuii ripa, quatuor mill. geogr. cum duabus quintis, ab vrbe remotus; quem ſi Nouas eſſe velimus, deſiderabuntur M. P. XXII.

Auodiaco. ſine nota numerali; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ab Auguſta Veronam, *Abuzaco.* XXXVI. in Regio, *Abuzam;* Neapolitano, *Abuzato;* vita S. Magni, *caſtrum Abuzaco;* Chronicon Auguſtanum, *vinum de Apozaco*, norunt. Ptolemaei Abudiacum non rite huc refertur; ſpectat enim ad iter praecedens, ab Auguſta Vindelicum Iuuauim. *Fueſſen*, quod geographi volebant, Abuzacum eſſe nequit; abeſt enim a *Landsberg* quinque mill. geogr. cum ſemiſſe. Mannert *Schoengau* accipit, ſed ita, vt in Hodoeporico pro XXXVI ponantur XXXXVI. qui ſcribendi modus tam Hodoeporico quam Tabulae eſt inſuetus. Ad haec ab *Augsburg* ad *Schongau* ſunt mill. geogr. octo non amplius; proinde numerus is M. P. erit abundans. Nobis eſt *Hohenfurt*, ad Lycum, vnum ſupra *Schongau*, duo infra *Diſſen* mill. geogr. Quare in Tabula, a Nouis ad Auodiacum deerunt M. P. XIIII. Danuille, Auodiacum hoc cum Abodiaco in Atlante commiſit, in tabella ad commentarios Crevierii diſtinxit, Abuzacum ſupra *Schongau*, fere ſitu Hohenfurti, ſtatuens.

Coueliacas. numero exmisso; sic Vels. Ex censu mansionis subsequentis xx M. P. colligere licet, Coueliacas ad x ab Auodiaco lapidem exstitisse, fere vbi *Steingaden* oppidum, trans Lycum. Cluuerius, Auodiacum *Fuessen*, Coueliacas *Kochel* esse ait. Mannert heic obseruat, Tabulam, prius quam *Partenkirch* oppidum adpellat, fluuium *Loisach* traiicere, qui in ea *Ticenum*, in Itinerario *Tessenum* vocetur. Verum is fluuius in Padum defertur ex alpibus, quas auctor Tabulae vsque huc produxit, ob constructionem operis, ceteroquin his locis vicinas, quarum pars, Scarbiam inter et Veldidenam procurrens, Vindelicos dirimebat ab Rhaetis. Iecisset oculum Mannert ad fluuii eius exitum, conspexisset locum fluuio cognominem *Ticeno*, quem is in alpibus ortus, lacumque Verbanum transiens, postea non minimo interuallo decurrens, praefluit. Tabula maiores fluuios notare consueuit; *Loisach* in charta Europae sedem non meruit. Rectius erat facturus Mannert, si Coueliacis situm adsignasset. Traiectus heic montis et fluuii, in Tabula sic accipi debet, tamquam nullus esset. Sequitur,

Tarteno. xx. Vels. *Tarteno.* xx. Hodoeporicon, *Parthano.* xxx. Suritae, *Parthanum;* nunc *Bartenkirch* in Vindelicis esse traditur, ait ipse. Etsi porro scribae in Tabula errare poterant, non tamen continuo ex Tarteno Parthanum feceris. Potuit is locus militari vsu sic adpellari, vti Surita *Bartenkirch* pro *Partenkirch* dixit. Parrodonum Notitiae, quod Mannert, Cellario duce, vult, ante cum Ptolemaei Carroduno conueniat, quam cum *Parthano;* in primis, si lectionem Tabulae abiicere nolis.

Scarbia. xi. sic Vels. Diplomatis *Scarantia.* *Scharnitz* oppidum situ et sono respondet Scarbiae. Cluuerio, *Mittenwald.* Mannert *in Geisthal* interpretatur. Danuille recenti Isarae adponit, a quo Scharnitz in exortum nonnihil remouetur. Heic in particularibus chartis notari videas: *Princeps in Tirolim traiectus;* vt olim quoque hac fuisse iter opinere. Alpium tractus, qui sequitur, Aeno a septemtrione praetentus, quem auctor Tabulae intelligi voluerit, olim Rhaetos a Vindelicis separarit. Veldidena, quae hoc itinere venit, in censu Rhaetiae est, quam suo videbimus loco.

CAPVT VI

RHAETIA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. RHAETI apud ſcriptores antiquos celebrantur; qui tamen eorum ante Polybium meminiſſet, non reperias. Strabo refert, Polybio quaternos alpium aditus fuiſſe notos, quorum poſtremus ſit *διὰ Ῥαιτῶν*, *per Rhaetos;* niſi Strabo e ſua aetate locutus eſt. Nam Rhaeti ne in tropaeo quidem Druſi, in quo complures alpium incolae cenſentur, nomen obtinent. In Planci Munatii monumento, triumphus EX RAETIS memoratur; ſed ea epigraphe a Munatii poſteris eſt poſita; et in Faſtis ad A. V. 710. triumphus *ex Gallia* refertur. Proinde vnum ex primis, qui Rhaetos norint, Horatium fuiſſe putes, qui Druſi bella aduerſus alpinos ſuſcepta canens: *Videre Rhaeti bella ſub alpibus Druſum gerentem et Vindelici*, inquit. Tabula neutros exhibet; cuius rei cauſſam non reperio, niſi eorum, qui poſtremi opus deſcripſere, oſcitantia id factum putes. Infra alpium tractum, ex quo Vbartus et Vmana defluunt, MEDIA PROVINCIA notatur, quae alio ſpectet.

II. In regno epigraphico, populi et patriae vocabulum occurrit; in quodam marmore Pannonico, C. Dignius Secundinus, natione RAET. Raetus; in Maeſia, C. Marius Sabinus, praef. coh. I. RAETORVM. Romae, T. Aurelio Secundo, NAT. RAITO. more graio; in epigrammate Celeiano, T. Varius Clemens, proc. Aug. prouinciae RAETIAE. et in quodam Floranenſi, prolegat. prouinciae RAITIAI. ad normam graecam, quae inſcriptio videtur Velſero, M. Aurelio et Lucio Vero Impp. poſita. Auxiliare, Rhaeticus; Gandulfi, Fl. Quirinus, miles, lectus ex exercitu RAETICO. Ita conſtanter in epigraphis, ſine adſpirata. Etymon vocis ab equeſtri militia, originis Germanicae eſſe putabamus.

III. Fines, ab occaſu iuga alpium Rheno a Zephyro praetenta, ad fluuii Seſſitis fontes; deinde iuga lacubus Verbano, Lario, Seuino, Benaco imminentia, ad Veronae viciniam, quam Italiae damus; porro iuga inter fontes amnium Plauis et Tilauenti, Draui et Aichae procurrentia, ad Aeni in ſeptemtriones flexum, vbi Norici et Vindelici cum Rhaetis concurrunt. Hic limes ab

austro et oriente; a borea tractus alpium, Vindelicos ab Rhaetis dirimens, de quo capite priore dictum. Proinde alpium iugis vndique cingitur, patens ab gradu long. 25 min. 16. ad 30 min. 5. latit. 45 min. 30. ad 47 min. 18. Longitudo summa, a fonte Sessitis ad flexum Aeni, M. P. CCXLV. Latitudo a iugis alpium, quae sunt ad XII supra Veronam lapidem, ad eumdem Aeni flexum, CXLV M. P.

§ II

Montes, fluuii.

I. ALPES inde ab ostio Vari, Cottias, Graias, Penninas, tum Rhaeticas, ad lacum vsque Brigantinum, inde ad Noricorum fines, vno tractu exhibet Tabula; seorsim Abnobae iuga, ortiua lacus regione ad Rhaeticas alpes protenta, notans. Singulari deinde tractu exprimit iuga, ex quibus Vbartum et Vmanam fluuios, altero, ex quo Cleusin, tum penitiore, ex quo Atesiam deriuat, in Padum deductos; quamquam Athesis quidem non ingreditur Padum. Haec iuga, Rhaetiam vndique cingentia, vno vocabulo Rhaetica dicebantur. Sunt tamen etiam quaedam iugorum nomina speciatim apud veteres prodita; Strabo Rhenum ex *Adula* deriuat, quem et Ptolemaeus nouit; Plinius, Athesin e Tridentinis alpibus deferri ait; Strabo, Atagin ex monte Apennino, supra Carnos; quem tractum Tabula exprimit seorsim, nullum nominat. Iuga haec, separate posita, suas quoque nuncupationes habuerint, quas Tabulae auctor promere neglexit; fluuios tamen ex iis deriuatos singillatim adpellat; vt quinam ii montes sint, ex fluuiorum vocabulis nosse valeamus.

II. fl'. Atesia. Vels. Fl'. A t e s i a. Tabula fontem amnis ita exprimit, vt Atagin ibi accipiamus, quem vnus nouit Strabo, loco nonnihil turbato, quem in commentariis geographicis restituimus; sic autem habet: (a) Supra Carnos Apenninus mons situs est; is lacum obtinet exeuntem in Atagin, qui alium fluuium Atesinum excipiens, in Adriam effluit." Qui Straboni *Ατησινὸς*, *Atesinus*, Pinio *Athesis*, Floro *Atesis*, Tabulae *Atesia* est, incolis *Etsch*, Itali *Adige* nuncupare malunt, etsi prior est fontibus patulis magis memorabilis. Vnus Strabo *Ἄταγιν*, *Atagin* memorat, hodie *Eisach* adcolis vocatur.

Aeni fontes, qui sunt in Rhaetiae penetralibus, Tabulae tempore ignorabantur; nam is fluuius origine Iuuauus est, effluxu Aenus; vti fere Ptolemaeus prodidit, fontem apud Iulium Carnicum statuens. Strabo, cum loco supra dicto alium fluuium Isarum, ex eodem lacu prodeuntem, in Istrum deuolui ait,

(a) L. IV. p. 207.

procul dubio Aenum respexit; cum Isarus in Vindelicis sit vniuersus. Neque tamen ipse, neque Plinius amnem norunt. Tacito et Ptolemaeo, Aenus, Rhaetos a Noricis dirimens; Arriano *Enus;* sic Tabulae et Hodoeporico; nemo fontes nouit. Adhuc Ortelii tempore totus agris Vindelicorum coercetur. Primus fontes deprehenderit Cluuerius, qui eos in tabulis suis rite signauit; vt mirere Bunonem, Licum pro Aeno ex his deducentem locis.

§ III

Oppida, mansiones.

I. TRES habet vias Tabula, per haec loca ducentes; vnam ab Arbore Felici ad lacum Comensem; alteram a Brigantio Comum; tertiam ab Augusta per Tridentum Veronam. Hodoeporicon se socium adiungit. Priorem lustremus; in ea ab Arbore traiectus alpium notatur, deinde

Curia. XLIII. Vels. *Curia.* absque nota numerali. Hodoeporicon, a Brigantia progressum, L numerat, vti postea dicemus. Haec via erat nonnihil breuior, quam sit ea a Brigantio; processerit laeuo Rheni latere, ad Magiam vsque, tum dextro ad Curiam, de qua itinere sequenti dicemus.

Additur numerus IX. cum viae ductu ad lacum vsque, late patentem. Interuallum hoc est per lacum ad vrbem Comum; nam ab Curia ad lacum sunt fere XL M. P. nauigatio per lacum fere XXX. Hodoeporicon, tractu hoc, enumerat: *Tinnetione.* XX. *Muro.* XV. *Summo Lacu.* XX. *Como.* XV. Hodie, *Tenezone*, *Muro*, *Samolico.* Tabula viam tenuerit breuiorem. Altera a Brigantio via, traiectus montis, deinde

Clunia. XVII. numero repetito; Vels. *Clunia.* XVII. Cellarius, et Danuille, duce Cluuerio, situ oppidi *Feldkirch*, Cluniam signant. Et Cluuerius quidem, Cellariusque ad ripam *Yl*, *Ill* amnis dextram, prope exitum; Danuille variat, nunc ad effluxum amnis memorati, nunc ab Rheni ripa remotius. *Feldkirch* est Rheno vicinum, medio fere Brigantium inter et Curiam spatio; proinde Clunia esse nequit, si charta Europae spectetur, in qua a *Bregenz* ad *Feldkirch* quatuor mill. geogr. cum duabus quintis, seu M. P. XXII numerantur; quaedam calculo Tabulae respondent; vt vicus *Altenstadt*, Rhenum inter et *Feldkirch*, quem Danuille respexerit, Cluniam exposcere videatur.

Magia. XVIII. sic Vels. Geographi iidem, Cluuerio duce, *Meyenfeld*, in flexu Rheni, ripa huius dextra, regione *Bünden*, paullo supra *Langnar* amnis exitum, recte statuunt, mensura conueniente; vt ratio non adpareat, quare Cluuerius ex numero priore XVII voluerit XXII effingi; nam in charta Heluetiae, Norimbergae an. 1751 procusa, *Bregenz* inter et *Feldkirch*, tria

mill. geogr. cum duabus quintis, adcurate interferuntur, vti etiam inter *Feldkirch* et *Meyenfeld.*

II. **Coria.** XVI. Velf. *Iuria.* XVI. Hodoeporicon, *Curia.* L. Paullus Diaconus, et Nalgodus, in vita S. Maioli, *Coriam* vocant. Rectum effe *Curia*, iter Tabulae praecedens; ex quo heic *Turia* corrigi debet, cum Hodoeporico probant; antiquorum nemo praeterea meminit loci. Circiter octauum et nonum feculum, *Ducatus Curienfis* fuit hac regione inftitutus. Hodie vrbi nomen *Chur*, dextro Rheni recentis latere, Gallis *Coir*, tefte Cluuerio, Grifonum metropolis. Danuilleo, Clunia XX. Magia XIX. Curia XIV M. P. ad confluentem *Pleffur* amnis. Ductu recto a *Bregenz* ad *Chur* funt mill. geogr. decem; Hodoeporicon L. Tabula LI M. P. computant, Danuille LIII.

Lapidaria. XXXII. fic Velf. Cluuerio *Splügen*, Mannerto ad *Tufis* ab auftro, ripa Rheni interioris, vbi via ternis vicibus, modico interuallo alueum traiicere cogitur; fed cum *Tufis* ab *Chur* tribus mill. geogr. cum femiffe abfit, Lapidariae locum dare nequit. Cluuerius, horum locorum *αὐτόπτης*, haec de *Splügen*, *Spulgen* chartis, laeua *Hinter Rhein* aluei, narrat: Inde fummus Rhaeticarum alpium fiue Adulae montis transitus, adfcenditur, qui mons vulgo incolis dicitur *der Vrfeler;* et item *der Splügener Berg;* fummus eius adfcenfus a dicto vico eft millium VII. a quo haud ita longe ad veterem peruenitur turrim, fiue fpeluncam, apud biuium pofitam; cuius altera via dextrorfum per arduum defcenfu afperrimumque montem, nomine *Cardinalem*, in vallem ducit diui Iacobi; altera finiftrorfum antiquior, per vicum, qui vulgo dicitur *Madefe*, transiens, faciliori paullo cliuo in eamdem defcendit vallem, apud vicum *Campodolcino.* Hinc iam vna eft via Clauennam vfque. Vtroque autem itinere a Speluga ad Clauennam XX funt millia paffuum.“ Haec ipfe. Danuilleo, *Lapidaria*, XXV M. P. in occafum hibernum, dextra Rheni, circiter vicum *Zira;* nos *Baerenberg* vicum paullo inferius, ad confluentem duplicis Rheni, effe putabamus.

III. **Cunuaureu.** XVII. Velf. *Cunuaureu.* XVII. Cluuerio, *Cuneus Aureus*, eft fummus Splugenfis montis traiectus. Mannerto, *Cunus Aureus*, circiter *Splügen.* Danuilleo, *Cuneus Aureus*, X M. P. in eamdem plagam; menfura petit vicum *Hinter Rhein*, laeua Rheni exorientis, vbi altiffimae alpes, olim ftatua, aut ara pofita notatae forfan, vt cunei Aurei nomen obtineret locus; nifi tropaeum Drufi heic pofitum erat, quod mihi perquam verofimile videtur.

Tarueffedo. X. fic Velf. Hodoeporicon, *Tarnefede.* LX. Cluuerius, *Madefe* vicum ait effe, numerum Hodoeporici LV refingens. Simlerus *Splügen;* Schudius villam S. Iacobi; Mannert *Tfchenfch*, ad fluuium Liram, qui Mairae infunditur. Ortelius, ad confluxum hunc *Cleuen*, fuperius, laeua Lirae ripa, *Tarnefe* ponit; cuius loci veftigia alius non deprehendit, ne Cluuerius quidem; nifi *Madefe* ex *Tarnefe* natum eft; quo pacto Cluuerii opinio triumpharet. Danuilleo, *Taruefedum*, IX M. P. a priore in auftrum, laeua exorientis Lirae,

ſitu vici *Cardinel*, quod probabile videatur; qui locus, ſecundum eius poſitionem, a vico *Hinterrein*, vbi cuneum Aureum poſuimus, adcurate x M. P. àbeſt; haud longe in exortum *Madeſen* vicus conſpicitur.

Clauenna. xx. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Clauenna.* xv. Cluuerius x numerauit; ſed diuerſae, vt olim erant, ſic et hodie ſunt per haec alpeſtria viae. Simlerus ab Curia ad Spelugam xxxvi M. P. a Speluga Clauennam xxxvii. M. P. numerauit, in ſua de Alpibus commentatione; quae ſimul ſumta efficiunt M. P. lxxiii. Hodoeporicon habet lxxv. Tabula, itinere commodiore, flexu in occaſum, ſecus Rhenum recentem facto, progreſſa, lxxx. quinque dumtaxat amplius, quam Hodoeporicon; Cluuerius tamen vult lxv dumtaxat. Nouit Clauennam Paullus Varnefridi. Danuilleo, *Clauenna*, xii aut xiv M. P. in exortum hibernum, laeua Mairae, ad confluentem Lirae, ſitu oppidi *Cleven* Germanis, *Chiavenna* Italis; ſed plaga ea alpibus aſpera, plura olim M. P. popoſcerit.

Como. xviii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Ad lacum Comacenum.* x. *Per lacum Comum vſque* lx. Ab Clauenna Comum, in charta Europae, ductu recto, ſunt mill. geogr. ſex cum quatuor quintis, ſeu M. P. xxxiiii. Danuille tantumdem cenſet. In Tabula numeros ſcriba permutauit, xxxv Mediolano adſcriptis, quo xviii ſpectant. In Hodoeporico fuerit xl ſcriptum, litora lacus obeundo. Idem obſeruat Mannert; ſed cum Tabulae numerum prorſus corruptum ait, ſe numerorum transpoſitionem non obſeruaſſe, oſtendit. Cato, apud Seruium, (a) *per ſexaginta millia* lacum extendi ſcribens, ſic errare potuit, vt Weſſelingius, addens: Nunc quidem paullo eius eſt ſpatium amplius, quod partim fluctibus, ripas alluentibus, atque abſorbentibus, partim etiam M. P. quibus veteres vtebantur, noſtris aliquanto minoribus tribuendum eſt.“ Id magiſtro Cluuerio exiſtimauit, qui Strabonem, *τὸ μῆκος ἐγγὺς τριακοσίων σταδίων*, longitudinem lacus *trecentum fere ſtadiorum* docentem, falſum tradidiſſe ait. Stadia ccc faciunt M. P. xxxvii. cum ſemiſſe, ipſo Cluuerio fauente; quae menſura eſt ſincera. Cato etiam ſummum acceperit lacum, vt eum Hodoeporicon vocat, x M. P. protentum, cum diuerticulis peripli; qua ratione lx M. P. numerare potuit. Vetus nomen vrbi adhaeret *Como*, quam in Italia reuiſemus.

IV. Supereſt via militaris, ab Auguſta Veronam ducens, quam Hodoeporicon quoque tenet; in quo aliae praeterea viae, a Lauriaco, a Ponte Aeni, ab Aquileia, Veldidenam tendentes exhibentur, quas Tabula non habet. Itaque a Scarbia, quam in Vindelicis reliquimus, apud *Scharnitz* oppidum, in Tabula ſequitur,

Vetoniana. xviii. in exemplari noſtro **vetonina.** Velſ. *Vetonana.* xviiii. Cluuerio *Vetonina.* xviii. Mannert Scheibium non conſuluerit, cum *Vetonina* ſcribit, corruptum id vocabulum adſerens. Antiquum hoc loci fuerit nomen,

---

(a) Ad Georg. II. v. 159.

poſtea in Veldidenam mutatum, aut potius populari expreſſioni reſtitutum. Hodoeporicon, a Parthano, *Veldidena*. xxx. Nemo praeterea veterum oppidi meminit. Columnae milliariae Auguſtae nomen et numeros praferunt porro quoque, vt in epigraphica monſtramus. Non erat tam celebris locus, qualem nonnulli cum Roſchmanno ſibi imaginantur. Concurſus viarum manſionis celebritatem continuo non arguit, niſi aliud momentum ſit praeſto. *Wilten*, ad Vtii, *Vlz*, et Aeni confluxum, Veldidenae reſpondere, nemo iam dubitat. Ab *Scharnitz* ad *Wilten* ductu recto ſunt mill. geogr. tria cum ſemiſſe; in tabella curſus publici quatuor cenſentur ob montes intercurrentes. Tabulae cenſus eſt adcuratus.

Matreio. xviii. ſic Velſ. Medio fere inter *Wilten* et *Sterzingen* itinere oppidulum eſt in Vtii amnis valle, ripa laeua, *Matray* nuncupatum, quod Matreium Tabulae ſit, Cluuerio perhibente; cui nemo contradixerit, quod menſura et nuncupatio loci ſitum probant; etſi ductu recto xvi M. P. ſuffectura viderentur.

V. Vepiteno. xx. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Vipitero*. xxxvi. a Veldidena. Cuſani MS. *Vipeteno*. Simlerus iam *Sterzingen* oppidum eſt arbitratus, quem ceteri ſequuntur. Cluuerius ait, nuper inſcriptionem antiquam eſſe heic erutam, quam referre noluit. Danuille vlterius in auſtrum promouit, ad telonium *am Lug*, Simlero, *auf den Lung* Roſchmanno, ſub monte *Brenner*, quem Pyrenaeum vocant, vbi columna milliaria, ab AVG. M. P. cxxx. praeferens, eſt reperta, ad confluxum duorum riuorum, Atagin inferius petentium; cum *Sterzingen* ſit in valle Vtii recentis, quae *unter Wipthal*, altera apud Aiſacum *ober Wipthal*, nuncupantur.

Sublabione. xxxv. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Rublauione*. xxxii. Paullo Diacono, Ingenuinus de Sabione. Cluuerius Brixinum eſſe perhibet, olim Sabionem dictum, et ad x inde lapidem, apud *Säben*, *Seben*, *ſub Sabionem*, quod olim in Hodoeporico et Tabula ſcriptum fuerit. Sed *Brixentes*, Plinio memorati, homonymon oppidum incoluerint. Danuille diſtinguit loca; ſitu *Brixen* ſignat oppidum absque nomine; ſitu *Seben*, *Sabio*, extra viam militarem, in colle; ad alterum inferius lapidem, vbi *Clauſen* oppidum, *Sub Sabione*; quae ſunt ſaniſſima. Annales Eccleſiae Sabionenſis, nunc Brixinenſis, egregie illuſtratos, cum multiplici eruditione, dedit Ioſephus Reſchius, cathedr. Eccleſ. Brixinenſis preſbyter.

Ponte druſi. xiii. Velſ. *Ponte druſi*. xiii. Cluuerius, ad laeuam Aiſaci ripam, *Caſtell Drud* interpretatur; Cellarius ex aduerſo *Clauſen* oppidi, in vico Prugg (Bruck) ſtatuit. Menſura vtrimque vici *Kolnſtein* viciniam expoſcit, tertio infra *Kolman* oppidum milliari, laeua *Aiſak* amnis ripa; vbi et Druſomagus, *Δρουσόμαγος*, Ptolemaei, Ponti cognomini propinqua. Prope huc eſt *Bozen* oppidum, paullo ſupra *Etſch* et *Eiſach* amnium confluxum, quod e ruderibus Druſomagi ſurrexerit.

In Hodoeporico, *Endidae.* XXIIII. a Sublauione; quod vicum *Egna* ſeu *Enia*, hodie *Enn* caſtellum, in monte, Cluuerius, eumque ſecutus Danuille, Mannert, alii, eſſe putant, laeua *Etſch* amnis ripa ſitum. Pergit Tabula,

VI. **Tredente.** XL. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Tridento.* XXIIII. Ripam fluminis ſequendo, Tabulae numeri bene habent. Principem olim in Rhaetia fuiſſe ciuitatem, epigraphae oſtendunt, in quibus TRIDENTI. TRIDENT. TRID. legatur. In quodam lapide, in vico Tridentino *Avi* reperto, VI. VIR. M. CLA. ET AVG. *ſexuir municipii Claudii et augur.* Inſignia municipii et Tabula exhibet; coloniam in vniuerſa hac Rhaetia nullam nouimus.

Sarnis. XX. ſic Velſ. Tacent geographorum παῖδες. Forſan erit *Salurnis* Diaconi, quam Cluuerius Tridentum inter et Bolſanum ſtatuit, vbi *Salurno* ſit hodie. Habet Ptolemaeus Vanniam et Carracam, alias Carcam, in Bechunis, cum Tridento ad cenſum Italiae translatas, quae huc ſpectent fortaſſe; id procul dubio, *Sarnos* Faſtorum et Liuii huc referri oportere; nam in Faſtis, vbi DE GALLEIS CARNEIS legitur, SARNEIS legi debere, docti viri dudum obſeruarunt. Plinio forſan SARVNETES. quos ille tamen in occaſum ad Rheni ripas, remouet. Sarni Tabulae eſt oppidum *Roveredo*, vbi Danuille *ad Palatium* Hodoeporici ſtatuit. Eſt id ad XXIIII ab Tridento lapidem, quod Sarnis ſucceſſiſſe videatur. Certe XX M. P. quo interuallo Palatium Danuillei eſt, Sarni conſtitere ante.

Vennū. XXIIII. Velſ. *Vennū.* XXIIII. Aeque a iunioribus neglectum. Mannerto *Venneum* ex Tabula recitaſſe, ſatis erat. Forſan Ptolemaei *Οὐαννία*, *Vannia*, Italo *Vaunia*, Vennum erit; certe VENNONETES tropaei huc ſpectabunt, aut *Venoſtes;* quamquam Plinius Vennonetes et Sarunetes Rheni fontibus admouet. Ptolemaei *Οὐίννωνες*, *Vinnones*, Schotti libro *Οὐέννοντες*, *Vennontes*, Italo *Venni*, his locis ponuntur; Straboni *Οὐέννωνες*, *Vennones*, Dioni Caſſio *Οὐεννώνιοι*, *Vennonii*, vel, vt alii legunt, *Οὐένιοι*, *Venii*, oppido Venno aut nomen dederunt, aut id ipſi ab eo mutuati ſunt. Numeri et ſitus oppido *Chiuſa*, laeua Atheſis ripa, reſpondent. Hic poſtremus erat, hac parte, Rhaetorum locus, vnde vocis hodiernae origo. De Verona Plinius ambigue loquitur, nunc Rhaetis eam, nunc Euganeis tribuens; vt heic fines vtrorumque fuiſſe intelligamus. Ptolemaeus etiam *Tridente* in Italia numerat; quod Mannert non obſeruauit, cum vrbem a nemine veterum ante Ammianum Marcellinum proferri ait. Epigraphas enim, quae ſunt Ammiano vetuſtiores, nihil moratur. Profecto, numis et marmoribus, aliisque epigraphicis monumentis ablegatis, quibus non pauci geographorum eximie ſunt vſi, manca erit illa *Graecorum et Romanorum Geographia*, vt reapſe multis partibus, in primis, quod Tabulam concernit, hiat. Haec de Rhaetia dici poſſe arbitrabamur.

CAPVT VII

NORICVM

§ I

Nuncupatio et fines.

I. SI locus Strabonis de auro foſſili apud Noricos bene habet, primus populi meminit Polybius, cum id ἐν τοῖς Ταυρίσκοις τοῖς Νωρικοῖς, *in Tauriſcis, qui Norici dicuntur*, erui perhibet. (a) Caeſar agrum Noricum, et Noreiam oppidum, Ariouiſti vxorem Noricam, regem Noricum, inſtar epitheti memorat. Nomen populi et patriae marmoribus notum Zolfeldi, Genio NORICORVM. Neapoli, Aurelius Iulianus, miles, natus NORICVS. Romae, M. Vlpio Vrſino, natione NORICO. Plura id genus exempla in regno epigraphico legas.

II. Patrium vocabulum, *Noricum*, quod inſtar epitheti Caeſar prodidit. Regnum adpellant, Paterculus, Suetonius, epigraphae; Romae, Baſſaeus Rufus, procur. REG. NOR. in Carinthia, Diadumenus, diſpenſator REGN. NORIC. regni Norici, vt epitheton. Hac forma, genere femineo, lapides vtuntur. Epigramma quoddam Italicum eſt, in quo Q. Paetus Memmius Apollinaris, procurator prouinc. NORICAE. in marmore Tarraconenſi, T. Claudius Candidus, propraet. prouinc. NORICAE. Tabula, vſu militari, oblique, NORICO. caractere ſemiunciali Romano veteri, picto, a vicinia Aquileiae ad Sabariam Pannoniae. Diuiſum fuit in mediterraneum et ripenſe; illius epigraphae, huius Notitia imperii meminere. Celeiae, Martinianus, praeſes prouinc. NORICI MEDITERR. Leibnicii, literis ſingularibus, M. Claudius, V. P. P. P. N. M. vir perfectiſſimus, praeſes prouinciae Norici mediterranei. Hoc in plaga auſtrali, a parallelo Iouauis, conſtiterit. Origo vocabuli videtur a Germanis promanaſſe, qui borealia *Nordryck* olim dicebant. Celtarum pars quondam, Strabone teſte, apud Tauriſcos conſedit, qui ab conſanguineis auſtralia tenentibus, *Nordrycker* adpellabantur.

(a) L. IV. p. 208.

III. Fines prouinciae, ab occasu Aenus, cum parte alpium, inter fontes Atagis et Draui, Plauis et Tilauenti, procurrentium; vt in Vindelicis Rhaetisque dictum; a septemtrione Danubius, ab exitu Aeni ad montem Cetium, *Kahlenberg;* ab exortu iuga Cetii, iuxta fontes Arabonis, ad Celeiam, quae Noricorum erat; ab austro iuga alpium, Glani, deinde Drauo, a meridie praetenta, ad Celeiam vsque, vbi fines ortiui. Procurrit inter gradus longit. 30 et 34. latit. 46 min. 25. et 48 min. 32. Longitudo maxima, a fonte Glanis ad promontorium Cetii, M. P. CCXL. Latitudo, a fontibus Saui ad exitum Aeni, CL M. P secundum rationes Danuillei; secundum Europae chartam, longitudo mill. geogr. 37 seu M. P. CLXXXV. latitudo mill. 24 M. P. CXX. omni scilicet spatio intercepto.

§ II

Montes, fluuii.

I. ALPIVM tractus in Tabula notatur, ex quo hinc Iuuauus in Danubium, inde Meduacus, Tilauentus, Liquentia, in mare Adriaticum defluunt. Has alpes Noricas vocant scriptores; Plinius: *Drauus e Noricis violentior.* (a) Florus *Noricos alpium tumulos* nouit. (b) Ab Tauriscis incolis posteri *Taurn* dixere alpes. Est in Tabula, itinere a Iuuauo Viruuum, mansio, inter Anisi et Muri fontes occurrens, **In alpe.** vbi fere *Scheidberg* vicus, et alpium cacumen, quo Bauariae, Austriae, Stiriae, Carinthiae fines dirimuntur. Inde iuga haec bifariam scissa, pars in exortum aestiuum, pars in hibernum, abeunt, Cetio postea se se adsociatura.

II. Alterum montem, tractu exiguo, Aeni ripae dextrae praetentum, exprimit Tabula, ea prorsus regione, qua fines Bauariae et Austriae ante an. 1778 ducti erant; hodie quippe Austria ad Aenum vsque patet, vt Noricum olim. Tertius montium ductus, duarum vnciarum interuallo, porrectus, ex quo deriuatur Drauus, qui fontibus Arabonem exhibet, montis situs Cetium; defluxu amnis est Murus et Drauus. Proinde auctori Tabulae Draui fontes videntur fuisse ignoti, qui pro alpibus Noricis, ex quibus reapse defluit Drauus, sed longius in occasum, accepit Cetium, Noricos a Pannoniis dirimentem. Neque Ptolemaeus Draui, Saui, Muri, Arabonis fontes speciatim notat, sed Draui Murique scissionem iuxta Carrodunum, deinde exitum. Quare Schottus in tabulis ad Ptolemaeum, tres priores, Drauum, Sauum, et Murum ex Cetio cosmographi deducit.

(a) L. III. c. 28. (b) L. III. c. 3.

III. Fluuii ſunt, Aenus, Iuuauus, Aniſus, Drauus, Sauus. De priore in Vindelicis, Rhaetisque dictum. Iuuauum ſingillatim exhibet Tabula, cum hac inſcriptione:

Fl'. Ivaro. literis miniatis; Velſ. Fl'. Iuaro. ad ſcaturiginem, quam recte in alpibus Noricis ſtatuit; ſed grandiore iam alueo, et exitu in Danubium, Aenum repraeſentat, vt alias monebamus. Mannert, Iuuauum aut Iouauum ex vita S. Ruperti nouit, antiquioribus ignotum eſſe adſeuerans; Tabula ſuppar Ptolemaeo eſt, in qua vſu vulgari *Ivaro*, pro *Iuauo*, aut *Iuuauo* ſcriptum; quam formam probat perantiquus ſcriptor patrius de conuerſione Carantanorum: *iuxta fluuium Viarum*, *antiquo vocabulo Iuuauenſem vocatum;* vbi Viarus et Iuarus metatheſi modo diſtinguuntur, voce antiquis incolis ſcaturiginem notante, quae hodie *Izver*, *Izvor*, Illyriis audit. Veteres autem huius prouinciae incolas originis Vindelicae fuiſſe, nemo, qui Celtas heic aduenas norit, in dubium vocet. Hodie *Salza* fluuio nomen.

Ani-- in via, poſtremis elementis eroſis; forſan *Aniſus* reddi debeat; certe manſio haec ad fontes *Ens* amnis cadit, vti ſuo videbimus loco. Mannert a VII vel VIII ſeculo, Aniſum, Aneſum, nouit, communem Auarum et Boioariorum terminum. Nouit Tabula, monumentum aeui Antoninorum, vt ipſe geographus fatetur. Adeo hoc illuſtre antiquitatis opus vatem expoſcebat ſacrum.

IV. **Ises.** vox cum ponte iuncta, in via. Mannert ait, *Iſes* et *Erlape* fluuiorum nomina ex Itinerario dumtaxat et Tabula, per homonyma iis adiacentia loca, innotuiſſe. Hodoeporicon alterum prodidit; in Tabula hoc loco eſt **ad ponte ises.** Pontes fluminibus inſterni conſueuerunt. Oritur amnis hic in monte *Ottser*, vbi Vindis nuncupatur *Vys*, quod eſt vetus fluuii cognomen; vulgo hodie *Ips* Germanis, ad oppidum homonymon Danubio immerſus. *Iſes*, vt Tabula exprimit, ſit rectus, oblique *Iſis*.

Arelate. od octauum a priore lapidem, in via. Hodoeporicon, itinere mediterraneo, *Arlape;* Notitia imperii, *Ariape*, deinde *Arlapenſis;* Ptolemaeus, *Aredate*. Hodie *Erlaf*, e lacu cognomine, in monte *Ottſer*, profluens, quem, duce Tabula, geographi *Arlapen* dici volunt. Locus fluuio adiacens, *Arelate*, ore Latio, dicebatur; amnis cetera cum priore modicus.

Trigiſamo. locus itidem ab amne dictus; hodie *Traſen* amni, *Trasmaur* oppido nomen; chartae recentiores fluuio *Traſek* nuncupationem tribuunt, quod eſt deminutiuum Vendicum.

Steyr amnis, quem Stirum vulgo dicunt, veſtigia in manſione *Stiriatis* deprehenduntur; cuius veterum praeterea nemo meminit. Varie ſcribitur in chartis, *Steyer*, *Steier*, *Steyr*, *Steir;* celebre aeuo praeſertim medio erat oppidum homonymon, ad confluxum Stiri et Aniſi amnium. Antiqua porro manſio Stiriatae ad fontes fluuii huius conſiſtebat, vti ſuo dicemus loco.

V. **Immurio.** in via, ad XIV a manſione in Alpe lapidem, incidit recenti Murae. Habet etiam Ptolemaeus *Muroëlam* oppidum, amni adſitum;

quamquam ipſe ei *Sauariae* nomen tribuere velle videtur apud Carrodunum Pannoniae, vicinia Arabonis deceptus, in quem Sauarias, homonymon oppidum praefluens, defertur. Si Tabulam audis, amnem *Murium* dicere licebit, e Ptolemaeo *Murum;* vti vulgo geographorum audit; Danuille tamen *Murium* dixit; hodie *Mur* adpellatur.

Drauus in Tabula ſignatur, ſed ab Cetio deriuatus, vti monebamus; vt potius Arabonem fonte exprimat, quam Drauum. Ptolemaeus ſimilem tabulam prae oculis habuerit, cum pro Murio Sauariam poſuit, apud Carrodunum Drauo iunctum. Sauarias eius eſt Sibaris, Sabariam praefluens, cuius acta S. Quirini meminerunt; quod ab geographis obſeruatum non video. Sed de hoc, Sauoque, et aliis in Pannonia ſermo recurret.

§ III

Populi Norici.

I. IN populis prouinciae huius cenſet Ptolemaeus, Seuaces, Alaunos, Ambiſontios, Noricos, Ambilicos; quos in commentariis geographicis examinamus. Tabula ſeorſim nullius meminit; habet autem, itinere ab Ouilibus Virunum, manſionem *Stiriatas* nuncupatam, quae ad fontes *Steyr* amnis, ex interuallis, incidat, vbi *Windiſch Garſten* oppidum conſiſtit.

II. Stiriatae hi Celtis fuere dicti, qui Graecis Latinisque Tauriſci, alpium Noricarum incolae, originis Vindelicae, colonis Celtarum poſtea mixti. Recte Lazius, praeter alios complures, exiſtimat, Tauriſcos veteres Germanis Stiros eſſe nuncupatos; ſed cum eos Celticae originis, vt poſtea Cluuerius, Lambecius, aliique hos ſecuti fecere, vniuerſos fuiſſe putat, veteris Illyriorum, has oras colentium, a primis inde coloniarum per orbem deductarum temporibus, reipublicae non meminit. Aduenas, quales heic Celtae fuerint, ab indigenis ſecernere oportet. Stiriatae hi erant poſteri Vindelicorum Carnorumque, Celticis coloniis mixti, vti hodie vſque eſſe deprehendimus. Antiquius proinde Stiriorum, quos Tabula Stiriatas vocat, nomen eſt, quam vulgo putetur; quod vni Tabulae è remotiori vetuſtate ſeruatum tribueris.

§ IV

Oppida, manſiones.

I. VIAE in Tabula per Noricum complures exprimuntur; vna ripenſis, a Boioduro Vindobonam; mediterranea a Bedaio Iuuauim, inde altera

Ouilabim, altera Virunum, quo etiam ab Ouilabi duae contendunt. Ripensem, pro more, lustremus primum.

Boiodurum. Vels. *Bolodurum.* De hoc quaedam in Vindelicis attulimus; nimirum, Notitia duce, Boiodurum Norico, Castellum, vbi postea Bataua castra constituta, Vindelicis adscribi debere. Id ipsum Ptolemaeus facere voluerit, vicinia deceptus, vti non raro apud eum accidisse videas. Boiodurum vulgo ex ipso legunt; sed in graeco *Βοιόδουρον* est; vnde Latini interpretes *Boeodurum*, Italus quoque *Beoduro*, reddunt. Et Hodoeporicon, in Regio dumtaxat, *Boiodoro;* in Blandiniano et Longoliano, *Bolodoro;* Neapolitano *Bolodero*, exhibet; vt lectionem Tabulae non putes abiiciendam. Est quidem in Notitia imperii, sub duce Norici ripensis, tribunus cohortis cuiuspiam, *Boiodoro;* et apud Eugippium, in vita S. Seuerini, *Boitro*, *Boiotro;* sed forma haec prioribus fraudi esse nequit. Proinde, si veterem lectionem tueri velis, non a Boiis etymon oppidi deriuabis, sed a nuncupatione populari. Qui omnia loca in *dunum* et *durum* terminata, qualia in prouinciis Illyricis complura sunt, Celticae originis esse contendunt, egregie falluntur. Quis enim Celtas heic esse aduenas ignorat? *Dum* et *Dvur*, quae est propria illarum vocum significatio, sunt originis Threiciae; quod nemo linguae peritus negarit. *Volo-dur*, est locus pecore abundans; sic populus adpellarit habitationem suam, qua forma Tabula et Hodoeporicon vtuntur. Simlerus in suis libris non aliter, quam *Bolodero*, et *Bolodoro*, deprehendit, quod *Boyter*, vel, vt alii, *Bassauw*, esse ait. Hodie *Innstadt*, ad ripam Aeni effluentis dextram.

Marinianio. absque numero; sic Vels. Olim hoc iter vitiatum fuerit. Ductus viae notatur primum quidem in boream recte, tum dextrorsum, pro eo, quod laeuorsum notari debebat, per montem, Boiodorum versus. Erat autem hic viae tractus ante Ouilabim ponendus, vt ex abrupta apud Castellum, ad ripam Aeni, via colligere licet. Debebat enim iter ripense continuari. Quod si Marinianium *Ried* oppidum, monti, in Tabula quoque expresso, adsitum esse velis, vtrimque xx M. P. desiderabuntur. Imperii Notitia, equites Sagittarios, Lentiae, et *ad Mauros* recenset, in Norico ripensi; qui locus huc pertineat. Hodoeporicon, via per Pannoniae ripam, binas mansiones a Boiodoro censet: *Stanaco.* XX. *Iouiaco.* XVIII. *Ouilabis.* XXVII. illud *Wesenurfar*, hoc *Ascha*, ad ripam, interpretantur.

Ouilia. insignia coloniae, absque nota numerali; Vels. *Ouilia.* Hodoeporicon, *Ouilabis;* Regio, *Ouilauis;* itinere ripensi, in quibusdam *Ouilatus.* Coloniam fuisse, ostendit insigne marmor Lambacensis monasterii, ad ripam Anisi Austriacam repertum, teste Cellario; in quo P. Aelius Flauius, decurio et pontif. COLONIAE AVRELIAE ANTONINIANAE OVIL. Si marmorarius integre expressisset vocem, aut Ptolemaeus vrbis nomen prodidisset, veram loci nuncupationem haberemus. Forma Tabulae *Ouilia* sperni non debet, quod ea integram exhibet vocem, ore Romano prolatam, cum insignibus coloniae, ea

prorſus aetate, qua vrbs in coloniarum iura conceſſit. Videtur in Hodoeporico etiam olim ſcriptum *Ouilibus*, caſu obliquo. Nuspiam alias nomen oppidi legitur. Nam *Odiabo* Notitiae, quod Surita huc adfert, ad Pannoniam ſpectat. Hodie *Wels* oppidum eſſe, laeua Trauni ripa, poſt Cluuerium et Lambecium, nemo ſanus dubitarit. Numeros Hodoeporici discrepantes examinabimus poſtea. Mannert, epigraphe dicta motus, (alias marmora nihil moratur) in *Lambach* Ouilabim ſtatui debere cenſet; vtrum ex numeris recte, mox videbimus; nam lapis loco alio olim poſitus erat, et ſaepius forſan translatus, cum ad Aniſi ripam repertus dicatur.

II. Blaboriciaco. XIIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Lauriaco.* XXVI. itinere mediterraneo; item aliis duobus, a Lauriaco Auguſtam, et ab Aquileia Lauriacam; itinere autem ripenſi, *Lauriaco.* XVI. quo loco cum in plerisque *Ouilatus* ſcriptum eſſet, nonnulli viam aliam cum numero et manſione eſſe putabant. Verum tam praecedentes, quam ſubſequentes manſiones, eamdem viam heic intelligi debere, manifeſto oſtendunt. Lauriaci nemo veterum, ante Valentiniani tempora, meminit, qui Burgum ad amnem Ipſium, per auxiliares LAVREACENSES exſtrui iuſſit. Ammianus, in rebus Gratiani, *Lauriacum* primus nouit. (a) Notitia, praefectum Leg. II. *Lauriaco* adſcribit, mentionem faciens *claſſis Lauriacenſis.* Inſcriptio Romana, in qua municeps COL. AVG. LAVR. legatur, huc referri nequit, vt recte Weſſelingius obſeruat; Mannert tamen coloniam procul dubio fuiſſe ait, nullum teſtem, contra morem ſuum, producens. Ex his adparet, Lauriaci nomen eſſe recentius; proinde *Blaboriciacum* Tabulae, quod vetus loci vocabulum erat, abiici non debet; in primis, quod idem populari expreſſione vox notat, quod Lauriacum Latina. Doctiſſimus Lambecius, qui ſitum Ouilabis et Lauriaci diligentiſſime explorauit, ſic veſtigia antiquae vrbis ad riuum *Lor-bach*, quem Lauronem vocat, depingit, vt eam in auſtrum in primis, verſus monaſterium S. Floriani, quod moenibus vrbis contiguum fuiſſe ait, protentam intelligamus. (b) Tabula XIIII M. P. habet, Hodoeporicon XVI. ab oppido *Wels* ad vrbem *Ens* ſunt mill. geogr. quatuor cum ſemiſſe; coenobium S. Floriani ab Enſio verſus oppidum *Wels* amplius vno mill. geogr. abeſt. Proinde Tabulae numerus eſt adcuratus. Hodie rudus eſt, vbi Lauriacum ſtabat, memoria in *Lorch* amne, et vico homonymo, perſiſtente. Numeri Hodoeporici, loco triplici, XXVI ſunt denario, culpa ſcribarum, aucti, aut ex vicinis huc translati viis; nulla quippe ratione huic interuallo, ſi dicta conſideres, adplicari valent, Tabula litem dirimente.

Elegio. XIII. Velſ. *Elegio.* XIIII. Hodoeporicon, *Loco Felicis.* XX. Simlero, *Loco Felices*, vel *Laco Felice*, *Nideren Vaulzee.* Surita *Lacum Felicis* in textu ponit, ex Notitiae *Lacu felicis*, forſan, cum omnia Hodoeporici

---

(a) L. XXXI. c. 10. ad an. 377. (b) Comment. Bibl. Vindob. L. II. p. 635.

exempla *Loco Felices* vel *Felicis* habeant. Lambecius opinatur, ab Sextilio Felice, cuius res in Norico gestas Tacitus memorat, locum esse nuncupatum. (a) Tabulae numerus ad oppidum *Valse*, alias *Walsee*, *Nieder Walsee*, deducit; cui etiam Lacum Felicis adscribunt geographi; census Hodoeporici xx est nimius; nisi ripam obisse eum, qui notarat, dicamus, aut ex vicina M. P. huc transposuisse via. Nam a ruderibus Lauriaci ad *Ips* oppidum, omni spatio intercepto, sunt sex mill. geogr. cum semisse, seu M. P. xxxiii. Tabula tribus amplius censet. Quare, si Locum Felicis in *Valse* ponimus, pro xx sumendum erit xv. vt Hodoeporicon Tabulae accedat. Eamdem quippe hac planitie viam tenent.

Ad ponte isses. xxxiii. Velf. *Ad ponte Ises.* xxiii. Hodoeporicon, vtroque itinere, ab Arlape ad Cetium et Comagenas progreditur; qua de re postea disseremus. *Ips* oppidum, antiquioribus *Yps*, laeua amnis homonymi exeuntis ripa, esse, nemo dubitat. Lapis isthic repertus, et Viennam translatus, *Burgum*, iussu Valentiniani, erectum memorat; vtrum hoc ipso loco, an alio quopiam, et cuius nominis, ex epigrapha colligi nequit. Plures erant Burgi per Danubii ripam, aduersus transdanubianos, constructi. Vsbium Ptolemaei, quod nonnulli huc referri volunt, est *Vspen*, trans Danubium, ad fluuium cognominem.

III. Arelate. viii. Velf. *Arelate.* viii. Hodoeporicon, *Arlape.* xxvi. itinere ripensi xxv. in Blandiniano, xxii. Notitia imperii, *Arlape;* Graeuius edidit *Ariape;* vti Hodoeporicon Schotti praeferebat; in Tabula fuerit *Arlafe;* sed *Arelate* spernendum non est, vtpote ore Latio pronuntiatum, vt Ptolemaei *Αρεδάτη*, *Aredate*, forsan *Αρελάτη* olim scriptum erat; quam formam probat lex quaedam Valentiniani, in Cod. Theodos. apud Gothofredum. Hodie *Pechlarn* oppidum, dextra Erlaphi exeuntis ripa; nonnulli in austrum remouent, ad vicum *Erlaf*, ripa eadem situm, quos Danuille sequitur, Ponte Ises aeque in mediterraneis signato; sed Tabula ripam legit, et interualla bene habent.

Namare. vii. Velf. *Namare.* vii. Hodoeporicon, vti dicebamus, ab Arlape Cetium petit. Numeri vtrobique et mansiones differentes, id fecerunt, vt geographi in situ locorum terminando non conuenirent. Nos ordine Tabulae progrediemur. Cluuerius, eumque secuti plures, Namaras *Melk* seu *Mölk* interpretantur, oppidum ad ripam Danubii, prope *Bielach* amnis exitum consistens, mensura situi respondente. Aduersa Danubii ripa conspicitur vicus *Emersdorf*, qui nominis antiqui vestigia conseruare videatur.

Trigisamo. xvi. Velf. *Trigisamo.* xvi. Eorumdem geographorum, qui hanc viam ingressi fuere, opinione *Trasmaur* oppidum est, dextra *Trasen* seu *Trasek* amnis ripa, ad quartum ante exitum eius lapidem. Danuille oppidum

(a) L. II. Comm. B. V. p. 656.

S. Pölten, vix ad XII M. P. a *Mölk*, esse voluit, est praeterea in mediterraneis, a ripa remotius, quem positum mansiones reliquae non admittunt. De amne, qui idem cum oppido nomen gerit, in fluuiis dictum. Hac etiam Mannert progreditur, qui horum, quae heic de Tabula profert, postea apud Ouilabim, quam Lambacho imponit, oblitus, toto hoc itinere falsatos in ea numeros adseuerat, nullum speciatim adferens, nisi apud Ouilabim, vbi Tabulae numeri sunt integerrimi.

Pirotorto. VIII. Vels. *Piro torto.* VIII. Danuille, *Pirus tortus*, circiter vicum *Russing;* Cluuerius cum adseclis, *Piksendorf*, existimant. Cellario, *Pirum tortum*, neutro, situ eodem. Mannert locum praeteriit, quod facere non debebat, si numerorum sinceritatem explorare voluisset. Doctissimus Iordan haec itinera diligentissime dimensus, ab *Trasmaur* ad Tulnam XVI M. P. numerauit; ad sextum fere ab Tulna lapidem, pontem fluuii *Perschling* memorat. Ad hunc fluuium mansio Piri torti fuerit, nonnihil australius, quam is pons, quem Iordan transiit, vt aequa vtrimque distantia foret. Proinde, si Trigisamus bene consistit, mansio in Tabula sequens Tulnae conueniet, quam euitare hoc itinere nefas est; in primis, quod antiqua monumenta sinu suo complectitur, quae nobis sint profutura.

IV. **Comagenis.** VIII. Vels. *Comagenis.* VIII. Hodoeporicon, itinere mediterraneo, *Comagenis.* XXIIII. ab Cetio; ripensi, *Comagenis.* XXX. quas Cetio vtrobique postponit. Cluuerio, cum adseclis, est *Langenleber;* Danuilleo, *Pixenfeld;* Iordani, *Zeiselmaur;* Schoenuisnero, secundum numeros Hodoeporici, *Tulna;* Mannerto *Zeiselmaur*, ad septimum ab Tulna lapidem. Nos Tulnae, Iordano duce, consistimus. Hunc Comagenarum situm prae ceteris egregie ostendit Cl. Schoenuisner, adductis etiam sequioris aeui testibus. Insignem habet locus epigraphen, quam mox referemus. Annales Fuldenses ad an. DCCCLXXXIV. Veniens prope flumen Tullinam, in monte Comiano colloquium habuit.“ Est oppidum *Tuln*, ad ripam Danubii.

Cicium. VIII. in schedis nostris; in exemplari VII. Vels. *Citium.* VII. Iordan *Citio* legit. Hodoeporicon, *Cetio.* XXIIII. a Comagenis, XXII ab Arlape; itinere ripensi, XXX a Comagenis, XX ab Arlape. Haec dissensio numerorum fecit, vt Cetii municipii situs ignoraretur. Wesselingius, ad iter mediterraneum: Hoc loco, inquit, mansionum numerus videtur inuersus, et Cetium Comagenis praeponendum; suadet hoc Tabula Peutingeriana; suadet ipse locorum situs, vt bene monuit Lambecius.“ Hic Cetium in *Zeiselmaur*, duce Cluuerio, posuit. Cl. Schoenuisner tamen, serie in Hodoeporico prodita, Cetium in *S. Pölten* oppido se deprehendisse putabat. Nos, Tabula duce progressi, *S. Pölten* dudum transiuimus, ad octauum ab Tulna lapidem in oppidum *Neuburg* delapsi. Abest id ab Tulna in Europae charta, vno mill. geogr. et duabus quintis; in quibusdam spatium amplius est, in aliis minus. Tabula VIII M. P. censens bene habet. Atque hoc est illud Cetium, quod sede vagum hactenus reperiri non potuit. In

geographia epigraphica inſcriptiones omnino quatuor adduximus, quae *Aelii Cetii* meminere; in Tulnenſi, P. Aelius Rufinus, decurio et II. vir M. AEL. CETIENS. in Siſcienſi, Sextus Vettonianus, aedilis M. AEL. CET. vt a quopiam Aeliorum municipii iura accepiſſe videatur. Tabula, propter vicinam forſan Vindobonam, inſignia non expreſſit. Proſpectus loci, vbi peruetus coenobium cum oppido viſitur, eſt amoeniſſimus, in planitie, ſub monte *Kalen*, qui rudera quaedam in vertice oſtentat, pede vicum cognominem habens. Haec adiuncta, Tabulae ſeriem, numeros, et dignitatem inſigni ratione probant, et, in diſſenſu Hodoeporici numerorum et manſionum, iudicem ſiſtunt. Sane, ſi *Kalen* eſt Cetius, et *Neuburg*, ab reſtauratione dictum, eſt, duce Tabula, municipium Cetium, non id in Norici mediterraneis remotius, ſed heic, ad ripam, in finibus Pannoniae, quaerendum. Vindobona ſequitur, quam alias referemus.

De numeris Hodoeporici ita cenſeo. Per Trigiſamum id proceſſiſſe, mihi omnino perſuadeo, qui locus, iniuria temporum, excidit. Haec res in ſerie manſionum, et in ipſis numeris, confuſionem peperit. Ad Trigiſamum Tabula numerat ab Arelate M. P. XXXI. quae in Hodoeporico, itinere ripenſi, Comagenas inter et Cetium ponuntur, vbi non niſi VIII M. P. deprehendimus. A Trigiſamo ad Cetium ſunt omnino XXIIII. M. P. quem numerum iter mediterraneum a Vindobona Comagenas, et ab Comagenis Cetium ponit. A Piro torto Vindobonam ſunt XXII M. P. quae itinere priori ab Cetio Arlapen vſque ponuntur, vbi Tabula XLVII numerat. M. P. VI. quae ab Cetio Vindobonam vſque in Tabula comparent, olim in Hodoeporico exciderint; quae res perturbationem auxit. Huic malo, quod hoc itinere erat fatale, nemo mederi potuit, niſi Tabula. Hoc pacto haec bina antiquitatis monumenta ſibi mutuo auxiliantur; quorum ſi alterutro careremus, vulnera alteriusutrius, quae frequentius occurrunt, nullo pacto ſanari poſſent, niſi certum aliud momentum praeſto ſit, quod remedium opportunum praebere queat. Hactenus ripam Norici perſecuti ſumus; mediterranea adire libet.

V. Ex itinere ab Auguſta Iuuauum, ſumus Enum vſque progreſſi, quam manſionem *Waſſerburg* oppido, in Vindelicis, tribuimus; ad ſubſequentem manſionem traiectus amnis notatur, qui Atheſis quidem dicitur, de quo in Rhaetis egimus, ſed hoc loco Enum deſignat. Sequitur,

Bedaio. XIII. Velſ. *Bodaio.* XIII. Hodoeporicon, itinere mediterraneo, *Bidaio.* XVIII. Simlerus, vel *Badaio;* in Regio Suritae, *Lidauo;* itinere alio, *Bidatio;* Neapolitano, *Bodaio;* aliis *Bidaio.* In veteri epigrapha, apud Reineſium, BEDAIO AVG. et Alounis ſacrum C. Catius Secundianus; de quo in regno epigraphico dictum. Ptolemaeo, *Βάδακον*, *Badacum.* Simlero *Burckhuſen;* Cluuerio, Reineſio, Weſſelingio, *Baemburg*, ad Alazum fluuium; nobis eſt *Trospurg* oppidum, laeua Alzae fluuii ripa, ad tertium ſupra *Baemburg*,

Ortelio *Pamburg*, lapidem. Danuille eodem respexit; Mannert, inferius, ad *Seebruck*, vbi *Alza* e lacu *Chiem* emergit.

Artobrige. XVI. sic Vels. Danuilleo, *Artobriga*, lacus *Tachen* ora australi, situ oppiduli *Mosbach;* in Atlante abest. Ptolemaeo *Αρτόβριγα*, *Artobriga*, in Vindelicis, ad ripam Danubii, quam Danuille in mappa ad commentarios Crevierii isthuc idonee retulit. Mannert, *Artobriga*, ex Tabula, *Teissendorf* vel *Raschenberg*, interpretatur, Ptolemaei oblitus. *Mosbach* Danuillei bene habet.

Ivavo. XVI. insignia coloniae, fani figura; sic Vels. Hodoeporicon, *Iouaui.* XXXIII. a Bidaio, itinere a Lauriaco Augustam. Lapis, Salisburgi prostans, coloniam ab Hadriano deductam innuit, COL. HADR. IVVAV. Fuhrman *Iuuauia* legit, quod in marmore non habetur; in alio, apud *Burkhausen* reperto, L. Bellicius Quartio, decurio IVVAVENSIVM. Metellus, in Quirinalibus, meminit regionis, cui nomen est IVVAVIVM. Tabulae auctor IVAVVM dicere voluisse videtur, pro IVVAVVM. vt ex epigraphis colligas; Hodoeporicon IVVAVIM dixit. Eginhardus in testamento Caroli M. *Iuuauum quae et Salzburg.* In vita S. Ruperti: *Exiit inde ad Iuuauum fluuium, vbi olim Iuuauia ciuitas fuit.* Notitia prouinciarum, *Iuuense castrum.* Putant eruditi, *Γαvανόδουρον*, *Gauanodurum*, Schotti edito *Γηβόδουνον*, *Gebodunum*, Italo *Gabanoduro*, Ptolemaei huc pertinere; quod continuo haud improbaris. Id nomen vetus fuerit loci, modica inflexione ex *Iauan* (sic populares enuntiarint) in *Iuauum*, *Iuuauum*, facta. Vt Bedaius municipalis deus in cognomine oppido erat, sic hoc recondito intra paludes montesque loco, Numen quodpiam gentis, forsan simulacro Iouis, singularem obtinebat cultum; cuius rei fanum, insigne vrbis, est indicium manifestum; vt in epigraphica obseruamus. Hodie vrbi nomen *Salzburg*, laeua cognati fluuii ripa; Danuilleo, *Iuuauum*, XIX M. P. a Laciaco in austrum. Inde via duplex, altera Ouilabim, Virunum altera procedens; priore visitur,

VI. **Tarnantone.** XIII. Vels. *Tarnantone.* XIII. Via haec, Ouilia versus ducebat per vicum *Strass walden*, sic ab veteri via strata nuncupatum, cuius e Lambecio in epigraphica meminimus; qui eam per saltus et crepidines montium, saxosam et difficilem, longinquitate temporis neglectam, esse perhibet. Medio viae huius, quae trium horarum interuallo procurrit, columna milliaria, Seuero et Caracallae inscripta, cum M. P. XI. est reperta, quam in geographia epigraphica dedimus. Mansio nostra Cluuerio est *Wildenstein;* Mannerto ad fines Bauariae et Austriae, quod obscurum est. *Mann* oppidum, ad lacum cognominem, et vicinum *Vrsee*, interuallo Tabulae respondeat. Danuille locum notare neglexit.

Laciacis. XIIII. sic Vels. Hodoeporicon, *Laciaco.* XXVIIII. ab Iouaui, itinere mediterraneo; ab Lauriaco Augustam, XXVIII. in Neapolitano XVIII. Regium, *Laciaco*, *Laciato;* Neapolitanum, *Iatiaco;* Longolianum, *Iaciaco.*

Simlerus, *Laciaco* vel *Lauiaco*, *Affach;* Cluuerius *Gemunde*, *Gmünden*, extra viam; Mannert *Monfee* putat, quod reliquimus; rectius Danuille, fitu *Frankenmark* oppidi, ad laeuam recentis *Fokla* amnis, recentioribus *Vöckla*, *Vöggl;* illud, Ortelio proditum, cenfeo fluuii nomen fincerum, quod veftigia Laciaci feruet.

Tergolape. xviii. Velf. *Tergolape.* xviii. Cluuerius iam, Cellarius, alii, *Lambach* oppidum, laeua *Traun* amnis, Foclam deuehentis, ripa, effe cenfuerunt. Danuille praeteriit; Mannert *Vöcklabruck*, *Vögglbruck*, Ortelio *Focklpruck*, mauult, quia in *Lambach* Ouilabim pofuit. Nos Cluuerii fententiam tenemus, Ouilabi Welfio adfcripta. Tergolapen non memorat alius. *Lap*, *Laciac*, funt vetuftate nuncupationes Vendicae, paludem, *lokva*, fignificantes.

Ouilia. xiiii. fic Velf. Coloniam hanc retulimus itinere ripenfi, oppido *Wels* recte adfcriptam. Ab ea iter mediterraneum ducit Virunum, in Tabula et Hodoeporico expreffum. Sequemur feriem prioris. Itaque ab Ouilibus venit manfio,

VII. Vetonianis. xi. Velf. *Vetonianis.* xi. Kleiner apud Scheibium fic expreffit vocem, vt *Vetomanis* legi poffit; fic Mannerto *Vetomanis*, absque interpretatione. Alii quoque tacent. Cellarius, *Vetoniana*, caftra, a Vindelicis diuerfa, laeua *Krems* amnis ripa, ftatuit, absque cognomine. Si verfus *Steyr* oppidum eft procedendum, vicus *Kemnat*, *Wels* inter et *Steyr* medio prope interuallo, ad ripam Cremfii laeuam, Vetonianis refpondebit. Eft etiam oppidum *Krems*, eadem ripa, fed in auftrum magis remotum.

Tutaftione. xi. fic Velf. Hodoeporicon, *Tutatione.* xx. ab Ouilabi; in Regio deeffe manfionem, Surita refert. Cluuerio, *Leonpach*, vel *Ried;* Mannerto, *Grünau*, fupra lacum *Alben*, antiquis *Alm;* quae funt a noftro itinere in auftrum remota. Si praecedens manfio bene fubfiftit, Tutaftio conueniet antiquo oppido *Steyr*, ad confluxum *Steyr* et *Ens* amnium, quod Lazius ab Taurifcis conftructum putat. Sane, qui Styri poftea nuncupati funt, olim Taurifci dicebantur, fed incolae originis Vendicae. Hunc flexum in exortum auctumnalem fecit iter hoc, ob viae, quae fecus Anifum ducebat, opportunitatem; ea hodie quoque veredis teritur.

Ernolatia. xii. Velf. *Ernolatia.* xii. Mannerto, *Ernolana*, absque fitu. Cluuerius, cum adfeclis, *Hall* interpretatur, ad ripam *Krems* amnis. Nos *Raming* oppidulum, dextra *Ens* fluuii ripa fitum, arbitramur. Ernolatiae non meminit alius.

Gabromagi. viii. Velf. *Gabromagi.* absque numero. Hodoeporicon, *Gabromago.* xx. ab Tutatione; fic in Regio; aliis *Gabrumago.* Mannert, *Gabromagum*, absque cognomine; Cluuerius, cum fociis, *Heilig Kreuz*, ad Cremfium. Danuille, *Gabromagus*, fitu *Krems* oppidi, quod iufto propius Ouilabi eft; nos *Weyer* oppidum, dextro Anifi latere, effe putamus. Hodoeporicon aliam deinceps viam tenet, Virunum vfque.

Stiriatae. xv. Velſ. *Stiriate.* xv. Cluuerius, *Steyer im Stader*, Stiriatas eſſe ait, ad occiduos *Steyr* amnis fontes; ſed reliquae manſiones eius cum hoc ſitu non concordant. Danuille, *Stiriate*, xii M. P. a Gabromago in auſtrum, laeua *Steyr* amnis ripa, vbi fere *Entzerdorf*, Ouilabi iuſto propinquius. Mannert, *Stiriate*, absque poſitu. Nos *Windiſch Garſten* oppidum, Stirae fontibus vicinum, Stiriatis damus, Tauriſcorum Celtarumque poſteris, quorum in amne hoc *Steyr*, et in cognomine oppido, memoria manſit. Vetuſtius proinde Stiriorum, quos Tabula Stiriatas vocat, nomen eſt, quam vulgo putetur.

Surontio. xv. Velſ. *Surontio.* xv. Mannert, *Surontium*, absque nuncupatione. Cluuerius cum Cellario tacent. Ab Stiriatis via pone *Engelberg* montem, et riuum *Traetnbach*, procedit ad oppidum *Wolkenſtein*, in colle ſitum, quod Surontio reſpondeat.

Tarturſanis. x. Velſ. *Tarturſanis.* x. Cluuerio, *Tarturſanis*, *Rotenman;* Danuilleo, *Tartuſani*, laeua Aniſi ripa, infra *Anſee* oppidum, ad pontem Aniſi, *Ens-bruck;* Mannerto, *Tarturſanis*, caſu auferendi, absque cognomine. Fere eo ſitu, quo in vetuſtioribus *Ens-bruck* ponitur, chartae recentiores *Trautenfels* oppidum exhibent; quod interuallo et conſonantia Tarturſanis reſpondere queat.

Viſcellis. ix. ſic Velſ. Cluuerius ex nomine interpretatur *Oberwelz;* quem Cellarius, aliique, numeris et voce expoſcentibus, recte ſequuntur. Danuille, *Veſelli*, *Veſſelli*, vnde, neſcio, ſitu eodem. Cellario, *Viſcelli*, aut *Viſcellae;* poſterius praeplacet. *Oberwelz*, ſeu *Wels*, *Wolz*, ad quartum ſupra Muram lapidem, auſtrali iugorum decliuo, quae Cetium verſus tendunt, conſiſtens, ab *Unterwelz*, in occaſum iv M. P. remotum, diſtinguas oportet.

Ad pontem. absque numero; Velſ. *Ad pontem.* Cluuerius, eumque ſecutus Cellarius, oppidum *Murau*, amni cognomini adſitum, eſſe volunt; quod a noſtra via longius in occaſum abeſt. Pons is haud procul a Viſcellis abſuerit; vt numerus in Tabula exmiſſus indicare videtur. Sane heic via in auſtrum tendit, vt Pons oppido memorato, a Fiſcellis forſan, ob telonium, nuncupato vicinus fuiſſe credatur, circiter vicum *Scheifling*, dextro Murae latere; vnde via ad *Neumarkt* et *Frieſach* oppida procedit.

VIII. **Norea.** xiiii. in exemplari noſtro **Noreia.** Velſ. *Noreia.* xiiii. In ſitu terminando diſſentiunt geographi iuniores, ex eo in primis, quod in Tabula nomen loci binis ponitur vicibus. Plerique, Cluuerio duce, *Neumarkt* oppidum interpretantur; quod in chartis melioribus ad quintum modo a ripa Murae, Ponteque memorato lapidem abeſt. Danuille, *Wolfsberg*, laeua fluuii *Lavand* ripa, a noſtro itinere longius in exortum, Noreiam ponit; Mannert infra montes Iudenburgicos; quo nihil obſcurius. Nos, menſuris Tabulae et Strabonis in examen ſumtis, Noreiam, quae hoc loco Tabulae *Norea* eſt, oppido *Frieſach*, alias *Freiſach*, dextra *Olktza* fluuii ripa, interfluente locum

Metnitz amne, conuenire existimamus. Et numeri quidem vtrimque congruunt; Strabo autem, vt in geographia monstramus, situm egregie firmat.

Noreia. XIII. Vess. *Noreia.* XIII. Cum geographorum παῖδες putarent, hanc loci repetitionem scribarum oscitantia factam, numeri autem ad interuallum explendum omnino requirerentur, mirum non est, Noreiam hactenus a nemine repiri potuisse. Via ab *Friesach* procedit secus amnem *Olktza*, ad tertium decimum lapidem, vbi *Olktza* Gurcam influit, oppidulum *Altenhofen* visitur, vbi haec altera fuerit *Noreia*, quam e situ inferiorem dicere licet. Vocabulum loci iteratum nihil officit. Non desunt exempla similia et vetusta et recentiora. Poterat haec Noreia vetus esse, qua, teste Plinio, euersa, incolae, antiquitatis retinendae, cultusque vetusti (colebant quippe Noreiam) propagandi caussa, in montana haec sedem transtulere, loco veteri in vicum redacto.

Matucaio. XIII. Vess. *Matucaio.* XIII. Mansionem hanc geographi recentiores prorsus neglexerunt, Cluuerio demto, qui arcem *Eberstein*, laeua *Peszeritz* amnis ripa, esse voluit. Numeri ad oppidum *Freidenberg* deducunt, ripa *Gurk* amnis dextra, infra *Peszeritz*, ex aduerso fluentis, exitum. Heic exibat via altera, ab Ouilibus progressa, quam mox adituri sumus.

Varuno. XIIII. insignia coloniae; Vess. *Varuno.* XIIII. Hodoeporicon, *Viruno;* in Regio, *Virundo;* in ceteris *Viruno.* Plinius, in oppidis Noricorum, primum refert *Virunum;* Ptolemaeus, *Οὐΐρουνον*, *Virunum;* Harduinus, *Οὐέρουνον*, *Verunum* legit, Schottus *Οὐΐρουνον*, Italus quoque *Viruno.* Nota est vrbs regno epigraphico; in marmore quodam his locis reperto, M. Vlpius Maturus, eques, natus Noricus, COL. C. VIRVNO. in alio, T. Saturninus, CLAVD. VIRVNI. item P. Aelius Fuscus, VIRVNO. Stephano, *Βέρουνος*, *Berunus*, seu *Verunus;* Suidae, *Βηρόυνιον*, *Berunium.* Vetus nomen loci etiam nuncupationes personarum, *Vironónis*, *Virondagi*, et id genus aliae ostendunt. Nugatur Suidas, cum etymon vocis a *viro vno*, lingua populari, deriuat, indeque *Βερoῦνον*, *Berunum* promanasse ait; rectius originem prodit Tabula, *Varunum* adpellans, quod est deminutiuum, ex *varh*, *verh*, locus eminentior, fastigium montis, agri, aut rei cuiuspiam, cuspis item, et alia huiusmodi, significatus cognati. Hodie *Völkenmarkt*, incolis *Volkermark;* Carnis, vt pleraque Celticae nuncupationis loca, aliter audiat. Nonnulli Latinorum, queis in vocibus ludere libet, *Gentiforum* adpellant. Est vrbs modica, sed elegans, ab occasu montem suburbanis imminentem, ab exortu *Olsnitz* amnem, Drauum petentem, habens. Ante Cluuerium plerique Lazii, in *Friesach* Virunum statuentis, opinionem sequebantur. Cluuerii sententia mensuris probe respondet; sed vtrum vestigia vrbis antiquae in ipso oppido, an vicino agro supersint, nemo hactenus docuit.

IX. Hodoeporicon, a Gabromago, quod apud *Weyer* oppidum constituimus, alia processit via, his mansionibus: *Sabatinca.* XXX. *Monate.* XVIII. *Candalicas.* XXX. *Viruno.* XX. Priori *Mautern*, alteri *Obdach*, sequenti *Wolfsberg*, respondeat; vbi Danuille Noreiam posuit. Mannert, *Rottenman*, *Iuden-*

burg, *Wolfsberg*, interpretatur, a nostro itinere haud longe abscedens. Nunc alteram Tabulae viam, ab Iuuauo Virunum, persequamur.

Cuculle. XIIII. Velf. *Cuculle.* absque numerali nota. Eugippius, in vita S. Seuerini, *castellum*, *cui erat Cucullis vocabulum.* Cluuerio, Cellario, aliis, oppidum *Kuchel* seu *Küchel*, dextra Salzae amnis ripa, ab Danuille recte positum, *Cuculli;* Cellarius femineum *Cucullae* mauult; vtrumque bene habet.

Vocario. XVII. Velf. *Vocario.* XVII. Ptolemaeo, *Οὐακόριον*, *Vacorium.* Id iam Cellarius obseruarat, situ non signato. Danuille, ad flexum Salzae, circiter *Daxenbach* oppidum, prope fontem Anisi, Vacorium locat; Mannert prope *Bischoffshofen.* Haud procul a *Bischoffdorf* est vicus *Vagrain*, Ortelio *Vagram*, *Arl* minoris ripa boreali, via ab Iuuauo per alpes in austrum ducente, qui Vacorio veteri congruat.

Ani -- XVII. Velf. *Ani.* XVII. olim vitiata vox pro *Aniso.* Danuille, *Anisus*, situ *Radstadt*, *Rastadt* oppidi, laeua orientis *Ens* fluuii ripa. Hac quondam militarem isse viam, lapis in iugo montis vicini repertus ostendit, quem in epigraphica dedimus. Huc etiam Mannert, Danuilleo duce, adpulit, *Ani*, *Radstatt* interpretatus; ceteri tacent.

In alpe. XVI. Velf. *In alpe.* XVI. A praecedente mansione via per altissimos Tauriscorum montes, qui Tabulae auctori *Alpes* recte dicuntur, in exortum auctumnalem, Muram versus ducit. Mannerto, *Aufn Taurn*, quod obscurum est; plura enim montium iuga *Taurn* vocantur. Tractus hic iugorum, Stiros a Boioariis dirimens, *Scheidberd* nuncupatur, vbi oppidulum *Tamsweg*, antiquioribus *Tanzweg*, mansioni respondeat, *In Alpe*, vt Tabula habet, veteribus ignotae.

X. Inmurio. XIIII. Velf. *Inimurio.* XIIII. Danuille, in tabella ad Creuierium, *Inuirium*, situ oppidi S. Michaelis, ad Muram recentem; in Atlante autem, *Murium*, situ oppidi *Murau*, laeua Murae ripa. Mannert, *In Muro*, apud *Tamsweg*, vbi Mura non longe a fontibus transitur. Nos oppidum *Murau* esse censemus, quod Danuille posterius *Murium* non male nuncupauit. Forsan *Ἰνύουτριον*, *Inutrium*, Ptolemaei, quod Ocrae admouet, huc pertinebit; certe Medullum, ibi positum, alio spectat.

Grauiacis. XVII. Velf. *Grauiacis.* XVI. Cellarius, Cluuerio duce, oppidum episcopale *Gurk*, laeua homonymi fluuii recentis ripa situm, interpretatur, mensura conueniente; intercedunt quippe tria mill. geogr. cum duabus quintis, in mappa Europae, et in Danuilleanis; aliae mirum in modum variant. Danuilleo, *Gradiaci*, qui *Grades* vicum, supra Gurcum, respexerit; quem et nos olim Grauiacis conuenire putabamus. Mannert, vicum *Ingolsthal*, ab *Strasburg* et *Gurk* in occasum; Iordanus *Murau*, accipiunt. Cellario, *Grauiaci*, masculeo; neque *Grauiacae* male dicerentur.

Tarnasici. XIIII. Velf. *Tarnasici.* XIIII. Mannert, *Tarnasici*, apud *Altenhoven* oppidum, ab *Ingolsthal*, vbi Grauiacas posuit, in exortum iusto

remotius; nos heic alteram Tabulae Noreiam posuimus; Tarnasicis autem oppidum *Strassburg*, laeua *Gurk* amnis ripa, conuenire putamus. Pleraeque chartae sunt his locis mendosae, nec fluuiis, nec locis rite signatis. Montes, qui heic *Volmark* vsque occurrunt, in recentiorum plerisque omittuntur; hi spatium, quod contractius videri posset, producunt.

Beliandro. XIIII. Vels. *Beliandro.* XIIII. Mannert, *Beliandrum*, ad confluxum *Gurk* et *Görtsitz* amnium; ceteri tacent. Nos S. Viti oppidum, *St. Veit*, apud concursum *Wunitz* et *Glan* fluuiorum, Beliandro conuenire censemus. *Glan* amnis, cetera non magni, et Noreiae cum faciat Strabo mentionem, videtur agri huius singularem habuisse notitiam. Apud Clagenfurtum, Vendis *Celautz*, lacu *Werder*, duplici alueo sibi iuncto, deinde Gurca, augetur, VI M. P. a *Volkermark* Drauo illapsus. Ita Haket αὐτόπτης in suis tabulis ad egregium opus Orychtographiae Carniolicae signauit; vulgares chartae Glanem, tamquam ignobilem, Gurkae nomen adsumere cogunt. Mirum, nihil de Viruno, tam vicina huic agro vrbe, Strabonem accepisse.

Matucaio. XIII. Vels. *Matucaio.* XIII. De hac mansione itinere priori dictum, id oppido *Freidenberg*, vbi viae hae concurrebant, respondere. Etiam Virunum, quod ad XIII inde lapidem abest, memorauimus.

XI. Est iter in Tabula, ab Aquileia Virunum; sed negligentia eorum, qui postremum eam scripsere, mancum, tribus minimum mansionibus, cum numeris, exmissis. Habetur etiam in Hodoeporico, si mansionum ratio spectetur, non nihil diuersum; numeri idem esse innuunt. Explorabimus vtrumque. In Tabula quae superant, hoc ordine ponuntur:

Ad silanos. XXXV. Vels. *Ad silanos.* XXXV. Danuille, in charta Galliae cisalpinae, *ad Silanos*, oppido Tolmino, ad Sontium recentem, adplicat; quem situm viae huius ratio non admittit. Tabula quippe itinere hoc compendium secuta, per viciniam Crainburgi isse videtur. Hac procedenti, ab Goritzia flexu in exortum aestiuum facto, humilior alpium tractus occurrit, *Mal Golak* incolis nuncupatus, quo superato, Idriensis ager aperitur. Numeri Tabulae ad oppidum *Ydria*, *Hydria*, recenti fluuio *Idertza* adsitum, ducunt. Est etiam via hodie per Idriam Labacum ducente vicus *Hilzeneck*, Italis *Zilan*, in quo Silanorum, ab aquis salientibus nuncupatorum, vt graecum oppidi nomen ostendit, vestigia superare videntur.

Ab Idria oppido ad *Krainburg*, incolis *Kokru*, laeua Saui ripa, ad exitum amnis homonymi, XVIII M. P. numerantur, quae cum veteri mansionis vocabulo interciderunt. Si quis Ocram Plinii heic exstitisse putaret, vrbem monti cognominem, fortasse a vero longe non abesset. Scio, Schoenlebenum ad recentem Vipavam, vbi *Pokrai* vicus Carniolis dictus, Ocram quaesisse; sed ea vox limitem notat, vnde et monti, alpium humillimo, vt Strabo inquit, nomen; et *Kokru* oppidum integrius Ocram exprimit. Ocrae vocabulum vsque

Tulminum pertinuiſſe, ipſe Schoenleben concedit. Ceterum, cum id nominis in Tabula perierit, nihil adſeuerantius dixerim.

Crainburgo via plana ad pedem alpium Noricarum ducit, vbi oppidulum *Tertsits*, xv M. P. interuallo, cuius nomen vetus deſideratur. Forſan *Terponum* Appiani erit, vrbs Iapodum alpinorum. Schoenleben ad lacum Lugeum ex eo referri poſſe putat, quod ibi Metulum deprehendiſſe ſe arbitratur; verum ex Appiano colligere non licet, vrbes has adeo ſibi vicinas fuiſſe; et Iapodes olim hunc omnem tractum coluere. Quae ſi ab veroſimili non abhorrent, alterum in Tabula deſideratum habebimus locum.

Ab *Tertsits* oppido ſiniſtrorſum via flectit, ſecus recentem *Biſtercza* fluuium, intra alpes, ad *Loibl*, calce diuitem, cum ad vallem, quam *Fella* recens pererrat, cuius dextram tenet *Kapel* oppidum, peruenias xx M. P. interuallo; ripa deinde amnis memorati dextra, iugis alpium vtrimque ſtipantibus, ad IX lapidem procedenti occurrit vicus *Kamen*, in montana Norici planitie; quae loca iam in Tabula comparent. Atque haec ex chartis Haketi, quae in caſſum alias quaeſieris.

XII. Taſinemeti. numero deſiderato; Velſ. *Taſinemeti.* Mannert heic nobiſcum ſentit, per Loibel montem iter hoc proceſſiſſe exiſtimans; tamen viam illam memorabilem, per iuga montis ductam, recentiori aetati adſcribendam cenſet; quae res videtur memoriae lapſum indicare. *Kapel* oppidum *Taſinemeto* (ſic enim vult legi) reſpondere, opinatur recte, ſitumque ad fluuium Fellam ſeu *Felbach*, recte ſtatuit; ignorans, oppidum iugis, ab Loibel vicino deriuatis, circumdari. Neque id ex chartis, quibus vſus eſt, diſcere potuit, quae vniuerſum amnis decurſum cum oppido *Kapel* in planitie ſignant. Sunt quaedam recentiſſimae, ab ſociis Artarienſibus editae, quae hoc tractu, Sauum inter et Drauum, miram locorum copiam exhibeant, quae alpeſtri illo ſitu numquam exſtitere. Vide tabulas Haketi, de patria ſua eximie meriti, qui hos alpium tractus vnus omnium adcuratiſſime expreſſit. Vocabulum porro *Taſinemeti*, quod pluratiue dictum ſit, originis Celticae putes; ſic enim germanice loquentes Carnicis Illyricisque populis hodie vſque audiunt.

Saloca. VIIII. Velſ. *Saloca.* VIIII. Cluuerius, e cognatione vocis, putat *Selch* oppidum, alias *zum Selch*, ad *Kankar* amnis exortum, vt veteres chartae habent. Situs is eſt mendoſus; nam fluuius *Kokra*, de quo ſuperius dictum, ex monte *u Jeſeru* decidens, nullum intra rupes attingit locum. Mons autem *Seleniza*, plumbo et calce diues, alia regione, in occaſum abeſt, nullum eiusdem nominis locum exhibens. Mannert, apud *Rechberg*, duo milliaria a *Völkenmark* in auſtrum, ſtatui oportere cenſet. Eſt in vetuſtioribus chartis *Rechberg*, et nonnullis recentioribus *Ebriack*, ſed vicinus admodum Capellae vicus; apud Haketum non comparet, ſed vicus *Kamen*, dextra Fellae ripa, ab exortu montem *Vez*, ab occaſu *Stàra gora* vicinum habens. *Saloca* eſt vox Carnica,

ſub palude locum ſignificans, quales heic ternas, cum minore vna, Haket exprimit. Ex Hodoeporico, Sancticum incidit in *Kapel* oppidum.

Varuno. xi. ſic Velſ. Via per oppidum *Ebersdorf*, antiquis ſacrarum aedium ac coenobiorum ſtructuris memorandum, recta *Volkermark* verſus procedit, interuallo in Tabula conſpicuo. Plaga heic ab alpibus montana eſt, calce, quarzo, lapide arenoſo diues, non item metallo; ſunt enim promontoria, vt in hiſtoria naturali dicuntur. De vrbe Viruno diſſeruimus alias. Haec via, ſi bene habet, ſitum Viruni in *Volkenmark* firmabit.

XIII. Hodoeporicon, vti dicebamus, itinere ab Aquileia Lauriacum, tres numerat manſiones Aquileiam inter et Virunum, non niſi tribus M. P. amplius, quam nos iter Tabulae ſecuti cenſuerimus; habet enim M. P. cxi. Tabula cviii. Proinde, etſi ob nominum diuerſitatem, aliam tenere viam videri poſſet, conſideratis tamen rerum adiunctis, cum locorum interualla preſſe ſecuti ſimus, longe iter hoc a ſupra deſcripto deflectere nequiuit. Miſſis igitur aliorum opinionibus, quae ſunt diuerſae, eamdem tenebimus viam. Ab Aquileia venit manſio, *Viam Beloio.* xxx. in Regio, *Viam Bellono;* Neapolitano, *Viam Boloro;* aliis *Beloio.* Bellunum ſeu Belunum, quod Surita putabat, huc referri nequit, vtpote ſub alio poſitum caelo. Eſt mons *Golak* duplex, maior et minor, ad quintum ab Hydria lapidem, pars alpium humilior, quam veteres Ocram dixerunt a finibus; heic autem ſpeciatim Beloium fuiſſe nuncupatum montem, Hodoeporicon oſtendit. Per Tolminum, vti aliquando putabamus, via haec procedere nequiuit, vtpote longius in occaſum inde abſcedens, ſupra quod alpium iuga, vias ab hoc tractu auertentia, porriguntur, qua procedenti multo plura paſſ. mill. quam in Hodoeporico ſint, cenſenda forent.

Larice. xxiiii. in Regio, *Lacire;* Neapolitano, *Larico;* aliis *Larice.* Eſt oppidum *Krain*, Carnis *Kokru*, menſura expoſcente, quam putabamus Ocram Plinii fuiſſe, quae poſtea Laricis nomen adſumſerit. Quod ſi numeros preſſe ſequi velis, erit vicus *Kamna goritza*, ad alterum ab effluxu Biſtercae in Sauum milliare, aut potius ipſe confluxus amnis. Danuille, in vicino *Radmansdorf*, Carniolis *Radoltza*, Laricen ſtatuit, priori manſione miſſa; abeſt a Biſtercae exitu in occaſum v M. P. Mihi prima opinio arridet.

Santico. xxvii. Regius, *Sanctico.* xxiiii. reliqui, *Sanctico.* xxvii. A Biſtercae (Biſtriczam Illyrius diceret) amnis, quem olim Laricem dixerint, exitu ad oppidum *Kapel*, interuallum hoc adcurate pertingit. Proinde Sancticum Hodoeporici eſt *Saloca* Tabulae, expreſſione populari, et *Σιαντικὸν*, Sianticum Ptolemaei, ſono vocis, menſurisque poſcentibus. Cum porro Weſſelingius quoque *Sanctico* in notis legat, typi error in textu eſſe videtur.

Viruno. xxx. Tabula duce xx cenſebamus, quae eo ſpatio, recta procedenti, ſufficiunt; Hodoeporicon ripam Fellae, commodius progreſſurum, legiſſe videtur; quo flexu is numerus bene habet. Haec ſecundum chartas Haketi, quibus hac regione adcuratiores non dantur, recenſuimus; ipſe enim *αὐτόπτης*

omnes valles, omnia montium iuga, omnes angulos inspexit, perlustrauit, notauit. Hoc iter et situm Viruni egregie firmat, et Tabulae, iniuria temporum laboranti, subuenit.

XIV. Superest via ab Viruno Celeiam, quae in sola Tabula seruatur, quaeue situm Viruni ab exortu stabilire debeat. Vnus eam triuit Cluuerius, qui pro eius aetatis geographiae ratione non male, vt plerumque, hariolatus est. Mannertum viam hanc ingredi pigebat; quae a Viruno sic habet:

Iuenna. XXIII. Velf. *Luenna.* XXIII. Cluuerius, *Iuenna.* XXIII. *Iaunstein.* Vicus hic in chartis vetustioribus, ab *Volkenmark* in austrum x M. P. abest. Secus ripam Draui procedendo, vsque *Lavamünd* oppidum, eo interuallo pertingens, vt Haket signauit; in aliis id spatium est angustius. Schoenleben, qui patriam suam nosse debebat, Cluuerii opinionem retulisse satis habuit. Danuille, Iuennam ad *Lavant* amnis cum Drauo confluentem recte posuit.

Colatione. XXII. Velf. *Colatione.* XX. Cluuerio, *Prasperg;* aliis *Persperg* dicitur, Carniolis *Prazlautze*, prope dextram *Savina*, Germanis *Saan*, amnis ripam, longe in exortum; quod oppidum huc facere nequit. Recte autem vrbs *Slaveni gradetz*, Germanis *Windischgrätz*, laeua *Wisting* amnis Schwarzam petentis ripa. In quibusdam recentioribus hic alter fluuius *Miss*, *Misztza*, Sanam influens, in aliis perperam *Sann* vocatur, rectius *Grätz.*

Vpellis. XVI. Velf. *Vpellis.* XVI. Cluuerio, S. Petri vicus; est ad ripam *Sann* fluuii in antiquioribus; hodie non comparet. Nobis *Vitaine*, Germanis *Weitenstein*, oppidum est, ad exortum *Ködinza*, chartis *Koding*, amnis. Videtur a campo nomen accepisse, qualis paullo inferius *Kamnitu pole*, campus lapideus.

Celeia. XIII. insignia municipii; sic Velf. Hodoeporicon, itinere Aquileia Sirmium, *Celeia ciuitas.* Burdigalense, *ciuitas Celeia.* Plinius de Noricis: *Oppida eorum*, *Virunum*, *Celeia.* (a) Ptolemaeus, *Κέλεια*, *Celeia*, interpretes *Celia* reddunt. Clara vrbs in regno epigraphico; Romae, M. Saturninus Maximus, CLA. CELEIA. in marmore domestico, Tib. Claudius, MVNICIPII CELEIANI libertus. Claudius iura municipii contulerit vrbi, vt *Claudia* Celeia diceretur; neque enim coloniam lapides exprimunt, neque Plinius coloniae iura meminit. In ecclesiasticis frequens nominatur; epitheta, in epigraphis, *Celeianus*, *Celinensis*, Cilinensis. Chartis *Cilli*, Carniolis *Celle*, ad confluentem *Ködintza* et *Szavina* amnium. Et hactenus quidem de Noricis, e Tabula, dictum esto; Pannoniam in exortum adeamus.

(a) L. III. c. 27.

C A P V T VIII

P A N N O N I A

§ I

Nuncupatio, fines, diuiſio.

I. POPVLI vocabulum non pauci a Paeonibus deriuant, tamquam inde originem ſumſerint Pannonii; quae opinio Dioni Caſſio probata non erat. Et ſane diſtinguere oportet gentes et nationes; quamuis enim Pannonii Threicia ſint progenie ſati, vt Paeones, rempublicam tamen ab antiquiſſimis inde temporibus diſtinctam conſtituerunt, populari, niſi cum bellum ingrueret, imperio recti, vt perſpicue Appianus docuit. Ante Auguſti aeuum, Pannonii, vt ipſe fatetur, populo Romano cogniti non erant, Illyriorum, ſi ſcriptores audimus, nomine comprehenſi. Sic enim in tabulis Ancyranis ipſe Auguſtus de ſe: PANNONIORVM gentes, inquit, quas ante me principem populi Romani exercitus numquam adierunt, deuictas per Tib. Neronem, qui tum erat priuignus meus, imperio populi Romani adieci." E ſcriptoribus, qui populi meminere, primi ſunt, Periegetes, Naſo, Tibullus, Strabo, Velleius. Graecis *Παννόνιοι*, vti et Latinis Pannonii. Ouidius, carminis gratia, Paeonas dixit. Epigraphicum regnum eſt huius vocabuli diues; in lapide Romano, Albinus, nat. PANNONIVS. Florentiae, L. Terentio Sabino, nat. PANNONIO. Epitheton quoque legitur Pannonicus; Romae, M. Aurelius Secundinus, nat. PANNONICA. Etiam forma priore, apud Fabrettum, Aurelia Marciana, ciues PANNONIA.

II. Patriae nomen Pannonia, quod primus Naſo prodidit, niſi id epitheton malis: *Nunc tibi Pannonia eſt, nunc Illyris ora domanda;* de Tiberio loquitur. Lapides id vocabuli frequentes prodidere; in campo Turopoliae, Pannoniae, L. Funiſulanus, propraetore prouinciae PANNONIAE. Romae, M. Aurelius Secundinus, miles, nat. ex PANNONIA. Diuiſa fuit, circiter aetatem Antonini Pii, in ſuperiorem et inferiorem. Vtriusque meminerunt epigraphae; Romae, Iulius Nero, miles, oriundus PANNONIA SVPERIORE. Tabula hanc diuiſionem rite exhibet; mox quippe a Norico, literis pictis, PANNONIA

SVPERIOR. tum a Mursa PANNONIA INFERIOR. vsque Taurunum. Ptolemaeus inter vtramque terminum statuit ostium Arabonis, et lineam inde per saltum *Bakony*, ad Salae amnis in *Balaton* lacum effluxum, tum per limites Croatiae et Slauoniae ad Sauum, Vunam fluuium, et Cetinae amnis Dalmatiae fontes ductam.

III. Habet Tabula, a Petauione ad Cibalim, quam non exprimit, MEDIA PROVINCIA. quatuor postremis literis incuria scribae exmissis. Hanc esse puto, quam posterior aetas *Sauiam* dixit. Ante Sextum Rufum expressa huius mentio non reperitur; occasione tamen Valeriae, cum prima et secunda Pannonia, Imperatore Diocletiano, nata videtur. Auctor itineris Burdigalensis, Inferiorem vocat, a Petouione notans: Transis pontem, intras PANNONIAM INFERIOREM. Valesius, Wesselingius, cum nonnullis aliis, volunt *Superiorem* legi, tamquam auctor Hodoeporici errarit. Sinamus errorem hunc, qui in geographia aetatis illius non postremi est momenti. Erat haec Pannonia, quam Tabula *Mediam prouinciam*, alii *Sauiam*, Iornandes et Procopius *Suauiam*, dixere, vsurpatione militari; nam in epigraphis superior modo, inferiorque, ad Constantinos vsque, legitur; neque alia diuisio prouinciae ab senatu populoque Romano agnita erat. Sauia comprehendebat portionem superioris, a Drauo ad fines Liburniae; altera quippe Pannoniae inferioris pars, quae Slauoniam et Bosnam complectitur, *secundae* nomen habebat; vt in geographia monstramus.

IV. Fines Pannoniae, ab occasu Noricum, per iuga Cetii, ad VI supra Vindobonam lapidem, per fontes Arabonis ad Celeiam; deinde mons Ocra et Caruanca, queis ab Italia, mons Albius et Bebius, queis a Liburnia et Dalmatia secernebatur, qui sunt australes prouinciae fines; a septemtrione Danubius, idemque ab oriente, ad effluxum Saui, tum Aurei montis Scardique iuga, Drino Pannonico ab exortu praetenta, vsque ad fontes eiusdem amnis, vbi Moesi, Paeones, Dalmatae concurrunt, quod iam Strabo recte docebat, deinde Ptolemaeus firmauit. Vniuersa haec testimoniis veterum munita in geographia nostra legas. Longum procurrit ab gradu longit. 31 min. 18 ad grad. 38. latum vero ab gradu latit. 43. ad 48 min. 24. Summa eius longitudo a fontibus Saui ad exortum Drini, M. P. CCCCXXX. latitudo a fontibus Drini ad promontorium Cetii, M. P. CCCCLV. Latior proinde, quam longior, est; sed latitudo, cum Drini alueo, in cuneum abit.

§ II

Montes, fluuii, insulae, lacus, luci.

I. PLVRES in Tabula exhibentur montes, sed incuria, aut ignorantia scribarum, absque nuncupatione. Primus eorum est Cetius, *Κέτιος*, Ptolemaeo

notus, ad cuius promontorium municipium *Cetium*, monti homonymon, Tabulae, Hodoeporico, epigraphis memoratum, exſtabat. Procurrit is a Vindobona ad Sabariae regionem, vbi reapſe in hemicyclum abit, vt Danuille recte notat, eumque ſecuti recentiores. Promanat ex eo Drauus, qui heic Arabonem prae ſe fert, vt poſtea dicemus.

Alter mons eſt *Pannonius*, vt eum Danuille e medii aeui monumentis vocat; veteribus quippe ignotus eſt. Praetenditur amni *Martzal*, Arabonem petenti, ab exortu, ſaltum *Bakony* in primis complexus; apud Ortelium, e tabulis Sambuci, VERTHES mons, Hungarice *Baton* (Bakony) Germanice *dem Schildberg;* plura quippe vocabula obtinet, in auſtrum fere ad exitum *Szala* amnis in Balatonem protentus, communis Pannoniae ſuperioris et inferioris, hac parte, olim terminus. Montis Aurei, qui *Harjhán* eſt, et Albani, qui *Almáſh*, in Slauonia, ad Drauum, meminit Hodoeporicon et Notitia; qui in Tabula non comparent.

II. Tertius eſt mons Almus, quem tractu longiore exprimit Tabula, ſitu adcurato, ſupra Sirmium, a Malata ad Burgenas. E priſcis meminerunt montis huius, Dio Caſſius, Vopiſcus, Eutropius, Victor; alterum audire libet, in Probo haec ſcribentem: *Ipſe Almam montem in Illyrico circa Sirmium, militari manu foſſum, lecta vite conſeuit.* Vinum eius ad Mathiae Coruini vſque tempora celebre fuit; neque hodie in poſtremis habendum. Iuga montis apud *Illok* adſurgunt, apud *Kamenitz* altiſſima ſunt, ex quorum vertice, *Pogled* dicto, hinc Sauum et Planitiem ad eum patentem, cum Seruiae parte, inde Danubium, et late fuſos *Batskae* campos, conſpicere licet; ab Carlouicio ſenſim deſinunt. In chartis antiquioribus *Arpataro*, *Tartzal*, vocatur; forſan Hungaris ita dictus. Recentiores mappae ne ſignant quidem; quod Danuilleum feciſſe miror, cum in antiquioribus tabulis eum videre potuerit, in primis apud Ortelium, qui ſpeciatim, *Arpataro mons Almus*, adſcriptum habet. Incolis, et omni populo Illyrico, *Vruſhka*, *Fruſhka*, audit; quae vox non eſt in geographiam relata, cum iam Verantius eam prodiderit, ſed in opere nuper vulgato. Libet elegantiſſimum ſcriptorem audire: Apud hoc oppidum (*Karon*, hodie Karlovacz) mons Almus antiquis, noſtris Fruſca adpellatus, deſinit, qui ab ora, quae Attyam et Vylachum (*Opatovacz*, *Illok*) arces diſcriminat, incipit, vinoque ſingulari notus eſt, cuius vitem Probus Imp. primus ex Italia allatam plantaſſe dicitur.“ Fama eius Alexandriam Aegypti non peruenit, vt a Ptolemaeo ſignaretur; quod haud mirabere, ſi eum et a noſtris mapparum fabris ignorari cogites. Singulari tractu mons Argentaria exprimitur, qui eſt *Szrebernicza* et *Czerna gora*, is laeuo, hic dextro Drini latere, pars Scordi, de quo in Moeſia diſſeremus. Notantur praeterea montes Bebii, Albius, Ardius, quos in Dalmatia recenſebimus.

III. Flumina, Drauus, Sauus, Drinus, Arrabo, Lepauis, Nauportus, Hemona, Bacuntius. Drauum adcurate ſignat Tabulae auctor, ſed ex Cetio

monte, quod et Ptolemaeus facit, deriuans; cum iam Straboni, ὁ Δοῦρας καὶ ὁ Κλάνης, *Duras* et *Clanes*, ex alpibus Noricis decidentes, noti fuerint; quamquam is obſcuram horum amnium ideam habuiſſe videtur. Nam poſtea de Siſcia locutus, Corcoram ait in Sauum influere, hunc εἰς τὸν Δράβον, in Drauum, iſtum in Noarum, apud Segeſticam; cum ante Duram in Iſtrum deferri dixerit, ignorans eumdem eſſe fluuium. Similem veterum doctrinam ſecutus Ptolemaeus, cum amnem ab occaſu defluentem, qui per vtramque Pannoniam labatur, iuxta Corrodunum ſcindi, quaſi verſus montem Cetium, cuius pars borealis Σαόυϊος, *Sauius*, Schotti libro Σαβαρίας, *Sabarias*, in codice Palatino Σαουαρίας, *Sauarias*, in Caeſareo Σαουρίας, *Saurias;* meridionalis autem Δάρος, *Darus*, qui nunc apud barbaros Δάριν, *Darin* vocetur, in Caeſareo codice, νῦν Δάρα Καλόυμενος, *nunc Dara vocatus.* Dara hic eſt Strabonis Duras, apud fontes nuncupatus, cui non recte Sauus accedit. Plinio, *Drauus e Noricis* alpibus *violentior;* quas alpes Ptolemaeus et auctor Tabulae Cetium eſſe putarant. Certe is Pannonios a Noricis dirimebat. Secundum hanc ambiguam veterum traditionem, auctor Tabulae Drauum e Cetio deducit per Pannoniam vtramque, duorum pedum et quatuor vnciarum ſpatio; deinde vbi Iſtro amnem committere oportuiſſet, is adiungit Sauo, apud Sirmium, et ſub ſpecie Drini vno alueo in auſtrum promouet, Adriae, vbi Dalmatiae Naro, infuſum. Haec fuit geographia caſtrenſis, maiorum placitis innixa, qui Iſtrum apud Thracas et Scythas diuidi, et partem in Adriam, partem in Pontum deferri, prodidere. Ptolemaeus oſtia Draui, Saui, Drini adcurate diſtinguit; quod ripae fluminum, et litora marium, per commercia magis nota forent, quam fontes amnium in mediterraneis ſiti. Hodie adcolis Illyrici nominis, vt olim, *Drava*, Germanis *Drav*, vitio *Drau.*

IV. Sauum noſter ex Tergeſtis regione, Timauo propinqua, deducit, eorum doctrinam ſecutus, qui Iſtrum quemdam fluuium, magno illi homonymum, apud Iſtros in Adriam deferri tradidere; neque tamen pelago admiſcet, ſed alueo ſingulari in exortum, per viciniam Norici, deinde per Pannonias, trium pedum longitudine promouet, Sirmium vſque, vbi, vt dicebamus, Drauo miſtus, alueo Drini in Dalmatas defertur. Neque Strabo, neque Ptolemaeus, Saui fontes nouerunt; cum ille Draui originem ſubobſcure indicarit. Plinius clare: *Sauus ex alpibus Carnicis placidior.* Verum id quoque generatim dictum eſt, nam Carnicae alpes, vti et Noricae, late patebant, et a pluribus confundebantur. Strabo montes Apenninos nuncupauit, ex quibus Duram, Clanem, et alios minores, vt inquit, fluuios Iſtrum petere docet. Ipſe nunc Σάυον, *Sauum*, nunc Σάον, *Saum* adpellat, ab Nauporto; vlteriora fontem verſus ignorat. Ptolemaeus, nullum prorſus in Sauum decidentem nouit, praeter Drinum, Tabulae quoque memoratum. Variat et ipſe, nunc Σάον, *Saum*, nunc Σαόυϊον, *Sauium* adpellans; in Caeſareo codice Σαουόυϊος, gemina conſonante, *Sauuius* exprimitur; quam lectionem codex Mirandulae, vnde hic forſan deſumtus,

probat. Certi enim ſumus, Mathiae Coruini iuſſu Caeſareum hunc in Italia deſcriptum eſſe. Sauum et Drauum auctor Tabulae nominare neglexit, vt alias, vocabulo ad fontes poſito; apud Emonam, ad fluminis traiectum, Sauo. fl. VIIII M. P. ab vrbe. Draui nuspiam meminit. Vtriusque fontes αὐτόπτης Haket eximie oſtendit, in tabulis ad praeclaram ſuam Oryctographiam Carniolicam. Et Drauus quidem vno mill. geogr. ab *Inichen*, veterum Agunto, fonte patulo, ſurgit, ab auſtro amne Fella, pluribus riuulis onuſto, mox ab egreſſu auctus. Sauus fonte duplici oritur, boreali vno tenui, in *Mounik* iugo, qui recens hinc *Koren*, inde *Krainſka gora* vicos praeterit, apud *Radoltza* oppidum, Germanis *Radmansdorf*, alterum influens; et auſtrali amplo, in valle, ſub monte *Stoinacs*, lacu nomine *Szavitza*, mox ab effluxu riuo, a vico *Sztarkladuo* decurrente, tum *Biſztertza* apud cognominem pagum, auctus, ſub vocabulo *Bohinſka Sava*, defluit, prope *Radoltza* oppidum alteri iunctus, angulo patulum aquae calidae lacum, apud *Bleid* vicum, includens. Atque hi ſunt principes fluuii, quos Tabula ſingulari alueo, vt Ptolemaeus, exprimit; nam Danubii fontes in Vindelicis dedimus, oſtia apud Moeſos relaturi; ad Vindobonam vſque decurrit, alueo duos pedes, quatuor vncias longo, a Vindobona Taurunum, per Pannonias, tres pedes, duas vncias, curſu producto.

V. Arrabo. fl. in via, ad XXX a Bregetione lapidem, et Arrabone. caſu obliquo, ad XX a Sabaria milliare. Ptolemaeo, *Ναραβών*, *Narabo;* Cellario, ex eodem, *Ἀραβών*, *Arabo*, Weſſelingio *Ναρβών*, *Narbo;* Italo *Narabone*, in Germania *Nambo;* interpres Schotti *Ναρβῶνα*, *Narbonem*, in Pannonia ſuperiore *Arabonem* legit. Reapſe *Narabo* videtur coſmographo audiſſe, vt codices fidem faciunt. Fontem amnis Ptolemaeus ignorat; Tabula ibi Drauum oriri facit, vbi Arabo ſurgit. In Hodoeporico eſt manſio *Arrabona*, vt textus praefert; quod videtur ex Notitiae libro ſumtum; nam codex Regius, *Arabona*, reliqui *Adrabona*, Weſſelingio quoque teſte, exhibent; quidam, apud Simlerum, *Rabona*. Rauennas, *Arauona;* Poeta Saxo, et Annales nonnulli, *Arrabonem* vocant, miſſaque vocali priore, *Rabam;* vt hodie flumen audit.

In mediterraneis habet Tabula manſionem *Arrabone*, ad XX a Sabaria in auſtrum lapidem, quae oppido *Körmend*, laeuae Arabonis ripae adſito, reſpondeat. Ptolemaeus, ex ſciſſione illa Draui apud Carrodunum, eum, qui in ſeptemtrionem fertur, *Sauariam* dici perhibet. Varie id vocabulum ſcribi videas; apud Eraſmum *Σαόυϊος*, *Sauius;* apud Schottum *Σαβαρίας*, *Sabarias;* in Caeſareo codice, *Σαουρίας*, *Saurias*. Murum geographi e ſitu interpretantur; ſed ex Tabula *Murium* cognouimus; et Ptolemaei *Muroëla* ab amne fuerit nuncupata. Apud ortelium, in mappa Hungariae Sambuci, *Raba* cum *Sala* et *Kaniſnitza* confluit, in Drauum, proxime Muri exitum, deriuatus. In actis S. Quirini, epiſcopi Siſciani, legitur *Sibaris* fluuius, ad Sabariam. Ptolemaeus Sabariam nouit, de fluuio quidpiam audierit; nouit ſciſſionem Draui apud Carrodunum, et alueum borealem Sabariam verſus ferri; duos proinde fluuios in

vnum commiſit. *Sibarim* alii Ginſium, *Gyöngyös*, Sabariam ab exortu praefluentem, alii Rabam interpretantur; ſed fluuius vrbi vicinus eſſe debuit, quem puto Perent, qui mediam olim praefluebat vrbem, hodie quoque, pluuia tempeſtate, torrentibus ex monte decidentibus auctus, ripis egredi, et per agros graſſari adſuetus; qui actis diui epiſcopi bene reſpondeat. Hunc Sibarim coſmographus dicere voluerit; oportebat enim fluuium vrbi cognominem eſſe eidem vicinum, qualis Mura dici nequit. Haec Arabonis occaſione Drauique, ad ſubleuandum coſmographum, dicta ſunto.

VI. **Lepaui fl.** Velſ. *Lepauiſt.* in via, ad quintum a Bregetione lapidem. Marſilius, de ruderibus vrbis, apud *Szöny* oppidum, agens haec notat: In palude, quam fluuiolus a Totis (*Tata*) veniens efficit, aquae ductus veſtigia, ex lapide cocto, et in parte orientali paludis, coercens eam agger, conſpiciuntur; et hic duobus emiſſariis ex pulcherrimo quadrato lapide ſecto patet, per quae aqua paludoſa exiens non procul inde in Danubium ſe effundit." Hic fluuiolus *Lepauis* olim dictus fuerit, ab ſitu vrbis agrique, quem perluebat, amoenitate; id enim vox Pannonia ſignificat. In quibusdam chartis exitus fluuii opponitur effluxui brachii ſeptemtrionalis Danubii, *Schütt* inſulam formantis.

Nauporto. in via, ad xx ab Emona lapidem. Strabo, Tauriſcorum oppidum *Πάμποϱτον*, *Pamportum*, alias *Νάυποντον*, *Naupontum* memorat; Plinius fluuium hoc nomine adficit: Argonauim ſubiſſe Iſtro, dein Sauo, dein Nauporto, cui nomen ex ea cauſſa eſt, inter Aemonam alpesque exorienti." (a) In epigraphis Pannoniae habemus vnam, in qua flumen HEMONA memoretur, quod huc pertineat; nam et hodie amnis vrbi cognominis eſt, *Lublanſhtza* (*Lyublyancsicza*) Carniolis, *Labach* Germanis; et Nauportus eſt nomen peregrinum.

Ad baſante. manſio in Tabula exprimitur, itinere ab Seruitio Sirmium, ad xxxviiii a Drino lapidem. Eſt fluuius *Boſzut*, qui apud excubias (*Csardak*) cognomines, inter munimentum *Shtitar* et vicum *Xupanya* e Sauo emergit, in exortum deinde progreſſus, apud *Lipovacz* vicum, alueo maiori, aeque *Boſzut* nuncupato iungitur. Hic alueus maior apud *Ruſhcsicza* vicum, prope Brodium, e Sauo exit, nomine *Bich*, qui manu facti aluei ſigna praefert, vt canalis adpelletur, poſtea circiter oppidum *Vinkovci* iam *Boſzuti* vocabulo defluit vſque regionem munimenti *Racsa*, vbi Sauum repetit. Proprie igitur *Boſzut* eſt minor ille alueus, medium agrum Bichio incluſum pererrans; maior autem *Bich* ab origine ad exitum adpellari deberet. Hunc Plinius, illum Tabula norunt. Ille, memorato Colapi: *Alter amnis Bacuntius*, inquit, *in Sauum Sirmio oppido influit.* Acta S. Irenaei, pontem Dianae, *Baſentis* nuncupatum, memorant; quem huc referri potius, quam ad Baſſianam, vbi ponti

(a) L. III. c. 22.

locus non eſt, arbitrere. Forſan, locus etiam Notitiae, *Caput Baſentis*, huc referendus erit. Sed hac de re in oppidis ſermo recurret. Habemus heic duos amnes, Bacuntium Plinii, *Bich* (Bity) ſeu *Bikich*, Baſantem Tabulae, *Boſzut*; in hac Drauus in Sauum effluens hoc loco Bacuntium exhibet.

Drinum. fl. in via, ad octauum decimum ab Sirmio lapidem; rurſus itinere Dalmatico, ad xLv ab Sirmio milliare, **Ad drinum.** Hunc geographi Pannonium dicere ſolent, vt ab Dalmatico diſtinguant; qui potius Drilo adpellari debet. Strabo noſtri meminiſſe voluit, cum Segeſticam ὁ Ῥῆνος, *Renus* permeat, inquit, in Iſtrum delapſus; Δρῆνος ſcribere voluerit, ad Segeſticam, ſeu inſulam, alteram procul dubio ab Siſcienſi, quod ibi Colapin et Noarum memorat. Neque Ptolemaeus de hac regione edoctus recte erat, quod in Illyride, Scardo et Drilone adductis, alius, inquit, fluuius Δρεῖνος, *Drinus* nomine, ab eodem Scardo monte in Sauum, ab occaſu Tauruni oppidi, effluit; dicere volebat Sirmii; nam Taurunum longius in exortum abeſt, quam vt Drino admoueri queat. Errat etiam in poſitione vrbis Sirmii, in Rittii parallelum reductae. Alius praeterea fluuii non meminit. Tabula Drinum, Sauo Drauoque auctum, in Adriam deducit, vt monebams. Ad xxiii ab Seruitio Sirmium verſus lapidem eſt manſio *Vrbate*, quae ad fluuium *Verbas* cadit, qui vetus nomen ſeruet. Plinius *Vrpanum* dixit.

Genſis. in via ad triceſimum ab Sirmio in auſtrum milliare, ſcribitur absque fluuii nota, qui eſt *Janya*, arcem cognominem praefluens, Drino ab exortu miſtus. *Biſtue* duplex, ad fluuium Boſnam, videtur ab amne nuncupationem accepiſſe.

VII. Duae ſunt praecipnae in Sauo inſulae, quarum alteram expreſſit Tabula, vrbe Siſcia ei impoſita, alteram confluxu amnium apud Drinum indicare voluit. Vtriusque meminit Plinius; de priore: Colapis in Sauum influens iuxta Siſciam, gemino alueo inſulam ibi efficit, quae Segeſtica adpellatur.“ De Siſciae vrbis ſitu in ſpecimine geographico, quantum ſatis erat, diſſeruimus. Colapis adlabitur vrbem, ſed inſulam non facit. Foſſae, quam Tiberius percuti iuſſit, veſtigia vſque comparent. Sauo aut Colapi exundantibus, ea foſſa repletur aquis, vrbique inſulae ſpeciem adfert. Perperam nonnulli, cum Appiano, vrbem Sauo circumdari cenſebant, a quo ea non minimo interuallo abeſt. Tabulae auctor, compendio vſus, aut ſimilem Appiani traditionem ſecutus, alueo Saui inſulam formauit. *Segeticam* fuiſſe dictam, Plinius teſtatur; quod vocabulum popularibus inſulam ſignificat.

De altera Strabo quidpiam accepiſſe videtur, Drinum nominans, et Segeſticam; qua voce, quae inſulam Pannoniis notat, deceptus, amnem Drinum Segeſticam, apud Siſciam nimirum, praetermeare ſcripſit. Neque Plinius claram eius ideam habuit, cum inquit: *Inſula in Sauo Metubaris*, *amnicarum maxima.* Diu hanc quaeſiuerunt geographi, neque repererunt. Lazius apud Drini confluxum; paullo ſuperius, vbi *Bich* e Sauo exit; Sambucus apud

Ortelium insulam cum oppido *Otoczecz* (*Otocsacz*) nuncupatam, Sauo includit, cum epigrapha, *Metubaris insula.* Sed ea minor est (hodie nulla visitur) quam vt phrasi Plinii respondere queat. Illa vero, quam *Bikich* amnis, e Sauo prodiens, et in eumdem regressus, facit, omnino est amnicarum maxima; vt quae in longum quatuordecim, in latum quatuor mill. geogr. procurrat; secundum Khevenhülleri dimensionem, longa est mill. germ. 12. lata 3. Sed mensura prior est adcuratior. *Metubaris*, expressione populari, designat locum paludibus circumdatum; omnis autem ager insulae huius est palustris, in plerisque chartis recentioribus non recte designatus.

VIIJ. Inter paludes insigne nomen habet *Hiulca*, vt eam Aurelius Victor nuncupat, vocem popularem ori Latino adcommodans. Dio Cassius scribit, Batones Seuerum, πρὸς τοῖς Οὐολκάιοις ἕλεσι, *ad Volcaeas paludes*, castra ponentem adgressos fuisse. (a) Geographi, duce Ortelio, Balatonem interpretantur. Sed Pannonii Seuerum ex Moesia venientem adorti sunt; et Victor Hiulcam apud Cibalas statuit. Ennodio, in Panegyrico ad Theodosium, est *Vlca*, tutela Gepidarum, quae vice aggerum munit audaces, et in iugorum morem latus prouinciae quibusdam muris complectitur, nullo ariete fraudandis." Consonat Tabula, in qua ad x M. P. a Cibali, **pont. vlcae.** Quo interuallo est *Vuka* fluuius, palustris totus, in primis eo situ, quo hic pons constitit olim, circiter *Merkusshitza* vicum, vt Hasius recte signauit. Mannert, e Zosimo, Hiulcam Cibali admouet, Οὐλκαία ἕλη, *Vlcaea* paludem e Dione legens; sed ea palus est alia, quam riuus *Hervenicza* facit; neque Zosimus nomen paludis prodidit. Maiores nostri fluuium *Volco* dicebant, quae nuncupatio cum *Volcaeis*, et magis cum *Vlca*, conuenit, Pannoniis lupam significans.

In Hodoeporico, itinere ab Sirmio Treueros, et a Sabaria Vindobonam, circiter lacum *Fertö*, Germanis *Neusidlersee*, incidit mansio *Muteno*, quam, duce Iordano, vicum *Duntelskirchen* interpretamur, qui locus a vicino lacu nomen acceperit. Hunc maiores nostri *lutum Musun* dixere, Belae Notario teste, qui de finibus regni versus Theotonicos, scribens: In eodem confinio, inquit, (b) vltra lutum Musun collocauit etiam Bissenos non paucos, Zulta dux nimirum. Idem antea *Ferteu stagnum* adpellarat. (c) Hoc Hungaricum *Fer-tó*, illud Pannonicum, *Muten*, coenosus, turbidus. Haec sit *Aqua nigra* Iornandis, vti *Scarniunga* Raba; Mannert alterum Leytham, alterum Rabam putat, quod lacus aetate Romanorum non exstitisset; sed hoc alterum non probat. Büsching est recentior, quam vt antiquitati officere queat. Qui Peisonem seu Pelsonem huc referri volunt, Aurelio Victori non respondent. Nam Plinius claram horum locorum ideam non habuit, cum lacum Noricis iungi ait; quamquam phrasis ea sic accipi potest, vt Bacuntius in Sauum *Sirmio oppido influit;* a

(a) L. LV. c. 32. (b) Cap. 57. (c) Cap. 50.

quo M. P. xviii. Tabula indice, abeſt. Idem enim fere eſt Mitrouicii ab Drino, quod ab exitu Boſzuti interuallum.

Eſt in Tabula, ad xiii a Flexo M. P. ſtailuco. *Stai lucus* manſio, quam apud *Ötevény*, Germanis *Hoch - ſtraſs*, ponimus, a luco, Numini cuipiam dicato, nuncupata.

§ III

Oppida, manſiones in Pannonia ſuperiore.

I. RIPAM, pro more, ſequemur primum. Hodoeporicon ſe quidem ſocium iſthic praebet; ſed, cum iam ante manſionibus quibusdam exmiſſis, ſeries et numeri fuerint turbati, vt apud Cetium oſtendimus; et heic noua phraſis *in medio*, non ſatis adhuc eruditis perſpecta, intercedat; Tabulam ducem heiç in primis nos ſequi oportere cenſemus. Ab Cetio, qui poſtremus Norici ad ripam Danubii locus erat, vt fines recte ſignauit Danuille, et nos in Norico oſtendimus, eluctatis e montium anguſtiis occurrit ſitu campeſtri,

Vindobona. vi. inſignia municipii; ſic Velſ. Antiquius monumentum, quod integrum vrbis nomen prodidiſſet, non habemus. Hodoeporicon variat; itinere mediterraneo, *Vindobona*, in textu; Neapolitano, *Vindemana;* Longoliano, *Vindomana;* etiam in vetuſtis Notitiae exemplaribus, teſte Surita, *Vindomanae* legitur. Weſſelingio quoque *Vindomana*, et *Vindomona* in MSS. audit. Itinere ripenſi, *Vindobona*, e codice Regio, et aliis, pari conſenſu; Weſſelingius tamen in plerisque libris *Vindebona* deprehendit, quemadmodum et Simlerus. Eſt praeterea iter ſingulare a Vindobona Poetouionem, et a Sabaria Vindobonam; priore, in Voſſiano, *Vindolbono*, in Vaticano *Vindobono* ſcribitur. Ptolemaei *Ιουλιόβωνα*, *Iuliobona*, ſubſiſtere nequit, Tabula reclamante; et in Caeſareo codice *Οὐïλιόβωνα*, *Viliobona*, exaratum eſt, Agathemerus autem, Ptolemaeum ſecutus, *Οὐινδουβόνην*, *Vindubonen* dixit. Vnde colligas, in coſmographo olim *ΟΥΙΝΔΟΒΩΝΑ* ſcriptum fuiſſe, vnde librarii *ΟΥΙΛΙΟΒΩΝΑ* et denique *ΙΟΥΛΙΟΒΩΝΑ* fecere. Primam vocabuli ſyllabam et marmora probant; Viennae, C. Maecius Marcianus, decurio MVN. VIND. in columna milliaria Valeriani, ſine legas, A VIND. M. P. ii. Plinio, *Vianiomina*, in Noricis, quod ex *Vindomina*, vt Iornandes expreſſit, eſt deprauatum, vt Harduinus obſeruat; niſi ea nuncupatio vulgaris erat, vt *Viden* Slauis hodie. Ceterum *Vindomina*, idiomate incolarum veterum, *Vindorum habitationem* ſignificat; Latini partem alteram ſuo ori adcommodauere. Neminem autem id moretur, quod Plinius, exemplo Paterculi, Noricos ad viciniam Carnunti, et

lacus Peisonis promouit; nam fines certi prouinciis tum adhuc positi non erant, vt alias monstramus. De nomine vrbis nemo vberius disseruit Lambecio. Quod numeros Tabulae concernit, non male habent; nam omni spatio intercepto, ab *Kloster Neuburg* ad *Wienn* non sunt integra duo mill. geogr. et olim iam, sub municipii titulis, amplam fuisse vrbem, nemo dubitarit. M. Aurelius, cuius auspiciis haec Tabula, insigne monumentum, constructa est, vrbem mora et obitu suo nobilem reddidit. Hodoeporicon numeros inde ab Arlape, iniuria temporum prauatos, Trigisamo, aut aliis praeterea locis exmissis, ostendimus in Norico, apud municipium Cetium.

Villa gai. x. Vels. *Villagai.* x. Hodoeporicon, inter Vindobonam et Aequinoctium, *Ala noua in medio*, exhibet. Vnde nonnulli, duce Cluuerio, censebant, Villam Gaii ex Ala noua esse natam; quos Fuhrmann opportune redarguit, Villae Gaii oppidum *Mannswoert* adplicans, Alam nouam *Ebersdorf* interpretatus, oppidum extra viam militarem situm; quod particula *in medio* innuere voluerit. Neque enim alia ratio subest, cur ea loca absque M. P. censu ponantur, nisi extra viam fuissent. Nam interualla etiam minora, non in Tabula modo, verum etiam in Hodoeporico notantur. Nisi velimus iter hoc, vt plura in Itinerario, iniuria temporum, esse turbatum, et corruptum, numeris mansionum exmissis; quod tamen census superstes non admittit. Nihil porro minus, quam pro itineris medio, ea particula accipi potest, quod bina, vt heic, loca ei adiunguntur, quae simul consistere nequeunt.

II. Aequinoctio. IIII. Vels. *Aequinoctio.* IIII. Hodoeporicon, *Aequinoctio et Ala noua in medio.* Notitia imperii, equites Dalmatae, *Aequinoctiae.* Simlero, Aequinoctio, *Vischmund.* In agro oppidi *Fischament*, in exortum, versus *Elend* vicum, Marsilius Romanae habitationis vestigia deprehendit. Proinde in sententiam Simleri geographorum παῖδες recte concesserunt. Et Aequinoctium quidem, si numeros Tabulae spectes, medio Carnuntum inter et Vindobonam itinere occurrit; sed Ala noua, quae cum ea particula simul ponitur, heic statui nequit. Distincta enim haec fuere loca, quibus, mensura deficiente, nisi ope Tabulae, situm adsignare non licet.

Carnunto. XIIII. insignia coloniae; Vels. *Carnũto.* XIIII. Hodoeporicon, *Carnunto*, itinere ripensi. Est praeterea iter a Poetouione *Carnunto*, et ab Sirmio *Carnunto;* cuius fragmentum in Tabula quoque superat. Antiquae vrbis meminerunt Velleius, Plinius, M. Antoninus, de rebus suis, τὰ ἐν Καρνόυντῳ, *Carnunti.* Ptolemaeo tamen Καρνοῦς, *Carnus*, Schotti libro Καρνοὶς, *Carnis*, pro Καρνοὺς. Italus *Carno* pro *Carnunte;* nam graece Κάρνουντος oblique dicitur. Liuii Carnuntem ad Liburnos referimus. Norunt vrbem epigraphae; Viennae, C. Iulius Magnus, DEC. COL. KARN. Romae, Sauinius Valentinus, natus CARNVNTO. Hamburgi, Probus, DEC. MVNIC. CAR. Apud Petronellam, in fragmento lateritio, O. CARN. VRSICINI. MG. Vrbis antiquae situm Com. Marsilius adcurate descripsit, agro Petronellae orientali. Lambecius, cum non-

nullis, Carnuntum vſque *Altenburg*, quin vſqus *Hainburg* producens, eſt nimius. Arcus triumphalis, cuius Dio Caſſius meminit, reliquiae prope vrbis antiquae rudera, ab auſtro ſpectantur; quas ante hos vicenos ternos annos, cum hac vrbem luſtrandi gratia transiremus, in conſpectu habebamus.

Gerulatis. XIIII. Velſ. *Gerulatis*. XIIII. Hodoeporicon; *Gerulata in medio*. Regius, *Cerula;* Blandinianus, *Gerulanta*. Notitia imperii, *Gerulatae*, obliquo caſu. Cluuerius, cum nonnullis, e cognatione vocabuli, *Kerlburg*, Hungaris *Oroſz-vár*, Gerulatas eſſe volebant; qui locus ad ripam ſitus, longius ab itinere noſtro abeſt, quam vt Gerulatis reſpondere queat; rectius id *Χεǫτόβαλον*, *Chertobalum* Ptolemaei dixeris. Via ab Carnunto alia in auſtrum, Sabariam verſus, alia, miſſo in laeuam Hainburgo, iuxta collem quemdam, verſus oppidum *Hundsheim*, qua Marſilius viae ſtratae veſtigia reperit, progreditur. Numeri Tabulae ducunt ad oppidum *Iahrendorf*, in finibus Auſtriae, quod hodie quoque veredi publici petunt. Id porro heic obſerues, velim, Gerulatas ex Hodoeporico, niſi Tabula praeſto foret, noſſe non poſſemus; nam neque medio in itinere haec manſio eſt, neque extra viam militarem; niſi forte poſteriori aeuo, quo in Hodoeporicon mutationes irrepſerunt. Verum idem numerus XXX M. P. ab Carnunto ad Flexum, vtrobique poſitus, eamdem arguit viam. Adeo ſine Tabula duce, hoc itinere, nihil omnino de ſitu locorum *in medio* poſitorum, adſeueranter dicere liceret.

III. Ad flexum. XVI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Flexo*. XXX. ab Carnunto; in textu, apud Weſſelingium, *Plexo*, typi forſan errore; Regius, *Flexu*, alii *Flexo*, quod ſincerum eſt. Ptolemaeo, in ripenſibus, *Φλέξον*, *Flexum;* Surita *Φλῆξον* legit. Notitia imperii, *Flexo*. Hungaris *Moſſony* oppidum, Germanis *Wieſelburg*, ad quartum ab *Ovár* lapidem, quod nonnulli, duce Cluuerio, Flexum putauere. Hic locus retinuit antiquam Fertonis nuncupationem, qui in quibusdam recentioribus chartis, qualis eſt I. C. Rode, proximus lacui ponitur, a quo non minimo interuallo abeſt. Comitatui quoque, vt dicimus, Moſſonienſi nomen dedit. Veteris viae veſtigia Marſilius notauit.

Stailuco. XIII. Velſ. *Stailuco*. XIII. Hodoeporicon, *Quadratis in medio*. Luci huius, qui veteri cuipiam diuinitati (id enim prior vocis ſyllaba indicat) ſacratus fuerit, nullus praeterea meminit. Quadrata ei ſucceſſere poſtmodum, quae medio fere a Flexo Arabonam itinere conſtituta, particulam *in medio*, eorum opinione, qui hoc ſenſu accipi eam volunt, firmare videntur; eorum vero, qui a ripa id genus loca remoueri cupiunt, ſententiam refellunt. Ad eamdem quippe Danubii ripam *Ötevény* eſt, ad quam *Moſſony*, minoris hodie fluminis aluei, ſed qui olim maior eſſe potuit. Ad eum ſane Ptolemaei Flexum conſiſtit.

Arrabo. fl. XII. Velſ. *Arrabo fl.* XII. Hodoeporicon, *Arrabona*. XXII. a Flexo. Simlero, *Arrabona* vel *Rabona;* in Regio *Arabona;* reliquis *Adrabona;* itinere a Sirmio Carnuntum, *Arrabona*. XXV. a Flexo, vt in Tabula.

Notitia imperii, *Arrabonae.* Mannert ex eo, quod neque Tabula, neque Ptolemaeus loci, ſed fluuii dumtaxat meminere, putat, nullum id temporis oppidum eo ſtetiſſe agro; paullo poſt tamen corrigit opinionem, Chertobalum Ptolemaei heic fuiſſe adſeuerans; quod Tabula non erat praeteritura. Habet ea, et Hodoeporicon, ad xx a Sabaria lapidem, *Arrabone* manſionem, ab eo amne dictam; qualis etiam iſthic, ad ripam Danubii, ſitu quippe opportuno, eſſe potuit. Coſmographus plura praeterit, et numeri hoc loco ſunt apud eum turbati. Tabula fluuium recte ponit, oppido tacite intellecto; neque enim geminare vocabula conſueuit, vt in Moeſia *Margum fl.* vbi oppidum homonymon exſtitiſſe ſcimus. *Iauarinum* ab ſeculo xi. inde Iaurinum, Hungaris *Györ*, ex veteri *Iaravo* natum videtur, per metatheſin expreſſum; niſi rectum malis *Iavorno*, acernum, laureum, ab arboribus, aut luco nuncupatum. Erant et *Arauiſci* populus, fluuii huius adcolae. Exitu amnis Pannonia ſuperior finem accipiebat.

IV. Hodoeporicon complures habet vias mediterraneas, a Sabaria inprimis et Carnunto; Tabula vnius fragmentum ſeruauit, quae Poetouionem verſus tendebat; forſan eam ſibi reſtituemus. Procedit ab Carnunto per Sabariam, fluuium Arrabonem, hac ſerie:

Vlmo. xiii. ſic Velſ. Cluuerius, ex adfinitate vocabuli putabat *Ilmitz* (*Umitz*) vicum ad Fertonem, latere orientali; ſed menſura ſitum hunc auerſatur. Iordan, qui haec loca dimenſus eſt, *Breitenburg* (chartis *Breitenbrun*) oppidulum, non procul a lacu abſcedens; cui lubentes adſentimur. Moro, apud Timonem, *Bruck* oppidum reſpexit; quod iuſto propius Carnunto videatur. Vlmus, a qua manſioni nomen, Pannoniis *Breſzt* audit; vnde *Breiten* ſit enatum.

Scarabantio. xxv. Velſ. *Scarabantio.* xxv. Hodoeporicon, itinere a Poetouione Carnuntum, *Scarabantia.* xxxviii. occurrit praeterea itineribus a Vindobona Poetouionem, a Sirmio Treueros, a Sabaria Vindobonam. Plinio, oppidum *Scarabantia Iulia.* Ptolemaeo Eraſmi *Σκαραβάντια*, *Scarabantia*; Schotti, et Caeſareo codici, *Σακαρβαντία*, *Sacarbantia*; ſic Italo quoque, qui *Sopron* recte interpretatur. Epigraphae alteram vocalem eiiciunt; Sabariae marmor eſt, in quo MVNICIPIVM FLAVIVM AVG. SCARBANT. in vico *Harkan*, prope Sopronium, M. Fortunatus, ſexuir auguſt. M. SCARBANT. Vinicae, prouincia Varaſdinenſi, Firmia L. F. SCARBANTINA. Diuerſitas expreſſionis orta fuerit ex eo, quod barbaram vocem aures delicatae Graecorum Latinorumque refugerent. Haec loca tenuere Boii, Strabone, Plinio, Ptolemaeo, epigraphis teſtibus, qui, quod diuerſa vterentur lingua, a Pannoniis *Scarbanci* (Skrbanci) ſunt adpellati. Hodie vſque germaniſſare *ſhterbenczati* (*ſhtrbenczati*) dicunt. Vrbs Germanis *Oedenburg*, ceteris *Sopron*, modica, ſed elegans eſt, eo prorſus loco, quo Scarbantia olim ſtabat, aedificata; quam paucis ante annis luſtravimus.

Sabarie. xxxiii. inſignia coloniae; Velſ. *Sabarie.* xxxiii. Hodoeporicon, *Sabaria.* xxxiiii. itinere a Sirmio Treueros; aliis item itineribus, a Vindobona

Poetouionem, a Poetouione Carnuntum, a Sabaria Vindobonam, cum eodem M. P. cenſu. In quibusdam libris, itinere, quod perſequimur, *Sauania*, *Sattaria*, *Sauciua*, *Sauaiuia*, mendoſe; Rauennati *Sauaria*. Plinio, *colonia diui Claudii Sabaria*. Ptolemaeo, *Σαουαρία*, Schotti libro *Σαουάρεια*, *Sauaria*. Hac forma vtuntur marmora; epigraphe domeſtica, Lucius Valerius, DEC. C. C. SAVAR. Romae, L. Septimius, eques, natione CL. SAVARIA. item C. Iulius Florus, domu CLA. SAVARIA. Szolnokii epigraphe acciſa, COLONIAE CL. SAVAER. Albae, in Dacia, Valeria Vſſii fil. CLAVDIA SAVARIA. Hodie quoque Latinis Sabaria, Hungaris *Szombathely*, Germanis *Stein-am-anger*, in tabulis recentioribus vici aut oppiduli imaginem praefert, cum ſit oppidum non inelegans, quod ante hos ſex annos ſeu ob antiquitates, ſeu ſtructuras recentiores, non ſine voluptate luſtrabamus. De fluuio cognomine ſuperius dictum. Tabula videtur expreſſionem vulgi ſecuta *Sabarie* dixiſſe, quae locum vltra iuga ſitum notat. (a) Vicini ſunt ab occaſu montes, qui Pannonios a Noricis dirimebant.

Arrabone. XX. Velſ. *Arrabone* XX. Hodoeporicon, *Arrabone.* XX. in Regio, *Arrabone.* XVIII. Rauennas, *Arauone.* Circiter oppidum *Körmend*, laeua Rabae ripa, manſionem hanc ſtatui debere, Iordanus recte cenſuit. Si directe procedas, M. P. XVIII ſufficient; ſed flexus iuxta ripam factus fuerit, vt bina paſſ. mill. adderentur; niſi traiectum hunc paullo inferius exſtitiſſe velis.

Ad vicesimum. XLIII. Velſ. *Ad uiceſimum.* XLIII. Hodoeporicon, Halicano. LX. Viam heic diuerſam innuunt numeri, et nomina locorum, Tabula in occaſum, Hodoeporicon in auſtrum declinant; Iordanus vtrumque vna proficiſci iubet, quod interualla non patiuntur. *Ad viceſimum* Tabulae eſt oppidum *Radkersburg*, ſeu *Rakasburg*, antiquioribus *Rakelsburg*, in Murae inſula; Halicanum autem, ſeu Helicanum, Hilicanum, vt alias ſcribitur, eſt oppidum *Lindau*, Hungaris *felſö Lendva*, chartis vetuſtioribus *Limbach*, Croatis *gornya Lindava.*

V. In Tabula tractus viae ſignatur ad flumen, quod heic Muram praefert, ſupra Poetouionem, ibique apud ripam deſinit; ſcriba Velſeri tractum viae inde a Sabaria exmiſit, ſine numero XX adpoſito. Lapis hic viceſimus, vt Iordanus quoque obſeruarat, a Poetouione cenſeri debet, menſura conueniente. Erat haec via prouincialis, in ſuperiora tendens; nam in militaribus, quas ſenatus populusque Romanus per magiſtratus curabat, in queis lapides Imperatorum nominibus inſcripti ponebantur, Tabula id genus vocabula non frequentat. Videtur autem heic olim fuiſſe biuium, vno ductu deorſum, Poetouionem verſus, qui deſideratur, altero ad viam Murſanam, qui interruptus eſt, tendentibus. Tam grande porro hoc itinere ſpatium, manſionibus vacuum oſtendit,

---

(a) Zavarhje.

agros hos ab excidio Boiorum incultos fuiſſe, manſiſſeque ad tertium et quartum ſeculum, vt Hodoeporicon idem perhibere videtur.

Petauione. xx. inſignia coloniae; numerus apud Scheibium in ſchedis noſtris deſideratur. Hodoeporicon, itinere a Vindobona Poetouionem, *Alicano.* *in medio Curta. Poetouione.* xxxi. itinere a Poetouione Carnunto, *Halicano.* xxxi. Tacitus *Petouionem* dixit, vocali ſimplice, vt Tabula; in Ptolemaei codicibus varie ſcribitur, *Παταόυϊον*, *Patauium*, *Ποτόβιον*, *Potobium*, *Πετοόυϊον*, *Petouium*, *Ποτόυϊον*, *Potuium*, *Βαιτοβίων*, *Baetobium*, *Πεταόυϊον*, *Petauium*; ſic genio ſuo indulſere librarii. Hodoeporicon, itinere ab Aquileia Sirmium, *Patauione ciuitas.* Burdigalenſe, *ciuitas Petouione.* Ammianus, *Petobionem* dixit; Priſcus *Patabionem.* Epigraphae diphthongo plerumque efferunt; quaedam domeſtica, C. Caeſius Ingenuus, POETOVIONE. Romae, P. Barbius, POETOVIONE. *Klenovnik*, in Zagoria, C. Fauentinus, DEC. COL. POET. apud Fabrettum, quidam Caius, C. F. VLPIA PETOVIONE. vocale ſimplici; epitheton, Graſſani, agro Regienſi, CIVEIS POETOVIONENSEIS. In priore, Vlpia epitheton ſi vrbem adficit, coloniam ab Traiano deductam intelligemus. De ſitu vrbis, et inſcriptionibus egimus in ſpecimine geographico. Hodie Germanis *Pettau*, chartis vetuſtioribus *Petta*, Carniolis *Optuj.*

Curtam, quae in medio ponitur, Iordanus in *Csakovecz*, Hungaris *Tsáktornya*, quaeſiuit, rectius in *Fridau*, *Ormoſd*, quaeſiturus. Sunt eo ab *Lendva* mill. geogr. quatuor, inde Poetouionem duo. Hodie quoque via ex Hungaria per eum tendit agrum. Curta Ptolemaei ad ripam Danubii eſt ab hac diuerſa. Particula *in medio* heic laxius accipi debet, cum hinc xx. inde xi M. P. numerentur. *Tsáktornya*, quod Iordanus putabat, Curta eſſe nequit, quod mill. geogr. quatuor vtrimque xl M. P. efficerent, cum in Hodoeporico ſint xxxi dumtaxat. Haec fuit vnica in mediterraneis Pannoniae ſuperioris, regione boreali, in Tabula via.

VI. Sunt praeterea binae militares, ab Emona et Poetouione in exortum, per ambas Pannonias, hinc Murſam et Taurunum, inde Siſciam et Sirmium ducentes. Primum eam, quae ex Italia Emonam, inde Poetouionem tendit, perſequemur, comite Hodoeporico vtroque; in ea, a Frigido amne, occurrit,

In alpe iulia. xv. Velſ. *In alpe Iulia.* absque numero. Burdigalenſe, ab Caſtris: *Inde ſunt alpes Iuliae. ad Pirum ſummas alpes.* viiii. Pirus haec vico *Hruſhcsicza*, in alpibus, conuenit. Ad ſeptimum inde lapidem, vicus *Alben*, Carniolis *Planina*, Tabulae *Alpis Iulia.* Apud hunc vicum, intra alpes, iam in Pannoniae cenſu, eſt fluuius, qui in auſtrum tendens, montium cauernis ſorbetur, poſt quinque mill. paſſ. decliuo alpium auſtrali, apud *Poſtojna* vicum, emergit. Plures ſunt circa haec loca amnes, rupium cauernis hauſti.

Longatico. v. Velſ. *Longatico.* v. Hodoeporicon, *Longatico manſio.* xxii. a fluuio Frigido. Burdigalenſe, *manſio Longatico.* xii. a Piro. Schoenle-

ben x M. P. legit. Eſt vicus *Logatz*, *Logatecz*, Germanis *Loits*, vetus nomen ſeruans, intra alpes, mox vbi vallis aperitur verſus Nauporti fontes. Apud Haketum *Logatz* a *Planina* remouetur vno et duabus quintis mill. geogr. in chartis aliis id ſpatium contractius eſt aliquantum.

Nauporto. VI. Velſ. *Nauporto.* VI. Itineraria oppidum non adierunt, ſecus amnem *Baurouniſhcza*, aliis *Biſztra*, deinde *Lublanſhcza*, Emonam progreſſa. *Πάμποϱτον*, *Pamportum*, item *Νάυποντον*, *Naupontum*, nouit Strabo, *Ταυϱίσκων κατοικίαν*, *Tauriſcorum coloniam*, adpellans, quo merces ab Aquileia curribus portabantur, inde per fluuium cognominem ad Sauum. Strabo, cum Pamportum fluuio nauigabili adlui, vicinum autem loco eſſe Corcoram amnem ſcribit, (a) obſcuram huius regionis ideam ſe habuiſſe oſtendit. Oppidum norunt Velleius et Tacitus, fluuium Nauportum Plinius. Mannert putat ex eo, quod neutri Hodoeporico memoratur, locum fuiſſe deſolatum; ſed in Burdigalenſi mutationem *ad Nonum* non obſeruauit. Ea ad Emonam ſpectare nequit, quod vrbs a lapide hoc XIII M. P. aberat; quare mutationem hanc ad principium alpium, ſecus montem *Krim*, vbi *Baurouniſhcza* oritur, eſſe oportebat, quam Latini *iocoſam vallem*, Germani *Freudenthal*, Carnioli *Biſztra* vocant, in qua fluuio adſitus locus cognominis, via a Nauporto ad flumen Corcoram, (*Kerka*) et lacum Lugeum ducente; quae in Tabula et Hodoeporico deſideratur. Sane, vrbem commerciis peropportunam ſeruare, populi Romani quam plurimum intererat; neque vlla occaſio, florente imperio, deſolandae eius reperitur; floruiſſe autem, inſcriptiones complures heic repertae oſtendunt. Carniolis *Verhnika*, ad exortum Lublanae, Germanis *Ober Labach.*

Emona. XII. inſignia coloniae; Velſ. *Emona.* XII. Hodoeporicon *Hemona ciuitas.* XVIII. a Longatico. Simlerus ait, in MSS. *Hennona*, aut *Hennonia* legi. Burdigalenſe, *mutatio ad Nonum.* VIII. *ciuitas Emona.* XIII. Plinio, *Aemona colonia.* Ptolemaeo Eraſmi *Ἤμωνα*, *Emona*, Schotti *Ἑμῶνα*, *Hemona.* Epigraphis *Emona*, ſine adſpiratione; apud Fabrettum, L. Optatus Secundinus, IVLIA EMONA. Auguſtae Taurinorum, L. Tettienus Vitalis, natus Aquileiae, educatus IVLIA EMONA. Florentiae, in catalogo militum, C. Veratius Seuerus, EMONA. C. Luſius Lucanus, EMONA. Septimus Caeſernius Seuerus, EMONA. In quadam tamen, regione Sirmienſi reperta, caractere rudi, flumen HEMONA adſpirate. Labacum eſſe, Carniolis *Lublana*, poſt Schoenlebeni conatus, nemo dubitarit. Weſſelingius numerum Hodoeporici XVIII erroris arguit, quod Tabula et Burdigalenſe XX praeferrent; ſed Tabula Hodoeporico conſonat.

VII. Ab Emona duplex iter eſt, in exortum tendens, alterum boreale, Celeiam, inde Poetouionem, tum Murſam verſus, alterum auſtrale, Siſciam petens; illud Hodoeporicon vtrumque conſequitur; hoc ſola ſeruauit Tabula. In illo ab Emona haec occurrunt:

(a) L. IV. p. 207.

Sauo. fl. VIIII. Vesf. *Sauo fl.* VIIII. Apud effluxum Lublanae locus hic fuerit, laeua ripa, vbi fere vicus *Lufsthal*, quo mensura pertingit. Hodie citerius traiicitur Sauus, vicum *Potpesh* versus, interuallo ab vrbe minori, viae circuitu maiori. Burdigalense vno amplius milliari progreditur ad vicum *Doll*, ripa exeuntis *Bisztricza* fluuii laeua, *mutatio ad Quartodecimo*. X. Wesselingius numerum non bene habere censet, quod lapis hic exposceret M. P. XIII. ab vrbe, vt sit Quartusdecimus. Verum is hac solicitudine ab ipso Hodoeporico liberatur, in quo mox Hadrante cum XIII M. P. comparet. In Tabula sequitur,

Ad publicanos. XI. Vesf. *adpublicanos.* XI. *Potpesh* vicus, in antiquioribus chartis *Popets*, quem hodie quoque veredi petunt, prope fluuium *Radomle*, qui Bisztercz am petit in occasum. Haket eo situ argillam notat, loco non expresso. Publicani hi colligebant pecuniam ab iis, qui ex Norico Italiam, commercii gratia, et vice versa proficiscebantur, heic quietem capientes, vt ab telonio sese expedirent.

Adrante. VI. sic. Vesf. Hodoeporicon, *Adrante mansio.* XXV. ab Emona. Burdigalense, mansio *Hadrante.* XIII. a lapide Quartodecimo; addit: *Fines Italiae et Norici.* Mensura Tabulae pertingit ad fontes fluuii *Radomle*, in monte *Dranberg*, vbi vicus *S. Oswald*, Carniolis *Troiane*, chartis antiquioribus *Troia.* Si mensura Burdigalensis non fallit, locum amplum esse oportebat, vt vici duo fere M. P. absorberent, et Quartus decimus lapis apud vicum *Doll*, prope Sauum, censeretur. Erat haec via prouincialis, quae commercii gratia ab oppido hoc curabatur, vt lapides quoque, Emonam versus, obtineret. Tabulae census vsque huc est adcuratus. Si ex hodiernis Carnioliae et Stiriae finibus argumentari liceret, phrasis Itinerarii Burdigalensis, *Fines Italiae et Norici*, Celeiam versus accipienda foret, vt Hadras Pannoniae adscribatur. Secundum fines, quos Norico et Pannoniae, hoc tractu, dedimus, linea a monte *Cserniutz*, supra *Motnike*, *Mötnik*, oppidum, vbi et hodie limes, ad *Sveta Planina*, promontorium, infra Celeiam, duci debet. Auctor Hodoeporici huius loquitur more vulgari, Italiam pro Pannonia vocans; vti historiographorum nonnulli, cum Herodiano, Zosimo, aliis, dicere solent; quod hic Pannoniae angulus, ad Hydriam, et *Golak* montem vsque patens, Italiae proximus, in considerationem non veniebat; qua de re in geographia vberius dictum.

Burdigalense, post Hadrantem, habet mutationem *Ad medias.* XIII. quae circiter oppidulum *Pragwald* fuerit. Inde *ciuitas Celeia.* XIII. in Tabula, Celeia. XXXVII. quod geographis nimium videtur. Veredi ab *S. Oswald.* ad *Cilli* numerant quinque mill. Germ. sex geogr. Haket a monte *Ucsiak*, vbi rudera oppidi veteris, ad vrbem *Celle* mill. geogr. fere septem, idque ductu recto. Si versus *Motnike* oppidum flexit via, vt iuxta *Brid* amnis, deinde *Sann*, ripas progrederetur, numerus is fidem non excedet. Potuit tamen ex vicino itinere

huc transferri. Mannert apud Celeiam fines Italiae ex Burdigalenſi commemorat. De Celeia dictum in Noricis; ſequitur,

Ragandone. XVIII. Velſ. *Ragandone.* XVIIII. Hodoeporicon, *Ragondone.* XVIII. MSS. *Ragundone.* Burdigalenſe, *mutatio Lotodos.* XII. *manſio Ragindone.* XII. Nonnulli, duce Cluuerio, cum veredis viam hanc per Marburgum duci volunt, quod adiuncta non patiuntur. Nam Ragandonis veſtigia in oppido *Ragadecz*, vt Carnioli vocant, ſeu *Rogatecz*, *Rogacs*, Germanis *Rohits*, ſupereſſe, dudum Schoenleben obſeruauit, arguens Cluuerium, qui manſionem Seitzio admoueri voluit. Poſita igitur Ragandone in *Rogadecz*, mutatio Lotodos conueniet cum oppido *Lemberg*, ad exortum riui Sutlam petentis. Apud *Rohits* attolluntur montes, Croatiam ab Stiria dirimentes, aquis acidis celebrati, nomen idem cum oppido ferentes; qui cum ſint fere in meridiano Poetouionis, Ragandonem Pannoniae adſcribi poſtulant; vtrum et *Lemberg* iſthuc referri debeat, dicere non habeo. Certe, vti nos heic vtriusque prouinciae fines ſtatuimus, in Pannoniae potius, quam Norici cenſum, Lotodi veniant, eſt neceſſum. Si Latouicorum, qui hos coluere agros, in vocabulo hoc veſtigia ſunt, citra omne dubium ad Pannoniam ſpectabit oppidum.

Petauione. XVIII. Velſ. *Petauione.* XVIII. Hodoeporicon, *Patanione ciuitas.* XVIII. Burdigalenſe, *mutatio Pultouia.* XII. *ciuitas Petouione.* XII. Medio fere interuallo eſt oppidum *Na Gori*, *Monsberg*, prope *Drana* amnem in *Pulsga* influentem, qui Pultouiae veſtigia tenere videatur. In chartis antiquioribus, ad fluuium Dranam eſt oppidum *Politsan*, ſed longius in occaſum. Et ſane deflexiſſe nonnihil ſiniſtrorſum videtur Hodoeporici auctor, quod ſex mill. paſſ. amplius numerat, quam in aliis habeatur. De Poetouione ſuperius dictum.

VIII. Tabula a Poetouione duplicem habet viam, in boream, Sabariam et Carnuntum vnam, in exortum, Murſam verſus alteram; illa ſuperius deſcripta eſt; haec ad Marinianas, vbi Pannonia inferior habet agros, his manſionibus continetur, Hodoeporico vtroque comite.

Remiſta. X. Velſ. *Remiſta.* X. Burdigalenſe, *Tranſis pontem, intras Pannoniam inferiorem, mutatio Ramiſta.* VIIII. De phraſi hac diximus alias. Pannoniam inferiorem heic dici vulgo, quam Tabula prouinciam mediam, poſteriores Sauiam adpellauerunt, quae a Drauo in auſtrum patebat. Particula *transis pontem*, ſic ſe habet, vt alias *Fines;* vbi non eſt ſenſus, tamquam laeuo latere Draui auctor Hodoeporici vſque vrbem ſit progreſſus, et nunc primum pontem tranſiret; quod via parte illa eſſe nequit; ſed ab vrbe profecturus in exortum, ponte transmiſſo, Pannoniam, quae vulgo inferior dicebatur, miſſo Norico, intras. Nam Poetouionem a nonnullis Norico adſcriptam eſſe nouimus. Remiſtam in agro vici *Babinecz* ſtatui oportere, in ſpecimine geographico, paragrapho ſingulari, oſtendimus. Sunt eo tractu antiquae militaris viae veſtigia vſque hodie conſpicua, quam veredi tenere ſolent.

Aquauiua. x. Vesſ. *Aqua uiua.* x. Hodoeporicon, *Aqua viua.* xx. a Poetouione. Surita, *Aquauiam*, Simlerus, *Aqua via*, legebant. Burdigalenſe, manſio *Aqua viua.* viiii. Manſio haec ab ipſis Aquis, quae Iaſae alias vocabantur, eſt diuerſa, x M. P. in occaſum aeſtiuum ab iis remota, ſolo vrbis *Varasdin* poſita, vt in memorato ſpecimine oſtendimus. Atque his quidem locis, quod ea oculis propriis luſtrare, ac metiri contigit, firmiter conſiſtimus.

Populos. xi. Vesſ. *Populos.* xi. Burdigalenſe, *mutatio Popolis.* x. Rauennas, *Populos;* Weſſelingius, *ad Populos* legi debere putat. Viam ab Varasdino dextra Draui ripa proceſſiſſe, Iordanus recte docuit; quod ripae aduerſae paluſtria viae ducendae importuna eſſent. Interualla ferunt ad viciniam oppidi *Ludbreg*, *Lubreg*, chartis *Ludbringi*, in quibusdam vetuſtioribus *Iabrino.* Populus, quae huic mutationi dederit nomen, *topola*, item *jagnyed*, Pannoniis audit.

Botiuo. viii. Vesſ. *Botiuo.* viiii. Hodoeporicon, *Iouia.* xviii. in Lugdunenſi vulgato, *Louia.* Burdigalenſe, *ciuitas Iouia.* ix. Ex aduerſo *Legrad* oppidi eſt campus *Gradiſhte* nuncupatus a ruderibus ciuitatis antiquae, in quo campo eſt vicus *Botovo*, vetus Tabulae nomen conſeruans, quod Diocletianus in Iouiam mutarit, vt recte Weſſelingius exiſtimat. Mannert, *St. Eliſabeth*, ab Varasdino in exortum, eſſe putat, profeſſus, ſe tabulis idoneis, quoad haec loca, deſtitui; ſed cum Bononiam Ptolemaei huc refert, et Botiuum Tabulae ex Bononia corruptum ait, mea opinione, extra oleas vagatur. Rectius ii cenſent, qui Bononiam Pannoniae inferiori adſcribi debere inquiunt, ab coſmographo, vt plura, iſthuc perperam translatam. Id cuipiam heic in mentem venire poſſet, cum Iouia in Tabula quoque paullo inferius occurrat, ſeriem in ea turbatam videri. Ego puto, Iouiam ibi recte conſiſtere, nomenque eius poſteriori aeuo iſthuc translatum. Chartae vulgares ſunt hoc tractu omnes mendoſae; nos ad ſitum locorum terminandum manu exaratis vtimur.

Sonista. viiii. Vesſ. *Soniſta.* viiii. Burdigalenſe, *mutatio Suniſta.* ix. Rauennas, *Soniſta.* Numeri a Botiuo ducunt ad amnem *Raſzinya*, et vicum *Ivanczi*, vbi circiter Soniſta conſtiterit.

Piretis. xii. Vesſ. *Piretis.* xii. Burdigalenſe, *mutatio Peritur.* xii. in Voſſiano Hodoeporici MS. *Pirri;* vnde Haſius *Pyrrhi* fecit, cum alia manſione, itinere a Poetouione Siſciam, committens; quod nonnulli praeterea ſunt ſecuti. Pireta haec a piris olim nuncupata, in vrticas deſiere poſtmodum, hodie populo Illyrico *Koprivnicza*, Hungaris *Kaprontza*, Germanis *Kopreinitz*, oppidum aeuo medio clarum. Danuille *Pirrhi* itinere Siſcienſi, apud tres Reges, ſignat, noſtrae manſionis oblitus; neque Mannert piris, quorum haec patria fertilis eſt, veſci voluit.

Luntulis. xi. Vesſ. *Luntulis.* xi. Hodoeporicon, *Lentulis.* xxxii. in Regio, *Siniotalentulis;* in Lugdunenſi edito, et nonnullis ſcriptis, *Hic ſiniſtra*, deinde Lentulis; quod, Weſſelingio iudice, *iter in partem ſiniſtram flecti*,

indicet. Burdigalensi, *mansio Lentolis.* XII. Rauennas, *Lentulis.* *Λέντουδον*, *Lentudum* Ptolemaei, quasi *Λέντουλον* scriptum fuerit, huc referri Wesselingius putat; vnde Mannert, his omnibus vna iunctis, Legradum, quod reliquimus, interpretatur. Danuille, particula *Hic sinistra* motus, *Lentulae* in Draui sinistra notauit, situ oppidi *Breznicz.* Via a *Koprivnicza* per oppidum *Gyurgyevacz* ducit, cui ex intervallo Lentuli, rectius forsan, quam Lentulae, aut cum Mannerto Lentula, respondeant.

Iouia. VIII. Vess. *Iouia.* VIII. Burdigalense, a Lentulis, *mutatio Cardono.* X. Wesselingius, Ptolemaei Carrodunum huc pertinere censet; neque Mannert longe abest, cum Carrodunum Serotam inter et Bolentium statuit. Nomina locorum, et interualla viae diuersitatem innuunt. Tabula rectam tenet; Hodoeporicon in austrum flectit; vt particula *Hic sinistra* monstrare videtur. Cardonum proinde erit *Belovár*, militiae nationalis praetorium; Iouia Tabulae *Gradacz* oppidum; illud in mediterraneis Pannoniae superioris; hoc ripam versus, in prouinciae finibus. Heic enim mons *Megyurecska*, ab Drauo in austrum, ad Kutinyam, Kralyevam Velikam, et Vunnae effluxum tenditur, qui olim Pannonias diuiserit, communis hodie Slauoniam inter et Croatiam terminus. Reliqua huius itineris loca dicemus in Pannonia inferiore.

IX. Superest iter ab Emona Sisciam, quod in Hodoeporico inscribitur, *ab Hemona per Sisciam Sirmi.* Tabula plures habet, pro consueto mansiones, hac serie:

Aceruone. XVIII. Vess. *Aceruone.* XVIII. Plerique geographi, Schoenlebenum secuti, iter hoc prope Saui ripam, per agrum Gurkfeldi et Zagrabiae duci volunt; quod Romula, hoc itinere et Seniensi occurrens, non admittit. Nos iter hoc per agrum Carlostadii duci oportere censemus, quo Aceruoni oppidum *Vishna gora*, Germanis *Weichselburg*, respondeat, per quod via hodie quoque Carlostadium tendit. Geographi iuniores mansionem hanc ignorant.

Ad protorium. XIIII. insignia municipii; Vess. *Ad protorium.* XIIII. Wesselingius, ex Tabula, *ad Protonium* legit. Hodoeporicon, *Praetorio Latouicorum.* XXXIIII. Simlero, *Praetorio Latumuicorum*, vel *Lato vicorum;* in Regio, *Latouicorum.* XXXI. *Λατόβικοι*, *Latobici*, populus Pannoniae superioris, memorantur Ptolemaeo, sed eius Praetorium huc non spectat, vtpote Siscia orientalius. Moletius *Prodanich*, *Prodavich*, forsan *Poganich*, prope *Rudolphswerth*, Carniolis *Nou mestu*, in cosmographo interpretatus, Hodoeporici iter hoc respexerit. Alii, Schoenlebenum secuti, ad ripam Saui, in *Ratsah* aut *Lythia*, chartis *Radschach*, *Lythay*, Praetorium quaerunt. Nobis *Seisenburg*, vulgo *Seissenberg*, Carniolis *Shushenberg*, (*Zsuzsenberg*) laeua Gurkae amnis ripa, quam iter hoc tenuisse arbitror. Haec erat princeps Latouicorum ciuitas, qui boreali quoque Saui ripa agros tenuisse videntur, vt itinere Poetouionensi dicebamus. Erat etiam deus *Latobius*, ab hoc populo cultus, quem alias memorauimus. In chartis antiquioribus regio haec *Windisch Mark* nuncupatur,

perperam a Lazio, Hirſchvogelio, aliisque in exortum ad Croatas et Slauonios promota; niſi eo ſenſu, quo Dalmatia eodem tempore Slauoniae vocabulo veniebat. Adeo aetatis illius geographiam deſideramus.

Crucio. XVI. Velſ. *Crucio.* XVI. Eſt oppidum *Tserneml.*, Carniolis Csrnembl, vetuſtioribus chartis *Cservenibl*, ad confluxum Doblicsicae cum Lavina, vt hos amnes Haket ſignauit; cuius tabulae, ſi aſtronomicum obtinerent rigorem, iure omnibus praeponi deberent. In charta Hirſchvogelii, hoc ſitu, *Kruck* oppidum comparet, et vicina huic *Greicz* et *Altengreicz:* quae ſi bene habent, ſitum Crucii eximie monſtrant. His reſpondeant hodierna loca *Gradecz*, *Goricza*, *Creutz*, circa Kupam fluuium conſpicua. Crucium hoc geographiae veteri ignotum erat.

Nouiodum. XVI. Velſ. *Nouiodum.* XVI. Sic etiam Kleiner apud Scheibium ſcripſit, quod *Nouioduni* legas; niſi populari expreſſione auctor Tabulae vti voluit. Hodoeporicon, *Nouioduno.* XXXI. a Praetorio. Suritae, *Nouiodunum;* Weſſelingio, *Noui duno*, qui, Schoenlebeno duce, ad confluxum Gyurkae et Saui fuiſſe putat; quos Danuille, aliique ſequuntur. Nouidunum Ptolemaei eſt Neuiodunum lapidum, infra *Gurkfeld;* de quo in ſpecimine geographico actum; hoc autem Hodoeporici et Tabulae Nouiodunum eſt oppidum *Novigrad*, ad amnem Dobram, Colapim petentem, nonnullis recentiorum *Neuſchlos*, vbi veredaria via a *Weichſelburg* exit; antiquioribus *Novigrad*, *Novigradecz;* quae vox prorſus idem ſignificat hodie Croatis, quod eorum maioribus olim *Novi dum.*

X. **Romula.** X. Velſ. *Romula.* X. Hodoeporicon, itinere ab Senia Siſciam, *Romula;* quam eſſe eamdem, oſtendit Quadrata ſequens, cum pari vtrobique interuallo. Numeri ducunt Carloſtadium, vrbem ſic ab Carolo Auſtrio dictam, an. 1579 in ruderibus oppidi veteris aduerſus Turcas exſtructam; quae idcirco in chartis vetuſtioribus non comparet, ſed vicinum oppidulum *Dubovacz*, Hirſchvogelio *Dowowacz*, ſitu iucundo, ſub monte, ad ſecundum in occaſum ab vrbe lapidem. Heic concurrunt viae hodie quoque ab Senia et Emona procedentes. *Dubovacz* ſignificat locum arboribus conſitum; forſan lucus olim erat, Numini cuipiam ſacer, vt Romulam dicerent Latini. Mannert Romulam non nouit.

Quadrata. XIIII. Velſ. *Quadrata.* XIIII. Hodoeporicon, itinere Aemonenſi, *Quadrata.* XXVIII. a Nouioduno; Senienſi, *Quadrata.* XIIII. a Romula. Simlero, *Quadrata*, vel *Quadranta;* Surita quoque ſic reperit, tamen ex aliis itineribus *Quadratum* legi vult; quem ſequitur Danuille. Weſſelingius *Quadrata* neutro, vt caſtra intelligantur; cum et femineo recte dici queat. Vetus via, quae hodie militari manu reſtituta eſt, auſtrali Kupae regione progreditur, ad oppidum *Vojnich*, quod ex interuallo Quadratis reſpondet, ipſa voce id etiam expoſcente; caſtra quippe Pannoniis antiquis *Vojna* dicebantur, et hodie exercitum id vocabuli notat. Medio prope ſpatio eſt vicus *Szteniſhnyak*, in quo veſtigia habitationis antiquae forſan ex aeuo medio, reperiuntur; neque enim mihi agrum hunc videre contigit. Paullo ſuperius, laeuo Kupae latere, vbi

Degaj vicus in chartis recentioribus, Schraembel ex Danuille *Augustana* ponit, forsan castra intelligens Quadrata; nulla enim heic Augustana nouimus; et ipse in tabulis veterem orbem exhibentibus nihil ad Colapim signat.

Ad fines. XIIII. Vels. *Ad fines.* XIIII. Hodoeporicon, itinere Seniensi, *Ad Fines.* XIIII. Numeri ad oppidum munitum *Glinam*, cognomini fluuio adstitutum, pertingunt, quatuor paruis horis a priore dissitum, in mediterranea a Colapi recedens, bellis aduersus Turcas clarum. Prope exitum Glinae, apud *Gora* vicum, lapis milliarius est repertus in via veteri, cuius epigraphen obtinere nequiui. In quibusdam chartis recentioribus *Glina* quaedam laeuo Colapis latere visitur, via per eum agrum ducta; quae in tabula Haketi secus notata comparent, in qua viae quoque diligenter signatae conspiciuntur. Sed quales hos Fines fuisse putabimus? Danuille Illyrici, id est Liburniae et Dalmatiae, arbitratus est, vt ex chartis eius colligere licet. Alii Iapodum intelligunt, qui huc vsque non pertinebant, vtpote gens alpina. Mihi Fines hi videntur prouinciae *Mediae*, vt Tabula nuncupat, seu Sauiae, vt postea dixere; quos Tabulae auctor apud Verbasum amnem repetit; vt hos inter binos amnes regio, quam Breuci olim tenuere, Sauiae nomen *κατ᾽ ἐξοχὴν* habuisse videatur, quod vsque persistit.

Siscia. XX. insignia coloniae; Vels. *Siscia.* XX. Hodoeporicon, *Siscia.* XXI. a Finibus; itinere alio, *Siscia.* XXVIIII. ab Quadrata. Via ab oppido Glina procedit secus ripam cognominis fluuii dextram, prope ad exitum, inde in exortum flectit, ad vicum *Gora*, vbi lapis milliarius repertus, quem nosse desideramus. Venit vrbs *Petrinya*, ripa Colapis dextra, et ad sesqui mill. geogr. *Sziszek* oppidum, in ruderibus vrbis antiquae; quam in specimine geographico descripsimus. Haket viam hanc adcurate notauit, quatuor *mill.* geogr. ab Glina censens, quod est interuallum sincerum. In charta Croatiae, ab Artariensi societate edita, Glina fluuius apud Petrinyam effunditur in Colapim. Id genus sphalmata in eo eleganti opere complura offendas. Mannert situm Sisciae non nouit, cum ab Odra ad Sauum fossam a Tiberio ductam ait, quod Cassius Dio non adferebat. Primus vrbem nominauit Strabo, de situ obscure locutus, quem ex Octauiani commentariis nosse poterat. Neque Appiano omnia fuerunt liquida; Dio locum oculis spectasse videtur. Odra est fluuius modicus, cuius rationem veteres non habuerunt; *Corana* est nobilior, qui sit Strabonis Noarus, vti Renus Drinus; quorum alter in Colapim, apud Carlostadium, alter in Sauum apud Sirmium effunditur. Colapim et Corcoram Strabo recte nouit. De vrbe Siscia, quantum satis erat in specimine memorato diximus.

XI. Ab *Sziszek* via vetus, traiecto Sauo, in exortum aestiuum ducit, agro *Sztrusecz* vici orientali, versus oppidulum *Oszekovo*, quatuor horis ab *Sziszek* distans; inde in exortum processit. Hoc itinere, in Hodoeporico, est mansio *Varianis.* XXIII. Cellarius cum nonnullis vult, ab T. Vario Clemente, cuius in epigraphis fit mentio, locum esse adpellatum; quae opinio incertis

adſcribitur; potuit enim manſio aliunde nuncupari. Latinam eſſe vocem, nemo dubitat; incolae ſecus adpellarint. Reſpondet manſioni vicus, olim oppidis adnumeratus, *Oſzekovo*, ſitu non iniucundo, campis Sauum vſque patentibus, in Pannoniae ſuperioris, quam *Megyurecska* mons, quem vulgo Claudium dicunt, ab inferiore dirimebat, finibus. Sequentia Hodoeporici loca in Pannonia inferiore dicemus.

Tabula dextram Saui tenuiſſe videtur vſque Marſoniam, quod eſt Brodium; ibi enim, traiecto amne, Cibalim verſus procedit. Siniſtra quippe Saui ripa eſt hoc tractu vliginoſa et eluuionibus expoſita, dextra nonnihil elatior, et itineri faciundo magis idonea. Hac non proceſſit Hodoeporicon ab Siſcia, ſed ab Sirmio per Seruitium Salonas in Dalmatiam. Tabula ab Siſcia habet,

Ad pretorium. absque numero; inſignia municipii. Elegans ſtructura tetragona, aedificia cum muro vrbano exhibens; vt praecipuum hac regione locum fuiſſe putes. Numerus ab ſcriba feſtinante ſit idcirco exmiſſus, quod idem erat cum ſequenti xxx. Adcurate enim, in charta Haketi, ab *Sziſzek* ad *Dubiczam*, via veteri refecta, ſex mill. geogr. cenſentur. Ptolemaei *Πραιτώριον*, *Praetorium* huc pertinere, Danuille iam cenſebat, cum id apud Kralyevam Velikam poſuiſſet, qui hodie pagus eſt, nulla Romanae habitationis veſtigia praeferens. In coſmographi numeros latitudinis irrepſit mendum, oppido vno gradu borealius poſito; vt Mannert quoque obſeruat, qui de numero etiam Tabulae recte hariolatus eſt; ſed cum Praetorium Hodoeporici, apud Picentinum memoratum, iſtud eſſe arbitratur, viam deſerit; longe enim a campo Poſſegano abſumus. *Vuna* fluuius, chartis *Unna*, cui hinc *Dubicza* Croatica, inde Turcica adſiſtunt, terminus hac parte Pannoniarum erat, et inde a medio aeuo Boſnios ab Croatis dirimebat, quem Plinii Valdaſum, ſeu Valdanum eſſe puto, quem is cum Vrpano ad Sauum memorat. Mirum enim foret, nobilis fluuii, et Pannoniarum termini, a nullo veterum fieri mentionem. Lazio, apud Ortelium, *Dubitza*, Hirſchvogelio *Dublicza*, dextro Vunnae latere, ſtatuitur. Quae ſuccedunt loca Tabulae, in Pannonia inferiore dicentur.

§ IV

Oppida, manſiones in Pannonia inferiore.

I. IN ripa, quam primum ſequi libet, Tabula cum Hodoeporico progreditur, non vno loco laboranti auxilio futura. Cum enim id vſu magis frequentaretur, a ſcribis aeui poſterioris, qui locorum antiquorum ſitum ignorabant, foede corruptum ac deprauatum eſſe, Weſſelingius ipſe non vno fatetur

loco; qui vir, vti erat ad hoc argumentum persequendum eximie paratus, si Tabulam, vt Itineraria, illustratum isset, Hodoeporico Antonini, pluribus locis aegro, remedium adlaturus erat. Post Arrabonem fluuium, quo Pannoniam superiorem Ptolemaeus terminari dicebat, legitur in Tabula,

Brigantio. XXX. insignia municipii; Vels. *Brigantio.* XXX. Hodoeporicon, *ad Mures et ad Statuas in medio. Bregetione. Leg.* I. *Adiut.* XXX. *Györ* inter et *Szöny* sunt bina loca, *Gönyö* et *Áts*, queis Statuae et Muri seu Mauri conueniant. Ptolemaeo Erasmi *Βρεγαίτιον*, *Bregaetium*, Schotti *Βραιγέτιον*, *Braegetium*, Caesareo *Βραιγαίτιον*, *Braegaetium*, diphthongo gemina; qui cum ad Arabonis effluxum statuit, Danubii alueum alteri iunctum intelligi voluerit; qui situs vrbis apud *Szöny* oppidum est adcuratus. Erasmi numeri sunt deprauati, secundum quos vrbs in mediterranea cadit. Alii quoque in adpellando loco variant; Ammianus *Bregetionem* et *Bregitionem*, Victor *Bergentionem*, Socrates *Bergitionem*, Notitia *Bregetionem* vocant. In marmore domestico, Dromo et Hylax canes molossi, BREGETIONE centum sestertiis emti; in alio, Septimio Seuero BREG. Bregetionenses posuerunt. In columnis milliaribus, A BRG. vocali absorpta, expressione populari. Tatae, MVN. BRIG. F. C. municipium Brigantium Aurelio Antiochiano monumentum fieri curauit. Albae, Dignius Secundinus, augur M. BRIG. et in quodam domestico, Cusius Gallistio, Q. AVG. M. B. augur municipii Brigantii. Hodie *Szöny*, paene vicus, ruderum plenus.

A Brigantio, Tabula compendium secuta, missa ripa, per mediterranea progredi per vicos *Galla*, *Borov*, et *Bihaly*, Iordano videtur; sed is Hodoeporico cum Tabula sumto verum locorum situm deprehendere nequiuit. Nobis hoc loco Tabula curae est, quae ab Hodoeporici via non longe proficisci videatur. Sane, si viarum antiquarum, quae vestigia ostentant, rationem habeas, per auia quaedam procedere non licebit. Videamus.

Lepaui fl. V. Vels. *Lepauist.* V. Sic etiam Mannert legit, quem iter ingredi pigebat. Iordanus Lepauin putabat esse fluuiolum ab Tata decurrentem, cuius e Marsilo meminimus, quem infra Tatam auctor Tabulae traiecerit. Sed oppidum hoc abest in austrum longius, quam vt huc facere queat, quod alio itinere inuisemus. Est fluuiolus alter, qui ora paludis illius orientali, prope *Neszmély*, transiens Danubium petit; hunc Tabula Lepauin adpellarit, qui tum forsan magis praecipuus erat, quam ille apud *Szöny*. Hodoeporicon, a Bregetione, *Azao in medio*, quem locum Neszmelio conuenire putant; quamquam is medio quidem itinere non consistit. Alii volunt Azaonem ad *Almás*, in ripa situm, referri. Quidquid de hoc censeas (terminari certo nequit) Lepauim ab *Neszmély* auellere non licebit.

Gardellaca. XIII. Vels. *Gardellaca.* XIII. Hodoeporicon, *Crumero.* XVIII. Ptolemaeo, apud flexum Danubii australem, *Κόυρτα*, *Curta*; hodie *Kuraly*, oppidum duo mill. geogr. ab *Neszmély* remotum. Ad alterum inde lapidem

insignia Romanae habitationis vestigia, apud *Neudorf* oppidum, Hungaris *Nyerges új-falu*, conspiciuntur; vbi Curta Ptolemaei, quae ab armentis, id est, a pecudum commerciis, *Gardellaca* plebi, postea *Crumerum* est nuncupatum, constiterit. Sane, Crumerum et Gardellacam eumdem esse debere locum, viae ratio et interualla poscunt; Curtam autem positio cosmographi, et hodierna loci adpellatio *Kuraly*, Schraemblio *Curti*, heic statui debere volunt. Mannert huius itineris non meminit, cum apud Aquincum ponit Crumerum.

Lusomana. XIII. Vess. *Lusomana.* XIII. Hodoeporicon, *ad Lacum Felicis in medio.* Regium exemplar, *A lacum felicis in medio;* plerique scripti alii, *A laco felicis in medio*, etiam Wesselingio teste. Et Regius quidem codex M. P. XXVI. ab Aquinco, vt Tabula, vno minus, censet; reliqui XXXIII. Numeri Tabulae ducunt ad patulam vallem Dorogensem, in qua columnae milliariae, apud vicum *Csiv*, paucis ante annis sunt repertae, quas in epigraphica recensemus. Quare, si Lusomana Tabulae heic exstabat, et hunc *in medio* locum Hodoeporicon intellexit, proximum vero videri, olim *ad Lucum Felicis* in eo scriptum fuisse, qui popularibus siluestris habitationis nomine veniebat. Saltus enim heic sunt, nulli lacus; vt Cl. quoque Schoenuisner αὐτόπτης testatur; qui si Tabulam Hodoeporico sociam adhibuisset, facile e lacu lucum facturus erat. Quaedam vocabuli vestigia in vicino *Pilish* oppidulo, quod ante celebrius erat, a quo prouincia nomen accepit, et montes *Pilishienses* hodieque nuncupantur, superare videntur.

II. Aquinco. XII. Vess. *Aquinco.* XII. insignia coloniae. Hodoeporicon, *Acinco. Leg. II. Adiut.* XXVI. ab Crumero; in Regio, et pluribus apud Suritam, *Aquinquo.* Numerum ex Regio exemplari accepit Surita, probante Wesselingio, et Tabula. Proinde non erat, cur Cl. Schoenuisner in stabiliendo XXXIII Acincum inter et Crumerum numero tantum operae insumere debuerit, cum XXVI omnino sufficiant. Sunt enim ab *Neudorf* ad *Dorog* duo mill. germ. ab *Dorog* ad *Leányvár* vicum vnum; hoc spatio procurrit vallis. Inde via veteri breuiore ad Aquinci vestigia duo; vniuersim quinque mill. germ. seu M. P. XXV. vt in Tabula; Hodoeporicon vno amplius censet. Ptolemaeo, qui primus meminerit vrbis, Ἀκόϋγκον, *Aquincum*, Schotti libro, et Caesareo codici, Ἀκόυϊνκον. etiam epigraphis Aquincum; in marmore Romano, Iulius Iulianus, domo SEPT. AQVINCI. *Septimii Aquinci*, pro Septimio Aquinco; in Budensi, Aurelius Audentius, curio R. P. AQVI. reipublicae Aquinci; in pluribus COL. AQ. in cippis milliaribus AB AQ. in quodam Albensi, ordo AQ. et duumuiri M. EIVSDEM. municipii Aquinci; qui lapis ante Seuerum positus fuerit, quod ab eo Imperatore vrbs coloniae iura obtinuit. Scriptoribus postea Acincum, vitiose; ab aquis enim *Aquincum* Latinis, vti *Buda* indigenis, vrbs nuncupationem accepit. Ex hoc etiam incolarum veterum originem agnosce. Aquincum esse Budam, Simlerus, antiquiorum exemplo, iam docuit, ad Hodoeporicon; quod postea Marsilius, Iordanus, Wesselingius, Danuille, alii sunt amplexi.

De re antiquaria vrbis nemo praeclarius ſcripſit Schoenuiſnero, opere duplici, altero Caldario, altero Itineris per Pannoniae ripam nomine inſcriptis; ex quorum lectione me plurimum profeciſſe, gratus, dum viuam, profitebor.

Vetuſallo. XIIII. Velſ. *Vetuſauo.* XIIII. Hodoeporicon, *Vetuſſalina in medio Matrica.* XXVI. *Campona in medio Acinco.* XXIII. in Regio, *Campona in medio Aquinquo.* XX. Mannert putat, in Tabula pro XIIII legi debere XLIII. ſeu XLIII. qui cum Vetusſalinam ex Schoenuiſnero *Ercſin* interpretatur, errat; is enim Adonium eſſe docuit, et nos ipſum ſecuti firmauimus. Schoenuiſner in agro Ercſinenſi, Budam verſus, Matricam, in Promontorii ſolo Camponam ſtatuit; qua de re alias dictum; Tabulam videamus. A Buda veteri *Adony* vsque, Romana via, ſecus Danubium, cenſentur mill. geogr. ſex, id eſt, M. P. XXX. Quare, ſi *Adony* eſt Vetuſſalina, et in Tabula nihil deſideratur, cubabit in numero mendum. Nam ad quartum decimum ab Aquinco lapidem nullus reperitur locus, ſed columna milliaria Seuero Alexandro inſcripta, vno infra *Tetiny* oppidum horae quadrante, ad viam veterem, lapide ſtratam, reperta. Sin M. P. XIIII bene habent, manſio vna, cum numero, iniuria temporum, periit; quod mihi vero ſimilius videtur altero. Periit autem Matrica cum M. P. XX. ab Aquinco, quae ſolo *Ertsini*, numeris in Regio conuenientibus, exſtiterit. Vetuſſalinarum in *Adony* ſitum habemus probatum. Ptolemaeus, *Σαλίνον*, Salinum; plerique Suritae libri *Vetuſſalinas*, etiam Veſſelingii *Salinas* praeferunt; is tamen, *Vetus Salina*, inquit, manſio adpellata videtur. Tabula, militarem exprimendi vſum ſecuta, per ſyncopen *Vetuſallum* dixit, neutro, vt Ptolemaeus. Epitheton *vetus* oſtendit loci antiquitatem, quam etiam viae militaris veſtigia, opera figlina, lapides epigraphici, numi, abunde teſtantur.

Annamatia. XXII. Velſ. *Annamatia.* XXII. Mannert, *Annamatta*, absque interpretatione. Hodoeporicon, *Annamatia in medio Intercisa.* XXVI. Surita legit XVI. qui numerus ad Matricam ſpectet; idem, in Regio, *Annamatia*, in reliquis *Anamatia;* in vetuſto Notitiae exemplari, *Adnamantia;* apud Graeuium, *Ad Nammantia.* In marmore quodam Velencenſi, itinere Albam Regiam Buda ducente, Aueta *Adnamati* filia; quod nomen alias quoque in epigraphis legitur. In chartis melioribus, *Pentele* ab *Adony* tribus mill. geogr. *Földvár* a *Pentele* duobus et duabus quintis abeſt; noſtra obſeruatione, ibi M. P. XI. heic XIII cum ſemiſſe, cenſentur; quare *Pentele* Intercisa, *Földvár* Annamatia erit, vt alias monſtramus. Iſthic autem particula *in medio* itineris dimidium ſignare nequit, neque locum mediterraneum; quod omnia haec oppida ſunt ad ripam Danubii, impari ab ſeſe interuallo disiuncta.

III. Luſiene. XV. Velſ. *Luſione.* XV. Hodoeporicon, *Luſſunio.* XXIIII. ab Intercisa; in quibusdam Suritae, *Luſſimio.* Notitiae, *Luſſonio;* Ptolemaeo *Λουσσόνιον*, *Luſſonium.* Iam Simlero *Pax*, *Pakſh*, eſſe videbatur; Mannert tamen circa *Földvár* tergiuerſatur, Schönuiſnero, quem ſequi debebat, male reiecto. In chartis melioribus cenſentur mill. geogr. duo cum tribus quintis;

noſtra obſeruatione ſunt M. P. x. Vt adeo ab Interciſa non amplius xxiiii M. P. vt in Hodoeporico, numerentur, qua hodie, per arenam, via impedita, a Földváro ducit. Tabula ripam Danubii ſecuta fuerit; nuspiam enim heic in mediterraneis viae autiquae comparent veſtigia. Itaque V. M. P. amplius numerauit, ſed commodius pone ripam progreſſa. *Luſio* Tabulae adcuratius populari expreſſioni, ſilueſtrem locum notanti, quam Luſſunium aut Luſſonium, reſpondet.

Altaripa. x. Velſ. *Altaripa.* x. Hodoeporicon, *ad Statuas in medio Aliſca ad latus Ripa alta.* xviii. Simlerus iam *Tholna* interpretatus eſt; alii alio concedunt, quorum opiniones in geographia recenſemus. Mannert Pakſio adhaeret. *Tolna* oppidum a Paks duobus mill. geogr. remouetur in chartis melioribus; quod interuallum Tabula exhibet. In quibusdam recentioribus ſesqui milliare, in aliis tria cum quatuor quintis; quae menſura diuerſitatem viarum indicat, et nos xvii M. P. numerauimus; cum ratio geometrica duo milliaria expoſcat. Aliſcam Hodoeporici Szekſzardo, ad Statuas Várdombo admoueri oportere cenſemus.

Lugione. xxii. Velſ. *Zugione.* xxii. Hodoeporicon, *Altino in medio Lugione.* xxviiii. quidam Suritae xxxviii. Regius, *Altino in medio Lagione;* alii *Legione;* Voſſianus, *Altino in dio Legione.* Simlero, *Legione* vel *Lugione, Butha*, *Bata* dicere volebat. Ptolemaeo, *Λουγίωνον*, *Lugionum.* In chartis melioribus *Szekſzard* ab *Tolna* mill. geogr. duo, *Bátaſzék* duo abſcedit. Plerique cum Iordano Lugionem heic ſtatuunt; ſed vlterius quaeri debet. Iordanus ab *Tolna* vſque *Szektsö* numerauit M. P. xxix. nos xxiv. Chartae pleraeque ſecundum interualla viarum progrediuntur. Reapſe a *Tolna* vſque *Szektsö*, ripam Danubii legendo (hodie quippe flexus ſiunt) deprehenduntur quatuor mill. geogr. cum duabus quintis, ſeu M. P. xxii. vt in Tabula. Lapis milliarius, prope *Bátaſzék* repertus, ſi numerum exhiberet, certiora dicere poſſemus. Hodoeporicon diuerticula ſequendo vii M. P. amplius numerauit. Priſcae habitationis veſtigia non pauca viſuntur vſque hodie; partem maiorem Danubius rapuerit. *Bátaſzék* ad *Sárviz* fluuii, non autem Danubii, ripam conſiſtit.

Antiana. xii. Velſ. *Antiana.* xii. Hodoeporicon, *Ad Nouas et Aureo monte Antianis.* xxv. in Regio. xv. Occurrit haec manſio praeterea, itinere mediterraneo, a Sirmio Treueros, et ab eadem vrbe Carnuntum. Hoc poſtremo itinere, numerus xxx M. P. a Sopianis, cum altero a Lugione, *Baranyvár* oppidum Antianis reſpondere innuit; vt dudum Salagius, *νῦν ἐν ἁγίοις*, egregie monſtrauit. Abeſt *Baranyvár* ab *Szektsö* quatuor mill. geogr. cum duabus quintis: vt in Tabula denarium excidiſſe putes; niſi manſio quaepiam ſit exmiſſa, quae ſolo Mohátsii conſtiterit, xv M. P. a Baranyváro abſcedentis, qui cenſus in Regio conſpicitur. Forſan Nouae iſthuc quadrabunt, aut Altinum potius, quod Nouae Murſam verſus ponuntur, de quibus dictum alias. Baranyvár a ripa Danubii abeſt mill. geogr. tribus, tamen *in medio* particula non comparet.

Donatianis. XII. Vesſ. *Donatianis.* XII. Mannert apud *Darás*, vetuſtioribus chartis *Drazáth*, longius ab itinere noſtro in exortum, quaerit. Nobis eſt vicus *Laſkó*, Illyriis. *Vlaſhovo*, olim ad ripam Danubii, a quo hodie non minimum abſcedit, ſitus. Hodoeporicon ab Antianis Murſam petit; Tabula Danubii ripam perſequitur.

Ad labores. XIII. Veſſ. *Ad Labores.* XIII. Nonnulli manſionem hanc cum altera cognomine, Murſam inter et Cibalim, exemplo Iordani, committentes, apud *Szarvas* vicum, prope dextram Draui ripam, quaerunt; alii apud Cibalim, tamquam ea vox bellicos labores deſignet pugnae Conſtantini aduerſus Licinium. Nos *Nemetin* locum, hodie deſolatum, et in agros, hortosque conuerſum, interpretati ſumus, ripa Draui dextra, ad tertium a Murſa in exortum lapidem. Poſſunt hi labores intelligi tempore Tiberii, cum Pannonios Breucis iunctos, Seuerus Moeſiae praeſes, apud Drauum adſecutus cecidiſſet. Neque enim phraſis haec ad Conſtantini aetatem referri poteſt. Situs agri huius ſexdecim annorum ſpatio, in vicina vrbe degentibus, ob oculos erat. Imago itineris huius aetatem Hadriani, qui Murſae coloniae iura contulit, ſuperare videtur.

IV. **Tittoburgo.** XIII. Veſſ. *Tittoburgo.* XIII. Weſſelingio, *Tithoburgo.* Mannerto *Tittoburgum.* Hodoeporicon, *Teutiburgo.* XVI. a Murſa. Menſura eſt adcurata, ad oppidulum *Borovo* ducens, cuius agro, ad ripam Danubii, exſtant veteris habitationis reliquiae, quas nemo geographorum nouit, quia nemo vidit. Antiquioribus *Baroth*, *Bore*, Hirſchvogelio *Woroch.* Ptolemaeo, *Τευτοβούργιον*, *Teutoburgium.* Simlerus, ad Hodoeporicon, *Teutiburgo*, vel *Tentiburgio;* Regius codex *Theutiburgo;* reliqui apud Suritam *Teutiburgio.* Notitiae, *Teutiburgio*, *Teutiborgio*, in ducis inſignibus, *Teutiborgus.* Vtrum a Teutonibus, qui heic in ſtatione fuerint, nuncupatum, quod Weſſelingio et nonnullis videtur, incertum; praeſertim ſi Tabulam audias. Forſan ab Tito, in victoriae aduerſus Pannonios memoriam, praeſidium heic poſitum erat. *Πύργος* autem graecum eſt, Latinis ad munimenta vſurpatum; vnde Germanicum *burg* exortum. Secus Quadriburgia etiam, quae plura in Pannonia exſtabant, a Germanis condita cenſebis. Geographi plerique, Ptolemaei poſitionem preſſe ſecuti, *Erdöd* vicum, ſimlero *Erdenvud*, reddiderunt. Lazius, apud Ortelium, Teutoburgium in medias Draui exeuntis vndas coniecit, quem Cantelius, aliique expreſſerunt. Danuille, Tabulam reſpiciens, toto itinere aberrauit, Teutoburgium ſitu *Laſkó* vici ſtatuens.

Cornaco. XVI. inſignia municipii; Veſſ. *Cornaco.* XVI. Hodoeporicon, *Cornaco.* XVI. Ptolemaeo, *Κόρνακον*, *Cornacum;* Notitiae *Cornaco.* Iam Simlerus *Zata* diuinabat; alii *Bakova*, *Bukovár*, Lazio apud Ortelium *Wolkowar;* quo cum Schoenuiſnero Mannert abiit. Danuille ſitu *Erdöd* vici poſuit. *Szotin* eſt oppidulum poſitu non aſpernando, ruderibus clarum, Petri de Warda commoratione notum; antiquioribus chartis *Zatha.* Vetus nomen ab ſitu elatiore

originem accepit; chartae recentiores Sotino dare locum dedignantur, cum vicos conditionis longe inferioris enumerent.

Cuccio. XIII. Velſ. *Cuccio.* XIII. Hodoeporicon, *Cucci.* XVI. Regius *Cuicoi;* alii, *Cucci*, *Cucti;* Notitia imperii *Cuccis;* Rauennas, *Cutio.* Altingius, notis in Tabulam, *Baraniwar,* quod pridem reliquimus; Simlerus *Ceroſka* vel *Curuſka,* inter *Neſth* et *Swlsig*, hodie *Neſhtin et Szuſzek*, cuius loci rudera, *Kuluſhtra* nuncupata, vidi. Danuille, ſitu *Vukovár;* Schoenuiſner inter *Szuſzek* et *Illok* medio quodam ſpatio, circiter *Neſhtin* videlicet; quo Dianae templo Taubii perductus erat, vti et Mannert. Nobis oppidum *Illok* eſt, antiquitatibus a Marſilio relatis, aquae ductu Romano, aliisque id genus reliquiis clarum. Olim via ſecus Danubium ducebat, quae dudum in profluentem abiit, ripam aqua in dies rodente. Tabulae menſura bene habet; Hodoeporicon longiorem tenuerit viam, vt tria mill. paſſ. inſuper cenſeret.

Malatis. XVI. Velſ. *Malatis.* XVI. Rauennas, *Malatis;* inſcriptiones, apud Marſilium, *Malata.* Hodoeporicon, *Bononia.* XVI. Bononiae praeterea Ammianus, Idatius, et Notitia meminerunt. Eumdem eſſe locum, Weſſelingius recte obſeruat. Simlero, *Bonmonſter*, hodie *Banoſhtor*, vicus quidem, ſed rudere conſpicuus. Cum ea inuiſerem loca, numos quosdam, aetatis Romanae, accepi. Ammiani phraſis menſurae et ſitui reſpondet. Danuille vſque huc penetrare nequiuit, tamen Bononia ſitu vici *Szuſzek* poſita, reſpectu Vukovári, vbi eius *Cucci*, ſaltum non mediocrem fecit. Mannert ait, *Malata* neutro exprimi debere, vt caſtra intelligantur; ſed lapides hoc adſertum refellunt, in queis integre A MALATA CVSVM legas.

Cuſum. XVI. Velſ. *Cuſum.* XVI. Hodoeporicon, *Cuſi.* XVI. Terni ſunt apud Marſilium lapides milliarii, a Malata CVSVM praeferentes; vetuſtate prior eſt Neruae; vt oppidum eius aetate iam exſtitiſſe intelligamus. Notitia quoque meminit *Cuſi.* Quadorum *Cuſus* amnis huc non facit, tamquam locus a Quadis ſit conditus. Simlero eſt *Sere* vel *Cudelaſs;* vetuſtioribus chartis *Serek*, *Scherwich*, hodie *Cserevich;* quo Danuille reſpexit. Schoenuiſnero eſt *Kamenitz*, Mannerto *Karlowitz;* nobis intermedia vrbs *Petriuaradinum*, Illyriis *Varadin dolnyi*, numeris et veſtigiis antiquitatis id poſcentibus.

V. Acunum. XI'. Velſ. *Acunum.* XI. Hodoeporicon, *in medio Aciminci.* XXXIII. Simlero, *Acumincum* vel *Acimincum*, *Cametz;* in quibusdam Suritae, *Acumniti*, *A Tininci;* Regio *Aciminci.* XXXII. Notitia imperii, *Acimincum*, et *Acumincum.* Varietas numerorum fecit, vt geographi in diuerſa abirent. Iter hoc olim prauatum, et ex pluribus miſtum fuerit, vt clarius ad ſequentem manſionem videbimus. Polemaeo, *Ακόυμιγκον*, *Acumincum*, iuxta quod conuerſionem Danubii eſſe dicit; Schotti libro *Αρόυμικτον*, Arumictum, ſcribae oſcitantia, pro *Ακούμινκον*, vt in Caeſareo eſt, cum longit. grad. 44 min. 50. rectius apud Schottum grad. 45. Iordanus trans Danubium abit, ad *Titel* vſque, vt numeros disponere queat. Schoenuiſner, Danuilleum, et non-

nullos alios ſecutus, Petriuaradinum; Mannert, Cuſo apud *Carlowitz* poſito, cum Aciminco ad *Szlankamen* abit, vbi Rittium quaeremus. Sunt apud *Kercsedin* vicum, forſan *Serlek* veterum, inſignia veteris habitationis Romanae veſtigia, ad ripam Danubii, ſitu iucundo, elatiore, quo recentes quaedam chartae *Tichi* ponunt, quem locum, cum ripam luſtrarem, non deprehendi. Vſque huc a Petriuaradino ſunt M. P. XIX. Hodie via per montes vadit, olim ripam Danubii tenuerit, Carlouicium vſque, inde pars iuxta eamdem ripam, Szlankamenum, pars colle conſcenſo, per planum Sirmium, ad laeuam Acimincum et Rittium, ad dextram recta Taurunum, et Baſſianam, petiuerint. Hae viae poſtquam ab architectis Tabulae poſtremis in vnam compactae fuiſſent, numerus ab Cuſo Taurunum ducens retentus eſt, aliis exmiſſis. Iordanus putat, in Tabula pro xl legi oportere XI. ſed aliam ſecutus viam, haec loca praeteriit. De Legione, quae heic ſtatiua habuerit, teſte Ptolemaeo, diſſeruimus in epigraphica. Numeros Hodoeporici mox examinabimus.

Bittio. VIII. Velſ. *Bittio.* VIII. Hodoeporicon, *Ritti.* CXIII. *ſic.* in Regio, aliis CXIII. Ptolemaeo, ad conuerſionem Danubii *Ῥίττιον, Rhittium;* Simlerus *Rithium* legit, Surita *Rhittium;* Notitia, *Ricti.* Simlero eſt *Salankaemen;* Weſſelingius ait, Lazium idem cenſuiſſe, qui tamen *Ratzam* (Ratsa) ad Sauum eſſe dicebat; ipſe cum Altingio in Petriuaradinum propendet. Danuille, Acimincum et Acunum diſtinguit, hoc Petriuaradino, Rittium Carlouicio, Acimincum Szlankameno adſcribens, ordine interuerſo. Alii cum Simlero tenent; Mannerto ad *Belekis* (*Belegiſh*) procedere placuit. Tabula duce, *Rittii* ſitus apud *Szlankamen* bene habet. *Bittio*, niſi militari expreſſione ſcriptum putes, errore notarii pro Rittio poſitum.

Burgenis. XIII. Velſ. *Burgenis.* XIII. Notitia imperii, equites Dalmatae, *Burgenae;* praefectus Legionis V Iouiae, *Burgenis.* Recta ab *Szlankamen* ad hoſpitium militiae equeſtris *Banovce* progredienti, ſunt omnino mill. geogr. duo cum tribus quintis; vt Mannert Burgenis (Burgenae recto ſunt) in *Banutza* (Banovci) idonee ſtatuerit. Situs heic, ripa Danubii elatiore, amoenus, ſolum fertile, militiae veteris ſtatiuorum veſtigia et memoria non ingrata.

Tauruno. X. inſignia municipii; Velſ. *Tauruno.* X. Hodoeporicon, *A laurino.* XXXIII. ab Rittio; in Regio, XXXII. Longoliano XXX. In titulo itineris huius, quod Cl. Schoenuiſner commentario ſingulari illuſtrauit, *a Tauruno Lauriacum*, notatur. Simlerus, in MSS. *Ad Aurino* eſſe ait; in Regio Suritae, *Ad Tarino;* Blandiniano, *A Daurino;* Longoliano, *Ab Aurino.* Simlerus iam *A Tauruno* emendauit, quem alii ſunt ſecuti. Itinere ab vrbe Roma Byzantium, *Taurono*, *Taurimo*, in textu *Tauruno.* Plinio, *Taurunum*, *vbi Danubio miſcetur Saus.* Ptolemaeo, in Pannonia inferiore, ad effluxum Saui, *Ταύρουνον*, *Taururum*, cuius iterum meminit, cum in Illyride Drinum in Sauum occiduo Tauruni agro effundi ait, vbi Sirmium nominari oportebat. Arriano, *Ταυροῦνος*, *Taurunus*; Notitiae, *Tauruno.* Situm vrbis diſſertatione ſingulari egregie

monſtrauit Danuille, ante me natum; vt tot velitationes recentiorum, contra veterum teſtimonia nitentium, et Belgrado, quod in Moeſia veteri eſt, Taurunum inaedificare volentium, mirere. Antiqui oppidi foſſa, rudera, viae veſtigia, ſunt occiduo Zemlini agro, ſitu elatiore, nunc fertiles vineae in terra illa rudecta; ad quem locum ego ante hos vicenos annos, a Burgenarum ſtatiuis, numeraui 7860 hexapedas, ſeu M. P. x. cum exceſſu 90 hexapedarum. In chartis melioribus, ab caſtello militari *Banovci* ad haec vrbis antiquae veſtigia, duo mill. geogr. cenſentur. Tabula ab confluente III M. P. Hodoeporicon Singidunum ab Tauruno IIII M. P. remouet; quod eſt has binas inter vrbes interuallum ſincerum. Nequeunt ergo hae binae ciuitates aut ſitu permutari, aut confundi; quae nos vberius alias exſecuti ſumus. Recte Burdigalenſe, apud Singidunam, *Finis Pannoniae et Myſiae*, exhibet.

Quod numeros in Hodoeporico deprauatos concernit, errorem e deſcripto itinere non aegre dignoſcas. Ab Tauruno Rittium ſunt M. P. XXIII. in Hodoeporico, turbatis itineribus, ſcriba denarium addidit, quae eſt diſtantia Aciminci ab Tauruno. M. P. XXV. quae initio ponuntur, irrepſerunt ex itinere vicino, ab Sirmio Taurunum XXXV. recte etiam ad priorem viam reuocari poſſunt. Numerus CXIII perperam ſcriptus pro C. XIII. id eſt, circiter tredecim, ab Acuminco Cuſum, ſecus ripam; vbi M. P. XXXIII ex prioribus vitio iterantur. Reliqua, quae ab Cuſo ſequuntur, ſunt ſana. Hoc Itinerarii vulnus coniecturis modo, absque Tabula, curari nequiuit; idcirco tot de ſitu locorum, hoc ſpatio occurrentium, opiniones diuerſae. Heic, apud exitum Saui, Pannoniae finis; in occaſum regredi libet.

VI. Itinere Poetouionenſi ventum erat ad fines Pannoniae inferioris, ad *Gradacz* oppidum, quod olim in cenſu Pannoniae ſuperioris, vt e ſitu colligere licet, fuiſſe putes; ei Tabulae Iouiam adſignauimus. Hodoeporicon vtrumque, hac veteri via ſiniſtrorſum miſſa, ab Lentulis proceſſerant in auſtrum, vt particula HIC SINISTRA oſtendit. Via hac, in Burdigalenſi, ab Lentolis eſt *mutatio Cardono.* x. quae ex interuallo reſpondet oppido eleganti *Belovár*, militiae nationalis praetorio; vt in Pannonia ſuperiore diximus. Mihi locum videre non contigit, etſi perquam vicinus eram; vias tamen ab eo ductas, arboribus vtroque margine ſtipatas vidi. Sequitur in Burdigalenſi, *mutatio Cocconis.* XII. Rauennati *Cucconis;* quae cum in Tabula noſtra non compareat, ſcriptor hic aliam id genus Tabulam, in qua viae poſterius inſtitutae exhibebantur, prae manibus habuerit. Numeri ad oppidulum *Turnaſhice* ducunt, ſub monte *Megyurecska* ſitum, iam in cenſu Pannoniae inferioris, hodie Slauoniae, prouincia Verocenſi. Tabula ſiniſtrorſum, via breuiore, progreſſa, ab Iouia Sirotas iuit.

Sirotis. x. Velſ. *Sirotis.* x. Hodoeporicon, *Serota.* XXXII. in Regio, *Sirota.* XXXI. Burdigalenſe, *manſio Serota.* x. Rauennas, *Sirore*, pro *Sirote*, typi forſan mendo. Ptolemaei *Σόϱογα*, *Soroga*, Mannerto *Sogora*, oppidum

Pannoniae ſuperioris, Weſſelingio huc facere videbatur; cuius Mannert in commentariis meminiſſe eſt oblitus; hoc autem loco, ex Itinerariis, *Sevota* legit, Tabula praeterita, apud *Kalilo* oppidum ſtatuens, ab Verovititza in occaſum, quod ignoramus. Numeri ad vrbem Veroczam ducunt, quae Hungaris *Verötze*, Illyriis *Viroviticza* nuncupatur; veſtigia arcis aeui medii, et in vicino *Oreſhacz* vico antiquae habitationis, cum epigraphe Romana, ſitum firmant.

Bolentio. x. Veſſ. *Bolentio.* x. Hodoeporicon praeterit oppidum; Burdigalenſe, *mutatio Bolentia.* x. Voſſii MS. *Bolenta;* Rauennas, *Bolenilo.* Ptolemaei *Βωλέντιον*, *Bolentium*, Schotti edito *Βολέντιον*, huc pertinere, cum Weſſelingio omnino cenſemus. Coſmographus ad Pannoniam ſuperiorem, forſan cum Soroga et Bononia, retulit, quae inferiori adſcribi debeant. Mannert aliquantum orientalius Serota fuiſſe putat. Numeri ducunt in agrum vici, ſitus non contemnendi, *Miholyacz*, quem ab cognomine oppido, longius in exortum abſcedente, dynaſtiae Valponenſis, diſtinguas oportet. Incolae, vt ſecernant loca, vicum hunc *Vlaſhki Miholyacz*, oppidum *Shokacski Miholyacz*, aut ſine addito nuncupare ſolent.

Marinianis. x. Hodoeporicon, *Marinianis.* xx. in Regio, *Marianis;* Rauennas, *Marinianis;* Burdigalenſe, *manſio Maurianis.* VIIII. Notitia imperii, ſub duce Valeriae, tribunus cohortis cuiuspiam, *Marinanae.* Mannert, neutro *Mariniana* legi vult; et femineo recte habet. Ptolemaei *Μαγνιάνα*, *Magniana*, pro *Μαρινιάνα*, iſthuc omnino, graduum habita ratione, ſpectat; etſi is, cum prioribus, Pannoniae ſuperiori adſcripſit. Mannert, oppidum heic ſtatui debere, opportune monet; ſed fines Pannoniarum iſthic conlocari oportere, non recte arguit. Coſmographus enim tam longe agens, ſingularia quaeque, pro eo tempore, explorata habere nequiuit. Ex interuallo Marinianis reſpondet vicus haud poſtremi nominis *Moſzlauina*, in dynaſtia Valponenſi, ripae Draui vicinus, ex aduerſo fluuii ab Szigeto iſthuc decurrentis. Ad quintum fere in exortum lapidem eſt oppidum *Miholci*, *Miholyacz*, quod Mannert, Iordanum ſecutus, Mariniana eſſe putat; olim et noſtra haec opinio erat, ſed traiectus Draui, et manſionum numerorumque ratione vtrimque habita, *Moſzlavina* Marinianae aptius reſpondere videtur. Hic ager fuit olim in Pannonia ſecunda, ſed in militaribus duci Valeriae, trans Drauum ſitae, ob praefectum, qui heic reſidebat, ſuberat. Simile quid obſeruamus etiam in Nouis et Aureo monte, in regione Murſae vicina.

Ab hoc loco habet Burdigalenſe, INTRAS PANNONIAM SVPERIOREM. Weſſelingius, cum nonnullis, putat, *inferiorem* ſcribi debuiſſe, vt apud Poetouionem de ſuperiore cenſebat. Sed maneat hic Hodoeporici error. Aetate illa, qua auctor Itinerarii huius per has prouincias proficiſcebatur, vulgo ea Pannonia, quae a Drauo in boream patebat, *ſuperior*, in auſtrum vero *inferior* dicebatur; ſcriptoribus, tractu hoc, haec *ſecunda*, illa *Valeria.* Ex hac autem phraſi colligas, iter in aduerſam Draui ripam traieciſſe, vt manſiones, quae ſequuntur, docebunt. Mannert, quod Tabulam dextra fluminis ripa

progredi videret, ea et ipſe proceſſit; phraſi tamen Hodoeporici neglecta. Audiui et Kollerum, doctiſſimum virum, id ipſum dicentem; et ego, natalis ſoli mei gratia eam opinionem libentiſſime amplexurus eram, niſi veritas mihi patria potior foret. Sed et haec, quam ingredimur, patria eſt maiorum meorum, ad atauos vſque.

VII. **Seronis.** VIIII. Velſ. *Seronis.* VIIII. Burdigalenſe, *mutatio Serena.* VIII. Rauennati, *Sorenis.* Mannert locum praeteriit, quod alii quoque recentiorum fecerunt. Directio viae, et menſurae modus, in agrum oppidi *Sziklosh*, vulgo *Siklós*, vetuſtioribus chartis *Soklyos*, *Soclios*, *Soclos*, Serenam poni oportere ſuadent. Locus antiquus, cum arce, operis quidem Hungarici, ſed in ruderibus Romanis; via lapide ſtrata, et populari manſionis nuncupatione, adſtipulantibus. Eſt maiorum meorum natale ſolum, proſpectu amoeno, gleba fertili, generoſo vino clarum.

Berebis. X. Velſ. *Berebis.* X. Hodoeporicon, *Vereis.* XXII. a Marinianis; in Regio, *Vericis.* Rauennati, *Boreuis.* Burdigalenſi, *manſio Vereis.* X. *Βερβὶν*, *Berbin* Ptolemaei, huc ſpectare, Menſo Altingius cum Weſſelingio recte obſeruarunt; neque ab hac expreſſione Tabula recedit, niſi altera vocali interiecta. Iordanus et Danuille, *Vereis* ſitu Baranyvári ſtatuunt; Mannert, dextra Draui ripa, apud S. Georgium, *St. Jörgen*, Illyriis *Sveti Gyuragy*, Hungaris *Szent György*, vicum, hodie, parietinis aeui medii conſpicuum. Nobis eſt *Berement* oppidulum, Illyriis *Breme.* Antiquum eſſe locum, ſitus ipſe oſtendit; vocabula autem et numeri dubitare non ſinunt. Hodoeporicon, Serena praeterita, omne ſpatium metitur; niſi per viciniam *Miholyacz* oppidi proceſſit, qua id Iordanus iſſe putabat; nam recta proficiſcenti x M. P. vtrimque ſufficiunt. Surita ex Hodoeporico *Vereos* adpellat; Tabula cum Ptolemaeo *Berbin* dici volunt.

Iouallio. VIIII. Velſ. *Iouallio.* VIIII. Hodoeporicon praeterit. Burdigalenſe, *mutatio Ioualia.* VIII. Rauennati, *Ioballios.* Ptolemaeo, *Ἰόνολλον*, *Iuollum*, vt Weſſelingius recte obſeruat. Lazius ad Vilacum, forſan *Illak*, ad Caraſſi exortum, abiit; Mannert, dextram Draui perſecutus, in oppido *Valpo* (incolis *Valpovo*) putat ſe Iouallium deprehendiſſe; plura forſan prolaturus, ſi patrium nobis locum eſſe ſciſſet. Nos oppidulum *Bolman*, regione Baranienſi, Iuollum ſeu Iouallium eſſe arbitramur, ſitu et voce conuenientibus. Iam Conſtantinorum aetate, vt Mannert quoque monet, mutationis conditionem induerat; quod omnem gloriam vicina Murſa in ſe vnam traxit. Quamquam nihil impedit, quo minus oppida etiam, quae perdius in itinere occurrebant, ob iumenta in iis mutata, nomen mutationis habuiſſe, dici queant.

Murſa minor. VIIII. Velſ. *Murſa minor.* VIIII. Burdigalenſe, *mutatio Merſella.* VIII. Ptolemaeo, *Μόυρσελλα*, *Murſella.* Plerique Dardam interpretantur, Ptolemaei numeris ducti; ſed oppidum id ad quintum modo ab vrbe abeſt. Mannert, ripam Draui dextram proſecutus, *Karaſcovo*, e veteri aliqua charta,

esse dicit. *Karashevo* erat vicus apud *Petrievci* oppidum, dynastiae Valponensis, prope exitum Carassi amnis, qui mediam dynastiam pererrat; locus parentis meae natalis, olim desolatus, cum etiamnum puer ipsum non viderim. Nobis Mursella est ager, vico *Laskafalu* ab occasu vicinus, vbi antiquae habitationis vestigia prostant, vt in Columna Eszekinensi diximus. Inde sunt x M. P. ad vrbem. Paullo supra Dardam via haec, quam tenebamus, cum ripensi hodierna, a Baranyvaro tendente, concurrit; olim remotior inde in exortum erat, propius Belyam oppidulum.

Mursa maior. x. insignia coloniae; Vess. *Mursa maior.* x. Hodoeporicon, *Mursa ciuitas.* XXVI. a Vereis; in Regio, *Marsa civ.* M. P. XXVII. Neapolitano, *Marsatium;* Blandiniano, *Mursa ciuit.* itinere ripensi, *Mursa.* XVI. ab Teutiburgo, XXII ab Antianis; sic itinere mediterraneo, ab Sirmio Treueros, quod visuri sumus. Burdigalense, *ciuitas Mursa.* x. Ptolemaeo, *Μουρσία κολώνια*, *Mursia colonia*, Schotti libro *Μουδία*, *Mudia;* Italo *Musia*, Victori vtrique *Mursia;* Eutropio, Socrati, Stephano, epigraphis *Mursa.* Budae, in Pannonia, G. Pollio G. filio, domo COL. AEL. MVRSA. in marmore Britannico, P. Aelius Magnus, D. MVRSA. ex Pannonia inferiore. Epitheton Mursenses; in lapide domestico, Diuo Hadriano MVSENS. conditori suo; in alio, C. Iulius Geminus Capellianus, Leg. Aug. propr. MVRSENSIB. D. D. Plura id genus exempla in epigraphica nostra legas. Conditorem coloniae Hadrianum etiam Stephanus memorat: *Μοῦρσα, πόλις Παιονίας, κτίσμα Ἀδριανοῦ*, *Mursa, vrbs Pannoniae, opus Hadriani.* De situ et monumentis vrbis in Columna milliaria Maximini diximus; scriptorum testimonia in geographia proferimus. Hodie quoque vrbs non minus clara, commerciis praesertim, quam fuerit olim; Illyriis *Oszik*, ceteris *Eszek*, nuncupata. Iam Lazius *Mursiam coloniam in Essekio* recte constituit; tabula eius, apud Ortelium, *Mursa*, *Esseth*, pro *Essech;* Simlerus *Ezech* vel *Muroviza.* Itali, ad Ptolemaeum, *Valpo* reddunt. Varia etiam recentiorum sententia, qui aut Lazium sequi noluerunt, aut Marsilii Danubium non consuluere. Cl. Schoenuisner de situ vrbis eximie disseruit.

VIII. Ab vrbe Mursa persequitur Tabula iter, Cibalim et Sirmium versus, sociis Hodoeporicis, nullum cum ripensi nexum exhibens, quod ad tertium modo lapidem in exortum aberat; nisi postremos operis fabros apud mutationem *ad Labores*, quae iteratur, errasse velis. Sed cum nulla supersint luncturae viarum signa, opinionibus indulgere non libet. Itaque a Mursa haec notantur:

Ad Labores. pont. Vlcae. XII. Vess. *Ad Labores Pontulcae.* XII. Burdigalense, *mutatio Leutuoano.* XII. Quaenam haec mutatio sit, Wesselingius se ignorare fatetur. Iac. Gothofredus, locum *ad Labores* eumdem cum Cibali esse putat, ob Constantini aduersus Licinium pugnam; quod Wesselingio iure displicet. Apud Vucam fluuium palustrem erat olim castrum *Herman*, quod rectius Hirschvogel, quam Lazius, signauit, cuius rudera in lacunis illis vsque

superant; heic, *Pontem Vlcae* esse debuisse, e numeris, et viae ductu, alias opinati sumus. Vicinus est *Lanka* vicus, dextra fluuii ripa, qui Leutuoani (siquidem vox integra est) vestigia seruet. Forsan Lutoanum ab coeno dictum erat. Sane paludis *Vlcae*, *Hiulcae*, meminere plures, quam heic statui debere, supra ostendimus.

Cibalis. x. insignia municipii, voce desiderata. sic Vels. Hodoeporicon, *Cibalas ciuitas*. XXIIII. a Mursa; in Regio XXIII. in reliquis, *Cibulas*. XXIIII. Scripti apud Wesselingium, *Cibulascium*, pro *Cibulas civ.* itinere a Sirmio Treueros, *Cibalis*. XXII. pari ratione a Sirmio Carnuntum, et ab Sirmio Salonas, *Cibalis*. Burdigalense, *ciuitas Cibalis*. XII. Ptolemaeo Erasmi, *Κιβαλὶς*, *Cibalis;* Schotti *Βιβαλὶς*, *Bibalis;* Italo quoque *Bibali*. Libanio, *Κιβαλὶς*, *Cibalis*, Zosimo *Κίβαλις*, prima acuta. Eutropius, Ammianus, Sozomenus, *Cibalas* dixerunt. Anonymus Valesii, campum Cibalensem nouit. Epigraphe domestica, M. Vlpius Fronto, decur. MVN. CIB. Libero et Liberae sacrum fecit. Hodie oppidum non postremi nominis *Vinkovci*; sed quod non ita pridem, instituto ibi praetorio militiae nationalis, adsurgere coepit, inter vicos a mapparum architectis relatum. Hirschvogelio *Veretze*, Lazio *Maroth;* sed hoc *Morovich* castrum est, cetera vicus, Vinkovcio longe inferior; tamen illud insignis munimenti imaginem in chartis recentioribus praefert; hoc ne notatur quidem in plerisque. *Iwanch* in vetustioribus est *Ivankovo*, *Wanka* est *Lanka*, vterque locus ab *Vinkovci*, oppido a Vincentio quopiam, aut potius vini praestantia, quod inscriptio vetus indicat, nuncupato distinguendus. Danuille in *Svilaj* vico, ad Sauum, posuit. Primus situm Cibalis detexit doctissimus Salagius, *νῦν ἐν ἀγίοις*, quem quia Mannert non legit, ad vicum *Mikanofci* abiit. Salagii vestigia secutus est Cl. Schoenuisner in historia Sabariae. Nos loci situm non vna lustrauimus vice, a patriae filio, Philippo Sztankovich, loci curione, etiam ad beatos translato, amice excepti. Huc exit via ab Siscia et Salona per Seruitium, quae et hodie frequentatur, quam suo persequemur tempore; nunc Sirmium versus progredi libet.

Cansilena. XI. Vels. *Cansilena*. absque numero. Burdigalense, mutatio *Celena*. XI. quam geographi iuniores neglexerunt. Est vicus *Orolich*, chartis *Orolik*, positu laeto, quem ab exortu amnis homonymus praefluit, quo agro fere apud Hirschvogelium est oppidum *S. Lorencz*, qui locus Celenae respondeat. Est etiam ad quartum prope in exortum lapidem vicus *Celletouz*, (Cxeletovci, Hung. Zseletovtzi) qui sono quidem cum Celena conuenit, non item positu.

Vlmospaneta. XI. Vels. *Vlmospaneta*. XI. Hodoeporicon, *Vlmos vicus*. XXIIII. a Cibali; in Regio, XXII. itinere ab Sirmio Treueros, *Vlmos*, Simlero *Iltz*, credo *Illacs*, vel *Ilinci;* ab Sirmio Carnuntum, *Vlmo*. XXIIII. itinere a Sirmio Salonas, *Vlmo*. XXII. Burdigalense, *mansio Vlmo*. XI. Danuille, situ munimenti *Sktitár*, ad Sauum, *Vlmi;* Mannert, vicum *Martinzi*, prope

Mitrouicium, ſed non Boſzut amnem, vt ipſe ait, a quo duobus mill. Germ. cum ſemiſſe abeſt, ſtatuunt. Nobis eſt *Továrnik*, vetuſtioribus chartis *Tabornik*, oppidulum, ſitu campeſtri, amoeno, vbi nonnulla ſubſtructionum veſtigia reperiuntur. In Tabula Vlmoſpaneta, oſcitantia ſcribae, in vnum compacta vocabula comparent, quae x M. P. interuallo, teſte Burdigalenſi, ab ſe ſe mutuo aberant.

IX. ſpaneta. absque numero, vox priori iuncta; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Spaneta.* x. ab Vlmis, itinere a Sirmio Salonas; in Longoliano, *Hiſpaneta;* ſic in Vaticano, et antiquis editis. Burdigalenſe, *mutatio Spaneta.* x. De vocabulo diſputat Weſſelingius, nihil de ſitu. Danuille, in *Raevoſello*, ad Sauum, ſtatuit; alii, cum Morone, circa Bacuntium verſantur. Mannert praeteriit. Nobis eſt *Erdevik* pagus, in quo ſtatiua militiae equeſtris; quem locum chartae vulgares ignorant.

A Spaneta Hodoeporicon habet, *Budalia.* VIII. Burdigalenſe, *mutatio Vedulia.* VIII. Eutropius, Decium *Budaliae* natum refert; metaphraſtes quoque, *ἀπὸ Βουδαλίας τῆς πόλεως*, *a Budalia oppido;* in quibusdam *Bubalia* praue legitur. Victor, natum vico Sirmienſium, ait, nomine non prodito. Infra *Mangyeloſz* vicum, Marſilio *Nagyalos*, chartis antiquioribus, *Naigallas*, *Nagyallas*, recentioribus *Naialos*, *Nangelos*, erat *Nagyoláſz*, inſignia patriae Decii veſtigia ſuperant, quae Marſilius memorauit, et nos in itinere Sirmienſi deſcribimus. Danuille, apud vicum *Iamina*, intra Bacuntium ſtatuit Budaliam; ſed eius Sirmium Bacuntio adſiſtit; quod etiam Moro, et plures alii fecere, Plinii verbis deluſi.

Relictis his antiquae habitationis veſtigiis, via in auſtrum tendit, murato opere, lapide, et glarea ſtrata, quam, patriae ſuae ornandae gratia, Decius conſtrui iuſſerit. Deſcribit viam Marſilius. Budaliam idcirco geographi non repererunt, quia in exortum recta progrediebantur, de hoc loci ſitu nihil cogitantes. Tabulae tempore, aut non exſtiterit is locus, aut via, eo ſiniſtrorſum relicto, Sirmium recta petiit, vt numeri indicare videntur.

Sirmium. XIII. inſignia coloniae; Velſ. *Sirmium.* XIII. Hodoeporicon, itinere Italico, *Sirmi ciuitas.* XXVI. ab Vlmis; in ſchedis Voſſii et Cuſani, *Sirmicium;* itinere mediterraneo, in Gallias, a *Sirmio;* ſic a *Sirmio Carnunto;* a *Sirmio Salonas*, vbi M. P. VIII a Budalia. Burdigalenſe, *ciuitas Sirmium.* VIII. a Vedulia, ſeu Budalia. Strabo, prope Siſciam, inquit, eſt etiam *Σίρμιον*, Sirmium, in Italico itinere; quae relatio effecit, vt Drinum quoque prope Siſciam poneret, qui Sirmio, longe inde remoto, vicinus eſt. Plinius: amnis Bacuntius in Sauum Sirmio oppido influit; vbi ciuitas Sirmienſium et Amantinorum.“ At vero Bacuntius ab Sirmio abeſt, quantum Drinus, XVIII. M. P. Ante Marſilium Sirmii poſitio fuit ignota, quod Ptolemaeus in latitudine errauit, et alii ad Bacuntium quaerebant; quibus et Danuille, Marſilio inconſulto, accedit, Sirmium ſitu vici *Gerk*, laeua exeuntis Bacuntii ripa, ſtatuens; quod

in chartis Ortelii *Demetor*, in aliis *Szreim*, ibi poni obſeruauit. Aliae *Szreim* et *S. Demeter* diſtinguunt, cum idem ſit locus. In charta Khevenhülleri *S. Demeter* euanuit, ſuccedente *Mitrovitz*, quem locum ii, qui geographiam tractauere, diuerſum ab S. Demetrii arbitrati, extra oleas vagabantur, qualis Ladiſlaus Szörényi, Salagius, vti Cibalis, ſic et Sirmii poſitum egregie monſtrauit, et ſacram metropoleos eccleſiaſticae in Pannoniis hiſtoriam, qua nos non minimum vſi ſumus, praeclare illuſtrauit; dignus, cui Eccleſia Pannonica monumentum memoriae publice ſtatuat. In geographia, pro ſuſcepta materie, quantum ſatis erat, de ſitu, antiquitate, monumentis vrbis egimus. Nota eſt regno epigraphico; Opovae, M. Vlpius, T. F. DO. SIRMI. Albae Regiae, quispiam, domo SIRMI. in lapide vrbano acciſo., SIRME. in alio, DEC. COL. SIRMIENS. apud Gudium, quispiam, natione Pannonius, domu FLAVIA SIRMIO. forſan erit Neapolitanus, apud Muratorium, in quo Valerio Dazant, PANNO. DOMO FLAVIA SIRMI. in Salonitano, Flauius Fidentius ex comitibus SIRMESIS. In exergo pecuniae veteris SIRM.

X. Apud Sirmium quaternae concurrunt viae, vna haec, quam deſcripſimus; altera ab Siſcia; tertia Taurunum, quarta per Bebios Salonam tendens. Eas primum, quae ab Siſcia huc ducunt, perſequemur, ceteras deinde viſuri. Eo itinere manſimus apud Praetorium, ad xxx ab Siſcia lapidem, cui Dubiczam adſcripſimus, laeuo Vunae latere adſitam; inde venit,

Seruitio. xxx. inſignia municipii, aedes quadra; Velſ. *Seruitio*. xxx. Simlero, vel *Serunti*; Neapolitano, *Seruitei*; ſchedae Pariſienſes, *Seruito*. Notitia, praefectus claſſis I Pannon. *Seruitii*. Ptolemaeo, *Σέρβινον*, *Serbinum*, ſitu idoneo, cuius Mannert in commentariis obliuiſci non debuit, Pannoniae primae, contra fidem ſcriptoris, cuius aetate id epitheton eſt adoleſcentius, adſcribens. Heic tempore Notitiae erat Pannonia Sauia, aeuo Tabulae *prouincia media*, vt alias diximus, et rurſus dicendi locus erit. In ſitu oppidi ſtatuendo mira eſt inter geographos diſſenſio; Danuille impoſuit *Gradiskae*, quem ſequimur, ſed ripa Saui dextra, vbi Turcarum *Gradiſca*, vulgo *Berbir*, bello poſtremo deſolata. Nam Tabula hanc ripam tenet Marſoniam vſque. In amne *Verbaſhka*, qui occiduo Berbiri agro in Sauum effluit, pons eſt, qui lapideus (*kameniti moſzt*) nuncupatur, qua vetus ducebat via; etſi is hodie e ligno eſt. Mannert apud Verbaſum fuiſſe putat; alii alio transferunt. Hirſchvogelio *Gradiska*, latere amnis dextro; Lazio, *Gradiſkia*, vtroque.

Vrbate. XXIII. Velſ. *Vrbate*. XXIII. Hodoeporicon, *Vrbate*. XXIIII. in quibusdam, Vrbatae. Danuilleo, *Vrbate*, dextra exeuntis Verbaſi ripa; quod ſanum eſt. Mannert ad Brodium abiit. Situ Vrbatarum in antiquioribus chartis conſpicitur locus *Werwatz*, Lazio *Warwicz*; hodie *Svinyár* vicus, in Saui dextra, in aduerſa vocabuli eiusdem munimentum. Antiqui oppidi veſtigia manent in fluuio *Verbasz*, quem Plinii Vrpanum eſſe diximus.

Marſonie. XXXIII. Velſ. *Marſonie.* XXXIII. Notitia imperii, *Marſonia;* Ptolemaeus, *Μαρσονία*, *Marrſonia.* Danuille non expreſſit; Mannert, apud Boſnam fluuium, in *Tobar* (*Dobor*) quaerit; nobis *Brod* vrbs eſt, laeua Saui ripa, agro ciuitatis ortiuo, vbi reliquiae veteres vſque conſpiciuntur. *Brod* Illyriis traiectum, et claſſem notat. Tabulae auctor flumen traiicit. In Hodoeporico locum excidiſſe putes, ſi numeri XX ad Cirtiſſam rationem habeas, qui cenſus, Tabula indice, a Marſonia eſt. Heic biuium exhibetur, parte Cibalim, in exortum aeſtium, parte Sirmium, in aequinoctialem, ducta. In priore venit,

Certis. XXV. Velſ. *Certis.* absque numero. Hodoeporicon, *Cirtiſa.* XXV. ab Vrbatis, quod eſt interuallum a Marſonia; itinere ab Hemona per Siſciam Sirmi, *Cirtiſa.* Simlero, vel *Certiſſa;* in quibusdam ſcriptis, *Ciroſa*, *Ciroſo.* Rauennati, *Certiſia;* Ptolemaeo *Κέρτισσα*, *Certiſſa*, in Caeſareo *με. γ'.* recte, grad. latit. 45 min. 20. nam alii 45 min. 30. quod non adſequitur. Danuille, Hodoeporici errore deceptus, in *Kobash* poſuit; Mannert nominare neglexit. *Djakovo*, in vetuſtioribus ſcriptis *Diacum*, *Deákvár*, quo fere loco in chartis eſt *Niſna*, intra ſiluas et paludes, reſpondet Certiſſae, oppidum epiſcopale vetus, rudere clarum. *Czerna*, ad Bacuntium, ſono vocis Certiſſae conueniret, nota etiam Hirſchvogelio; ſed interualla non admittunt; ſola autem vocum cognatio poſtremum eſt in his momentum.

Ab Certiſſa Cibalim vſque Tabula XXIIII M. P. Hodoeporicon, itinere Salonitano tantumdem, Siſcienſi XXII. Prior cenſus diſtantiae ab *Djakovo* ad *Vinkovci* adcuratius reſpondet. Haec fuit via vetus, quam cum ſequenti Strabo Italicam nuncupat, cum Siſciam et Sirmium, *ἐν ὁδῷ κείμενα τῇ εἰς Ἰταλίαν*, *itinere in Italiam ducente poſita*, ſcribit. De Cibali oppido, quod hac via, ab Certiſſa, ſequitur, dictum ſuperius. Nunc alteram, per Drinum, videamus.

XI. Ad baſante. absque numero. Velſ. *Ad Beſante.* Velſeri ſcriba ita ſignauit viam, vt cum priore Cibalim petere videretur, inde Sauum; rectius, apud Scheibium, diuulſa a priore Saui ripam legit. E numeris, qui ſequuntur, de ſitu opinari licet, et ex nomine ipſo. Eſt *Boſzut* vicus, et excubiae militares, apud fluuii cognominis e Sauo egreſſum, XXVIII M. P. a Brodio, qui numerus in Tabula deſideretur. In actis S. Irenaei memoratur pons Dianae, *Baſentis* dictus, qui huc pertineat; forſan et *Caput Baſenſis* Notitiae; nam hoc tempore Baſſiana ciuitas vetus retinebat nomen, quam Mannert non recte huc retulit, *Kopanitz* vicum Boſnae interpretatus; cuius nominis duo ſunt pagi, vnus milliari geogr. alter duobus in exortum remotus. Noſtra manſio Baſas aut Baſantes, ad *Boſzut* conſiſtere debebat, a quo nuncupationem accepit.

Saldis. XX. Velſ. *Saldis.* XX. Sanſon Abauille, in charta Italiae, femineo *Saldae*, ripa Saui dextra, ſitu oppidi *Barka* (*Bercska*) ſtatuit. Danuilleo, *Salinae*, apud *Soli* ſeu *Tuſla*, in Boſnae mediterraneis; Mannerto, *Saldis*, apud *Novi*, ad Sauum. Khevenhüller habet *Kovi*, excubias militares, (*Csár-*

dik) iuſto quidem ab Drino interuallo; ſed cur huic potius, quam alteri loco, adſcribi debeat, non video. Ptolemaeo *Σαλὶς*, *Salis*, aut gemina conſonante, *Σαλλὶς*, *Sallis;* quam non recte Baſſianae poſtpoſuit Mannert, vt Tabulae Baſanti adcommodaret. Alibi hanc vrbem quaeremus. Nos vicum veterem *Zolyani*, chartis *Soliani*, Salden interpretamur, Boſzut inter et Sauum, ab hoc vno, ab illo dimidio mill. geogr. remotum; in chartis vetuſtioribus, oppidum *Iltz*, aut *Milotz*, hunc fere ſitum obtinet.

Drinum fl. xviiii. Velſ. *Drinum fl.* xviii. Tabula, ab Salde, medio circiter itinere, apud *Damu-ſkela* forſan, traiecto Sauo, Drinum flumen petebat, cuius etiam transitus notatur. Veteres chartae agro hoc oppidum *Vywar* (*Uj-vár*) ponunt. Ptolemaei *Τάρσιον*, *Tarſium*, eſt *Racsa*, antiquis *Rathza*, munimentum ex aduerſo effluentis Drini, in peninſula, quam Sauus flexu ſuo facit. Tabula oppidum hoc non adiit; ſecus id erat nominatura.

Sirmium. xviii. ſic Velſ. Interuallum eſt ſincerum. Auctor Tabulae cum paullo ante Drauum commiſiſſet Sauo, heic vno Drini alueo in meridiem deducit amnem vſque Adriam, vbi oſtio Cetinam exprimit, cum Naronem aut Drilonem exprimere deberet. Quod ſi veteres ita reapſe fluxum amnis ſignarunt, antiquitatis ſeruandae gratia factum putes; quod Antoninorum aetate hi tractus longe exploratiores erant, quam vt viri militares, qui operi conficiundo praeerant, adeo craſſe hallucinari potuerint. Vetuſtiſſima Tabularum ſimilium exempla fuerunt, ex quibus haec noſtra, additis recentioribus locis, deſumta eſt, et in hanc formam redacta. Nunc vias ab Sirmio perſequi libet.

XII. Duae ſunt in Tabula ab Sirmio viae, vna Taurunum, media Sirmienſi regione, altera ſecus Drinum ad *Szrebernik*, in medio Boſnenſi agro ad iuga Bebii, iisque traiectis Salonam directa. Nihil heic deſideres, praeter Sauum, qui apud Taurunum Danubio miſcetur, vt Ptolemaeus expreſſit, cuius numeri ſunt eo loco foedati. Sic vero id iter, ſociis Hodoeporicis, in Tabula habet; ab Sirmio,

Baſſianis. xviii. Velſ. *Baſſianis.* xviii. Hodoeporicon, itinere Italico, *Baſſianis ciuitas.* xviii. ſic in Regio; in reliquis, *Baſinianis;* Cuſani MSS. *Baſinianiſcum.* Rauennati, *Baſſianis.* Burdigalenſe, *mutatio Foſſis.* ix. Rauennati *Foſſas* non fuiſſe ignotas, Weſſelingius perhibet. Mannert hoc iter ingredi noluit. *Iarak* vicum, ad originem celebris Foſſae Probi imp. huic manſioni reſpondere, docuit Salagius, et nos veſtigia eius ſecuti, firmauimus. Baſſianae in geographia non dum ſuo conſiſtunt loco; nam idem vir, de ſacra Pannonia optime meritus, vico *Králýevci*, ob quaedam antiquitatis veſtigia, Baſſianam adſcribi voluit; alii alio transferunt. Danuilleo, Baſſianae, dextra Saui ripa, ſitu munimenti *Schabacz* (*Xabacz*, *Zsabatz.*) Ptolemaeo Eraſmi *Βασιάνα*, *Baſiana;* quam Mannert cum Baſante Tabulae commiſit; cum in Caeſareo codice rectius *Βασσιάνα*, Baſſiana legatur, quae huc procul omni dubio referri debet. Ptolemaeus enim huius peripheriae non habuit idoneam notitiam, turbato Sirmii,

Drini, Tauruni, Singiduni ſitu; quem, niſi aliunde noſſemus, e ſolo Ptolemaeo noſſe non liceret. Surita putat, pluratiue neutro legi debere; ego, femineo recte exprimi arbitror. Iornandes, *Baſſianam Pannoniae ciuitatem*, vocat. Hierocli, *Βασιανὰ*, *Baſiana;* quod ſanius eſt, quam nouellae Iuſtiniani, in *Bacenſi ciuitate.* Notitiae imperii, *Caput Baſenſis* ad Baſantem ſpectat; in eadem quippe Notitia cynegii *Baſſianenſis* fit mentio; vt vrbem vetus nomen retinuiſſe cenſeas. Inſignia ſunt apud vicum *Petrovci* antiquae habitationis veſtigia, quae iam Marſilius adcurate notauit; vt mirum ſit, Baſſianam a viris doctis reperiri non potuiſſe, menſura adcurate iſthuc ducente. Eſt autem via ſecus Foſſam Probi, qua ad tertium a ciuitate lapidem columna milliaria M. P. XV inſcripta, fuerit reperta, quam ex Marſilio in epigraphica damus.

Idiminio. VIII. Velſ. *Idiminio.* VIII. Rauennati, *Idominio.* Eſt vicus, eleganti domuum ſymmetria, *Vojka*, militiae nationalis, Legionis Petriuaradinenſis, qui Idiminio reſpondeat; qua et hodie via Zemlinum ducit. In chartis recentioribus *Voicka*, antiquioribus Cantellii *Vriſcha*, forſan *Vruſchka*, *Fruſhka*, quod hodie montis Almi nomen eſt, vt ſupra dicebamus. Burdigalenſe Foſſam tenet cum Hodoeporico; in illa a Baſſianis, *mutatio Nouiciani.* X. *mutatio Altina.* XII. priori *Aſhanya* vicus, laeuo Foſſae latere; poſteriori *Schurcsin*, ſitu elatiore, prope Sauum, reſpondeant. Haſius illud *Kupinovae*, hoc trans Sauum vico *Shaleſnik* admouit. Sequitur in Tabula,

Tauruno. VIIII. Velſ. *Tauruno.* VIIII. Hodoeporicon, *Tauruno claſſis.* XXX. a Baſſianis; in Regio, *Taurono laſſis;* in aliis, *Taurono claſſis*, *Taurimo claſſis.* Surita ex Plinio et Ptolemaeo *Taurunum* poſuit. Menſura Tabulae bene habet. Plinius, ripam Saui legens, ab Sirmio Taurunum XLV M. P. numerat, Hodoeporicon XLVIII. factis ſecus Foſſam flexibus; Tabula, quae Foſſam non nouit, recta progreſſa, XXXV. Burdigalenſe, Tauruno ad laeuam miſſo, Belgradum petit; non enim opus habebat diuerticulo. Ex hac varietate numerorum et itineris, mirum, quanta inter eruditos, ante aliquot annos, de Tauruni et Singiduni ſitu, concertatio fuerit exorta. Mihi quidem haec ſunt clariora, quam cum ſudiſſimum meridie caelum eſt; in primis, quae ſequuntur, adiunctis conſideratis.

Confluentib'. III. .co. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Singiduno caſtra.* IIII. Haec menſura cum ſit e tabulis etiam recentioribus adcuratiſſima, quam ego, a ruderibus Tauruni progreſſus ad Saui exitum, ſic ſe habere deprehendi, neminem, qui haec rite perpenderit, fore arbitror, qui de ſitu harum vrbium vltro dubitare velit. Tabula vno milliari minus cenſet, quod a munimento, Confluentes dicto, reliquum, quod fluuius interceperat, ſpatii non cenſuit; Itineraria locum praeteriere. Fuit munimentum hoc loco eodem reparatum, nunc in ruderibus haerens. Proinde olim quoque Sauum, non Tauruno, ſed Singiduno contiguum, Danubio acceſſiſſe, ex hoc Tabulae loco clariſſime patet.

XIII. Duae ſuperſunt in Tabula viae, altera ab Sirmio, iuxta Drinum ad *Zvornik*, inde per medium Boſnae agrum ad Bebios, in Dalmatiam; altera ab Seruitio, ſecus amnem *Verbas*, per eosdem montes ad coloniam Aequum, inde Salonam, ducentes. Illam ante perſequi libet, quam vna e vetuſtate ſeruauit Tabula; ſic vero ea ab Sirmio habet:

Cenſis. xxx. ſic Velſ. Simile vocabulum ad oram Adriae, poſt Dirrachium, legas, qui alias geographis eſt Genuſus fluuius, huic noſtro homonymus, vt Driloni Drinus. Noſter hodie *Janya* vocatur, ortus in iugis ab Scardo prouenientibus, quae hoc tractu *Cerna Gora*, mons niger, audiunt; praefluit arcem cognominem, Drino XII poſtea lapide immerſus; quem ad VIII M. P. ante exitum auctor Tabulae traiicere debebat.

Ad drinum. xv. Velſ. *Ad Drinum.* xv. Eo ſitu eſt oppidum *Zvornik*, laeua Drini ripa, vetuſtis chartis *Zwonyk*, *Zuornik*, poſterioribus *Zwornick*; et hodie diuerſe, *Zwornik*, *Zwornick*, Khevenhüllero *Zworneck*. Heic alterum nominatur a Tabula Drinus. Ager hic fuit Pannoniae, monte *Cerna Gora* a Moeſis diremtus. Inde in mediterranea Boſnae digreditur Tabulae auctor, longo viae tractu ſignato, numeris tamen, incommodo noſtro, exmiſſis.

Argentaria. absque numero; Velſ. *Argentaria.* Philippus Occhievia, in Epitoma prouinciae Boſnenſis, vbi arces et vrbes in Boſna inferiori recenſet, primas nominat *Zvornik* et *Srebarnicza;* in chartis recentioribus, *Srebernik*, laeuo amnis, Drinum ab occaſu petentis latere, in aliis eodem ſitu *Iadera*, ad XIII ab *Zvornik* in occaſum auctumnalem milliare. Iuga montis huius porriguntur ſecus Drinum, latere occiduo, fere ab Sauo ad fontes amnis, Scardum et Bebios montes. Argenti diuites fuiſſe montis huius venas, vox Pannonia Latiaque clare oſtendit. Aeuo quoque medio has metalli fodinas fuisse curatas, pecunia regum argenti puri, et prouinciae ſacri ordinis *Boſnae Argentinae* nuncupatio oſtendit, qua Fratres Minores obſeruantium, qui heic ſoli ſacra prouident, vſque hodie gaudent.

Stanecli. absque numero; inſignia municipii; Velſ. *Stanecli.* Locus hic fodinis argenti fuerit vicinus, quod absque nota numerali comparet, ab ſtatione fabrorum, qui id municipium conſtituerint, nuncupatus; cui poſtea a fodinis argenti nomen inditum; chartae vetuſtiores, *Zewernika*, *Zorwenik*, *Iſwornick*; et aliud inferius *Zarwenik*, *Serniza*; tertium *Zwenik*, adpellant.

Biſtue. noua. XXIIII. Velſ. *Biſtue Noua.* XXIIII. Numeri ducunt ad fontes *Dracsa* et *Milyaczka* amnium, ad oppidulum *Slave*, aliis *Sachovo*, vbi mons traiicitur, viaque in planum *Sarajevo* ducit, ſecus *Milyaczka* fluuium, qui Boſnam deinde petit. Videtur haec vox cum *Boſna* amne cognationem habere; alias Poſinos et Paſinos huius regionis incolas vocat Appianus, ſed Dalmatis viciniores. Quae ſi recte habent, Boſnios a Beſſis Thracibus, quorum coloniae iſthuc migraſſe nuſpiam referuntur, deriuare non oportebit.

Ad matricem. xx. insignia vrbis, muris et turribus eleganter expressa; Velſ. *Ad Matricem.* xx. Danuille, situ metropoleos Bosnensis *Sarajevo*, chartis *Bosna Sarai*, *Sarajo*, Latinis *Saralii*, *Matrice* ponit; recto *Matrix* nuncupata fuerit. Sita est ripa dextra fluuii *Milyaczka*, qui postea Bosnam, ab *Smolin* monte decurrentem, ingreditur; Hirschvogelio hic *Worwosen*, ille *Selenitza* vocatur. Vrbi nomen *Sarajevo* ab Turcis inditum; *Szahraji* enim campestris est, aut *Szehráji; Seraj*, palatium. Olim *Bosna* fuerit nuncupata, incolis *Verh Bosnae;* vnde *Worwoser*, *Verbosen*, *Verbosania*, et hodie quoque in chartis quibusdam, *Verbosina*, *Verbosinia;* quae tamquam ab *Sarajevo* diuersa, nunc sursum, nunc deorsum proiicitur, recte in melioribus exmissa. Neque enim Bosnenses id nominis vrbem nouerunt.

Bistue uetus. xxv. Velſ. *Bistue vetus.* xxv. Danuille, vt ostenderet, qua circiter haec via processerit, praeter Matricem, *Bistue* situ *Vissok*, seu *Viszoki,* oppidi statuit; quod a nostra via in septemtrionem recedit. Haec enim occasum versus progreditur, ad coloniam Aequum. Numeri ducunt in agrum antiquae vrbis *Rama*, laeua cognominis fluuii ripa sitae, a qua prouinciae, aeuo medio clarae, nuncupatio exorta.

In monte Bulsinio. vi. Velſ. *In monte Bulsinio.* vi. Montem hunc ipse auctor Tabulae signat supra coloniam Aequum, in cuius rudere *Cetin* oppidum est. Iuga montis huius Ptolemaeo *Βεβίων ὀρέων*, *Bebiorum* vocabulo veniunt; Tiberii epigraphe LVM adpellat. In chartis recentioribus, superne *Glamocs*, inferne *Klobuk* dicuntur; hodie *Prolog*, ad duas horas *Bieli brig*, inde Veneta ditio, itinere a *Kupresz* Signium. Oppida heic *Climo* (*Dumno*) ibi *Hlumo*, (*Livno*) quorum hoc superest, illud arcem *Xupanyacz* in Delminii ruderibus habet. In chartis antiquioribus, *Monte Lipte*, hodie *Liepcse* campus. Danuille, *Bassick*, *Basicza* oppidulum respexerit, *M. Bussinus* notans; quod est iusto propius, montes autem remotiores. Vox *Bulsinius* non minimam cum Bosnensibus cognationem habere videtur.

Ad Libros. viiii. Velſ. *Ad Libros.* viiii. Est oppidum *Livno*, chartis *Climo*, *Hilero*, antiquioribus *Clinovo* pro *Hlivno;* qua et hodie via ab *Sarajevo* ducit, iam in censu Dalmatiae veteris, quae monte Bulsinio seu Bebio a Pannonia inferiore dirimebatur. Inde xxii M. P. ad coloniam Aequum, supra munimentum et vrbem *Sziny*, de qua in Dalmatia differemus. (a) Haec erat princeps ab Sirmio per medios Bosnensium agros via in Dalmatiam, de qua in epigraphica locuti sumus.

XIV. Superest iter mediterraneum ab Seruitio Salonam quod etiam Hodoeporicon exhibet. Danuille, ripam *Verbasz* amnis laeuam tenens, tria enumerat ex hoc itinere loca; quaedam Hasius; ceteri geographorum *παῖδες*

(a) Viae ductus est ad Tilurium, interuallo aeque iusto.

tacent. Iter Tabulae Verbasum non accedit; sed media hunc inter et Vunam regione procedit, primum iuxta *Verbashka* fluuium, deinde versus Vunae et Cetinae fontes. Hodie via haec siluis dumisque sepulta iacet, vestigia tamen ipsius superant, et nonnullis locis frequentantur. Ab Gradisca, vnde itineris principium, late fusa planities conspicitur, montibus ab occasu *Kozara*, ab exortu *Motavicza*, theatri instar clausa. Ingrediamur; mansio ab Seruitio prima,

Ad fines. XVI. Velſ. *Ad fines*. XVI. Danuille, situ vrbis *Bajnaluka Fines* statuit; nos ad exortum amnis *Verbashka*, apud arcem *Mashich*, vbi mons et passus *Klanacz* transitum olim fuisse ostendit. Danuille hac Fines Pannoniae duxit, qui longius in austrum abscedunt; ego Fines Sauiae, seu prouinciae mediae, vt Tabula vocat, et vna Pannoniae superioris, inferiorisque accipio, qui per iuga horum montium, ab exortu Vunae ad fontes Cetinae tenduntur. Quondam hic terminus Bosnae et Croatiae fuerit; hodie quoque ad Verbasum Croatiam Turcicam statuunt, Bosnensibus regnum suum ad Vunam patere volentibus. Quod si veterem reuocemus terminum, lis omnis accipiet finem. Hoc ipsum iter Pannoniae vtriusque Fines describet.

Castra. XIII. Velſ. *Casra*. XIII. Geographi iuniores negligunt mansionem. Est arx *Kozaracz*, ad montem *Kozara*, in regione Bajnalukensi nuncupata, *Bajnalucsko polye*. Habemus heic loci et montis nuncupationem antiquam, non ab castris, vt cuiquam videri posset, ortam, sed a capreis, quarum et hodie his in montibus copia est. Hirschvogelio perperam *Roczura* oppidum, audit.

Hodoeporicon deflectit ad ripam Verbasi, ab Seruitio notans, *Ad Ladios*. XXIIII. quae est vrbs *Bajnaluka*, chartis *Banjaluka*, antiquis *Wanyaluka*, Hasio *Vammaluka*. Ladestini, quos e tabulis aeneis heic excitat Wesselingius, sunt Iadestini, non ab Ladesto insula, sed ab Iadera nuncupati, qui huc nihil faciunt. *Ladios* fontes dixerunt recte maiores Pannoniorum, quos hodie *Banyi* nuncupare solent; qui sunt hac regione et frequentes, et saluberrimi. Sequitur in Tabula,

Lamatis. XII. Velſ. *Lamatis*. XII. Hodoeporicon, *Aemate*. XIX. Regium, XVIII. Neapolitanum, *Emate*. XVIIII. Rauennati, *Lamatis*. Nominis vestigia in *Imatz* durare videntur, inquit Wesselingius. Chartae Lazii *Lemacz*, quem nonnulli sequuntur alii; Hirschvogelio *Lewatz*, a ripa remotius. Hasius apud *Iaice* vrbem, Danuille apud *Smihanie* oppidum, ad ripam Verbasi; sed numeri *Kamengrad* oppidum, laeua Sanae ripa, exposcunt. Nam ad *Szmihanje* a *Banyaluka* non amplius X M. P. censentur. In charta prouinciali oppidum *Majdan*, cum paroecia veteri, heic conspicitur; quod antiqui vocabuli vestigia rectius tenere videatur.

Leusaba. X. Velſ. *Leusaba*. X. Hodoeporicon, *Leusaba*. XIII. in Regio et quibusdam aliis, *Leusaua;* Longoliano *Leusana;* Cusani MSS. *Leusana*. XIV. Vndecim sufficiunt. Est vetus arx cum vrbe *Klyucs*, in qua reges Bosnae thesauros habebant, laeua eiusdem Sanae ripa. Danuille, vrbem *Iaice* esse voluit;

in Ortelianis deest nostra; in Seutterianis *Klutsch*, recentioribus *Klutz*, *Kliutsh.* In eadem regione quaedam chartae signant oppidum *Lyubacsevo*, quod cum veteri adfinitatem habeat.

Baloie. XII. Velſ. *Baloie.* XII. Geographi locum negligunt. Est vetus arx cum oppido *Belaj*, chartis *Belay*, antiquis *Welay*, in agro cognomine, intra montes, ad riui Vunam petentis exortum. Locus in historia patria celebris, qui nomen vetus, numeris monstrantibus, feliciter seruauit.

Indenea. V. insignia municipii; Velſ. *Indenea* V. Neque hoc oppidum nouerunt παῖδες geographorum, quia in Hodoeporico non reperitur, quod heic aliam tenet viam. In antiquis chartis *Unacz* oppidum, Hirschvogelio *Vnacz*, ad recentem fluuium cognominem, visitur; qui Indeneae veteri respondeat. *Dinara* mons, hoc tractu altissimus, ab occasu est huic regioni vicinus, qui Pannonios a Liburnis isthic dirimebat, vocis cognatione oppido veteri iungitur. Ceterum ager hic et alpium decliuia in Pannoniam spectantia, *Szerp*, *Szerb*, audiunt; vnde Serbos quis ortos putet; sed alia est iis origo.

XV. Sarute. VIII. Velſ. *Sarute.* VII. Hodoeporicon, *Sarnade.* XVIII. Schotto, *Sarnada*; nonnullis *Sarnadae*; Ptolomaeo, *Σιδρῶνα*, *Sidrona*, Schotti edito *Σίδρωνα.* Diuo Hieronymo, cuius patria erat, Strido; paraphrasti eius, *ἀπὸ πολίχνης Στρηδόνος*, *ab oppido Stredonis*; Porphyrogennetae *Σίδραγα*, *Sidraga.* Hodie *Stermicza*, *Sternitza*; Lottero *Sterniza*, qui, respectu interualli ab Indenea, et ab *Klyucs*, situm oppidi rectius statuit, quam recentiores, loco in austrum longe remoto, et in quibusdam chartis Dalmatiae adscripto, a qua iugis Dinarae, quae est Bebiorum portio, separatur; vt adcurate expressit Haket in mappa Croatiae, in qua *Sternicza*, a finibus regionis Croaticae, *Zermanya* nuncupatae, quae olim ad Liburniam spectabat, in exortum fere vno mill. geogr. remouetur. Diuus scriptor, cum ait, Stridonem Dalmatiae quondam Pannoniaeque confinium fuisse, in haec loca digitum clare intendit, quibus hodie quoque fines Croatiae, Bosnae, et Dalmatiae concurrunt. Danuille paullo superius, situ *Belgrad* oppidi, *Sitrona* posuit; sed non debebat Stridonem ad insulam Murodrauanam, quo id oppidum minime spectat, transferre, cum idem fuerit locus; qua de re vberius alias dictum.

Ionnaria. XIII. insignia praesidii; Velſ. *Ionnaria.* XIII. Hodoeporicon rursus in exortum abscedit. Numeri ducunt ad vrbem antiquam, hodieque valide munitam, *Knin*, apud amnis *Butimshicza* et recentis *Kerka* confluentem, iam intra Dalmatiae fines. Doctissimus Fortis Albertus, Ardubam Cassii Dionis Kninum esse putabat; sed ea forsan aptius munimento *Dernix* conueniet, versus Cicolam fluuium, vbi Bariduum Tabulae ponemus. *In alpe Rio*, quod sequitur, erit *Vergich* mons cum praesidio cognomine, cui rudera coloniae Aequi sunt vicina; quae in Dalmatia visuri sumus.

Hodoeporicon, ab Sarnadis in exortum abit, ad fontes amnis *Pleva*, aliis *Pliva*, vitio *Blina*, vbi hodieque oppidum *Pleva* conspicias, numeris recte

huc ducentibus. Sed tum erit *Pelua* Siluiis praeponenda, quod etiam Ptolemaeus ſuadere videtur, ſi Saluiam eius, quam cum Sidrona in Liburnis recenſet, Siluias Hodoeporici eſſe velimus, vt iam Simlero videbatur. Eſt recta in auſtrum, ad XVII lapidem, *Zaſolye* oppidum, quod ſono quoque vocis Saluiae reſpondeat, ab coſmographo in vicinam Liburniam translatae; quod eo minus de homine Aegyptio mirere, quo acriora de ſolo natali D. Hieronymi certamina conſpexeris, prouinciarum terminis omnibus commiſſis. Et gradus quidem latitudinis bene habet, reſpectu Sidronae; longitudinem cum hac permuta, et poſitionem vtriusque adcuratam obtinebis. Inde *Han*, ad laeuam Cetinae recentis, vbi nonnulli recentiores oppidum homonymon ſtatuunt, alii cum *Sziny* vrbe committunt, ſunt rudera ciuitatis antiquae, agro Signienſi, vbi Aequum fuiſſe dicemus. Et hactenus quidem de Pannonia dictum eſto.

CAPVT IX

MOESIA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. POPVLI vocabulum eſt perquam vetus, vtpote patri Poetarum Homero notum; diu poſtea, variis nominibus, migratione gentium, inualeſcentibus, occultum, ſub aetatem Octauiani in lucem rediit; Strabone huius dicti teſte vberrimo. In epigraphica epitheton Moeſicus, Moeſiacus, et Patriae vocabulum Moeſia, frequentius leguntur, populi nusquam. In tabella miſſionis Dacica, qui militant in claſſe MOESICA. Coloniae Agrippinae, Ruſinus exdecurio claſſis MOESICAE. apud Fabrettum, T. Faberius, praef. equit. alae MOESICAE. in marmore Pannonico, M. Cocceius, MOESICVS. vice cognominis. In pecunia Hadriani, exercitus MOESIACVS.

II. Patrium nomen MOESIA, non minus in marmoribus frequens; epigraphe Dacica, in qua M. Papirius, curator Pontis Auguſti in MOESIA. Arretii, L. Artius, propraet. prouinc. MOESIAE. Item, diphthongo variata,

Maeſia; Romae, Aur. Dizane Cotio, nat. ex prouincia MAESIA. Etiam vocali ſimplice; Valerius Victorinus, natus MESIA inferiore; et vocali graeca, Myſia; Romae, Antonius Paternus, miles, natus MYSIA ſuperiore.

Diuiſionem in ſuperiorem et inferiorem epigraphae quoque teſtantur; Romae, M. Statius Priſcus, legat. Aug. propr. prouinc. MOESIAE SVPER. item, Aur. Dizane Cotio, nat. ex prouincia MAESIA INFERIORE. Tabula quoque hanc diuiſionem prodit. MESIA SVPERIOR. ab Tauruno ad Viminatium; inde MESIA INFERIOR. ad Naiſſum. Reliquum forſan Thraciae, vt Strabo et Plinius tradidere, adcenſeri auctor voluit; quod ab Aureliano rurſus inualuerat. Ptolemaeus, Ciabro amne Moeſias dirimi tradit, per iuga ſcilicet montis, inter Morauae et Eſcheris fontes procurrentis.

III. Explicatur prouincia a monte Argentaria et exitu Saui ad oſtia Danubii, inter ipſum flumen hoc, Thraciam et Macedoniam. Ab occaſu pro termino habet montem Nigrum, *Cerna Gora*, Tabulae Argentariam, chartis vetuſtioribus *Vragnanſka Cliſſura*, item *Argentaro;* a ſeptemtrione fluxum Danubii ante dictum, ab exitu Saui ad oſtium Sacrum; ab oriente oram Ponti, ad promontorium Haemi; a meridie iuga montium a fontibus Drini Pannonici ad fontes Eſcheris, inde iuga Haemi ad promontorium in ora Ponti. Procurrit ab gradu longit. 37 ad gr. 48. latit. 42 min. 10. ad 45 min. 35. Longitudo ſumma, a monte Argentaria ad oſtium Danubii boreale, M. P. DCL. latitudo a parallelo fontium Eſcheris ad oſtium Iſtri memoratum, M. P. CCCXX.

§ II

Montes, fluuii, inſulae, ſinus, portus, populi.

I. TRACTV ſingulari exhibet Tabula montem, Drino ab exortu praetentum, ab Singiduno ad Viminatium, et in auſtrum ad Scadrum. Ei nomen Argentaria. quod itinere ab Sirmio Salonas occurrit. Duos ex eo deriuat amnes, Margum et Ibarem iunctos in Danubium, Drilonem in Adriam. Hunc montium tractum, in primis, qua Drini et Drilonis fontes ſunt, veteres Scardum et Scordum dixerunt; *Argentariam*, niſi Tabula nemo nouit. Manſit nuncupatio apud incolarum nepotes, *Srebernicza*, cum oppido cognomine, de quo in Pannonia dictum. Superior iugorum tractus, hodie *Cerna Gora*, mons Niger, vocatur, inferior *Lyubotin planina*, vbi Scardus. In chartis antiquioribus ille *Vragnanſka Cliſſura*, hic *Monte Marinaro*, aut *Marianaro*, audiunt, quorum *Marinaro* incolae ignorant; niſi Graeci aut Albanenſes ita eum adpellant.

Cum Argentaria nexum habet mons Aureus, cuius Tabula, Hodoeporicon, Notitia, Eutropius meminerunt. Hic de Probo: opere militari montem Aureum apud Moeſiam ſuperiorem vineis conſeuit, et prouincialibus colendas

dedit." Etiam paraphrastes, τὸ Ἄυρεον, ἐν Μυσοῖς, *Aureum* montem *in Mysis.* Oppidum, quod Aurei montis vocabulo veniebat, Semendriae adscribimus, cuius ager vino generoso clarus. Attolluntur iuga montis huius apud Belgradum, vbi *Dedina*, vlterius *Vracsar*, quod tempestatem indicare solet, nuncupatur, apud Iagodinam oppidum, Morauae vicinum, *Lukavicza*, teste Verantio.

Alius mons minutus in Tabula exhibetur, ex quo fluuius Almus, hodie *Lom*, promanat; iuga eius cum Aureo nexum habent, sed olim nomine alio venerint; quae auctor Tabulae idcirco praecipue signauit, quod ad fontes Almi et Ciabri fines vtriusque Moesiae concurrebant. Hodie tractus hic montium *Kunovicza* in chartis vocatur, Verantio *Kunavicza;* olim amni fuerit cognominis.

Similis tractus comparet porro, vnciam longus, ex quo hinc Escus, inde Hebrus originem sumit. Herodotus, ἐκ Παιόνων καὶ ὄυρεος Ροδόπης, *ex Paeonibus et monte Rhodope*, Cium deriuat. Thucydides, Oscium, Nestum, et Ebrum, e Scomio surgere ait; quod Aristoteles repetit. Plinius, *Ex Rhodope Oescus.* Erant vicini montes, Haemus, Rhodope, Scopius, Orbelus, vt a Plinio censentur. Hodie *Rupcza* incolis Thracibus, teste Verantio; chartis, *Despoto dagh;* Hasius plura nomina refert, *Iongou*, *Parally*, *Estaque*, *Chura*, *Turienne*, quae sint peregrina. Ex Thracum nuncupatione indigenas patriae huius cognoueris.

Supra Philippopolim, ad Haemi principium, mons tractu distincto, duas vncias productus cernitur, quem hodie *Turjan dagh*, olim forsan Traiani montem dixere. Alterum inferius, ductu longiore, Pontum versus, exprimit auctor Tabulae, qui est Haemus, patri historiographorum Herodoto notus; Turcis *Emmeh dagh*, *Emineh dagh*, Illyriis *Vitosh*, Thraciam a Moesia, hodie Rumeliam a Bulgaria dirimens.

Supra Haemum est alius exiguus montis tractus, ex quo Iatrus, *Jantra*, profluit, quem *Balkan*, Haemi partem, nonnulli vocant. Postremus, vnciam longus, infra Axiopolim, sub quo *Locidae Regii*, Scythae nimirum, quos Strabo et Plinius heic memorant; qui sit ille Tatariam Dobrucensem mediam, Pontum inter et Istrum procurrens, cuius nomen vetus, vt praecedentium, ignoramus. Campos ei vicinos hodie nonnulli *Tatarsko polye* nuncupant. Hi fuere montes.

II. In fluuiis praecipui sunt, Danubius, qui et Ister, Margus, cum Ibare, Almus, Escus, Vtus, Anasamus, Iatrus. Danubii, cuius mensuram apud Vindelicos dedimus, scilicet nouem pedum, trium vnciarum, ex quibus tres pedes cum semisse occupat Moesia, nomen in Tabula non comparet, nisi ad ostia, vbi legas, Hostia Danubÿ. quorum e veteri traditione quatuor censentur. Haec secundum Arriani descriptionem erant, *Sacrum*, Turcis *Hasrali bogasi;* *Naracum*, *Sune bogasi;* *Pulcrum*, *Ruski bogasi;* *Boreum*, *Selina bogasi;* queis addit quintum, *Psilon*, *Kilia bogasi*, quod olim ceteris minus ac tenuius, vt ipsa vox indicat, ab auctore Tabulae est neglectum. Hodie in chartis

melioribus, maiora quatuor, minora duo, praeter alueos intermedios, notantur. Herodotus, Istrum *πεντάστομον*, *quinque ostiorum*, esse dixit; Plinius sex enumerat; Strabo tria parua, Sacrum maximum, et reliqua, quorum numerum non indicat, tria itidem intelligens, magna; Sacrum dumtaxat nominat. Ptolemaeus, singulari industria, fluxum nexumque ostiorum describit, septem recensens, vt Ammianus facit. Istri, quo nomine Danubius alias venit, mentio fit in mansione *Camistro*, et oppido *Nicopolistro*. Strabo flumen ab cataractis Istri vocabulo ferri docuit; alii ab Sauo, alii ab Axiopoli; Naso recte *binominem* dixit. Nam Graeci veteres, Danubii vocem ignorant, recentiores Istrum negligunt, vniuerso defluxu Danubium cum Tabula nuncupantes.

Margum fl'. Sic Vels. Tabula fluuium Ibare auctum adcurate in Danubium suo deducit alueo, vt Herodotus memorauit, cuius notitia ad Sauum non pertigit; Ex Illyriis, inquit, (a) in boream tendens "*Ἄγγρος*, *Angrus*, planitiem Triballicam interfluens, *Βρόγγον*, *Brongum* intrat, Brongus Istrum; sic vtrumque magnum Ister excipit." *Ibar* surgit, vbi et *Vardar*, scilicet in monte *Lyubotin*, qui Scordus olim dicebatur, vnde Scordisci Illyrii, non Galli, vt posteriorum quidam volebant; *Morava* in monte *Argentaro*, veteres Orbelum dixere, regione supra Chrestoneos, quam Dardani tenebant, Herodoto ignoti, originem sumit. Herodotus nomina permutauit, Brongum Angro substituens; Angrus quippe Margus est, Brongus *Ibar*. Mirum autem cuipiam videatur, neminem e posteris fuisse, qui heic Herodotum sequi voluerit. Strabo *Μάρτον*, *Martum*, aliis *Βάργον*, Bargum vocari ait, duos fluuios in vnum committens. Plinio, *e Dardanis Margis;* quod sanum est; sed cum ait: *Flumina in Hebrum cadentia*, *Bargus*, *Suemus;* errat, Strabone quoque iudice. Ptolemaeus hos amnes ignorauit. Velseri scriba vno alueo deducit ambos.

Sunt in Tabula mansiones Timaco. *maiori* et *minori*, quae ex interuallis ad fluuium *Timok* incidunt, vetus nomen seruantem, a quo medio aeuo *Timocsani* adcolae nuncupati.

Almo. Vels. *Almo.* Locus in via, ad fluuium cognominem, qui cum monte exprimitur, vt supra monebamus. Est *Lom* fluuius, in monte *Kunavicza* ortus, Istro apud *Lom-grad* oppidum immersus; nonnullis *Lim*, forsan rectius, vocatur. Voluerit auctor Tabulae huius fluuii montisque typo fines Moesiae, quos Ptolemaeus apud Ciabrum statuit, designari. Apud Scheibium Alino expressum est, vt nomen vetus *Lini*, a pigro fluxu, fuisse putes. Sane *Lim* quorumdam cum hac nuncupatione congruit.

fl. Escus. dextra exorientis; Vels. Fl.' Escus. in via autem esco. Vels. *Esco.* Municipium ad amnem homonymum. Nobilis fluuii meminit Herodotus, et post eum scriptores plerique: Ex Paeonibus, inquit, et monte Rhodope,

(a) L. IV. p. 238.

Κίος ποταμὸς, Cius fluuius, medium interſcindens Haemam, Iſtrum petit.“ Thucydides, *Ὄσκιον, Oſcium* vocat. Straboni *Σκαιὸς, Scaeus* eſt; Plinio *Oeſcus*, Ptolemaeo quoque *Οἰσκὸς, Oeſcus;* Procopio *Ισκὸς, Iſcus;* Iornandi *Hiſcos;* hodie *Eſker, Eſzker, Iſker*. Verantio *Iſkar*, qui minus recte Ciabrum interpretatur.

𝔙𝔱𝔬. Velſ. *Vio.* pro Vto, quae eſt manſio apud fluuium vocabuli eiusdem, quem plures memorant; Plinius: *Ex Haemo, Vtus, Eſcamus, Ieterus. Vid* eſt, apud *Somovnik* Danubio miſtus. Eſt manſio ad Oſmam fluuium *Anaſamo*, quod nomen amnis vetus eſſe *Oſma* fatetur. Iatrum exprimit Tabula, absque nomine; quod in oppido *Iatro*, Velſ. *Latro*, poſtea occurrente, ſuperet. Plinio *Ieterus*, Iornandi *Iatrus*, Theophylacto *Ιατρὸς, Iatros;* hodie *Iantra, Jantra.* Hic erit forſan *Ἄθρυς, Athrys*, aut *Ἀτάρνης, Atarnes*, Herodoti. Adde 𝔓𝔲𝔫𝔦𝔠𝔲𝔪 in via, ad fluuium Pingum, vt Plinio dicitur; Notitiae locus *Pinco;* numis Hadriani ludi PINCENSIA dicti. Hodie *Pega.* Itinere a Marcianopoli Anchialum, 𝔓𝔞𝔫𝔫𝔦𝔰𝔰𝔬. manſio, cadit ad amnem, Graecis *Daphne*, Bulgaris *Titza*, Turcis *Kütsük kandſhik* nuncupatum, Ptolemaeo *Panyſus*, Plinio, *Panniſis, Panyſſa.*

III. Inſulam ante oſtia Danubii exhibet Tabula, quae apud Scheibium 𝔥𝔰𝔖. 𝔥𝔢𝔩. v. mediis extritis, notatur; Velſ. *Inſ. Helru.* Ptolemaeo, hoc ſitu eſt, *ἡ Αχιλλέως ἡ Λευκὴ νῆσος, Achillis Leuce*, ſeu alba inſula; hodie *Ilan adaſi* Turcis, inſula ſerpentum. Videtur olim in Tabula ſcriptum fuiſſe, *Achillis Leuce*, vt Ptolemaeus habet, contracto deinde in *Heliu* vocabulo. Inſulae Achillis erant plures, quarum nonnullas in Bosporo Cimmerio nominauimus. Anonymus Peripli Ponti Euxini auctor, oſtio Pſilo obiectam ait inſulam Achillis, ſed cum aliis eiusdem nominis, et cum Dromo confundens; refert autem inter donaria Achillis in templo inſcriptiones quoque Romano et Graeco carmine conceptas exſtitiſſe; quae ad Bosporanam referri putes.

Intra oſtia Danubii praecipua fuit inſula *Peuce*, cuius meminere plures; Plinius, Sarmaticam iuxta Calonſtomon, et iuxta Pſeudoſtomon, quod eſt quartum, *κωνώπων διάβασιν, culicum transitum*, nouit. Mela, ſex fuiſſe refert, vnam Peucen, notiſſimam et maximam, promit.

IV. 𝔖𝔦𝔫𝔲𝔰 𝔄𝔳𝔵𝔦𝔫𝔲𝔰. Velſ. SINVS AVXINVS. apud Scheibium alterum vocabulum eſt vitiatum, 𝔙𝔖𝔦𝔫𝔲𝔰. Antiquiores *Πόντον, Pontum* plerumque vocant, vt Strabo, qui nonnumquam *τὸν Εὔξεινον, Euxinum* quoque, absque addito, compellat. Pomponio Melae, ingens Pontus, forma Scythici arcus, fluctuoſus atque feruens; olim ex colentium ſaeuo admodum ingenio Axenus, poſt commercio aliarum gentium, mollitis aliquantum moribus, dictus Euxinus.“ (a) Et Plinius: *Pontus Euxinus, antea ab inhoſpitali feritate Axenos*

(a) L. I. c. 19.

adpellatus. (a) Anonymus Peripli auctor, *τὸν Πόντον, τὸν πρὶν Ἄξενον λεγόμενον διὰ τὰς ἐπιθέσεις τῶν βαρβάρων, Pontum, qui ante nuncupatus eſt Axenus, propter irruptiones barbarorum.* (b) Plinio etiam ſinus vocatur, vt in Tabula: *Quartus e magnis Europae ſinus, ab Heleſponto incipiens, Maeotidis oſtio terminatur;* (c) quem nemo diligentius deſcripſit. Hodie mare nigrum, Turcis *Kara denghis*, Valachis *mare Neagra*, Ruſſis *Csernoe more.* Portus hi numerantur:

PORT. H---- Velſ. PORT. HELODOS. Vocabulum hoc cum inſula cognationem habere videtur, tamquam ſcriptum olim fuerit *Achileidos;* vt ad eam, vel oſtiorum quodpiam portum hunc fuiſſe putes. Strabo vltra Iſtrum binas paludes eſſe refert, quarum altera portum habuerit, quem nominare omiſit.

PORT MEONENS—V. Velſ. PORT. MEONENSIVM. Meones vel Maeones, antiquus Aſiae minoris populus, Lydis vicinus, forſan cum Mileſiis, qui vrbem Iſtrum condidere, huc adpulſi, vicinum oſtiis portum habuerint, cuius alter non facit mentionem.

Port. Be--cto. voz. Velſ. PORT. BOEOTORVM. Eſt ad oſtium Sacrum, ſupra exitum, vicus *Beoten*, aliis *Barteni*, qui, neſcio vtrum quidpiam iſthuc faciat. Boeotios alius iſtis locis non memorat. Heracleotarum et Mileſiorum hoc litore ſunt notae coloniae, non item Boeotiorum. Infra Tomos portus *Caria*, Melae notus, quem alii *Caros*, et *Carum* vocant, an recte, dubites; quod *Caria* aliunde nuncupari potuit; et in Periplo Ponti Euxini, *νῦν δὲ αἱ Κάριαι λέγονται Καρέαι, nunc autem Cariae dicuntur Careae*, ex Arriano, cui terra circum portum *Καρία*, *Caria* dicitur, vt Melae. Cararum igitur, ſeu Carearum portus hic erat, iuris Heracleotarum, qui Calatin condidere. Danuille, *Caria*, *Carum portus*, ſitu vici *Galegri;* forſan rectius *Kavarna;* quod in priore litus continuum pro portu minus aptum videtur.

ſ i i ſ callire. Velſ. PORT. CALLIRE. Danuilleo, *Callyre portus*, quem a priore diſtinguit; forſan idem erit, veſtigia in *Kelograh burun* retinens. Certe Tiriſtis promontorium Melae, *Τιρίστρια ἄκρα*, *Tiriſtria* Ptolemaeo, heic ponuntur. Apud Dionyſopolin portus *Crunos*, quod nomen ipſi vrbi olim proprium erat, Plinio teſte; hodie *Balteluk* oppidum vocatur.

PORT THEMOMONTES. Velſ. PORT. THEMOMONTES. Auctor Peripli Ponti Euxini, *τὰς τοῦ Αἵμου ὑπορείας, Haemi montis radices* vocat, quae ad Pontum pertingunt, *ἐν αἷς ὅρμος ναυσὶ, in quibus ſtatio nauium.* Hodie loco nomen *Emineh*, promontorio *Emineh burun*, Moeſiae et Thraciae finis, ipſo etiam Peripli auctore teſte, praeter Ptolemaeum.

V. Plures populi, circa Pontum in primis, a veteribus cenſentur, Tabulae non niſi LOCIDE' REGI. *Locidae Regii* memorantur, aliis ignoti.

(a) L. VI. c. 1. (b) Pag. 13. edit. Voſſ. (c) L. IV. c. 24.

Plinio, tractu hoc, ſunt Getae, Aorſi, Gaudae, Clariae, Arraei Sarmatae, et Scythae. Ptolemaeo, ſub oſtio Peuce, ſeu Sacro, *Τρωγλοδῦται*, *Troglodytae;* qui quod e Scytharum genere eſſent, in *Locidas Regios* abierint. Scythas olim Sarmatasque, Danubio traiecto, heic poſuiſſe ſedes, Strabo teſtatur. Scymnus, Dionyſopoli, quae Crunos dicebatur ante, vicinos Crobyzos et Scythas egiſſe refert, miſtos Graecis. Eadem docuit Naſo. Crobyzi fuerint Sarmatae; Scythae forſan e Tatarico genere, a quibus Tataria Dobrucenſis nomen accepit. Videntur enim mihi in illis turbis Scythicis, qui Cimmeriorum terram occupauere, praecipui ſtirpis Tataricae fuiſſe populi, quos media aetas Pacinacas, et Chunos, Hunnosque nuncupauit. Sane vetuſtiores hi ſunt ad Pontum, quam vulgo credantur.

§ III

Oppida, manſiones Moeſiae ſuperioris.

I. RIPAM Danubii, pro more, legemus primum, quam Tabula cum Hodoeporicis tenet. In Hodoeporico Antonini, vt in Tabula, vnum eſt Viminatium vſque iter, inde plura notantur. Ab Confluentibus, quos in Pannonia apud Saui exitum poſuimus, ad tertium ab Tauruno lapidem, continuo ponitur,

Singiduno. absque numero, inſignia municipii; Velſ. *Singiduno.* Hodoeporicon, *Singiduno caſtra.* IIII. ab Tauruno. Burdigalenſe, *ciuitas Singiduno.* VIII. a manſione Altina. Ptolemaeo Eraſmi, *Σιγίνδουνον*, *Sigindunum*, Surita *Σιγινδοῦνον* legit; Schotti libro *Συνήδουνον*, *Synedunum*, Italo *Singiduno*, vt in ſuis *Σιγγίδουνον* habuiſſe videatur; ſic regius codex Procopii, *Σιγγιδόνων*, pro *Σιγγίδονον*, *Singidonum;* Theodoretus, *Συγγίδονον*, *Syngidonum;* Simocatta femineo, *τὴν Σιγγηδόνα*, *Singedonem* vocat, addens, *δύο ποταμοὶ ἀγκαλίζονται, ὅτε Σάος καὶ Δράος*, *quam duo fluuii Saus et Draus cingunt;* quo loco Drauus non bene habet. Ptolemaeus de ſitu vrbis minus recte edoctus fuerit, cum eam dimidio gradu ab Tauruno in exortum remouet, a quo non integris quatuor minutis abeſt. Belgradum eſſe, Illyriis *Biograd*, vrbs alba, cum alias, tum ſingulari de Singiduno commentatione oſtendimus; et ante nos Danuille, poſtea Seuerini, nouiſſime vero Salagius longa oratione, monſtrarunt. Tabula ſane cum Hodoeporico, etiam ſi nullum aliud praeſto eſſet momentum, ſitui terminando abunde ſufficerent. Burdigalenſe, memorato Singiduno, *Finis Pannoniae et Myſiae*, notat, quae phraſis cum exitu Saui, quem non exprimit, iungi debet.

Tricornio. XIIII. Velſ. *Tricornio.* XIIII. Burdigalenſe, *mutatio ad Sextum.* VI. *mutatio Tricornia caſtra.* VI. Sextus ab Singiduno lapis fuerit vicinus caſtro *Xarnovo,* (*Zsárnovo*) cuius meminit Verantius, quod erat ad octauum ab vrbe milliare, vnde et Ὄκταβον Procopio dictum, ab Iuſtiniano exſtructum, diruto forſitan bellis ad Sextum loco. Tricornium, Ptolemaeo Τρικόρνιον, Schotti libro Τρικόνιον, *Triconium,* Italo *Tricornio;* cui coſmographus addit, παρ᾽ ἣν ἐκτρέπεται Μόσχιος ποταμὸς, *apud quam* vrbem *exit Moſchius fluuius,* quem in Dacis Temeſum interpretamur; exiguus quippe riuus, Krotzkam praefluens, id nominis gerere nequiuit. Notitia, *Tricornio,* auxiliares *Tricornienſes;* incolae Τρικορνήσιοι *Tricorneſii* Ptolemaeo. Hierocli Πρικορνία *Pricornia,* pro Τρικορνία. Eſt oppidum *Krotzka,* Verantio caſtellum *Groczka,* Turcis *Iſardſhik,* riui cuiuspiam Danubium petentis laeua.

Monte aureo. XII. Velſ. *Monte aureo.* XII. Hodoeporicon, *Aureo Monte.* XXIIII. ab Singiduno. Burdigalenſe, *mutatio ad Sextum milliare.* VII. *ciuitas Aureo Monte.* VI. Sextus hic lapis ab Aureo monte numeratus erat, via prouinciali, Drinum et Sirmium verſus, cuius veſtigia apud Argentariam ſunt manifeſta, forſan tum adhuc minus perfectae. Locus hic olim deſolatus fuerit, vt ne in ſpecialibus quidem chartis notetur. Aurei montis, quem Probus Imp. lecta vite conſeri iuſſit, ex Eutropio et Victore meminimus; oppidum refert Notitia. Eſt vrbs Semendria, Illyriis *Szmiderevo;* Verantio, qui poſitum eleganti oratione deſcribit, *Zmiderouium;* chartis antiquioribus *Zenderin, Senderow,* Hungaris *Szendrö,* laeua exeuntis *Jeſſava* fluuii.

Margum fl. XIIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Ab Aureo Monte. Vinceia.* VI. *Margo.* VIII. Simlero, vel *Vincea, Marco;* apud Suritam quoque in Regio, *Margo,* in reliquis *Marco.* Burdigalenſe, *mutatio Vingeio.* VI. *ciuitas Margo.* IX. Notitia, auxilium *Margenſe, Margo.* Priſco, Μάργον, τῶν ἐν Ἰλλυρίᾳ Μυσῶν, *Margum,* oppidum *in Illyria Myſorum.* Iornandi, ciuitas *Margo plano.* Vinceiam putat Weſſelingius, a vineis Probi nuncupatam; hodie vicus *Vucsacz,* ad *Jeſſava* et *Jalenicza* amnium confluentem, via in mediterranea ſecus amnem recedente. Nam recta ab Semendria ad *Kulics,* caſtellum laeua Morauae exeuntis ſitum, cui Margum oppidum reſpondet, non niſi VI M. P. cenſentur.

Viminatio. X. inſignia municipii; Velſ. *Viminatio.* X. Hodoeporicon, *Viminacio.* XXIIII. Burdigalenſe, *ciuitas Viminatio..* X. Ptolemaeo, Οὐϊμινάκιον, λεγίων, *Viminacium, Legio,* ſcilicet VII Claudia. Theophylacto, Βιμινάκιον, *Viminacium,* Priſco Βημηνάκιον, *Vemenacium;* prior vrbem ſplendidam, in Iſtri inſula, nuncupans; intellexerit *Oſztrovo,* cum vico homonymo. Plures alii meminere vrbis; neque ea epigraphis ignota; apud Fabrettum, M. Aurelius, tribu Galleria, AELIA VIMINACIO. in marmore domeſtico, T. Alatius Icon, quaeſtor MVN. AEL. VIM. Quae docent, municipium ab Hadriano inſtitutum, cui poſtea Gordianus iura coloniae contulit, numis ad Gallienum vſque, P. M. S. COL. VIM. praeferentibus in ea percuſſis. Inſignia vrbis veſtigia deprehendit

Marsilius vtraque Mlavae fluuii exeuntis ripa, vbi nunc vici *Kosztelacz*, et *Breninkolacz*, mensura situi adcurate respondente. Danuille, eiusque ducatu plures, ad Ramam abiere, castellum operis recentioris, oppido *Ujpalanka* aduersum, ad octauum a Viminatii rudere in exortum aestiuum lapidem.

II. Tres sunt a Viminatio viae, vna in Daciam, altera per Danubii ripam Taliatam et Ratiariam, tertia Naissum ducentes; primam in Dacia visuri sumus, ad quam Lederata refertur. Nunc ripensem lustrare libet, quam in Hodoeporico etiam, itinere per ripam a Viminacio Nicomediam, habemus; quo facilius per tenebras, quas heic Cellarius merito expauit, progredi valeamus. Marsilium nobis hac Moesiae ripa et in Dacia, plurimum luminis porrexisse, alias professi sumus; neque tamen Danuilleum, qui eo et ipse duce vsus est, et nos non leuem huius operam experti sumus, deserere libet. Tabula praecedat. Haec ab Viminatio ad spatium quoddam cum Dacica proficiscitur, moxque secessione ab ea facta, orientem aequinoctialem petit, misso ad Ramam Danubii angulo. Itaque mansio hoc itinere prima occurrit,

Punicum. XIII. Vels. *Punicum.* XIII. Notitia, cuneus equitum Dalmatarum, *Pinco.* Plinius, amnem *Pingum* e Dardanis deducit. In pecunia Hadriani, PINCENSIA certamina. Procopius, castellum *Πικνοὺς*, *Picnos*, oblique pluratiue dixit, quod Iustinianus propugnaculis muniit. Est oppidum *Gradishte*, aliis *Ipek Gradishka*, laeua exeuntis *Ipek* amnis ripa. Danuille, *Pincum*, ripa dextra; sed Marsilius in aduersa reperit vrbis vestigia, vbi hodie consistit oppidum.

Vico Cuppe. XI. Vels. *Vico cuppe.* XI. Hodoeporicon, *Cuppis.* XXIIII. a Viminacio; MSS. *Cuppae.* Notitia, cuneus equitum Dalmatarum, *Cuppis.* Procopius, *ὀχυρώματα τρία, πρὸς τῇ τοῦ Ιστρου ἠϊόνι Πικνόυς τε καὶ Κόυνους καὶ Νοβὰς, tria castella, Picnos, Cupos, et Nouas, adposita Istri ripae,* nouit. (a) Forsan *Καπέδουνον*, *Capedunum*, Strabonis, ad insulam Scordiscorum, quales hoc tractu sunt plures, Cuppis respondebit; vti *Campona* Optatiani, quam Margo et Bononiae iungit. Danuille oppido *Kolumbatz*, *Golubács*, Lazio *Galubacz*, *Taubenberg*, imponit, mensura renitente, nullis praeterea antiquitatis reliquiis noto. Inferius, ad horae dimidium, castelli veteris rudera notauit Marsilius, locum *Gradishka* nuncupans, quod vocabulum vrbem Illyriis significat. Desolatus videtur locus, quod in chartis recentioribus non comparet; nisi vicus *Penitza* est, semi milliari geogr. amplius remotus; videtur tamen vetus Picnorum, vt Procopius dixit, nomen seruare.

Ad nouas. XII. Vels. *Ad nouas.* XII. Hodoeporicon, *Nouas.* XXIIII. Notitia, auxiliares *Nouenses, ad Nouas;* praefecturae militum exploratorum, *Nouis.* Procopio, *Νοβαὶ*, *Nouae* castellum. Danuille praeteriit locum; Hasius circiter *Polentin* aut *Dobra* vicos asterisco notat. Marsilio *Ieshava*, in ruderibus

(a) L. IV. Aedif. c. 6.

castelli veteris, laeua exeuntis amnis, prope vicum *Polentin*, qui locus in chartis recentioribus abest. Numerum Hodoeporici XXIIII esse cum sequenti permutatum, Cellarius cum Wesselingio, Tabula indice, obseruant, in qua XII M. P. bene habent.

Ad frosulas. X. Vels. *Ad frosulas.* X. Has Frosulas seu Scrofulas geographorum *παῖδες* neglexerunt. Marsilius, apud *Greben* vetus, duas supra *Porez* vicum horas, castelli antiqui vestigia, cataractae, vulgo *Tatalia* dictae, vicina, detexit. Hoc loco *Scrofulae* constiterint, aut Frosulae, ab cataractis minoribus fortasse nuncupatae, ob strepitum praeterlabentis aquae; nisi mansio pro insigni scrofulas habuit.

Faliatis. XV. insignia municipii; Vels. *Faliatis.* XV. Hodoeporicon, *Talia.* XII. in Regio, XXII. in reliquis XII. Notitia, auxilium *Taliatense*, *Taliata;* praefecturae militum exploratorum, *Taliatae.* Ptolemaeo, *Τανάτις*, *Tanatis*, Italo *Tanate;* Schotti liber neque Viminacium, neque Tanaten habet. Danuille, prope dextram exeuntis *Poretzka* fluuii ripam, situ oppidi *Columbina*, *Taliatis*, rectius forsan *Taliatae.* Marsilius vtraque amnis ripa insignia priscae habitationis vestigia conspexit, quorum iis, quae in dextra sunt, *Gradishka*, in laeua, *Gradanicza* nomen; quod ne recentissimae quidem chartae produnt; Seuterianae vetustiores, *Gradisca* ripa laeua, *Poretz* dextra notant. Hasio, *Talia*, laeuo Danubii latere, tamquam locus exstans; Marsilius perhibet, cataractas *Tatalia* vocari, vt ex eo adscripsit Hasius, *Tatalia min. Tatalia mai.* quae antiquum vrbis nomen seruent.

III. Ab Taliatis duas signat Tabula vias, vnam secus ripam, rupe cauata, vt Marsilius memoriae prodit, Orshouam; alteram, angulo hoc in quo Pons Traiani, iam ab Hadriano superna structura disiecta, inutilis factus, constiterat, sinistrorsum misso, Egetam, hodie *Palanka*, petentem. Illam in Dacia videbimus, hanc isthic lustrare libet.

Gerulatis. VIII. Vels. *Gerulatis.* VIII. Hanc viam geographi iuniores non triuerunt. Marsilius apud Palankam duplicis viae vestigia notauit, alterius per Danubii ripam, Pontem versus, alterius in occasum, ad Poretzkam, quae est praesens. Interuallo in Tabula signato est vicus *Orevitz*, aliis *Orovitz*, *Hurevitza*, credo *Oravicza*, aut *Horavitza*, a monte, cuius iuga ab Orsouae regione in austrum ad *Timok* tenduntur, nuncupata, ad recentem fluuium, forsan cognominem, qui infra Palankam Danubio infertur.

Vnam. VI. Vels. *Vnam.* VI. Ad ripam amnis memorati, qui olim Vna aut Vuna, vt ille in Pannonia, Sauum petens, fuerit adpellatus, medio circiter Gerulatas inter et Egetam spatio, haec mansio exstabat, olim desolata. Nullus enim agro hoc, etiam in specialibus chartis, notatur locus. Incolae habent agrorum, siluarum, montium, ruderum nomina, ex quibus, si praesto forent, hunc quoque locum nosse liceret. Forsan *Bukov* vicus, in Schimekii Atlante obuius, ad sextum a Persa lapidem, Vnae congruet.

Egeta. VI. Vesf. *Egeta.* VI. Hodoeporicon. *Egeta.* XXI. sic in Regio; in aliis *Ageta;* Suritae, ex Notitia, *Aegeta;* Ptolemaeo, Ἔτητα, *Eteta*, Schotti libro, Ἄτητα, *Ateta;* forsan erat, obseruante Wesselingio, *ΕΓΗΤΑ*, *Egeta.* Hasius et Danuille, Procopii verbis decepti, Egetam ad Pontem posuerunt; qui si Procopium adcuratius expendissent, *Πόντες*, *Pontes* castellum eo loci posituri erant. Egetae oppidum *Palanka* respondet, Marsilio *Palankuza*, (Palankucha) nonnullis recentiorum *Persa*, *Pirsa*, chartis vetustioribus *Bissa;* vbi antiquae habitationis vestigia, figura quadra, turriculis per angulos munitae, idem eximius antiquitatis indagator deprehendit. Procopii *Θεοδωρόυπολις*, *Theodorupolis* videtur in Egetae locum successisse, quod is mentionem huius non facit.

IV. Ab Egeta binae sunt in Tabula viae, vna traiecto Danubio, Alutam versus, et iuxta hunc in Transiluaniam; altera secus Moesiae ripam, Ratiariam. Illam in Dacia referemus; hanc isthic persequi iuuat. Ab Egeta hae sunt in Tabula mansiones:

Cleuora. VIII. Vesf. *Cleuora.* VIIII. Mansio geographis tacita, cui oppidum *Florentin*, circiter hunc agrum (non enim conueniunt chartae) positum, congruat. Procopio, regione Aquensi, numerantur, *Φλωρεντίανα*, *Γέμβρο*, *Πόντζας*, *Ζάνες*, *Florentiana*, *Gembro*, *Pontzas*, *Zanes*, et ab Theodoropoli, quam Egetae successisse putabamus, *Stiliburgus*, et *Halicaniburgus.* Ex quibus Florentina sit *Florentin;* ceteris *Gruja*, *Poshan*, *Dsanovo*, *Szlatina*, *Krasznova*, respondeant. Forsan vicus *Isvorile*, qui cum *Gruja* in quibusdam chartis laeuo Danubii latere comparet, huc pertinebit. Ceterum amnis *Orkoluka*, qui apud *Osztrovo* insulam Danubium petit, cum *Cleuora* cognationem habere videtur.

Ad aquas. VIIII. Vesf. *Ad aquas.* VIIII. Hodoeporicon, *Aquis.* XVI. ab Egeta; in Regio, *Equis.* Locus episcopali sede clarus: *Vitalis a Dacia ripensi de Aquis*, in concilio Sardicensi. Procopio, *πολίχνιον Ἀκυὲς*, *vrbecula Aques;* Hierocli, *Ἀκοίνες*, *Acoenes;* Theophani Ἄκυς, *Acys*, Theophylacto Ἀκὺς. Lapis Dacicus, in quo DEC. COL. AQ. quod huc spectare putat Wesselingius, ad Aequum Dalmatiae pertinet, vt in epigraphica ostendimus. Aquae hae postea inclaruerint, quod eas Ptolemaeus tacet, et Tabula sine insignibus refert; adhuc Procopius *πολίχνιον*, quae vox coloniis non conuenit, adpellat. Danuille cum Hasio Aquas eo loco statuunt, quo nos Egetam posuimus. Marsilius veteris oppidi apud *Timok* amnis exitum, in vico *Deetz* (*Decs*) vestigia reperit, quo Tabulae numeri deducunt.

Dortico. XXIIII. Vesf. *Dortico.* XXIIII. Sic et Notitia vocat. Ptolemaeo, situ recto, *Δορτικὸν*, *Dorticum*, vti Procopio quoque. Olim putabam, Strabonis *Heortam*, Iornandis *Hertam*, isthuc spectare; quae voces cum oppido *Horatin* conueniunt, mensura vero Dorticum exposcit. Chartae variant, aliae duobus, aliae quatuor milliaribus geogr. *Horatin* ab Timaco remouent; vt in Tabulae numeris vitium cubare haud continuo dixeris. Hasius Dorticum laeua Timaci exeuntis ripa, Danuille dextra, ponunt, vbi Aquas esse iussimus.

Ad Malum. XXV. Vesſ. *Ad Malum.* XXV. Hodoeporicon, *Bononia.* XVIII. Surita, XIII. in Regio XVIII. in reliquis XVII. legit. Vterque numerus bene habet, Tabulae ripam legentis, Hodoeporici, miſſo angulo, rectam tenentis. Surita Bononiam Pannoniae non recte heic excitat, vt Weſſelingius quoque monet. Optatiano, ad Conſtantinum, *Bononia;* Procopio *Βονωνία*, *Bononia;* Theophylacto *Βονώνεια*, inde auctori hiſtoriae Miſcellae minus adcurate *Bonomia;* Hierocli *Βηνοπία*, *Benopia.* Notitiae, cuneus equitum Dalmatarum, *Bononiae.* Sed, dicet quispiam, quid Bononiae cum Malo? Hoc, inquam, quod in Pannonia Malatae cum Bononia. Hodie vrbi nomen *Vidin*, vetuſtioribus chartis *Bodony*, quo vocabulo et Hungari vtuntur.

Ratiaris. XVI. inſignia coloniae; ſic Vesſ. Hodoeporicon, *Ratiaria Leg.* XIV *Gemina.* XVIII. in Regio, XIIII G. G. M. P. XVIII. Ptolemaeo, *Ῥαιτιαρία Μυσῶν*, *Rhaetiaria Myſorum;* Surita legit *Ῥατιαρία*, et Italo *Retiaria.* Notitia, praefecturae Leg. XIII Geminae, *Ratiariae.* In marmore Vidinenſi, M. Vlpius Epiſtratus, auguſtal. COL. RAT. O. O. D. coloniae Ratiarenſis, ornatus ornamentis decurionum. Romae, Antonius Paterius, nat. Moeſia ſuperiore, REG. RATIARES. regione Ratiarenſi. Apud Venetos, in lamellis miſſionum, Valerius Valens, RATIAR. Hierocli, *Ῥαζαρία*, *Razaria;* rectius Procopio, *Ῥατιαρία*, *Ratiaria;* Theophani, *Ῥατιάρνα*, *Ratiarna;* Theophylacto, *Ῥατηρία*, *Rateria.* Tabula militari conſuetudine vſa, *Ratiarin* dixit. Hodie oppido *Aritsár* nomen, aliis *Argul grad*, dextra exeuntis fluuii cognominis ripa. Danuille, Haſius, *Ratiaria*, ſitu proprio.

V. Ab Ratiaria duae ſunt viae, vna perſequitur Danubii ripam, altera Naiſſum petit. Marſilius apud Aquas notauit veterem ab Dyrrachio ad Pontem Traiani ducentem viam, quae in Hodoeporicis non exſtat. In ripa quaternae ſuperant manſiones, quas Moeſiae ſuperiori adcenſemus, quibus relatis in mediterranea digrediemur.

Remetodia. XII. Vesſ. *Remedodia.* XII. Procopius *Μωκατιάναν*, *Mocatianam* dixerit, Almo et Ratiariae interiectam. *Smerdan*, *Smorden*, vicus ſitu et ſono Remetodiae reſpondet; geographi iuniores tacent.

Almo. IIII. Vesſ. *Almo.* XXII. Hodoeporicon, *Almo.* XVIII. Notitiae, cuneus equitum Stableſianorum, *Almo.* Procopius *Ἀλμὸν*, *Almum* caſtellum vocat. In fluuiis diximus, *Linum* Scheibii non debere contemni, quod fluuius *Lom*, aliis *Lim* nuncupatur, quem Tabula innuere voluerit, cum eius flexum adcurate exprimit; proinde *a Lino* dictum putes tamquam *ad Linum.* Eſt oppidum *Lomgrad*, dextra exeuntis homonymi amnis ripa; Danuilleo *ad Almum.*

Pomodiana. VIIII. Vesſ. *Pomodiana.* VIIII. Procopius, ab Almo, Triceſam et *Πούτεδιν*, *Putedim* memorat; in quibusdam chartis oppidum *Calafat* hoc agro ſpectatur; aliae hoc ſpatium *Lom* inter et *Czibricza* iuſto contractius exhibent, aliae producunt.

Camistro. VIIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Cebro.* XVIII. sic in Regio; aliis, *Crebro*, *Cebro.* Notitia, cuneus equitum scutariorum, *Cebro.* Ptolemaeo amnis *Ciabrus;* Procopius *Κεβρὸν*, *Cebrum* castellum refert. Hic fluuius sit Dionis *Κέδρος*, *Cedros*, pro *Κέβρος.* quod ab eruditis obseruatum non video. Numeri Tabulae exposcerent quidem, vt Camistrum heic quaeramus; sed VI M. P. quae ad Augusta ponuntur, hunc situm mansioni non cedunt; proinde locum ad inferiorem Moesiam relegamus. Pleraeque melioris notae recentiores chartae numeris Tabulae adcuratius hoc loco respondent, quam censui XVIII Hodoeporici; nam inter *Lom* et *Czibricza* vnum dumtaxat mill. geogr. cum duabus quintis, ac proinde VII. M. P. interponuntur. Danuille, *ad Cebrum*; hodie *Ziber*, *Tziber*, oppidum, dextra exeuntis homonymi amnis ripa, Hasio laeua. Haec erant loca Moesiae superioris ripensia.

VI. Itinera prouinciae mediterranea sunt complura; a Viminatio Naissum, a Naisso Ratiariam, a Lisso Naissum, inde Serdicam. Primum et postremum Hodoeporicon vtrumque habet, duo intermedia Tabula dumtaxat. De via, quae ab Argentaria Viminatium ducebat, cuius vestigia supersunt, alias monebamus, eam aut ad finem perductam non fuisse, aut neglectam postea, quod ne in Hodoeporico quidem reperitur. Tabula a Viminatio haec continet:

Municipio. XVIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Municipio.* XVIII. Burdigalense, *mutatio ad Nonum.* IX. *mansio Municipio.* IX. Via haec pone Morauam, teste Marsilio, procedebat, qua ad nonum ab vrbe lapidem oppidum *Passarovitz*, situ campestri, Morauam inter et Mlauam, occurrit, quod mutationi memoratae respondeat. Municipium incidit in agrum vici *Dubrovacz*, chartis *Dubrovitz*, prope dextram Morauae ripam, qua et hodie via transit; Danuille ripae Mlauae admouet.

Iouis pago. X. Vess. *Iouis pago.* X. Burdigalense, *mutatio Iouis pago.* X. Rauennas, *Pago.* Danuille, *Iouis pagus*, situ vici *Mileshevich*, chartis *Milesievitz*, *Milesovitz*, laeua Morauae, ripa; qua cum et hodie via ducat, virum sinceras de his locis habuisse relationes, manifesto adparet; cuius tabulas si cum Hasianis compares, eiusdem aetatis esse negabis; adeo in plerisque sibi dissimiles conspiciuntur. Tamen Mlauam cum Margo, aut Ressauam cum Mlaua, committere Danuille videtur, cum distincto alueo, apud Semendriam Morauae iuncto, Municipium et Iouis pagum adplicat. Hasius heic *Passarovitz* Iessauae admouit, remoto etiam *Milesioviz* a ripa, eadem cum priore regione.

Idimo. XII. Vess. *Idimo.* absque numero. Hodoeporicon, *Idimo.* XXVII. a Municipio. Simlero, *Idino*, alias *Iduno;* in Longoliano, *Idimo.* XXV. Burdigalense, *mutatio Bao.* VII. *mansio Idomo.* VIIII. Baum sit oppidum *Libot*, *Livat*, Verantio *Livada*, quae vox Illyriis pratum significat, amni *Jeszenicza* adsitum, chartis *Lessenitza*, minus recte. Danuille, Idimum situ *Mascani*, dextra Morauae ripa, statuit; nos apud *Labovo*, chartis *Labova*, *Lapova*, oppidum, prope laeuam Morauae ripam, infra situm *Lomniczu*, et Pasiae Palan-

kam. Dimum, Idimum, Dunum, Pannoniis, Moesisque, patriam, habitationem, significat.

Horrea Margi. XVI. Velf. *Horrea Margi.* XII. Hodoeporicon, *Horreo Margi.* XVI. in Regio, *Orreo Margi.* XVI. in aliis, *Horreo Margi.* XXI. Burdigalenfe, *mutatio ad Octauum.* VIIII. *manfio Oromago.* VIIII. *Vojfzka* oppidulum, laeua Morauae ripa, octauo ab Horreo Margi lapide confiftat. Fuit haec via prouincialis, Argentariam et Singidunum verfus ducens. Horrea plures norunt; Ptolemaeo, Ὀῤῥία, *Orria*, Schotti liber Ὀῤῥέα, *Orrea*, promit; Surita adfpirate *Horrea* legit. Notitia, in fabricis, fcutaria *Horreo Margenfis.* Hierocles vitiofe, Ὀρθέμαρχος, *Orthemarchus.* Eft vrbs *Jagodna*, ripa Morauae dextra, Verantio et Marfilio, qui agrum luftrauere, teftibus; chartae vulgares hoc fitu *Morava*, *Morava hiffar*, ponunt, et ab *Iagodina*, cis fluuium reiecta, diftinguunt. Nobis potior eft αὐτόπτων fides; quamquam pofterius haec vocabula fitui diuerfo tribui potuere.

Prefidio. dafmum. XVII. Velf. *Prefidio Dafmum.* XVII. Burdigalenfe, *mutatio Sarmatorum.* XII. *Finis Myfiae et Daciae.* Fines Daciae Aureliani intelliguntur, quam Tabula noffe nequiuit. Mutatio Sarmatorum, qui ferius huc migrarint, eft oppidum *Parakin*, ad riuum quemdam, qui Morauam ab exortu petit. Tabula, Morauae ripam fecuta, *Stolacz* oppidum, in confluxu Ibaris et Morauae fitum, petiit, vbi praefidium *Dafmini*, vel Dafmiani, Tabulae *Dafmum*, quod rectius effe putes. Weffelingius oppidum Tabulae cum Sarmatorum mutatione non recte compofuit, numeris difcrepantibus. Danuilleo, *Sarmatae*, folo *Rafchna* (*Raxany*, *Rázfany*) oppidi, de quo mox dicemus.

VII. Prefidio pompei. XV. Velf. *Prefidio Pompei.* XV. Hodoeporicon, *Pompeis.* XXXIII. in Regio, XXIII. Burdigalenfe, *mutatio Cametas.* XI. *manfio Ipompeis.* IX. Rauennas. *Pompegis.* Cametae oppido *Ráxany*, chartis *Razen*, *Rafchna*, *Razena*, congruant. Cinnamus, τὸ Ῥάσον φρούριον, *Rafum caftellum*, in rebus Ioannis Comneni memorat, regionem Dalmatiam, ex ea aetate, nuncupans. Difputat de vocabuli etymo Verantius; eft ad riuum, Morauam ab exortu petentem. *Praefidium Pompeii* Danuille fitu oppidi *Alexincza* recte pofuit, prope riuum, ab exortu in Niffauam decurrentem; forfan ab Alexio Comneno locus eft nuncupatus.

Granirianis. XII. Velf. *Granirianis.* XII. Rauennas, *Crambrianis.* Burdigalenfe, *mutatio Rappiana.* XII. Altingius, notis in Tabulam, in *Gratianam* vertit, quae ad ripam Danubii erat; qua de re longum disputat Weffelingius. Eft vicus *Ratzana*, per quem et hodie via transit. Ex raris, quas Weffelingius adfert, Altingii obferuationibus colligere licet, eum non magnum admodum operae pretium in Tabulam praeftitiffe; nobis tamen, fi adeffent, non prorfus inutiles fore videntur.

Naiffo. XIII. infignia vrbis; Velf. *Naifso.* XIII. Hodoeporicon, *Naiffo.* XXIIII. a Pompeiis; quidam fcripti *Naiffa.* Burdigalenfe, *ciuitas Naiffo.* XII.

Ptolemaeo Erafmi, *Νέσος*, *Nefus*, in Dardanis; Schotti, *Ναῖσσον*, *Naeſſum*, vt in Coiſliano quoque, et Palatinis codicibus; Italus *Neſſo* legit. Stephanus, *Ναϊσσὸς, πόλις Θρᾴκης, κτίσμα καὶ πατρὶς Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως*, *Naiſſus, vrbs Thraciae, opus et patria Conſtantini Imperatoris.* Zoſimo, Hierocli, Procopio, *Ναϊσὸς*, *Naiſus*, Priſco *Ναϊσσὸς*, *Naiſſus;* Ammiano graeciſſanti *Naëſſus*, vocatur. Nicetas *Νίσον*, *Niſum;* Chalcocondylas *Νήσιον*, *Neſium*, adpellant. Hodie *Niſſa*, Illyriis *Niſh*, dextra Niſſauae amnis, prope exitum in Morauam, ripa; Marnavichiorum principum, Coruino Mathiae cognatorum, patria, et dynaſtia. Verantius, itinere Hadrianopolitano, plures epigraphas e lapidibus per deformatam tunc vrbem ſparſis, deſumſit, quas in geographia epigraphica recenſemus.

Apud Naiſſum concurrunt praeterea viae ab Liſſo, ab Ratiaria, ab Serdica; poſtremam ſequemur, Hodoeporicis comitibus, reliquas poſtea exploraturi. Ad quartum ab vrbe lapidem initium capit ſaltus *Kunovicza* montis, prolixus, et difficilis, curribus in primis, ob lapidum frequentiam, viaeque anguſtias, crebris et nimium repente curuatis gyris interſectas, vt Verantius perhibet. Hac procedenti, Tabula, minoribus locis, cum Hodoeporico, praeteritis, adit Romeſianam.

Romeſiana. XXIIII. Velſ. *Romeſiana.* XXIIII. Hodoeporicon, *Remeſiana.* XXV. in quibusdam, *Remiſſiana.* Burdigalenſe, *mutatio Redicibus.* XII. *mutatio Vlmo.* VII. *manſio Romanſiana.* IX. Niſſam inter et Palancam ponuntur loca *Isvar*, *Bulgor*, *Damianitza;* quorum priori Radices, Cunovicae montis, alteri *Bulgor*, aut ſubſequens, conueniat. Danuilleo, *Vlmus*, ſitu *Bulgor* vici, laeua Niſſauae ripa, Radicibus miſſis. Remeſiana hiſtoriae eccleſiaſticae nota; in concilio Chalcedonenſi, Diogenianus epiſcopus *πόλεως Ρεμεσσιάνων*, *ciuitatis Remiſſianorum* Daciae. Hierocli, *Ρεμεσιάνα*, *Remeſiana.* Procopius, *χώραν Ρεμεσιανεσίαν*, *agrum Remeſianenſem*, memorat; Porphyrogennetae, *Νεμεσιανὰ Nemeſiana.* Danuilleo, *Romatianae*, ſitu recto, Turcis *Muſtapha Paſha Palanka.*

Turrib'. XXV. Velſ. *Turrib'.* XXX. Hodoeporicon, *Turribus.* XVIII. ſic in Regio; aliis, *Turris.* XXVII. aut XXVIII. Burdigalenſe, *mutatio Latina.* IX. *manſio Turribus.* IX. Latinae ſicca rupes, *ſuha Kliſſura*, Turribus arx *Pirot*, conueniant. Danuille praeterit. Tabula ripam Niſſauae legerit, vt VII M. P. amplius numeraret; nam XXX Velſeri interuallum excedunt. *Pirot*, aliis *Piros*, procul dubio ab graeco *πύργος*, *turris*, originem habet; quales heic in primis a Procopio cenſentur, et in codice Theodoſiano fuiſſe memorantur.

Meldy's. XXIIII. Velſ. *Meldijs.* XXIIII. Hodoeporicon, *Meldia.* XXX. ſic in Regio; aliis *Melipia.* Burdigalenſe, *mutatio Translitis.* XII. *mutatio Ballanſtra.* X. *manſio Meldia.* IX. Ex his, Translitis ſit oppidum *Shehirkjoj*, alias *Surkioi*, Ballanſtra autem *Czarev brod*, chartis *Sarkbrod*, *Saribrog*, ad recentem Niſſauam, qui heic nonnullis *Czukkora*, *Zuccora*, audit. *Czarev brod*, Illyriis traiectum Caeſaris notat, qui eſt in amne memorato, quem iuga inter

duas Moesias diuidentia excipiunt. Meldia inferiori adscribitur. Danuilleo, *Succorum Angustiae* heic ponuntur, quae longius in exortum abscedunt.

VIII. Iter a Naisso Ratiariam vna exhibet Tabula, mansionibus intermediis tribus, quarum nomina ostendunt, viam secus amnem Timacum processisse. Itaque a Naisso, boream versus, haec in Tabula comparent:

Timaco. Maiori. xxvii. Velf. *Timaco. Maiori.* xxvii. Ptolemaeo, *Τίμακον*, *Timacum*, positione recta. Danuille viam ingredi renuit. Hasio, *Timac. maior*, amnis fortasse; sed asteriscus locum indicat, qui fluuium non attingit. Est oppidum *Isperlikan*, *Isperlekan*, laeuo aluei Timaci occidui latere, numeris et situ oppido antiquo rite respondens.

Timaco. Minori. x. Velf. *Timaco. Minori.* absque numero. Hasio, *Timac. min.* asteriscus ad recentem fluuium, vbi maiorem posuimus. Est oppidum *Gurgowatz*, dextra Timaci, apud confluxum vtriusque aluei, ripa. Haec loca, cum interuallis, et situ flexuque amnium, in mappa theatri belli Turcici, ab Artariensibus edita, adcurate ponuntur, non item in specialibus Seruiae chartis; quae tamen ex eadem prodiere officina. Adeo Ortelium aliquem, aut Danuilleum desideramus.

Combustica. xxvii. Velf. *Combustica.* x. Hasius locum supra fluuium recentem *Aritsar* asterisco notat; Danuille dextra fluuii ripa, circiter oppidum *Drenovacz.* Est ad recentem eiusdem amnis alueum occiduum oppidum *Gradishte*, aliis *Belgraica*, *Belgradjak*, arx alba, quae Combusticae congruat. Via haec flexum secus amnem fecerit; recta enim procedenti minus numerari posset.

Ratiaris. xxvii. sic Velf. Scriba Velseri putabat, numerum eumdem praue geminari, quam ob rem loco priore exmisit, substituto Timaci minoris x. Verum pone *Aritsar* fluuium eunti, non magnus hic census erat futurus. Profecto, vt Danuille signauit amnem, xl M. P. a fonte ad exitum comprehendit. Haec de itinere Ratiarensi.

IX. Habet Tabula iter a Scupis, per Stobos, Serdicam, ex quo sola vrbs Scupi isthuc pertineat, reliquis mansionibus partim Macedoniae, partim Moesiae inferiori adscribendis. Notatur ibi,

Scupis. absque numero; insignia municipii; Velf. *Scupis.* Ptolemaeo, *Σκοῦποι*, *Scupi*, in Dardanis; ita Hieocli, cum addito, *μητρόπολις Δαρδανίας*, *metropolis Dardaniae.* Stephano, *Σκόποι*, *Scopi.* Latinis *Scupi;* Marcellino comiti *Scupus;* hodie *Skopje*, chartis *Skopia*, *Scopia*, vrbs ad Vardarum, olim Axium, recentem, geographis omnibus memorata.

Ex itinere Lissensi plura isthuc spectantia referuntur loca. Viam hanc, Marsilio duce, per *Kacsenek* et Prishtinam duci oportere censemus. Duae ab Lisso mansiones, ad Picaria, et Creueni, in Dalmatiam cadunt, Gabuleum, quod sequitur, isthuc spectet.

Gabuleo. xvii. ſic Velſ. Danuilleo, *Gabuleus*, ſitu arcis *Kabaſſi*, aliis *Gabaſu*, ex vocabuli adfinitate, ponitur; qui locus ad xxx a Liſſo lapidem abeſt, ac proinde Picariae reſpondet. *Ibali* oppidum, laeua Drini nigri ripa, ſono vocis et ſitu Gabuleo ante conueniret, niſi aeque propius abeſſet, quam ratio menſurae patiatur. Si via Drini, heic maeandros agentis, ripam legebat, Creueni ad *Ibali* veniet. Sed de his in Dalmatia viſuri ſumus. Numeri Gabuleum oppido *Tettovo*, aliis *Ieſovo*, laeua riui, Vardarum ab occaſu petentis ripa, admoueri ſuadent; vnde auctor Tabulae Scupos, inde ad xvii in exortum M. P. remotos, non difficile diuertere poterat, ſi libuiſſet; ſed eo quidem eum non iſſe, ratio viae longius abſcedentis, indicat, et Scupi, vt viae terminus, in Tabula exhibentur.

Theranda. xxx. ſic Velſ. Danuille ſitu oppidi *Priſrendi*, incolis *Prizrieno*, Therandam ſtatuit, quod in Dalmatia cenſetur. Haſio, praeter veri ſpeciem, Gabuleum, Vlpianum, et Iuſtiniana ſecunda, tamquam idem locus, Priſrendo adſcribuntur. Apud Vardari exortum eſt *Kacsanik* oppidum chartis *Katschanitz*, intra montes, qui heic praealti ſunt, quod Therandae conueniat. *Ἀῤῥιβάντιον*, *Arribantium*, Ptolemaei hunc ſitum expoſcere videtur.

Viciano. xxv. Velſ. *Viciano.* xxv. Danuilleo, *Viciternum* apud *Uſziterna*, vulgo *Glieſzkovacz* oppidum, in flexu Ibaris recentis, non habita interualli ratione; ad haec, priſca loca ad ſonum recentem fingendi audaciam haud probaris. Eſt oppidum *Janyevo*, chartis *Iagnevo*, dextra *Lab* fluuii ripa, quod Viciani ſitum tenere videatur.

Vindenis. xix. ſic Velſ. Danuille praeteriit. Chartae quaedam recentiores, ad album Drinum, ſitu oppidi *Endero*, ſignant *Vendenis;* quem ibi locum geographia ignorat. Haſio, ad recentem Ibarem, *Vindenizza*, *Vindenae*, ſed Priſtina ad amnem *Piva*, Drinum petentem, translata. Nobis *Priſtina* eſt, dextro amnis *Prinko* recentis, Ibarem ſubeuntis, latere, cui Vindenis, Ptolemaeo *Οὐενδενὶς*, *Vendenis*, hoc prorſus agro, conueniat.

Ad fines. xx. Velſ. *Ad fines.* xx. Danuille, *Fines*, apud *Corſumblia* oppidum, ſed ripa fluuii dextra ponit, cum id laeua conſiſtat. Nos citerius, ad riuum, Topliczam ab occaſu petentem, ſtatuimus, apud *Sztari grad* oppidum, quod cum Haſio quidam notant. Fines hi olim Dardanorum Scordiſcorumque fuiſſe videntur, iugis montium, Ibarem inter et Topliczam procurrentium, conſtituti.

Hammeo. xx. Velſ. *Hammeo.* xx. Danuille cum ſociis tacet. Nobis *Kurſhumlia*, chartis *Corſumblia*, oppidum eſt, cupri fodinae, laeuo *Koſſajnicza* amnis latere, prope confluxum cum Toplicza, ſitum Hammei obtinens, cuius praeterea nemo veterum facit mentionem.

Ad herculem. vi. fanum dei. Velſ. *Ad Herculem.* vi. Danuille, *ad Herculem*, in *Procupia* oppidi agro, quod et nos cenſemus, vbi hodie quoque celebre D. Procopii templum, in fani Herculis rudere, non longe a veteri vrbe

Prekop, *Urkup*, laeua Topliczae ripa, vbi despotarum Seruiae habitatio, ante quam Georgius Semendriam concessisset. Iornandes *castrum Herculis* nuncupat, prope Vlpianam, quam in *Giustendil*, infra Nissam, fuisse putamus.

Naisso. XIII. Vels. *Naisso.* absque numero; quem scriba idcirco exmiserit, quod eumdem itinere vicino, ab Granirianis Naissum, conspexit. In chartis melioribus tria mill. geogr. eo spatio interponuntur, in aliis minus. Olim Naissus in aduersam quoque fluuii homonymi ripam patuerit, vt fano Herculis esset vicinior; quam alio itinere memorauimus. Et hactenus quidem de Moesia superiore sermo erat; inferiorem lustremus.

§ IV

Oppida, *mansiones* *Moesiae inferioris.*

I. FLVMINIS Danubii ripam Tabula cum Hodoeporico tenet, quam primum, vt moris est nobis, inuestigare libet. Nonnulla prodidit Hasius, plura Danuille; cuius illustre opus, vt in plerisque, sic in hac praesertim quinta Atlantis tabula, ab officina Schneideriana Norimbergae turpiter foedatum esse, perquam moleste ferimus. Artarienses Viennae, vti eleganti ac nitido caelo gaudent, magnum operae pretium pro republica literaria facturi erant, si Atlantem Danuillei recudissent. In ripa, ad fluuium Ciabrum, vtriusque Moesiae terminum, progressi, Pomodianam apud *Calafat* oppidum reliquimus; inde sequuntur,

Camistro. VIIII. sic Vels. Geographi tacent. Habet Procopius, inter castella ripensia, *Βιγραναὴν*, *Vigranaën*, quae cum recentiori vocabulo *Vizedernya*, chartis *Vuzederina*, *Viszederina*, cognationem habeat, quo numeri Tabulae ducunt. Est inter Ciabrum et Augustum amnes, prope Danubii ripam, forsan ab Istro nuncupata mansio, et Camis Scythis, Plinio memoratis, quorum pars isthuc adpulerit.

Aug'tis. VI. Vels. *Augtis.* VI. Hodoeporicon, *Augustis.* XVIII. Surita Augustam format, contra fidem MSS. Procopio, *Αὐγοῦστε*, *Auguste*, pro *Αὐγοῦσται*, vt Wesselingius monet. Notitia, cuneus equitum Dalmatarum, *Augustae.* Augusta praetoria Ptolemaei, quod Surita putabat, huc non facit; rectius *Ρηγιανον*, *Regianum*, cuius in populari expressione vestigia, huc retuleris. Hasio, fluuius et locus asterisco notatus Augustae. Danuille oppidum recte posuit, sed in hac misere deformata tabula in medias fluuii vndas cadit. Est oppidum *Rahova*, aliis *Krajova*, *Oreaja*, dextra exeuntis *Ogost* amnis ripa.

Pedonianis. XX. Vesſ. *Pedonianis.* XX. Hodoeporicon, *Variana.* XII. *Valeriana.* XII. Varianis oppidum *Szilauna*, ex aduerſo effluentis *Shiul* amnis Valachici, reſpondeat. Valeriana, quam munitione nudatam Iuſtinianus reſtituit, cuius etiam Notitia meminit, Pedonianis ſucceſſerit, cui vocabulo *Vadin* oppidum conſonet. Danuille recte poſuit loca; Haſius aſteriſcis notat. Marſilius, cum hunc luſtraret agrum, ab incolis edoctus eſt, in flumine, cum decreſcit, ſublicas ligneas videri, quae ſint pontis olim facti veſtigia; de quo in epigraphica cenſuimus.

Eſco. XI. inſignia municipii; Veſſ. *Eſco.* XI. Hodoeporicon, *Oeſco Leg. V. Mac.* XII. Ptolemaeo, *Οἶσκος Τριβαλλῶν*, *Oeſcus Triballorum;* Suritae, *Ὄϊσκος*, *Oiſcus.* Plinio, fluuius *Oeſcus* ex Rhodope. Procopio *Ἴσκος*, *Iſcus*, Iornandi *Iſcus* oppidum. Epigraphis *Eſcum;* Romae, Valerius Victorinus, miles, nat. Moeſia inferiore, DOMV ESCVM. Apud *Gegende* oppidum, laeua exeuntis *Eſker* amnis ripa, inſignia veteris habitationis veſtigia reperit Marſilius, quae Eſci municipii eſſe, nemo dubitarit. Danuille oppidum rite ſignat; Haſio, ripa laeua *Oeſcus*, *Iſker*, cum aſteriſco, dextra *Gigen;* ſed aſteriſco opus non eſt, vbi locum exſtantem habemus.

II. Ab Eſco biuium eſt, cuius pars tenet ripam, Nouas verſus, pars in mediterranea, Nicopolim et Marcianopolim digreditur; nos heic ripenſia luſtrabimus, poſtea reliqua viſuri.

Vio. XIIII. Veſſ. *Vio.* XIIII. Hodoeporicon, *Vto.* XIIII. Plinio, *Vtus* fluuius. Notitiae, cuneus equitum Conſtantianorum, *Vto*, oblique; vt Iornandi, Vto, et Iſco, Almoque. Procopio, *Οὔτως*, *Vtos.* Danuilleo, *Vtum*, ripa exeuntis amnis laeua. Haſio, *Vtus* fluuius, ripa dextra *Somovnik* locus; aliis *Szomovnye*, laeua ripa. In Tabula ſcriba *i* pro *t*, lineola exmiſſa, notauit, vt *i* eſſe videretur.

Anaſamo. VIIII. Veſſ. *Anaſamo.* VIIII. Priſco, *Aſimus*, oppidium validum, non multum ab Illyrico diſtans, quod parti Thraciae adiacet. (a) Illyricum heic eſt, quod ante Dacia Aureliani erat. Notitia, milites praeuentores, *Anaſamo*, ſub duce Moeſiae, quam hoc amne ab Dacia diremtam fuiſſe putes. Conſeruat nomen vetus amnis *Oſoma*, *Oſma*, *Ozma;* oppidum dextra exeuntis ripa, *Nikopoli*, vnde, neſcio, vocant; quare geographi iuniores Nicopolin ad Iſtrum, in aere veteri, et apud Ptolemaeum, quam is ad Haemum ſtatuit, huc referunt. Danuille vtrumque iungit, *ad Oſmum, Nicopolis a Iſtrum;* illud veteres non habent, hanc in mediterraneis quaeremus.

Securiſpa. XVII. Veſſ. *Securiſpa.* XVII. Hodoeporicon, *Securiſca.* XII. ab Vto; quod eſſe nequit. Simlero, vel *Seſuriſca.* Notitiae, cuneus equitum ſcutariorum, *Securiſcae.* Procopio, *Σεκούρισκα*, *Securiſca;* Theophylacto,

---

(a) Exc. Legat. p. 24.

Κουϱιόκα, *Curiſca.* Hodie vicus *Horeſhki,* chartis *Horeski, Horeſce*, a ripa nonnihil recedens; Danuille in ripa, vti Haſius quoque cum aſteriſco, ponunt.

Dimo. XIII. Velſ. *Dinio.* XIII. Hodoeporicon, *Dimo.* XIII. Surita, *Dimon* legit, oblique, cum in MSS. *Dimo*, Longoliano *Dino* eſſe perhibeat. Ptolemaeo, *Δίακον*, *Diacum*, Schotti libro *Διακὸν.* Notitiae, *Duno.* Iornandi vulgare *Euſteſium*, *Eoſceſium;* hodie *Siſtovo*, *Seſtovo*, *Saiſtovo*, *Szeſztovo*, perperam *Schiſto*, laeua riui cuiuspiam exeuntis ripa, oppidum, conſultatione foederis notum. Danuilleo, *Dimum*, x M. P. a Securiſca.

Ad nouas. XVI. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Nouas Leg.* I. *Ital.* XVII. in Regio XVI. in quibusdam, *Nonas*, *Notus.* Ptolemaeo, *Νοοῦαι*, *Nouae;* ſic Notitiae, et Iornandi. Hierocli, Theophylacto, *Νοβαὶ*, *Nobae*, ſeu *Nouae.* Marcellino comiti, *Nouenſis Moeſiae ciuitas;* Notitiae, milites *Nouenſes.* Apud *Merlan*, hodie *Krivina*, oppidum, laeuo riui cuiuspiam exeuntis latere, Marſilius antiquae vrbis veſtigia reperit; Danuille dextra ſtatuit. Haſius, *Hora noua*, *Ad nouas*, vel *Theodoſiopolis*, dicere volebat Theodoropolis, ex Procopio, ſed non recte ad *Ozzam* fluuium. Vſque huc aduerſam Danubii ripam, inde a Pannoniis, tenebant Hunni, Priſco teſte, reliquum Getis Sarmatisque, nomine tum quidem Slauorum, poſſidentibus.

III. Latro. VIIII. Velſ. *Latro.* VIIII. Procopio, *Ἰατϱῶν*, *Iatrum.* Notitia, cuneus equitum ſcutariorum, *Latris.* Theophylacto, *Ἰατϱὸν*, *Iatrum.* Fluuii cognominis e Plinio et Iornande meminimus, qui ſonum veterem *Jantra* ſeruat, ad cuius effluxum vicus *Pſirgos* (*Pyrgos*) Iatro manſioni reſpondeat. Danuille, ripa exeuntis amnis laeua, *ad Iatrum;* Haſius aſteriſcum eo loci ponit.

Trimamio. XVI. Velſ. *Trimamio.* XVI. Hodoeporicon, *Scaidaua.* XVIII. *Trimammio.* VII. Simlero, vel *Sacidaua*, quam poſtea habebimus. Haec videtur Notitiae *Sucidaua*, ſub duce Moeſiae ſecundae, diuerſa ab Sacidaua, ſub duce Scythiae. Tabulae *Sagadaua*, apud Duroſtorum, loco non ſuo, poſita, huc ſpectet. Simlero, *Triamannio*, vel *Trimanio;* apud Suritam, in Regio, *Trimammio;* in aliis, *Triamannio*, *Triamanuo*, *Triamamnio.* Ptolemaeus, *Τϱιμμάνιον*, *Trimmanium*, Schotti edito, *Τϱιμάνιον*, *Trimanium.* Notitia, milites Conſtantini, *Trimammio.* Scaidauae vicus *Iſheuſkioi*, ad amnem *Roſſita*, aliis *Koſſita*, (Koſhuta, aut Roſzicza) cum Iatro defluum; Trimammio oppidum *Ruſhik*, *Roſhcsik*, *Ruſſek*, *Orashik*, *Ruſchiuk*, *Oroſhik*, *Ruſtik*, (ſic varie ſcribitur) ripa exeuntis Cernae amnis dextra, reſpondeant.

Priſtis. XII. Velſ. *Priſtis.* XII. Hodoeporicon, *Sexantapriſtis.* VII. in quibusdam XII. in Longoliano, *Sexanta piſtis.* XII. Neapolitano, *Sexan piſos.* XII. Notitia, obliquo, *Sexagintapriſtae.* Procopius, *Ἑξεντάπϱιστα*, *Exentapriſta;* Socrates, *ἀπὸ Σεξαντάπϱίστων*, *ab Sexantapriſtis*, Polycarpus, Myſiae. Ptolemaei, *Τιϱιστὴ πόλις*, *Tiriſta* oppidum, Schotti libro, *Τιϱιστίπολις*, *Tiriſtipolis*, Weſſelingio iudice, huc ſpectet; qui *Πϱιστὴν* ſcribi debuiſſe putat; niſi

potius *Πριστίπολις* erat, vt e Schotti lectione censeas. Cosmographus oppidum hoc Danubianum cum Tiristri ad Pontum commisisse videtur, promontorium homonymon ibi referens, cum Tabula oppidum habeat. Danuille, *Sexagintapristis;* Hasius, *Pristis*, *Hexantapristis*, cum asterisco. In chartis specialibus *Maretin* vicus eo situ comparet.

Tegris. VIIII. Vess. *Tegris.* VIII. Hodoeporicon, *Tigra.* IX. Notitiae, *Tegra.* Procopio *Τιγᾶς*, *Tigas*, et *Τίγρα*, *Tigra.* Danuille, *Tigra;* Hasius, *Tegrae*, cum asterisco. *Olughizar* vicus Tegris respondeat.

Appiaris. XIIII. Vess. *Appiaris.* XIIII. Hodoeporicon, *Appiaria.* XIII. in Regio XIIII. Hierocli, *Ἀππιαρία*, *Appiaria;* Procopio, *Ἀππίαρα*, *Appiara;* Ioanni Chrisostomo, *Ἀππιαρία.* *Appiaria.* Notitiae, milites tertii Nauclarii, *Appiariae.* Danuilleo, *Appiaria;* Hasio cum asterisco; sit oppidum vetus *Klimuk.*

Trasmarisca. XIII. Vess. *Trasmarisca.* XIII. Hodoeporicon, *Transmariscam.* XVI. Neapolitano, XVIII. Procopius, *Τραμαρίσκας*, *Tramariscas*, et mox *Τρασμαρικᾶν*, *Trasmaricam*, vocat. In Leonis Notitia, episcopus ὁ *Τραμαρίσκων*, *Tramariscarum.* Ptolemaeo, *Τρομάρισκα*, *Tromarisca*, sed non recte vltra Durostorum. Danuilleo, *Transmarisca*, situ oppidi *Turtukaj*, seu *Turtucaja*, *Turtukay*, laeua exeuntis Galicae amnis, Turcis *Ak-Lom*, albi Lom, ripa. Hasius asterisco situm notat, absque fluuio, et a ripa Danubii remotius *Tutrukan.*

Nigrinianis. XII. Vess. *Nigrinianis.* XII. Hodoeporicon, *Candidiana.* XIII. in quibusdam XIIII. Procopio, *Κανδιδιανὰ*, *Candidiana;* Notitiae, milites primi Moesiaci, *Candidianae.* *Garvan*, quae vox Illyriis coruum significat, Nigrinianis respondet, quas postea Candidianas, vt e Malata et Malo Bononiam fecere. Danuille, *Negriniana* et *Candidiana* V M. P. interuallo dirimit; Hasius coniungit.

Tegulicio. XIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Teglicio.* XII. Simlero, *Teclicio;* quibusdam *Teditio.* Notitiae, milites Moesiaci, *Teglicio;* cui *Σαλτουπύργος*, *Saltupyrgos*, seu turris saltus, Procopii successerit; nisi *Τιλικίων*, *Tilicium*, quasi ex Tegulicio diminutiuum, malis. *Veterna* locus numeris respondet. Danuille, *Teglicium* recte statuit; Hasius asterisco designat.

Durostero. XII. insignia municipii; Vess. *Durostero.* XI. Hodoeporicon, *Dorostoro.* *Leg.* XI. *Cl.* XII. in Regio, *Doros coro.* *Leg.* XX. *Cl.* in aliis, *Dorosdoro*, *Dorostero.* Ptolemaeo, *Δουρόστολον*, *λεγείων πρώτη Ιταλική.* *Durostolon Legio* I. *Italica.* Schotti edito, *Δουρόστορον*, *Durostorum*, Italo quoque *Durostoro;* priorem formam Graeci, posteriorem Latini adoptauere. Cedrenus, *τὸ Δορόστολον*, *ὃ καὶ Δρίστρα καλεῖται*, *Dorostolum*, *quae et Distra vocatur.* Cum posteriore hac voce Ptolemaei *Τιριστίπολις* cognationem habet, quam in *Πριστὴν* Wesselingius verti volebat. Est oppidum *Dristra*, seu *Silistria*, dextra exeuntis hominymi amnis ripa.

IV. Ab Duroftoro via duplex eft, altera Danubii ripam, Pontum vfque, perfequitur; altera in mediterranea, Marcianopolim, inde Anchialum verfus progreditur. Hanc poftea luftrabimus; nunc ripam continuare libet. Ab Duroftero in Tabula venit,

Sagadaua. XVIII. fic Velf. Sagadaua haec videtur Hodoeporici Scaidaua, huc fcribarum vitio translata; vt ex viae ratione colligere licet. Certe Notitia Sucidauam in Moefia fecunda, Sacidauam in Scythia ponit, quod vice verfa fieri debebat; nam Sagadaua Tabulae eft Scaidaua Hodoeporici, Sacidaua Notitiae. Sequitur in Tabula,

Sucidaua. XII. fic Velf. Hodoeporicon, *Sucidaua.* XVIII. Ptolemaeo, *Σουκίδαυα*, *Sucidaua;* Procopio, *Συκιδάβα*, *Sycidaua*, in catalogo *Ζικίδεβα*, *Zicideba.* Notitia, fub duce Scythiae, cuneus equitum fcutariorum, *Sacidauae;* in Moefia, cuneus equitum ftablefianorum, *Sucidauae;* quae nomina permutari debeant; huc enim Sucidaua fpectat, eo Sacidaua, Tabulae Sagadaua. Hafius, Tabulam fecutus, fpatium ampliauit; fed minus reapfe effe videtur, quam vt XLVII M. P. eo recipi queant. Nam quae fummum e recentioribus exhibent, octo mill. geogr. non excedunt; adcuratiores quinque modo numerant, Danuille fex, quae eft menfura Hodoeporici. Occurrit itinere hoc vicus *Dajankioi*, Sucidauae refpondens.

Axiopolis. XVII. infignia municipii; Velf. *Axiopolis.* XII. Hodoeporicon, *Axiopoli.* XII. vt in Regio; aliis, *Axiupoli.* Ptolemaeo, *Ἀξιούπολις*, *Axiupolis;* fic Notitiae. Hierocli, *Ἀξιόπολις*, *Axiopolis;* hodie chartis *Axiopoli*, vulgo *Rafhova*, *'Rohova*, *Rafchowat*, prope amnis cuiuspiam exeuntis dextram. Ab hac vrbe Ptolemaeus Iftrum nuncupari dicebat.

Calidaua. XVIII. fic Velf. Hodoeporicon, *Capidaua.* XVIII. Hierocli et Porphyrogennetae *Καπίδαβα*, *Capidaua*, editi prioris *Καπιδάβα.* Notitia, cuneus equitum Solenfium, *Capidauae.* Ante fuerit Calidaua nuncupata. Eo interuallo *Czerna voda*, nigra aqua, oppidum occurrit, forfan Procopii *Βόδας*, *Vodas.*

Carfio. XVIII. Velf. *Carfio.* absque numero. Hodoeporicon, *Carfo.* XVIII. Simlero, alias *Carro;* in Regio Suritae *Garfo.* Ptolemaeo *Κάρσουμ*, *Carfum.* Notitiae, milites Scythici, *Carfo.* Porphyrogennetae, *Κάρπος*, *Carpus.* Oppidum *Kerfova*, chartis *Hirfhova*, *Chirfchowa*, *Gerfov*, prope laeuam amnis e lacu cognomine prodeuntis, et Iftrum petentis ripam, Carfio fitu et fono refpondet. Danuilleo, *Carfum.*

Bereo. XXV. fic Velf. Hodoeporicon, *Cio.* X. *Biroë.* XVIII. Notitia, cuneus equitum ftablefianorum, *Cii.* Danuilleo, *Cium*, oppido *Daja*, *Daen*, admotum; alii *Doen* et *Daja* diftinguunt; fed idem locus effe videtur. Biroë Simlero *Biroa*, *Beroë;* in Regio *Biroë;* aliis *Beroë*, *Bireo*, XIII. aut XIIII. Eft oppidum *Makfhin*, *Matfin*, cui *Brailla* Valachiae opponitur, Bereae veftigia feruans.

Troesmis. XXI. insignia municipii; sic Vess. Hodoeporicon, *Trosmis. Legio* I. *Iouia.* XVIII. in Regio, *Tromis.* XIII. Ptolemaeo, Trismis, *Τισμὶς*, in Coisliano *Τροισμὶς*, *Troesmis*, Schotti *Τρασμιρὶς*, *Trasmiris;* Italo, *Trisme.* Procopio, *Τροσμῆς*, *Trosmes;* Notitiae, *Trosmis;* Hierocli, *Τροσμὶς*. Naso *Trosmin* vocat. Olim excisa fuerit vrbs haec, vbi hodie *Kusak* vicus, in flexu Danubii in exortum, ex aduerso effluentis Pruthi. Tabula ripam secuta plura M. P. numerauit. Est in opposita fluminis parte *Reni* oppidum, quod antiquae vocis vestigia seruet. Danuilleo, *Trosmi.*

Arubio. VIIII. Vess. *Arubio.* VIIII. Hodoeporicon, *Scythia. Arrubio.* IX. in quibusdam *Scythica*, *Arabio;* in Regio, *Arrubio;* in aliis *Arubio;* qua forma et Notitia vtitur. Wesselingius putat, *Scythica* epitheton Legionis esse; forsan Scythiae et Ponti proprie dicti fines. Est oppidulum *Rakel;* Danuille, *Arrubium.*

Nouiodunt. XXVI. Vess. *Nouiodum.* XXVI. Hodoeporicon, *Dinoguttia.* IX. *Nouioduno. Leg.* II. *Herculea.* XX. Ptolemaeo, *Διvογέτεια*, *Dinogetia.* Notitiae, milites Scythici, *Dirigothia;* oppidum *Isatsi.* Danuille, *Dinogetia*, situ recto, quam Tabula praeteriit. Nouiodunum, Ptolemaeo, *Νοϊόδουνον*, Italo, *Nuioduno*, sed *Nouiodunum* exprimi debet. Ammiano, *Nouidunum;* Hierocli, *Νοβιοδοῦντος*, tamquam gignendi casus; Constantino, *Νοβιοδοῦνος*, *Nouiodunus.* Notitia, praefecturae ripae Leg. I. Iouiae. *Nouioduno.* Est oppidum *Tultsa*, locus ponti faciundo maxime idoneus, qualem Darius in Scythas profectus, Valens in Creuthungos, constrauere.

Salsonia. XLI. Vess. *Salsouia.* XLI. Hodoeporicon, *Aegysso.* XXIIII. *Salsouia.* XVII. Aegissus, Nasoni *Aegypsus*, in MSS. *Aegissus*, *Aegisus;* Hierocli, *Αἴγισσος*, vulgo *Ἄγισσος*, *Aegissus*, *Agissus.* Forsan Ptolemaei *Σιτιόεντα*, *Sitioënta*, aut *Σιτιόεστα*, *Sitioësta*, huc pertinebit. Interuallo respondet *Filibea* oppidum. Danuille, apud *Tultsa* oppidum, *Pons Darii Hystaspis;* paullo inferius, ad X lapidem, situ vici *Kristav*, *Aegyssus.* Hasius hanc et Salsouiam in insulis quaerit. Salsouiae meminit Notitia. Danuille, ad alueum ostii Sacri, XX M. P. ab Aegisso, situ *Filibea* oppidi statuit. Verum Salsouiam ad paludem Halmyridem referri oportere, numeri Tabulae, et ipsa nuncupatio, exposcunt. A Filibea iter flexit in occasum auctumnalem, ad marginem lacus Babensis occiduum, vbi oppidum *Babadag*, voce ex monte et lacu composita. In Hodoeporico denarius desideretur, si Aegissum ad Filibeam statuimus. Forsan Stephani *Βύβη, πόλις κατὰ Πευκετίους*, *Bybe, oppidum circa Peucetios*, huc spectabit; ait enim gentem esse Thraciam; et Peucetii sint incolae Peuces, huic agro vicinae. Est etiam superius, ad X M. P. vicus *Stebil*, et inferius, eodem interuallo, oppidum *Sala*, quae Salsouiae nuncupationem seruent. Sequitur in Tabula,

V. **Ad stoma.** XXIIII. Vess. *Ad stoma.* XXIIII. Kleiner apud Scheibium **Ad stoma** scripsit. Hodoeporicon, *Salmorude.* IX. *Valle Domitiana.* XVII.

Procopio, Ἄλμυρις, *Halmyris* castellum, in extrema Scythia, quod Iustinianus reprarit. Est oppidum *Ieni-Sala*, australi paludis lateri adsitum. Vallis Domitiana vico *Guarza*, *Goarza*, respondeat; quo forsan Notitiae et Procopii Gratiana pertinebit. Tabulae tempore haec loca non exstiterint, aut iis praeteritis, ad ostium recta processerit via, ad oppidum *Ieni-kala*, chartis *Iegni-kala*, ipsi ostio, vt Tabula habet, adstitutum. Danuille compendium fecit; lacu cum ostio, quod aeque palustre est, commisso, apud *Goarza*, *Salmorudis*, apud *Zos* vel *Zof*, *ad Stoma*, positis. Tolerabilior tamen est geographia eius, quam Hasii; sed neque recentiores conueniunt; lacum tamen ab ostio distinguunt vniuersi, iunctum ore non modico, ad ipsum aluei in paludem desinentis os; vt veteres vtramque paludem pro ostio sumsisse videantur, quos Danuille sequi voluerit. Ad haec *Zof* intra ostium est in Peuce insula; mansio *ad Stoma* australi ostii Sacri orae adsita fuerit. Ex hoc Tabula flectit in occasum iter, Istropolim directe progressa, vbi Hodoeporico ab *Kara-Kerman* venienti occurrit.

Histriopoli. lx. Vels. *Histriopoli.* lx. Hodoeporicon, *Ad Salices.* XXVI. *Historio.* XXV. Salices oppidum his regionibus nouit Ammianus; quod agro *Kara-kerman* oppidi, ad oram Ponti, respondeat. Istropolin, vrbem antiquissimam, Milesiorum coloniam, norunt plures. Herodotus, Istrum exire in Pontum ait, qua Ἰστριηνοὶ Μιλησίων οἰκέουσι ἄποικοι, *Istriani Milesiorum coloni habitant.* Numi quoque *ΙΣΤΡΙΗΝΩΝ* et *ΙΣΤΡΙΑΝΩΝ* praeferunt. Eusebius in Chronico, Istrum refert a Milesiis conditam an. 2 Olymp. XXXI. Scymno, Straboni, aliisque vetustioribus, Ἴστρος, *Istrus;* Arriano, Ἰστρία, *Istria.* Latinis, *Istropolis.* Danuille, ad *Grossea* insulam, prope vicum *Spera*, *Istropolis;* ad oram et Hasius quaerit. Superat oppidum *Vister*, *Vistvar*, in mediterraneis, mari propius, quam Istro, ad exortum amnis cuiuspiam, alueum e lacu *Karasu* promanantem petentis. Anonymus Peripli auctor, fluuium vrbi cognominem dicit; vtique magnum Istrum intelligens, a quo vrbs non minimo interuallo abscedit. Haec loca non dum plane geographis explorata sunt, quod situ et distantia mirum in modum variant. In theatro belli Artariensium, quam ego chartam ceteris fideliorem experior, Tabulae distantia est adcurata. Memoratus Peripli Anonymus scriptor, stadia D. seu M. P. LXII cum semisse numerat; is pro ratione sua computandi stadia M. P. LXVI cum duabus tertiis reddit, septem stadia cum semisse in vnum milliare sumens; sed octo stadia rectius habent. Proinde *Vistvár* Istropoleos antiquae reliquias esse, tuto credere licebit.

Tomis. xl. insignia municipii, ternis domunculis; sic Vels. Hodoeporicon, *Tomos.* XXXVI. Vrbs aeque vetusta, Nasonis exilio clara, qui dum Getico sermone Tiberii triumphum cecinisse se ait, Tomitas Threiciae originis populum ostendit, Graecis praeterea Sarmatisque mixtos. Id cum ex ipso Pelignate abunde constet, non sunt Scymnus, et ex eo Peripli auctor, audiendi, qui Tomitas Milesiorum colonos adserunt. Graeci incolae poterant Mileto venisse; sed autochthones Tomitae Thraces erant. Id ipsum vrbis etymon DOM abunde

monſtrat. Varie ſcriptoribus audit; *Τόμις*, *Tomis*, Graecis; in numis *TOMI. TOMOC. TOMEITΩN. TOMITΩN.* plerisque Auguſtorum, *MHTPOΠ. ΠONTOY. TOMEΩC.* Latinis, *Tomi;* in quadam epigraphe Romana, Cn. Numerius Valens, nat. TOME. Niſi haec ſit Procopii *Τόμες*, *Tomes*, caſtellum agri Remeſiani, in Moeſia ſuperiore. Hodie Turcis *Baba*, ceteris *Tomisvár*, oppidum prope oram Ponti Euxini. Numeri Tabulae ſunt exacti; in qua vrbs, ob conſtructionem operis, ad oſtium Sacrum poni videtur; quae tamen longius ab eo recedit, vt interualla oſtendunt.

Stratonis. XII. ſic Velſ. forſan turris, alteri non memorata. Danuille, *Straton*, ſitu oppidi mediocris *Sud keuli*, alias *Sutguli.* Apud Haſium, ora Ponti, et omnis haec regio, faciem turbatam exhibet; Stratonis Tabulae mentio abeſt; cui oppidum *Stravico*, ſed intra oſtiorum inſulas, ſono reſponderet, ſi hunc obtineret ſitum, qui id huc referri vetat.

VI. **Callatis.** XXII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Callatis.* XXX. ab Tomis. MSS. *Callacis.* Scylaci *Κάλλαβις*, *Callabis*, pro *Κάλλατις*, Heracleotarum, vt Scymnus et Strabo, Mileſiorum colonia, vt Pomponius Mela, perhibent. Plinius, *Calatin* antea *Aceruetin* dictam ait. Ptolemaeo, *Καλλατία*, *Callatia*, Diodoro *Καλατία*, *Calatia;* numis, *KAΛΛATIANΩN.* quibusdam, vt Diodoro, minus recte *Καλλαντιανοὶ*, *Callantiani. Mankala* oppidum maritimum, laeua exeuntis cuiuspiam fluuii ripa, Callati reſpondeat.

Triſſa. XXIIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Timogittia.* XVIII. Rauennati haec *Timum*, illa *Tiriſſa.* Danuille Hodoeporici locum praeteriit; Haſio, *Tinogittia*, infra Varnam, aſteriſco notata; nobis eſt oppidulum *Kollat*, in ora maritima. Triſſa vero eſt Ptolemaei *Τιριστρία ἄκρα*, *Tiriſtria promontorium*, in Coiſliano *Τιριστροῖς*, Schotti libro *Τιριστρὴ*, *Tiriſtre;* ſic etiam Italo. Straboni *Κητίριζις*, *Cetirizis*, forſan ſcriptum erat *καὶ ἡ Τίριζις.* Huc reſpexerit Ptolemaeus, cum Triſtipolim ad ripam Danubii, loco Priſtipoleos, ſtatuit. Apud *Galegri* oppidulum mons in mare procurrit, quod ſit promontorium veterum, menſura etiam ſuadente. Danuilleo *Tetriſias Acra*, inferius apud *Kelograh burun*, quo numeri Tabulae non pertingunt.

Bizone. XII. ſic Velſ. Strabo Calatilem inter et Apolloniam, medio circiter ſpatio, *Βιζώνη*, *Bizone* eſt, inquit, cuius magna pars terrae motibus hauſta; idem Plinius et Mela perhibent. Anonymus Peripli auctor, *Βιζώνη πολίχνιον*, *Bizone oppidulum;* Stephano, vrbs Pontica; hodie *Kavarna*, vbi Danuillei *Bizum*, ſupra promontorium *Kelograh.*

Dyoſinopoli. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Dionyſopoli.* XXIIII. ab Timogittia. Ante Crunos dictam perhibent veteres. Plinius, Dionyſopolin, Crunos antea dictam, habet ora; alluit Ziras amnis.“ Eadem auctor Peripli, et Stephanus tradunt. Numi, *ΔIONYCOΠOΛEITΩN.* Danuille, *Cruni vel Dionyſopolis*, laeua amnis Deuinae exeuntis ripa; quamquam *Balteluk*, aliis *Baltsik*, cui vetus reſpondeat ciuitas, VI M. P. ab eo in boream abſcedit. Nonnulli *Bal-*

tsik et *Valtoluka* distinguunt, alterum supra fluuium, alterum inferius ponentes; quae diuersitas in melioribus non comparet.

Odessos. XXXII. insignia municipii; sic Vels. Hodoeporicon, *Odisso.* XXIIII. sic Regium: in aliis *Vdisso.* Graecis Ὀδησσὸς, *Odessus*, colonia Milesiorum. Diodorus, Odessum Apolloniam inter et Calatiam statuit; a quibus non minimum recedit. Plures veterum praeterea meminere vrbis. Numi, *ΟΔΗCCΕΙΤΩΝ. Odessitarum.* Positionem monstrat Plinius: *In ora a Dionysopoli est Odessus Milesiorum, flumen Panysus.* Danuille, Odessum situ famosae vrbis *Varna* recte posuit. Peripli CC stadia inter has duas vrbes, seu XXV M. P. statuunt, vt in Tabula denarium abundare putes; quamquam nonnulli id spatium sic protendunt, vt is numerus non aegre consistere valeat; sed Hodoeporicon Periplis respondet. Ab *Kavarna*, seu Bizone, census Tabulae recte habet; etiam ad *Cosli* oppidum in mediterraneis pertingit; vnde forsan via isthuc ducebat. Inde Hodoeporicon Marcianopolim digreditur, Tabula persequente litus.

Erite. XI. Vels. *Erite.* XI. Hierocli, Ἔβραιττος, *Ebraettus;* Iornandes *Abrittum Moesiae ciuitatem* nouit, quae cum priore sit eadem. Interuallo et situ respondet oppidulum *Galzha*, seu *Galtsa*, prope oram Ponti; vt Danuille quoque *Erite* signauit. Tabula a Dionysopoli oram Ponticam, secundum placita veterum, flectit, tamquam sinui Phasiaco aduersam; quae iuxta geographiae recentioris rationes longius in austrum, vno amplius gradu abscedit.

Templo Iouis. XVI. fanum dei; sic Vels. Iornandes perhibet, Imperatorem Decium ante pugnam cum Gothis initam heic sacrificasse; qui locus post caedem eius *arae Decii* sit nuncupatus; inter *Kamtsik* fluuium et oppidum *Emineh*, hodie desolatus. Danuille, *Templum Iouis*, situ recto. Mesembria, quae sequitur, est in decliuo Haemi australi, ad Thraciam spectans, quam in ea dicemus prouincia; nunc mediterranea lustrare iuuat.

VII. Quatuor sunt in mediterraneis viae, vna ab Naisso Serdicam; altera a Stobis Serdicam, tertia ab Esco Nicopolim, postrema ab Durostoro Marcianopolim, inde Anchialum. Priorem ab vrbe Naisso perduximus ad Ballanstra vsque Itinerarii Burdigalensis, quae *Czarev brod* oppido respondeant, vltimo hac via Moesiae superioris loco. Inde ad nonum lapidem, Tabulae,

Meldyá. XXIIII. Vels. *Meldijs.* XXIIII. Hodoeporico, *Meldia*, Burdigalensi, *mansio Meldia;* quae oppidulo *Dragoman*, ortiuo iugorum Moesias dirimentium decliuo, alias *Dragoman kioi* nuncupato, respondeat.

Sertica. XXVII. insignia municipii; Vels. *Sertica.* XXVII. Hodoeporicon, *Serdica.* XXIIII. Simlero, *Serdica* vel *Sardica;* in quibusdam XXX. aut XXXIIII. Burdigalense, *mutatio Scretisca.* XII. *ciuitas Serdica.* XI. Scretiscae oppidulum *Bellicza, Belicza,* in patentibus campis, Verantio teste, conueniat. Σερδοὶ, *Serdi*, antiquus Moesiae populus, Thucydidi Τριῆρες, *Trieres*, a quibus vrbs deinde nuncupata est, quam Ptolemaeus, cum aliis non paucis, Thraciae adcenset; cui Σερδική, *Serdica;* aliis Σαρδική, *Sardica.* Fasti, de SARDEIS trium-

phos relatos notant. Epigraphae vtramque formam habent; Neapoli, Aurelius Auitus, miles, nat. Beſſus, regione SERDICA. Romae, Diagenes Gauis, miles, nat. Thrax, CIVITATE SARDICA. Smetius ex lapide SERDICA legit. Numi, ab Aurelio Vero, *ΟΥΛΠΙΑC CΕΡΔΙΚΗC.* alias populi nomine *CΕΡΔΩΝ. Serdorum.* Ab Diocletiano, in exergo poſticae numorum, SER. Cedrenus ait, olim *Τριάδιτζα*, *Triaditza* vrbi fuiſſe nomen; hodie incolis, Moeſorum poſteris, *Serdacz*, teſte Verantio; vt quinam Serborum fuerint maiores, vel inde cenſere valeas; vulgo *Sophia*, a templo principe, nuncupatur. Antiqua vrbis rudera ab auſtro vicina cernuntur.

Sarto. xx. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Burburaca.* xviii. ſic in Regio; aliis *Bagaracta*, *Bagaraca.* Burdigalenſe, *mutatio Extuomne.* viii. *manſio Buragara.* ix. Priori vicus *Tarnovo*, poſteriori *Vakarel*, vterque Verantio notus, conueniat. Sartum Tabulae ſit Ptolemaei *Τέρτα*, *Terta;* quae poſtmodum alia induit nomina. In chartis vulgaribus haec Verantii loca non comparent, ſed ad tria mill. geogr. *Jegnikan*, ad alia tria *Iktiman;* quae cum ſint Turcicae nuncupationes, populo Bulgarico aliter ſonent.

Egirca. xviii. Velſ. *Egirca.* xvii. Hodoeporicon, *Helice.* xxi. in Regio, *Elice.* xxii. Burdigalenſe, *mutatio Sparata.* viii. *manſio Iliga.* x. Procopio, his locis, *Γερμὰς*, *Germas*, *Γέρμενε*, *Germene*, *Γερμανία*, *Germania;* Conſtantino *Γερμανὸς*, *Germanus*, patria Beliſarii. Sparata, tamquam Separata, Succorum anguſtiis conuenit, ad octauum a Burburaca lapidem, quas Danuille non recte ante Serdicam poſuit. *Oeſcus*, quam ad *Eſker* fluuium ſtatuit, aliis ignota; rectius in oppido *Iktiman*, ad flexum Vti recentis, Helice ponitur; quam cum Egirca et Iliga eamdem eſſe, numeri et viae ratio oſtendunt.

Zyrmis. xiiii. Velſ. *Zijrmis.* xiiii. Hodoeporicon, *Liſſas.* xxi. Burdigalenſe, *mutatio Soneio.* x. *Finis Daciae et Thraciae. mutatio Ponte Vcaſi.* vi. Per ardua et confragoſa iter eſt ad portam ferream, quam Verantius et Marſilius deſcribunt. Duo vici haeic occurrunt, alteri *Szuha Kliſſura*, Turcis *Kapidſhik*, alteri *Vetren*, nomen; quorum priori *Soneio*, quas Succorum anguſtias Ammianus dixit; alteri *Pons Vcaſi*, Tabulae *Zyrmis*, Procopii *Βεδεριανὰ*, *Vederiana*, Agathiae *Βεδερίνη*, *Vederina*, Iuſtiniani patria, conueniant. Videtur tamen Zyrmis cum Syrnota cognationem habere; et Tabula heic, numeris quoque indicantibus, eſt prauata. Ad quartum fere a veſtigiis Vederinae lapidem, riuus *Zlaticza* (*Szlacsicza*) Bonfinio, occurrit, vbi Pons Vcaſi Burdigalenſis; quod nomen fluuii, Illyriis *Vukas*, fuerit olim, qui in boream latus incidit Vto. Haec ſunt altiſſima Haemi iuga, heic fines Thraciae et Moeſiae, quos auctor Hodoeporici Burdigalenſis indicare volebat. In his montium anfractibus eſt oppidulum *Iſardſhik*, ſeu *Kiſi-hiſar*, cui Liſſae Hodoeporici, vocabulum Threicium idem, quod Turcis *Kapidſhik*, ſignificans, reſpondeant, anguſtiarum eo loco finis. Si ex ſitu naturali, et hodierno prouinciarum termino, argumentum ducere liceat, heic proprius Thracum et Dardanorum, vt

Lissarum nomen indicat, finis fuisse videtur. Danuille oppidum Lissas rite posuit; sed mappae editores Moesiae terminos vltra Philippolim non recte promouerunt.

VIII. Itinere a Stobis Serdicam, bina habemus isthuc spectantia loca, Pautaliam, et Aeleam. Aspera est montibus regio, nostra quoque aetate maximam partem desolata, vt L. M. P. interuallo nulla occurrat mansio. Iter hoc vna seruauit Tabula, in qua ab Astibo Paeoniae oppido, *Istib* hodie, notari videas,

Peutalia. L. Vels. *Peutalia.* l. Ptolemaeo, in Dantheletica, quam Thraciae adcenset, *Παυταλία*, *Pautalia;* Hierocli et Procopio *Παυταλία*, *Pantalia;* Stephano, *Παιταλία*, *Paetalia,* Thraciae portio. Numi Augustorum, *ΟΥΛΠΙΑϹ ΝΑΥΤΑΛΙΑϹ.* et incolarum vocabulo, *ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ.* *Vlpiae Pautaliae*, *Pautaliotarum.* Hodie *Giustendil* (Gyusztendil) oppidum, ad ripam *Esker* recentis dextram, ab Iustiniano, qui altricem suam ornarat, nuncupata. Danuille rite signauit.

Aelea. xx. Vels. *Aelea.* xx. Erit forsan *Βλέπους*, *Blepus*, Procopii, ad confluxum riui, ab occasu *Esker* amnem petentis. Locus geographis ignotus, et hodie desolatus, qui ab Aelio, aut oleis nomen acceperit.

Sertica. iix. sic Vels. Interuallum xxviii M. P. ab *Gyusztendil* vsque rudera vrbis *Szerdacz*, est adcuratum. Heic autem in iix numero scribae veteris ingenium obserua, pro vulgari viii. quod non raro a recentioribus quoque fieri videas.

Iter ab Esco, vrbe ad ripam Danubii sita, ducit per Nicopolim, Marcianopolim, vsque Anchialum; quod postrema parte Hodoeporicon habet. Concurrunt in id a Philippopoli et Durostoro viae, quas deinde dispiciemus. In Tabula ab Esco haec notantur:

Ad putea. absque numero; Vels. *Ad Putea.* Danuille hanc viam ingredi noluit, quod impeditam obseruarat. Koelero, *ad puteos;* sed *Putea* sunt in Tabula, qui locus, vt e reliquo itinere colligere licet, circiter oppidum *Pleven*, dextra Vidi amnis ripa, steterit; vt L. numerus intercidisse videatur; id enim spatium intercedit. Hasio. *Putea*, *Cinque fonti*, ad Ozmam fluuium, cuius nominis locum in chartis recentioribus non video.

Storgosia. vii. Vels. *Storgosia.* vii. Secus Vidum procedenti occurrit oppidulum *Guardin*, quod Italis idem significat, ac *Vid* Illyriis. Vicinus est ab austro mons *Turjan*, qui Storgosiae vestigia seruet, cuius praeterea meminit nemo. Hasius, ad *Sinadinova*, hodie *Sinadizava*, ponit *Schogurto*, vnde nescio; quod cum Storgosia conueniret, sed a nostro itinere longius abscedit.

Dorionibus. xi. Vels. *Dorionibus.* x. Mansio haec ad ipsum *Turjan* montem, qui Dorionum vestigia integrius seruet, medio *Vid* inter et *Osma* fluuios spatio, exstiterit, olim excisa, quod eius mentio alias non comparet.

Melta. x. Vels. *Melta.* x. Notat hanc etiam Hasius ad recentem *Roszicza* fluuium posito asterisco; nobis est oppidum *Lovat*, alias *Lovatz*, *Lowatz*,

quae vox venatorem Bulgaris significat, laeua Osmae recentis ripa. Marsilius ab incolis accepit, rudera in hac vicinia, ad Haemi transitum, *Trajan* dicta, reperiri; quae in chartis recentioribus non comparent. Audiuerit is montem adpellari *Turjan*, ex qua voce *Trajan* effinxit. Habet Procopius inter castella Thraciae prouinciae Οὔρδαους, *Vrdaus*, quae nuncupatio Dorionibus et *Turjan* vocabulo adfinis videatur.

Apud Meltam, cuius alias non reperitur nomen, biuium est, cuius pars Philoppopolim, pars Nicopolim ducit. Hanc absoluemus ante. Signat viam Hasius, sed in exortum, *Eski-Stambol* versus, quam Nicopolim interpretatur. Tabula praefert,

Nicopolistro. L. sic Vels. Est *Nicopolis ad Istrum*, vrbs Ptolemaeo, Iornandi, numis, marmoribus nota. Cosmographo, *Νικόπολις περὶ Αἷμον*, *Nicopolis circa Aemum*, quod bene habet. Iornandes, *Nicopolim iuxta Iatrum* nuncupat, aeque recte. In pecunia veteri, ab Commodo Imp. *ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ.* cum addito. *ΠΡΟC ICΤΡΩ* aut *ICΤΡΟΝ.* in quodam Seueri *ΕΠ ICΤΡΩ. Nicopolitarum ad Istrum.* In marmore Romano, Aurelio Dizane Cotio, nat. ex prouincia Moesia inferiore, regione NICOPOLITANE. In Dacia, Tenacius Vindex, princ. ciuitatis NICOPOLITANOR. Danuille ternas facit orbes, Nicopolin ad Istrum, apud Osmae effluxum, vbi Anasamum Tabulae posuimus; Nicopolin ad Iatrum, quae nostra est, oppido *Nikop*, in *Roszicza* et *Jantra* amnium confluente; Nicopolin ad Haemum, ex Ptolemaeo et Marsilii relatione, vbi nulla fuit.

IX. Heic concurrunt viae Philippopoleos et Durostori, ambas notat Hasius ductu, locisque, partim asteriscis. Priorem dispiciemus ante, quam ad reliquas gradum faciamus. A Philippopoli mansio Sub radice et Montemno, seu Monte Haemo, in Thraciam cadunt; sequuntur,

Ad radices. VIII. Vels. *Ad radices.* VIII. Hasius, asterisco notat *Ad Radices*, apud Rosicae fontem, pro Osma; neque enim fluuius ille haec iuga attingit. Nomen ipsum indicat, mutationem hanc boreali Haemi decliuo stetisse, quae hodie non comparet.

Sotra. X. Vels. *Sostra.* X. Hasio quoque *Sostra*, cum asterisco, prope *Telekar*; nobis est *Calogericza* oppidulum, laeua recentis Osmae ripa. Si Sostra est sincerum, sororem vox designat, forsan Traiani, cuius in hac via et ruderibus memoria mansit. Sane et *Kalogyericza* femineum est, monialem significans. Duplex inde notatur via, altera Meltam, altera recta Nicopolim, sed absque numero. Si bene Sostra consistit, LV numerus desiderabitur.

Melta. XIII. Vels. *Melta.* absque numero. Interuallum ad *Lovat* seu *Lovacz* oppidum ab *Kalogyericza* rite ducit. De Melta, et quae sequitur, Nicopoli, priore itinere dictum. A Nicopoli itinere longo progreditur Tabula, integris CXXX. M. P. nullum intermedium exhibens locum, nisi ab Durostoro; quae res patriam bellis desolatam indicet. Est heic,

Marcianopolis. c. xxx. ſic Velſ. Ptolemaeus vrbem non prodit. Hodoeporicon, *Marcianopoli.* xviii. ab Odeſſo; qui cenſus non ſufficit; ſunt enim quinque mill. geogr. rectam tenenti. Marcianopolim ab ſorore Traiani compellatam, Ammianus et Iornandes tradunt. Pollioni, *Martianopolis;* Zoſimo, Suidae, *Μαρκιανοῦ πόλις*, *Marciani vrbs*, et priori quidem *μεγίστη*, *maximâ*, in Thracia. Numi autonomi, *ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙC.* Auguſtales, *ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Marcianopolitarum.* Seruat nomen *Marcenopoli*, Bulgaris *Preſlav*, ad Varnae fluuii cum altero congreſſum. Ab Duroſtoro vna dumtaxat manſio legitur,

Palmatis. xiiii. Velſ. *Palmatis.* xiiii. Procopio, *Πάλματις*, *Palmatis;* Haſius praeterit; Danuille, *Palmatis*, ſitu oppiduli *Hermanlik*, aliis *Bermanlik.* Eſt apud Haſium vicus *Pliſka*, ſed in auſtrum abſcedens.

Marcianopolis. xiv. ſic Velſ. Secundum Danuillei rationes, numerus rite ſubſiſtit; alii quatuordecim mill. geogr. eo interuallo cenſent; ſed ampla erat ciuitas vtraque, et manſio intermedia Palmatae etiam aliquot M. P. hauſerit. A Marcianopoli Anchialum verſus Tabula cum Hodoeporico vna vadunt, ſed illa plura cenſet loca, quae ſic habent:

Panniſſo. xii. ſic Velſ. Manſio haec ad Panyſum amnem, vt eum e Ptolemaeo Danuille nuncupat, conſtiterit, vocabulo ipſo indicante, et interuallo ſuadente. Varia is nomina, pro adcolarum ratione, obtinet, *Daphne* Graecis, *Titza* Bulgaris, *Kütsük kandſhik* Turcis nuncupatus; Plinio, *Panniſis*, et *Panyſſa.* In chartis recentioribus is ager eſt locis vacuus; apud Haſium *Bujuk Derbent* eo ſitu viſitur.

Scatras. xii. apud Velſ. abeſt. Hodoeporicon, *Soatris.* xxvi. Simlero, vel *Soatrix;* Surita legit *Soatrim;* in Regio *Scatrix.* xvii. in reliquis *Soatrix.* xxvii. Weſſelingius, cum ex Tabula Velſeri, hoc loco vitiata, praeſidium ſumere nequiret, *Lauacris* ſcribi poſſe cenſebat, ex alio Tabulae itinere, in quo Aquae ponuntur. Sed Aquae illae a noſtro itinere longius abſunt. Mihi Scatrae cognationem cum Soſtris habere videntur, vt heic quoque *Sorores* loco nomen fuiſſe putes, antiquis incolis *Soſtre*, *Seſtre* dicto. Danuille, *Soatris*, dextra *Kamtsik* amnis ripa; Haſius *Soatra*, cum aſteriſco, ſed Panyſo non recte huc translato. Eiusdem *Nadir* aut *Almali*, ſi bene habent, Scatris reſpondeant; nam chartae recentiores heic ſunt locis deſtitutae.

Cahatet. xviii. apud Velſ. deeſt. Numerus ducit ad iuga Haemi. Forſan erit fanum Ariſtaei, cuius meminit Plinius, qui Thracas mellificii artem docuerit: Mons Haemus, inquit, vaſto iugo procumbens in Pontum, oppidum habuit in vertice Ariſtaeum." Tabulae *Cahatet* ſit in locum *Cazatet*, aut *Cazsatet;* nam h litera plerumque barbaram indicat expreſſionem, ſh, x, ſeu zs, dſh, aut ſimilem aliam. Vocabulum Scythicae originis eſſe videtur. Heic Thraciae et Moeſiae finis.

CAPVT X

DACIA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. DACI, cum essent olim Mysorum nomine comprehensi, populis antiquissimis adcensentur, quorum pater Poetarum Homerus meminit; ipsum autem Dacorum nomen serius peruulgatum est, quod ante Caesarem nemo clare prodiderit; obscura tamen eius vestigia apud Thucydidem, sed ad Rhodopen montem, reperiuntur. Fasti de DACEIS triumphos referunt. In marmoribus gentis et patriae vocabulum frequens; Romae, C. Marius Gemellinus, nat. DACVS. in alio, Sabituo, Costobocensi DACO filii memoriam posuerut; in epigrammate domestico, C. Clodius, praef. mill. DACORVM. Epitheton Dacicus; in Pannonia, Q. Glitius Agricola, donatus bello DACICO. in denariis Traiani, Victoria DACICA.

II. Patrium, Dacia, in epigraphis obuium; Várhely, C. Marius Drusus, propr. ex prouincia DACIA. Numi Traiani, DACIA AVGVST. PROVINCIA. item, DACIA CAPTA. in pecunia officinae domesticae, a Philippo institutae, PROVINCIA DACIA. Nonnumquam pluratiue legitur in marmoribus; Albae, Decio Imp. restitutori DACIARVM. in lapide apud Marusium reperto, L. Aemilius Carus, legat. Aug. propr. III. DACIARVM. Tres Dacias, Lazio, Cluuerio, aliis iudicibus, repensem, meditarraneam, transalpinam fuisse, alias opinati sumus.

Tabula id nominis non prodidit; habet autem vniuersam Traiani Daciam, ripensem nimirum et mediterraneam; postrema quippe in formam prouinciae redacta non erat, quod Costoboci suum habebant regem, epigraphis testibus. Secus enim Tabula iis quoque regionibus vias indicatura erat. Ex hac autem Tabulae Dacia manifesto adparet, id opus tunc temporis confici debuisse, cum imperium Rom. heic in primis floreret; id M. Aurelii aetate accidisse, in prooemio ostendimus.

III. Fines Daciae, vt eos Ptolemaeus prodidit, ſunt ab occaſu Tibiscus, a ſeptemtrione montes Carpatici, ab exortu partim Tyras, partim Boryſthenes cum ora Ponti, a Boryſthene ad Iſtrum; a meridie Danubius ab exitu Tibiſci ad oſtia vſque; quamquam non mediocrem terrae plagam occiduo Tibiſci latere, ab Titel ad Petriuaradinum, Romani fuiſſe iuris certo tenemus. Danuille ab occaſu vallum Romanum, quod Marſilius regione Temeſienſi notarat, pro termino ſtatuit; cuius rei cauſſam neſcimus; ab exortu Tyram vſque ad oſtia; quod Ptolemaei doctrinae repugnat, qui Daciam ad Boryſthenis oſtium protendit. Quamquam errore quodam partem Myſiae vltra Danubium profert; quae tamen conſtitutio etiam tempore quodam in vſu eſſe potuit. Dacia proinde, vt nos eam ſumimus, procurrit ab gradu longit. 37 min. 40. ad 50 min. 20. latit. 43 min. 45. ad 48 min. 50. Longitudo eius maxima ab exitu Tibiſci ad oſtium Boryſthenis, M. P. DCLXX. latitudo, ab exitu Alutae ad flexum Pruthi maxime borealem, in parallelo vrbis *Chotsim*, M. P. CCCC.

§ II

Montes, fluuii, deſerta.

I. ALPES Baſtarnicae, quas in Sarmatia dedimus, ſingulari tractu, octo vncias cum ſemiſſe longo, exhibentur. Pars eius montis eſt Ptolemaei *Καρπάτης*, *Carpates* a borea, ſaltus Caucalandenſis ab exortu aeſtiuo, apud Ammianum, *Cogaeonus* Strabonis ab auſtro, Tapae Dionis, et Iornandis Tabae, ab occaſu. Sic incinctam corona montium, vt ſcriptor Gothicus dicebat, Tabula Baſtarnicas Alpes nuncupauit, habemus Daciam. De monte, ex quo Tanais effunditur, in Sarmatia dictum.

II. Ex alpibus porro Baſtarnicis quinque fluuios deriuat Tabulae auctor, ex his quaternos Iſtro committit, vnum Ponto; habet etiam Tyram et Boryſthenem, ſeorſim in Pontum deductos. Qui Iſtrum petunt, nomina amiſere; ſint autem Tibiſcus, Aluta, Seretus, Pruthus, quos iam hiſtoriarum pater Herodotus nouit, cui ſunt *Τίβισις*, *Ἄτλας*, *Τιαράντὸς*, *Πυρετὸς*, ſeu *Πόρατα*, quos nominaſſe ſuffecerit. Binos in recenſione locorum Tabula habet, Mutrium, hodie *Motra*, et Alutum, qui Ptolemaeo *Ἀλόυτα*, Herodoto *Ἄτλας*, hodie *Aluta*, vlgo *Olt*, nuncupatur. Eſt etiam *Rutela* fluuius, apud turrim Rubram Alutae mixtus, ad cuius fontem *Arutela* Tabulae.

Apo fl. in via, apud *Weiſskirchen*, qui eſt *Kraſh*, ſeu *Karaſh*, apud *Ujpalanka* Danubio immerſus, Herodoto *Naparis* adpellatus. Sunt item Berſouia. et Cierna. marmori *Tsierna*, hodie *Berſhova*, et *Czerna* fluuii, oppidorum inſtar in via relati. Adde Tibiſco. municipium et manſionem, quae Temeſo adſidebant.

fl. Agalingus. Velſeri editio fluuium ſignat, nomine exmiſſo. Surgit in ortiuis alpium iugis, et alueo ſeptem vncias longo defertur in Pontum. Tyram heic deſignari quisque putabit; ſed quorſum nomen *Agalingi?* Id ſe, inquam, ſic habet, vt alia apud Tabulae auctorem fluminum vocabula. Nimirum, familiare ipſi eſt, plures vicinos amnes vno alueo in mare, aut nobiliorem quempiam fluuium, deducere. Ptolemaeus refert, oſtium Danubii boreale in paludem, cui Θιαγόλη, *Thiagola*, nomen, deſinere. Id quidem paluſtre non eſt, ſed vicinae vtrimque ſunt paludes, vt *Kagul*, *Jalpuſh*, a Pruto; *Saſyk*, *Muria*, Tyram verſus, et ab hoc Boryſthenem petenti *Teligol.* Poſtremum hoc vocabulum cum *Thiagola* proxime conuenit. Sunt item fluuii, Iſtro proximus *Kugalnik*, paludem *Saſyk* influens; ab Tyra *Kujalnik*, *Kagalnik*, minores quidem, ſed aeque paluſtres. Notus etiam eſt Conſtantino amnis Χιγγυλὸς, *Chingilus*, quem cum Chidma, hodie *Kodima*, eumdem eſſe dicit. Tanta ſunt Agalingi Tabulae veſtigia. Scythicae aut Baſtarnicae originis vocabulum eſſe putes; Tyras quippe Geticum eſt, hodie *Dneſter.*

III. Cap. fl. cap. Amn. paludis. ſic Velſ. qui addit *Selliam*, quae vox in Scheibio Selliam ſcribitur. Tabula fluuium hunc duplici fonte, qui Oceanum iſthic exhibet, deriuat, vti Ptolemaeus Boryſthenem; ſed Hypanim heic, ſeu Bogum exprimi, res ipſa et fluminum ordo innuit. De illo Herodotus: Hypanis, inquit, ἐκ λίμνης μεγάλης, *ex palude magna*, profluit. De Tyra id pater hiſtoriarum acceperit; Bogus enim in planitie ſurgit, mox ab exortu paludes complures faciens. Ptolemaeus Amadocam paludem nominat, ex qua auſtralem Boryſthenis alueum deducit, Amadocis populo et Amadoco monte ad borealem fluminis plagam reiectis, et Hypane diſtincto alueo in mare deuecto. Rectius cum Herodoto ſenſere alii, Hypanim cum Boryſthene vno effluere oſtio. Auctor Tabulae fontibus quidem vtrumque expreſſit fluuium, decurſu Hypanim ſolum; nam Boryſthenem, quem ad ſcaturiginem Nuſacum, *Oſi* Tataris, nuncupat, ſingulari alueo in Pontum defert. Amnes *Sula* et *Solonenka*, Boryſthenem a ſeptemtrione petentes cognationem cum *Sellia* habent, quae vox Sarmatis habitationem ſignificat; prima aſperiore, media molli, *Xelya*, *Zselya*, deſiderium.

IV. Sors deſertus. ſic Velſ. Particula haec ſcripta eſt latere defluentis Hypanis, ſed Boryſthenem exhibentis, dextro. *Sors* erit fluuius *Ros*, e regione auſtrali, quam recens *Bog* amnis praefluit, Danaprem, *Dnieper*, petens. Ad Seretum, quod cuipiam videri poſſet, longe diſſitum, vox haec non pertineat, neque ad populum *Sorices*, qui ſeorſim ad Boryſthenem notantur. Epitheton *deſertus* conuenit campeſtri illi Tatariae Odſhakouienſis et Nogaienſis regioni, quam Bogus mediam pererrat, in qua ſcriptum in Haſii mappa videas, *Terrae de induſtria a Turcis et Tataris deſertae.* Squalent et hodie agri illi Tyram inter et Hypanim, tum Boryſthenem inter et Maeotim. Oſtia Danubii, quae Getica parte notantur, in Moeſia recenſuimus.

§ III

Populi Daciae.

I. IN Dacia interiore censentur Ptolemaeo, Anarti, Biephi, Albocensii, Buridensii, Teurisci, Caucensii, Cistoboci, Cotensii, Sensii; his vicini, Piengitae, Biessi, Tagri, Tyrangitae, Arpii, Britolagae. Tabula nouit Dacas, Getas, Pictos, Poritanos, Venedos, Bastarnas. Horum postremos, et, qui ad Sarmatiam spectant, Roxolanos et Sarmatas, alio diximus capite; heic residuos memorare libet. Bastarnis vicini ponuntur,

DACPETOPORIANI. scriptum minio pictum; Vels. Dacpetoporiani. Olim putabam, scribi debuisse DACAE PORITANI. a *Porata* fluuio, vt eum Scythae, Herodoto teste, nuncupabant, circiter exortum Seretis, dicti, adcolae amnis illius, in prouincia Traiani non censi; ponuntur enim extra limites, quos auctor cum Paralisso Daciae adscribit.

II. **PITI.** literis miniatis; Vels. Piti. Dacis Traiani proximi. PICTI fuerit olim scriptum, qui sint Agathyrsi Graecis dicti, a nuptiali corona, qui artus pingere, et armillas aureas gestare solebant. Mela ex veterum traditione: *Agathyrsi ora artusque pingunt.* (a) Patriam eorum ostendit Herodotus, cum Marin ex Agathysis deriuat, quae est Dacia Traiani. Hi patrio idiomate *Slaui* fuerint nuncupati. Ptolemaeus Agathyrsos longe in septemtrionem reiecit.

Gaete. literis minio pictis; Vels. Gaete. Herodotus Getas dextro Istri latere ab Dario deprehensos ait; sed id vocabulum genti commune fuisse, posterior probauit aetas. Nam, quas Herodotus Scythicas solitudines, in Bessarabia et Nogaiensi esse dicebat, Strabo *Geticas* adpellauit; addens praeterea, vnam gentem Dacos Getasque fuisse, originis Threiciae vtrosque. Plinius vero, Getas Graecis, Dacos Latinis dici perhibet. *Gaete* heic, scribae oscitantia, pro *Getae*, notantur.

III. **DAGAE.** literis minuatis; Vels. Dagae. Dacorum heic nomen in Agathyrsis latuerit; erat quippe commune, vt Getarum. Dacicum genus, qui machaerophori fuerint, Thucydides apud Rhodopen memorat, quos etiam Dio Cassius nouit. Strabo, Danubium per Dacos, Istrum per Getas ferri docuit. Hi in Valachos abiere postea. Daci quidem recto Graecis et Latinis audiunt; vtrique tamen Dacas oblique efferre amant; quam formam secutus auctor Tabulae, recto etiam *Dacae* dixit.

VENEDI. scriptum minio pictum. Hos idem in Sarmatia memorauit, nemini ea aetate ad Pontum notos. Firmat eorum isthic sedes Procopius et Ior-

(a) L. II. c. 1.

nandes; quamquam prior Slauos Antasque nominans, olim *Sporos* (ignotum ceteris vocabulum) nuncupatos ait; rectius Iornandes *Vinidas;* quod nomen vt peruetus gentis eſt, ita diu poſtea incolume perſtitit, ad noſtram vſque aetatem in occiduis partibus propagatum. Vocem originis peregrinae videri; niſi ex VID. quod Geticum eſt, Sueui fecerunt VIND. vt nomadas, et vento leuiores facerent. Vindelicorum alia eſt ratio.

§ IV

Daciae oppida, manſiones.

I. TRIBVS praecipuis itineribus abſoluit Tabula Daciam, quam ſola e vetuſtate ſeruauit. Omnia tria a Viminatio progrediuntur, quorum primum Tibiſſum, alterum Apulam, tertium, idque longiſſimum, per Apulam Napocam, inde Paraliſſum. Has vias ordine luſtrare libet, duce Marſilio, quo etiam Danuille vſus eſt, et nuper Mannertus, opere duplici, libello de gemina Traiani expeditione, altero geographiae veteris tomo quarto. In vtroque horum nihil deprehendi, quod in geographia Daciae, ante hos nouem annos conſcripta non occupaſſem. Heic Tabulam modo ſequi et interpretari iuuat; nam geminam Traiani in Dicas expeditionem, quantum geographiae et hiſtoriae poſcebat ratio, ſingulari libello, eodem tempore, e columna Traiana executi ſumus. Itinere primo, in Tabula, a Viminatio ponitur,

Leberata. x. Velſ. *Lederata.* x. Procopius, contra Nouas turrim fuiſſe refert, nomine *Λιτερατὰ*, *Literata*, quae olim *Λεδεράτα*, *Lederata* vocabatur, ex qua Iuſtinianus validum fecerit caſtellum. Notitia, praefect. milit. Vicentienſium, *Ledenatae.* Mannert, principium viae ab Gradiſca Seruiae ducit, vbi pontis naualis veſtigia, Tabulae et Procopio, *Pontes* vocabulo indicata, eſſe ait, Karanſebeſum progreſſus. Verum haec iſthuc minime ſpectant. Rectius Danuille, per Ramam et Ujpalankam profectus, Temesvarum petit, etſi Viminatium Ramae non bene adplicuit. Nobis Lederata eſt oppidum *Ujpalanka*, antea *Keve* dictum, in Caraſſi et Nerae amnium confluente.

Apo fl. xii. ſic Velſ. Haec vox deceperit Mannertum, Tabulam obiter inſpicientem, vt *Pontis* reliquias eſſe cenſeret; ſed particula fl. poterat ei opinionem hanc adimere, quae fluuium ſignificat, qui *Kraſh* ſeu *Karaſh* eſt, a ſeptemtrione in Danubium, occiduo Ujpalankae agro, delapſus. Minoribus quidem cum Nera adcenſetur, ſed ob traiectus oportunitatem, Graecis antiquiſſimis, qui commercii gratia iſthuc adpellebant, notus. Hunc quippe Herodotus *Naparin*, alterum *Ararum*, nuncupaſſe videtur. *Weiſskirchen* oppidum, Haſio *Jeſſenova*, veteri manſioni, ad fluuium ſitae, reſpondeat.

Arcidaua. XII. sic Vess. in Scheibio numerus abest. Ptolemaei *Ἀργίδαυα*, *Argidaua*, si non est Sergidaua, vt numeri poscere videntur, certe haec Tabulae *Arcidaua* erit; id tamen valde adseueranter non dixerim, quod plura similis vocabuli oppida esse poterant. Est oppidum *Verſhecz*, ad exortum *Karaſh* amnis; Danuille etiam huc respexit; Mannert *Saſka* vel *Slatina* esse putabat; quae sunt loca et ab se se, et a nostro itinere longius in exortum remota.

Centū. putea. XII. Vess. *Centum Putea*. XII. Est palus *Ali-bunar*, a puteis nuncupatus, cuius ora boreali *Moravicza* vicus mansioni antiquae respondeat. *Alibunar* pagus, est paludis margine australi, itinere a Belgrado et Pancsova ducente. Adparent vestigia canalium veterum vtrimque, ad palustria haec in Danubium deriuanda, iuxta quos viae fuerint institutae. Mannert vicum *Oravicza* puteos significare, ait, in quo egregie fallitur; nam id genus loca populo nostro a montibus nuncupari solent.

II. Bersouia. XII. sic Vess. Prisciano, *Berzobis*. Seruat nomen fluuius *Berſhova* cum oppidulo cognomine, in quadam insula amnis eiusdem sito. Quare hac processisse viam, nemo dubitarit. Danuille, puteis missis, Bersouiam recte signauit; Mannert apud *Karaſhova* oppidum quaerit.

Ahihis. XII. Vess. *Ahihis*. XII. Priscianus, ex commentariis Traiani, de expeditione Dacica: *Inde Berzobim, deinde Aixi processimus*. Alias monebamus h literam auctori Tabulae pro barbara expressione vsurpari, *ſh*, *ts*, *zs*, et simili. Interuallo respondet ager oppiduli *Tsakovo*, ad laeuam Temesi ripam, quem antiqui Tisiam (*Tiſhja*) dicebant. Mannert putat, scribam in Tabula *Ahixis* notare debuisse, quem locum ad amnis *Berſova* exortum quaerit. Sinamus suos Tabulae errores. *Ahihis* est more militari dictum, pro *ad Tiſiam*, popularibus *o-Tiſhjoj*.

Caput bubali. III. sic Vess. Procopii *Καπόντβοες*, *Caput bouis*, apud *Sip*, in Moesia, fuerit; neque enim Iustinianus has Daciae veteris partes, olim amissas, tenebat. Danuille has mansiones praeterit; Mannet apud Bugonis cuiuspiam, (Bega forsan) fluuii exortum, regione Karansebesi, Caput hoc fuisse putabat. Mansio ab insigni capitis bubali sit nuncupata, apud *Temeſh* oppidulum, laeua cognominis fluuii ripa.

Tiuisco. X. insignia municipii; Vess. *Tiviſco*. X. Ptolemaeo, *Τίβισκον*, *Tibiſcum;* lapis apud Marsilium, ad *Temiſh* et *Biſztra* amnium confluxum, Corneliae Saloninae Aug. Gallieni coniugi, ordo MVN. TIB. Danuilleo, *Tibiſcus*, situ vrbis *Temisvár*. Mannert apud *Kavaran* vicum, Marsilium non recte secutus, ponit; oblitus, aliud in Tabula Tibiscum, alio itinere, exprimi, cui *Τίρισκον*, rectius *Τίβισκον*, Ptolemaei respondeat. Inscriptio ibi reperta non obstat; nam saepe in remotioribus etiam locis id genus lemmata ponebantur, et hoc etiam Tibiscum iura municipii habere potuit. Proinde hoc Tabulae Tibiscum Temesváro nemo abstulerit. Adde viae terminum, quem Tabula exprimit, qui manifesto indicet, vlteriora aetate, qua Tabula est confecta, Romanis non

paruiſſe. Nam foſſae, Aradum et Tokaium verſus, quas Marſilius, aliique notant, poſteriori tempore ſunt percuſſae. Videntur etiam in Temesvaro veſtigia municipii veteris ſupereſſe, vocabulo paullisper inflexo. Hoc erat Tabulae iter per Daciam Traiani primum.

III. Iter alterum ab Taliata, quam apud *Porez* amnem poſuimus in Moeſia, per anguſtam illam, in monte cauatam, vt Marſilius refert, viam ducebat ad vicum *Tekia*, aliis *Jega*, vbi traiectus in Daciam erat, in Tabula rite expreſſus. Mannert ſic de hoc itinere loquitur, vt traiectum apud Taliatam fuiſſe intelligamus, vbi Columbina minor in chartis comparet; ſed ea longius a *Porecz* abeſt, et ad ipſas cataractas, loco traiectui minime apto. Itaque ab Taliatis in Tabula comparet,

Tierua. xx. ſic Velſ. *Tierna* ſcriptum olim fuiſſe, aliunde opinari licet; ſed in Tabula *Tierua*, non Tierna, vt Mannert legit, notatur. Ptolemaeo, *Δίερνα*, *Dierna;* Notitiae, *Trans Diernis*; nam *Zernis* eius et Procopii in Moeſia erat. In marmore thermarum Mehadienſium, Valerius Felix, miles coh. IV ſtationis TSIERNEN. *Tziernenſis*. Coloniam Zernenſium, cuius meminit Vlpianus, Mannert, iſthuc ſpectare, idonee obſeruat; quamquam in Baſilicis, *ἡ τῶν Ζερμησιῶν ἀποικία*, *Zermeſiorum colonia,* legitur; ſed Notitiae et Procopii *Zernis* non recte huc transfert; minus apte Diernam interpretatur anonymum locum vno valido mill. geogr. ab *Orſhova*. Nam XX M. P. a *Porecz* amne adcurate ad *Orſhovam* vrbem ducunt, laeua Czernae exeuntis ripa ſitam, a quo nomen olim mutuata eſt *Tsierna*, ſeu *Tzierna*, vt hodie ſcribere ſolemus. Danuilleo, *Dierna*, ſitu recto.

Ad mediā. x. Velſ. *Admediā*. absque numero. Danuille, *Ad Media*, apud *Krajova* et *Czerna* amnium confluentem. Mannert, *Media* legit, vultque olim ſcriptum *Meadia*, vt hodie vocatur locus; incertum, neutro, an femineo genere vocem exprimi velit; Tabula femineo habet. Popularibus erat *Media*, vulgo *Medja*, *Megya*, terminus, Dacos inter Getasque, vt Strabo recte docebat; qui hodie vſque Valachos inter et Temeſienſes perſiſtit. Pleraeque chartae ſpatium ab *Orſhova* ad Meadiam ampliant; meliores duo mill. geogr. cum quatuor quintis cenſent, C. Rode duo tantum. Vetus Media confluxui memorato propior fuerit. Rudera arcis, quae in hodierna Meadia vidit Marſilius, ſint ex aetate media, et lapides epigraphici ab thermis et veteri oppido eo translati.

Pretorio. XIIII. Velſ. *Pretorio.* absque numero. Danuille, *Praetorium*, ad recentis *Temeſh* flexum, vbi oppidum *Teregova* hodie, rudera habitationis, et viae Romanae veſtigia, a Marſilio deprehenſa. Forſan *Φρατερία*, *Frateria* Ptolemaei huc ſpectabit, in exortum remota. Idem habet Praetoriam Auguſtam, ſed in boream longe abſcedentem. Mannert apud *Cornia* oppidulum ſtatuit, vbi nulla vrbis antiquae ſigna.

Ad pannonios. IX Velf. *Ad Pannonios.* XX. Danuille praeterit; Mannert ad flexum Temefi ftatuit, quem reliquimus. Pannonii hi, forfan colonia militaris Pannoniorum, cuius in marmore Dacico fit mentio, circiter *Fenifh* vicum conftiterit.

Gaganis. IX. fic Velf. Strabo montem et fluuium *Cogaeoni* vocabulo in Dacis memorat, fed penitius in exortum, qui hodie quoque *Gogany* vocatur. Vicinus huic tractui eft mons *Mika* dictus; *Illova* vicus, pugna notus, Gaganis refpondeat. Mannerto *Gaganae* vel *Gagana*, domus poftalis *Flova;* forfan et *Gagani* recte dici queant.

Mafclianis. XL. Velf. *Mafclianis.* IX. Mannerto, *Mafclianae*, apud vicum *Kirpa*, ab auftro; nobis eft oppidum *Karanfebes*, dextra Temefi ripa. Danuille haec praeteriit loca.

Tiuifco. XIIII. fic Velf. Ad vicum *Kaveran*, Marfilio *Kavaran*, ad quintum fupra Bifztrae cum Temefo confluxum lapidem, vbi praefidii veteris veftigia deprehendit Marfilius, pertingit menfura. Mannert heic Tiuifcum huius itineris recte ftatuit, fed cum Tiuifco municipio itineris prioris perperam commiffum. Haec quippe manfio erat, diuerfa regione fita, illud municipium. Lapis apud confluxum memoratum repertus, ad municipium fpectat; Tiuifcum, manfio, profecturis in Daciam interiorem praebebat hofpitium, praefidio militari, viae illi tuendae, munitum. Aberant haec bina eiusdem vocabuli oppida, ab amne, cui adiacebant, cognominata, mill. geogr. nouem, feu M. P. XLV. Vtrum fpatio hoc via quaepiam tum iam inftituta fuerit, ex Tabula colligi nequit; nullus quippe in ea viarum nexus exprimitur. Vt cenfere liceat, aut haec loca itineri faciundo minus tuta fuiffe, aut vias non dum perfectas, vt vfui feruire valerent.

IV. Agnauie. XIIII. fic Velf. Mannerto, *Agnouae*, oblique *Agnouis*, apud *Kertfchina*, communi expreffione *Krifina*, dextra amnis, fe poftea in Bifztram praecipitantis. Marfilius heic veftigia munimenti veteris deprehendit. Nonnullis hoc loco amnis *Glimboka* audit, qui ad exortum *Bifztra* vocatur; nifi amnis ab *Kriftna* deflui fit nomen illud.

Ponte Augufti. VIII. Velf. *Ponte Augufti.* VIIII. Eft ad laeuam riui, ab auftro Bifztram petentis, vicus *Marga*, vbi Marfilius antiquae habitationis veftigia, et epigraphas, reperit; heic Danuilleo et Mannerto, *Pons Augufti.* Nos aliquando putabamus, vocabulum hoc ad pontem Traiani lapideum referri debere; fed is eo tempore, quo Tabula eft conftructa, iam inutilis factus erat, vt ipfe viarum ductus oftendit; et hic quispiam, ab Traiano forfan, pons fuerit conftructus, quem recentiorum nemo nouit. *Pons Augufti*, cuius meminit epigraphe Varhelienfis, reapfe ad Pontem Traiani lapideum fpectat, vt in epigraphica monftramus. *Ζεῦγμα*, *Zeugma*, Ptolemaei huc pertinere, Mannert bene obferuat; fed cum *Bontas* Iornandis, tamquam *Pontes* dicantur, huc referri ait, *Tabas* autem ad Rubram turrim, a vero aliena tradit; Tabae quippe,

Dioni Tapae, apud *Lugosh* erant, hodie quoque *Tapia* vico superstite; Bontas proinde alio transferas, oportet.

Sarmategte. xv. insignia coloniae, fluuio cinctae; sic Vels. Ptolemaeo Erasmi, *Ζαρμιγέθουσα*, *Zarmigethusa*, in catalogo vrbium; in tabulis plenius *Ζαρμισογέθουσα βασίλειον*, *Zarmisogethusa regia;* Schotti codex vtrobique, *Ζαρμισεγέθουσα*, *Zarmisegethusa.* Epigraphae, huius vocabuli diuites, primam S constanter praeferunt; in plerisque SARMIZ. in aliis SARMIZEG. SARMIZEGETVSA. SARMIZAEGETHVSA. pleno titulo, COLON. VLP. TRAIANA. AVG. DACICA SARMIZEGETHVSA. nonnumquam *metrop.* additur. Epitheton Traianensis, S. P. Q. TRAIANEN. plebs ordoque TRAIANEN. Dioni Cassio, *Ζερμιζεγεθόυση*, oblique, *Zermizegethusae;* Vlpiano, *Zarmizegethusa.* Mannert, ex Ptolemaeo legit *Zarmisegedusa*, et numerum in Tabula ait falsatum, vti nomen vrbis. Equidem in Ptolemaeo eam expressionem non lego; numerum Tabulae adcuratum deprehendo; vocem autem *Sarmategte* aio militi praeplacuisse illa sesquipedali *Sarmizegethusa* cum epithetis suis. Situm vrbis, et vestigia antiquitatum, prae ceteris, Marsilius dedit. Ab *Várhely*, qui hodie vicus est, Valachis *Gradishte*, vox vrbem desolatam notans, flectit via in boream.

V. Ad aquas. XIIII. aedes quadrae, amplae; Vels. *Ad Aquas.* XIIII. Ptolemaeus graeco reddit, *Ὕδατα*, *Aquae.* In valle *Hátzeg* plura antiquitatis monumenta Marsilius reperit; sed Aquarum vestigia neque ipse, neque vllus recentiorum alius detexit. Calidae Gyögyenses, in comitatu *Hunyad* memorantur, quae isthuc non spectant. Numeri ad oppidum *Hátzeg*, Marsilio *Azak*, aliis *Haczet*, *Hatzat*, ducunt. Fuerint caldaria, qualium solo Budae veteris superant vestigia, et in agro Mursae veteris reperta, alias docui. Danuille Aquas praeteriit; Mannert, *Hátzeg* inter et *Hunyad* fuisse putat.

Petris. XIII. Vels. *Petris.* XIII. Via ab Hátzeg, latere Strigii occiduo, procedit per *Barts*, *Szászváros*, Albam. Mannerto, *Petrae*, apud vicum *Pad*, Strigium inter et *Szászváros;* nos *Barts* oppidulum esse putamus, cui olim Petrae, ab siluosis montium iugis, quae duas horas inde continuantur, nomen inditum fuerit. Est *Piatra* vicus, Valachis dictus, sed in exortum longius abscedens. Danuille reticuit.

Germihera. VIIII. Vels. *Gernuhera.* VIIII. A Petris via in exortum flectit, *Brosch* seu *Szászváros* versus, cuius agro, ad quartum in meridiem ab oppido milliare insignia habitationis antiquae vestigia esse dicuntur. Lapis apud Gruterum, quem in thermis Varadini repertum ait Lazius, MOENIA GERMISARAE memorat. In Tabula h litera hoc loco *sh* aut *zs*, barbara expressione, significet, loco ab dumis, ferarum latibulis, quae hoc tractu copiosae degunt, nuncupato. Mannert ad *Kostrintz* vicum, sexto supra *Broosh* lapide, statuit. Dauilleo, *Zermizerga*, situ oppidi *Szászváros;* Ptolemaeo *Ζερμίζιργα*, *Zermizirga*, quam regione *Müllenbach* oppidi Mannert quaerit; ego eamdem cum Germisera esse autumo.

Blandiana. VIIII. sic Vels. Ab Gemisera via laeuam Marusii ripam tenet Alvincium versus, in cuius agro castelli rudera et inscriptiones reperiri dicuntur, cui Blandiniana respondeat. Danuille in dextram Marusii transfert; Mannert apud *Müllenbach* ab exortu statuit.

Apula. VIII. insignia coloniae; sic Vels. Ptolemaeo, Ἄπουλον, *Apulum.* Vlpiano, colonia Apulensis, iuris Italici. Vrbs regno epigraphico celebrata; in plerisque marmoribus COL. APVL. in quodam T. Aelius Lupus, duumuiral. COLONIAE APOLENSIS. in alio, negotiatores PROVINCIAE APVL. Septimio Imperatore municipium erat; C. Iulius Valentinus, IV vir. MVN. SEP. APVL. in quodam, T. Flauius Italicus, IV vir M. A. A. *municipii Aelii Apuli;* vt iura mutasse videatur. Mannert ait, in Tabula praue *Apula* dici, quod Apulum Ptolemaeus et lapides praeferrent; atqui vero in senis vicenis epigraphis, quae vrbis meminere, nulla est, quae integrum nomen promeret, nisi adiectiuum. Legas ibi AP. APV. APVL. quae vtrum *Apulum* an *Apula* reddi debeat, ex epigraphis non elicueris. Epitheton *Apulensis* e femineo et neutro pariter formari potuit. Latinis Alba Carolina, Hungaris *Gyula Fejérvár*, Germanis *Carlsburg*, Valachis *Belgrad.* Heic via ab Egeta procedens terminatur, quam postea videbimus.

VI. **Brucla.** XII. sic Vels. Mannert ex aduerso effluentis *Kockel* quaerit, quo ab vrbe veteri non sunt VI M. P. amplius; nos oppidum *Enyed* interpretamur, dextra Marusii ripa, chartis antiquioribus *Engedin*, *Engetin.* Idem putat, in Tabula Marcodauam Ptolemaei cum XII M. P. excidisse, quod ab Carolina ad Tordam septem mill. geogr. censentur, seu M. P. XXXV. cum in Tabula non nisi XXIIII compareant. Quod chartas quidem concernit, mihi sunt recentiores, in quibus sex mill. geogr. eo interuallo numerantur; Lazius quinque computat; adde oppidorum antiquorum suburbana, et intermediae mansionis vicos, ac veterem Apulae situm, aliquot mill. pass. facile imputabis. Proinde interpolationem Tabulae hoc loco non agnoscimus. Danuille situ eo, quo Mannert Bruclam posuit, Patroissam habet, de qua mox dicturi sumus.

Salinis. XII. Vels. *Salinis.* absque numero. Mannert, *Salinum* exhibet, quod neque Tabula, neque Ptolemaeus agnoscunt; huic enim Σαλῖναι, Schotti edito Σαλίναι, *Salinae* sunt, vti Tabulae. A nemine situm Salinarum indicari, non recte adserit Mannert; cum iam Zamosius, eumque secutus Cellarius, id censuerint, Danuille autem adcurate collocarit. Vsque huc viae Romanae vestigia notauit Marsilius, boream petentia, inde vero exortum Vásárhelinum versus.

Patauissa. XII. sic Vels. Ptolemaeus, Πατρούϊσσα, *Patruissa.* Vlpiano, *vicus Patauicensium;* in columna milliaria Traiani, POTAISSA. Petouium quoque praeferunt epigraphae; Tordae, P. Aelius, ciuitatium Volmerii et PETOVII curator. In oppido *Száſzváros*, Aureliae Florae, PETOVIO. De Pannoniae Poetouione heic cogitare non licet. Numerus ad amnem quempiam,

a ſeptemtrione in Maruſium defluentem, ducit, vbi chartae veteres *Bogatz*, aliae *S. Király*, ponunt; hodie nihil eo agro notatur. Mannert quoque huc reſpiciebat; Danuille ad Albam, vt dicebamus, cum Patroiſſa abiit.

Napoca. XXIIII. inſignia municipii; ſic Velſ. ſed vnitatibus numeri attritis. Ptolemaeo, *Νάπουκα*, *Napuca;* in marmore Claudiopolitano, M. Vlpius Baſſianus, auguſtalis COL. NAP. Nonnulli e Sponii Miſcellaneis aiunt, in laterculis vrbanis easdem legi particulas. In columna Traiani milliaria POCAE ſcribitur, caſu gignendi; Vlpiano, *colonia Napocenſis.* Mannert putat, Napocam vno valido milliari, id eſt, VI aut VII M. P. a *Maros-vásárhely* in occaſum hibernum exſtitiſſe; ſed nemo ibi veſtigia vrbis nouit; et menſura repugnat. Nam ab ſitu Patauiſſae, quem ipſe adſignauit, ad confluxum *Nirádtö* cum *Maroſh*, ſunt tria dumtaxat mill. geogr. ſeu M. P. XV. proinde vlterius Napocam ſtatui oportere, in confeſſo eſt. *Maros-váſárhely* Napocae ſitu conuenire, numeri ſuadent. In antiquis chartis vicinus eſt locus *Pogar Poga*, qui *Pocae* veteris veſtigia expreſſione ſeruet. Danuille cum Ptolemaeo in boream, ad *Számos-ujvárum*, abit, renuens Marſilium ſequi, quo duce non minimum vtitur alias.

VII. Optatiana. XVI. ſic Velſ. Via a Napoca prope laeuam Maruſii ripam progreditur per *Sáromberke*, inde miſſo angulo boreali in exortum, per *Saraiháza*, *Alſalu*, *Sz. Niklós.* Danuille ad Samoſium abit; Mannert ob Napocae poſitionem retardatur, Optatianam *Gernyeſzeg*, ad ſeptimum ſupra *Maros-váſárhely* lapidem, eſſe iubens; nos *Sáromberke* oppidulum tenemus. Danuilleo, *Déts* eſt, longe a noſtro itinere remotum. Cum hac manſione Paſſus *Ojtos* cognationem habere videtur, quamquam longius inde remotus.

Cargiana. XV. Velſ. *Largiana.* XV. Danuille *Bethlen*, Mannert *Száſz-Regen*, ripa Maruſii dextra, eſſe volunt: nos viam in exortum flexiſſe, cum Marſilio, cenſemus, Cargianam *Sarai-háza*, ad alueum quemdam obſtructum, interpretati; menſura quidem recte ſeſe habente, ſono autem vocis ſuperſtite.

Cerſie. XVII. ſic Velſ. Danuille reticet; Mannert, non longe a via noſtra, *Remetzel*, (*Remete*) ripa Maruſii recentis laeua, ſed ab *Regen* longius, quam numeri patiantur, remotum, eſſe ait; nos ad ſeptimum inde lapidem, ripa Maruſii recentioris dextra, *Alſalu* Cerſias accipimus. Viam heic in dextram Maruſii tranſiſſe, ex Marſilio quoque colligere licet.

Porolıſſo. IIII. inſignia municipii; ſic Velſ. Danuilleo eſt oppidum *Biſztritz;* Mannert, cum Marſilii Micazam in chartis reperire requiret, generatim ad viarum a Paſſu Gyemes, et aliis vicinis, ex Moldauia venientium congreſſum fuiſſe ait. Sed, ſi *Remete* bene habet, non oportebat ſitum Paraliſſi longe reſpectare. Marſilius ſic de *Micaza* (*Mikháza*) ſcribit, vt apud recentem Maruſium nos conſiſtere oporteat. Eius Micaza eſt chartis *Sz. Niklas*, ad riuum, Maruſium ab exortu petentem, qui ſit Marſilii *Snarát*, olim Cerſie forſan, ab ſilua acerna, nuncupatus, vbi veſtigia vrbis Romanae, ab eo memorata. Ab hoc

loco abeſt Paſſus *Gyemes* in boream mill. geogr. tria, fons Alutae in exortum aequinoctialem non integra duo, paſſus *Ojtos* in hibernum orientem quinque. Ptolemaeo Eraſmi *Πορόλισσον*, *Poroliſſum*, vt Tabulae; Sotti *Πορέλισσον*, *Poreliſſum;* Italo *Paroliſſo.* In marmore Budenſi Pannoniae, C. Soſio Ciſſiano, militi POROLISSENESI. P. Radinouius Prouincialis, haeres fecit. Prope Nadin Liburniae, Cocceius Vmbrianus, pontif. ciuitatis PARALISSENSIVM. prouinciae Daciae. *Várhely*, Aurelius Theophilus et Caſtor, decur. MVN. POROL. Lectio Tabulae eſt ſincera, Dacis veteribus transitum ſignificans, ſitu etiam reſpondente. Liſſas in Succorum anguſtiis, Moeſiae inferioris et Thraciae in Haemo finibus, habuimus, voce idem notante. Velim heic lectorem eius Strabonis dicti meminiſſe, quo Dacorum linguam et Thracum eamdem eſſe perhibet; qua de re in opere de Iſtro, quantum ſatis erat, disputauimus. Heic finis Daciae borealis ab exortu, Antoninorum aetate, quod viarum ſpectat rationem. Ptolemaeus prouinciam diducit latius, apud quem oppida, niſi Tabula duce, pleraque ſunt poſitionis incertae.

VIII. Supereſt iter longius ab Egeta, per mediam Valachiam cis Alutam, ſecus ripam huius deinde in Tranſiluaniam, per Cibinium Albam vſque ducens, integris ſexdecim manſionibus. Via haec pars eſt aggeris illius, quem in quibusdam recentioribus chartis ab inſula Danubii *Oſztrov*, ad rudera pontis Traiani, per medios Valachos ad *Galatz*, inde per Moldauos ad *Bender*, ſub nomine *Foſſae Traianae*, item Auaricae munitionis, duci videas; quorum poſterius ratione caret; illud alteri quoque Imperatorum, qui Dacias tenuere, adſcribi queat. Sed viam perſequamur. Structura Pontis Traiani ſuperna ab Hadriano deiecta, et opere immortali ad traiiciendum inutili reddito, paullo inferius apud Egetam, hodie *Perſa*, aliis *Palanka,* traiectus Danubii conſtitutus eſt. Itaque ab Egeta haec ponuntur:

Drubetis. XXI. ſic Velſ. Ptolemaeo *Δρουφηγὶς*, *Druphegis.* Notitia, ſub duce Daciae ripenſis, auxilium primorum Daciſcorum, *Drobetae;* item praefect. Leg. XIII Gem. *Trans Drobeta.* Scilicet, ex quo Aurelianus, milite in Moeſiam translato, Daciam barbaris reliquit, quaedam Dacica locorum nomina, cum milite, eo migrarant; qualis Zernis, Caput bouis, et heic Drobotis; quae in patria veteri nuncupationem auitam felicius retinuere. Nam iſthic vicum *Drivicza*, dextro viae a Ponte ducentis margine, Drubeti antiquae reſpondere, ipſum vetus XXI M. P. interuallum, ſub Traiano adſcriptum, adcurate oſtendit. Sunt enim in chartis melioribus, quas a bello poſtremo his locis adcuratas habemus, a veteri iuxta Pontem traiectu, vbi agger, et via vetus initium capit, ex aduerſo paruae inſulae, quam rudera Pontis formarant, et in ea vici cognominis *Oſztrov*, ad memoratum *Drivicza* vicum ad amuſſim quatuor mill. geogr. cum vna quinta; a Ponte autem mill. quinque cum duabus quintis; a Perſa, vbi poſtea traiectus inſtitutus, mill. geogr. ſex. Proinde, etſi transitus, adiunctis ita ferentibus, ſitum mutauit, vetus tamen via cum menſuris perſtitit,

vt hoc ipſo loco Tabula eximie monſtrat. Danuille Drubetin rite notauit; Mannert, via non reperta, mire oberrat, cum Drubetin apud *Crajeva*, Amutrium apud *Brankovan*, quaerit, loca inde in exortum longe remota. Neque rectam Pontis Traiani ſitus ideam habuit, cum ad Edeta (Egeta eſt) eum ſtatuit, et inde ad *Crajeva* XXI M. P. numerat; quae menſura Craiouae nuspiam conuenit, niſi apud effluxum *Shiul* amnis, ex aduerſo *Silauna* oppidi, iam in cenſu Moeſiae inferioris, a proprio Pontis loco decem et ſeptem mill. geogr. remoti. Si heic vir doctus Danuilleum ſequi voluiſſet, felicius erat progreſſurus.

Amutria. XXXVI. ſic Velſ. Ptolemaeo, *Ἀμούτριον*, *Amutrium.* Seruat nomen oppidum cum fluuio *Motra*, dextra in *Syl* amnem exeuntis ripa, vt Danuille quoque rite ſignauit. Mannert ad *Brankovan*, Alutamque, abit. Amutrium hoc, quaſi *ad Mutrium* dicas, nomen vetus fluuii oſtendit, quod Dacis *caeruleum*, vt Cerna *nigrum*, ſignificat. Adeo priſcae gentis linguae non pauca iſthic ſuporant veſtigia. Tabulae terminatio eſt populari dialecto adcommodata, vſu militari.

Pelendoua. XXXV. Velſ. *Pelendoua.* XXXV. Danuille, Marſilium ſecutus, in exortum hibernum progreditur, *Pelendoua* circiter vicum *Droſman*, dextra *Teglui* amnis Alutam petentis ripa, ſtatuit. Mannert, via amiſſa, hanc manſionem, cum ſequentibus quinis, recitaſſe ſatis habuit, absque ſitus adſignatione. Nos cum Danuilleo profecti, vicum *Pirleſhti*, ad memoratum amnem poſitum, interpretamur.

Caſtris nouis. XX. ſic Velſ. Apud *Farkas* oppidum, Marſilio *Antina*, paullo ſupra *Karakal*, inſignia ſunt antiquae vrbis veſtigia, dextro exeuntis *Teglui* amnis latere, quae poſterius ſurrexerit, cum Tabula *Caſtra* modo nuncupet, et Ptolemaeus nullum heic oppidum ſtatuat. Inde via ſecus Alutam procedit, quam Traianus Decebalum expugnaturus, altera expeditione, tenebat.

IX. **Romula.** lXX. ſic Velſ. Danuille ad L. M. P. ſtatuit, ex aduerſo *Curticora;* nos oppidulum *Szlaviteſhti*, dextra Alutae ripa, e numeris, et ſono vocis, Romulam eſſe arbitramur, manſionem ſcilicet, quod Ptolemaeus loci non meminit; nam Rhamidaua eius in boream abſcedit. Ex hoc autem interuallo agrum bellis deſolatum intueare.

Acidaua. XIII. ſic Velſ. Danuille eo ponit ſitu, quod Romulae adſignauimus; numeri ad vicum *Almaneſhti* ducunt, quod nonnullis ripa aduerſa ſtatuitur. Ptolemaei *Ἀργίδαυα*, *Argidaua,* hoc fere poſitu, conſiſtit; niſi alio transferri debeat. Sed erant plura eiusdem nuncupationis loca, vt hoc ipſo itinere viſuri ſumus.

Rusidaua. XXIIII. ſic Velſ. Danuille, exmiſſa hac manſione, vniuerſum iter turbauit, ponte Aluti apud *Almaneſht* poſito. *Ruſidaua*, e numeris reſpondet oppidulo *Oſztrovo*, quod nonnulli in inſula ponunt, ad decimum ſupra *Rimnik* ſeu *Ribnik* lapidem.

Ponte Aluti. XIIII. Velſ. *Ponte aluti.* XIIII. Apud Arxaviam, Germanis *Straſsburg*, Marſilio *Citadeſu*, viae trans Alutam veſtigia notantur; menſura ad vicum *Robeſti*, paullo infra Straſsburgum, pertingit, vbi circiter pontis locus, ſupra flexum Alutae, ex aduerſo riui flumen petentis. Heic nomen fluuii habemus, qui Ptolemaeo Aluta, Tabulae, Alutus, incolis *Luta*, ſeu *Lyuta*, violentus, hodie *Olt* nuncupatur, Valachiae duplicis diremtor.

Burridaua. XIII. ſic Velſ. Danuille praeterit; Mannert, vbi viam vltra Alutam, per Valachiae orientalia, ſitu locis non adſignato, vagatam retulit, Ponte Aluti ſub Paſſu Rubrae turris ſtatuto, heic Tabas Iornandis exſtitiſſe cenſet; quas apud *Lugoſh* fuiſſe, ſupra monebamus. *Bontas* eius (niſi *Ojtos* ſit) ante huc retuleris. Menſura turrim Rubram, *Rothenthurn* Germanis, *Toran* Getis, ad quintum infra oppidum homonymon lapidem, *vetus Turris* dictam expoſcit. *Burridaua* vox Dacica, forſan a pinis, vt Ptolemaei *Πιὸν* eſſe putes, nuncupata. Non raro ſolet coſmographus voces locorum barbaras aut in Graecam aut Latinam conuertere linguam.

Caſtra tragana. XII. ſic Velſ. Danuille apud *Rimnik* ſtatuit, nulla intervallorum habita ratione. Mannert, *Praetoria Auguſta* Ptolemaei huc facere opinatus, apud Alutam, in vicinia turris Rubrae ponit. Sed via in occaſum, verſus *Heltau* oppidum proceſſit, ad montem S. Michaelis, in quo Marſilius caſtelli e ſecto lapide rudera reperit, via quoque, ab Traiano facta, in chartis expreſſa. Heic, ad recentem *Sibin* fluuium, *Caſtra Traiana* eſſe oportebat.

Arutela. VIIII. Velſ. *Arutela.* VIII. Danuille praeterit; Mannert cum ſubſequentibus ſex manſionibus recitaſſe contentus, ſitu non adſignato. Montana haec geographis non dum ſatis ſunt explorata; adeo in diuerſas abeunt partes. Eſt riuus, turrim Rubram recentem adluens, quem nonnulli *Zodt* vocant, prope cuius fontes *Arutela*, tamquam *ad Rutela* dicas, exſtiterit. Quaedam chartae *Talmaſh* hoc agro habent. *Rutela* eſt Latinis, quod *Rujno*, rubrum Getis.

Pretorio. XV. Velſ. *Pretorio.* XV. Danuille, *Praetorium*, apud *Oſztrov*, in Valachis. Haec ſit *Πραιτωρία Αυγόυστα*, *Praetoria Auguſta* Ptolemaei, quam alii alio transferunt. Eſt Cibinium, Getis *Szibin*, Hungaris *Szebeny*, ab amne, Germanis *Hermanſtadt*. Claram vrbem poſtea fuiſſe, epigraphae iſthic repertae oſtendunt; quarum tamen pleraeque huc aliunde conceſſere. Ioannes Coruinus, Mathiae pater, apud Illyrios inde cognomen habet. *Szibinyanin Janko* nuncupatus. Inter ciues, qui de re antiquaria praeclare ſint meriti, eſt Seivert Ioannes, cum aliis operibus, tum monumentis Daciae epigraphicis, reipublicae literariae notus.

Ponte vetere. VIIII. ſic Velſ. Marſilius ab Cibinio duplicem in occaſum viam ſignat, quorum altera Albam, altera *Száſzváros* verſus tendit. Pons vetus in *Szibin* amne fuerit, circiter vicum *Szeliſhte*, aliis *Szeosel*, qui Getis habitationem ſignificat.

Stenarum. xIIII. ſic Velſ. Numerus hic eſt viae duplicis; M. P. xL ſpectant ad Germiſeram, quam Száſzvároſenſi agro poſuimus, IIII autem ad iugum montis vicini, vt ipſa nuncupatio Dacica oſtendit. Alterum viae ductum ab Germiſera Velſerus expreſſit, qui apud Scheibium non comparet. Circiter hanc peripheriam, in chartis vetuſtioribus *Dobricza* conſpicitur, apud Marſilium *Orlat.* Danuilleo, *Stenqe*, apud Arxauiam.

Cedome. XII. ſic Velſ. Ptolemaeo, *Κομίδαυα*, *Comidaua*, ante huc pertineat, quam ad *Dees* oppidum. Interuallum conuenit oppido *Szerdahely*, Germanis *Reismark*, Getis forſan *Szreda*; neque enim Getica vocabula vrbium geographi iſthic prodidere. Danuilleo, *Cebenia*, apud *Szebeny*, ex adfinitate vocabuli; rectius fortaſſe *Cedonie* in Tabula quis legerit.

Acidaua. XXIIII. ſic Velſ. Ptolemaeo, hoc fere ſitu, *Ζιρίδαυα*, *Ziridaua*, qui Acidauam, ſaepius in Tabula occurrentem, variarit. Ex adpellatione populari Valachorum et Getarum, qui ſunt coloni huius patriae] vetuſtiſſimi, loca Ptolemaei, quae numeris graduum vitiatis occulta manent, noſſe liceret. Via ab *Szerdahely* proceſſit in occaſum, ad originem *Sebes* amnis, tum ſecus hunc ad oppidum *Müllenbach*, Hungaris *Száſz-ſebes*, anne Valachis etiam, ignoramus. Danuilleo, *Acidaua* hoc ſitu. Mannert, exemplo Danuillei territus, ab Arutela inde, nulli oppido adſignauit patriam. Sed neque in eo expeditionis Traiani duplicis opuſculo quidquam dixit, quod non occupaſſet Marſilius; plura ſane, et magis rara dicturus, ſi Columnam Traianam ſecutus fuiſſet.

Apula. XV. ſic Velſ. Tabula ripam Sebeſi deinde Maruſii ſecuta, ad effluxum riui, qui antiquam perluebat vrbem, XV M. P. interuallo progreſſa eſt; nam recta a *Müllenbach* ad Albam ne duo quidem integra mill. geogr. cenſentur. Mannert, Tabulam a turri Rubra ad *Fogorás*, longe in exortum, ire iubet; tum per *Schaesburg*, iuxta *Kökel* fluuium, Albam. Sed mira haec fuiſſet itineris ratio, qua proficiſcens in occaſum, exortum petere cogitur. Sed neque is ego ſum, qui me ex tripode vbiuis locutum arbitrer; quis enim id, niſi *αὐτόπτης*, praeſtare queat? Si proxima vero dixi, et eruditis huius patriae, qui numero praecellunt, ad diligentius inueſtiganda veterum oppida, viam oſtendi idoneam, deſtinationi meae ſatisfeci. Dies certiora docebit. Facilius eſt viae, dumis ſiluiſque obſitae, veſtigia oſtenſa legere, quam, vbinam quaeri debeant, indicaſſe.

CAPVT XI

ILLYRICVM

§ I

Nuncupatio et fines.

I. NON eadem ſemper fuit Illyrici finium, nominisque acceptio. Graeci veteres, quidquid ab tergo Thracum et Macedonum, Iſtrum inter et Adriam, ad Celtas vſque Galloſque eſſet, Illyrici vocabulo ſumebant; cuius rei *Herodotus*, Mela, in primis Strabo, et Appianus, vberrimi ſunt teſtes. Verum id gentis, eadem lingua vtentis, non prouinciarum, quae inde ab origine diuerſae erant, reſpectu dictum putes. Nos heic Illyrici nomine Liburniam et Dalmatiam ſumimus, quod proprie Illyricum in geographia nuncupatur. In epigraphis nonnumquam Latia vocali ILLVRICVM audit. Faſti triumphales de ILLVRIEIS victorias recenſent; ſed hi olim ad Ceraunios vſque montes patebant. Liburniae meminit quaedam apud Gruterum inſcriptio, in qua L. *Didius* Marinus, procur. alimentorum per Hiſtriam et LIBVRNIAM. Dalmatae, *Dalmatia*, Delmatia, frequentius in marmoribus comparent; Rauennae, L. Aegarius Largus, nat. DELMATA. Apud Beneuentum, M. Naſellius Sabinus, praef. coh. I. DALMATAR. In pecunia Hadriani, aduentui Aug. DELMATIAE. Romae, Did. Seuerus Iulianus, legat. Aug. propr. DALMATIAE. Hi ab Delminio, illi a nauigiis nuncupati. *Delmin*, popularibus *Dumno*, idem eſt, quod alias *dunum*, *durum*, *dum*, ſeu patria, habitatio. Et Delmatae quidem principio anguſtis, vt vicini populi, terminis continebantur, dum bellica virtute inualeſcentes propinqua obtinerent. Liburni, arte nautica praecellentes, olim late mari dominabantur, poſtea, aliis populorum nominibus ortis, finibus anguſtis conſtricti fuere. Tabula vtrumque prodidit nomen, terminis rite indicatis; nam ab Arſia, literis prorſus Romanis, minio pictis, ad Promonam, LIBVRNIA. inde ad Dyrrachium, DALMATIA. pari caractere, prima modo figura monaſtico more expreſſa.

II. Et Liburni quidem ab Arſia ad Titium, inter Albium montem et oram Adriae; Dalmatae a Titio ad Drilonem, inter Bebios montes et mare Adriaticum habuere. Patet Illyricum inter gradum long. 31 min. 50. et 37 min. 20. latit. 42 min. 5. et 45 min. 50. Longitudo maxima ab Arſia ad Drilonem M. P. cccc. latitudo a parallelo oſtii Drilonis ad fontes *Rieka* et *Kupa* amnium, M. P. ccc. Cum enim in longum potius, quam in latum procurrat, reapſe vbi latiſſima prouincia eſt, ab Tragurio ad fontes Ramae, nonniſi LXXV M. P. comprehendit.

§ II

Montes, fluuii, inſulae, portus.

I. IN Tabula eſt mons tractu non magno, ſupra Arſiam, quo auctor complecti voluiſſe videtur ea alpium iuga, quae Italiam a Pannoniis et Liburnis dirimebant. Strabo vocat Albios, ex quibus Colapis oritur, vbi rurſus attolli iuga alpium refert. Haket, ductum iugorum, ab exortu Arſiae praetentorum, *Caldiera*; ex quo monte Colapis exit, *Jarmovicz*, aliis *Javornicza;* vicina ab occaſu iuga, *Shiſhnik*, *Pinſke planine*, *Pluka*, nomine, queis *Javornik*, pars Ocrae confinis, Straboni *Ἄλβια ὄρη*, *Albii montes*, Ptolemaeo *Ἄλβανος*, *Albanus*, Pannonios a Liburnis dirimens.

Longo inde ſpatio nullus in Tabula comparet, ad fines vſque Liburniae, vbi continuo terni ponuntur, vnciam longi, ſupra Buliniam, de qua poſtea dicendi locus erit. Hi omnem Albiorum tractum exhibeant, quem hodie *Kapella* maior et minor, *Pleſhevicza*, *Popina*, *Szerp*, *Dinara*, *Glamocs*, occupant. In Tabula ſunt oppida *Bariduo*, *in alpe Rio*, *in monte Bulſinio;* quorum iſtud a monte nuncupationem accepit, quod apud *Dernix* quaeremus; illud ad *Vergich* caſtrum, monte cognomini, ponemus; Bulſinium, *Bieli brieg*, in Pannonia diximus, qui hanc ab Dalmatia ſeiungebat.

Singularis deinde tractus, Aequum inter et Salonam, exprimitur, quatuor et ſemis vncias longus, quem Dalmatiae montem vocant, nomine *Biokova;* in chartis recentioribus ſupra Sibenicum, *Tartari*, quam vocem incolae ignorant. De hoc Strabo: Mons eſt *Ἄρδιον*, *Ardius*, mediam ſecans Dalmatiam, in maritimam ac mediterraneam." Hunc auctor mirabilium, *Δέλφιον ὄρος*, *Delphium montem* adpellat, ex quo naues iuxta litus transeuntes obſeruari poterant. Iſthuc pars Bebiorum ſpectet, quibus Pannonii ab Dalmatis dirimebantur; qualis *Dinara* ſupra *Knin*, *Zator*, *Prolog*, *Malovan*, ſupra *Sziny*, *Vran* ſupra *Duvno*, *Jelineiz Kameſzticza*, *Bitovnya*, *Csverſtnicza*, *Plocsno*, *Morine*, qui Scardo adhaeret. Quidam omnia haec montium iuga *Velebich*, alii montem Nigrum, *Cerna gora*, vocant. Prius vocabulum veſtigia Bebiorum ſeruare vi-

detur, hodie ad Liburniae oram reiectum. Norunt epigraphae Spalatenſes montem LVM et DIVONVM. qui ſint *Livno* et *Duvno*, vt alias oſtendimus.

II. Supra Naronam eſt alius, ſesqui vnciam longus, et alius, ex quo Naro deriuatur, vnciam patens, quem *Velebich* proprie dicunt, chartae *Velis;* cuius pars ab occaſu *Klobuk*, ſupra Imotam, ab exortu *Kudicz*, *Gradina*, ſupra Raguſam; ad fontem Naronis *Szmolin*, cui ab occaſu vicini *Bieli brig*, *Moſzur*, *Ivan*, quorum potior pars ad Boſnam ſpectat. Moracsae amni ab oriente praetenditur mons Niger, *Cerna gora*, quem Strabo *Βέρτισκον*, *Bertiſcum* dixerit, Scardo vicinum; Ptolemaeus, turbata ſerie, in Macedonia ponit.

Scardum, Argentariae iunctum, tractu diſtincto, ſesqui pedem longo, exhibet Tabula, ex quo hinc Ibarem cum Morava, inde Drilonem deriuat. Perſpicue Liuius: Mons Scardus - ab oriente Dardaniam ſubiectam habet, a meridie Macedoniam, ab occaſu Illyricum;" ex illo Oriundem, qui *Moracsa* eſt, deriuat; Strabo Drilonem, quem Tabula clare exhibet. In chartis quibusdam et hodie *Scardo*, in aliis *Marinari*, incolis *Skadar*, *Lyubotin.*

III. In fluuiis ſunt Arſia, in Tabula fl. arſia. ad fontem, et arſia fl. ad oſtium, absque alueo; ſcriba Velſeri modico fluxu notauit. Plinius: *Longitudo Illyrici a flumine Arſia ad flumen Drinum* DCCC. M. qui frequentius meminit amnis, nemo praeterea; nam *Arzia* Capitolini eſt *Alſa*, vt ex orationis contextu patet; niſi ſcriptorem hallucinatum velis. Catarbaten Scylacis huc referre non auſim, quod eius mentionem apud Mentores facit. Hodie *Arſa* vocatur amnis.

In regione Likana, apud *Goſzpich* oppidum, *Auſancalio* Tabulae, *Αὐσανκαλεὶ*, *Auſancali*, Ptolemaei occurrit, quaſi *ad Sancalum* dicas, quod nomen vetus *Likae* amnis fuerit, a quo prouincia eſt adpellata, Conſtantino *Litza*, et forſan *Λιὰς*, *Lias*, Scylaci. Habet Stephanus, *'Ιὰς Ιλλυρίας μέρος*, *Ias Illyriae portio*, habitantes *Iatae;* interpres ad Atticam vult referri; ſed *Λιὰς* heic legi oportere, Scylax docet. Is quidem ait, maritimam in Liburnis eſſe ciuitatem, quoniam ſic accepit; neque tamen longe aberat, vtpote VII M. P. a litore remota. Eſt patria viro fortis ab antiquiſſimis inde temporibus.

Macarenſi regione, alueo ſingulari, Sauus cum Drauo deducuntur in Adriam. Rationem in Pannonia dedimus; id ex veterum traditione factum, qui Iſtrum vno alueo in Adriam deuolui credebant; ſed tum in Oriundem, aut Drilonem rectius hic Pannoniae Drinus fuiſſet deriuandus; cum hoc Macarenſi agro nullus id genus amnis occurrat, qui Drino commode iungi poſſet. Naronem accipi voluiſſe videtur, quem Scylax ex magno lacu, Autariatas attingente, profluere ait, qui in chartis quibusdam *Zamorje* nuncupatur.

Naronis fluxum noſter exprimit ſeorſim, ex monte infra Matricem, *Szarajevo*, qui eſt *Ivan*, deductum; quamquam fons Naronis, *Neretva*, inde in exortum hibernum, in chartis melioribus, recedit, vicinus Drino et Moracsae origini, prorſus, vt Scylax tradidit, quem nullus ſcriptorum in eo

ſecutus eſt. Norunt praeterea amnem Strabo, Mela, Plinius, Nicander. Catoni, *Naro fluuius magnus, pulcher, et piſculentus.* Melae, *Nar inter Pyraeos et Liburnos;* quae ſunt obſcura. Supra Raguſam effluit *Tribinſhicza*, ad quem manſio *Aſamo* erat, ab amne forſan nuncupata.

Drilo decidens e Scardo, Strabone et Ptolemaeo teſtibus; ille, Drilo, inquit, quo aduerſo nauigatur orientem verſus ad Dardanos; meridiem verſus attingit Macedonicas et Paeonicas gentes. Plinio, nunc Drinus, nunc Drilo audit, non ſine cauſſa; duplex enim eſt, albus Drinus, Pannonico, cum recens eſt, parallelus, a borea delapſus; niger Drinus, ex palude Lychnite promanans ab auſtro; quod vnus indicauit Ptolemaeus: Fluit Drilo amnis ab Scardo monte, et ab altero monte ſecus mediam ſuperiorem Myſiam iacente. Ille *Morine* eſt, Scardo iunctus, hic *Pirlipe* et *Kraſzta.* Tabula vno alueo deducit amnem.

IV. Inſularum cenſentur plures: Boa, Iſſa, Curica, Erronis, Pamodos, Siſſa, Arua, Solentii, Brattia, Faria, Tauris, Corcyra, Melita, Ladeſtris. Sequemur ordinem; qui in Tabula comparet. Prima, ex aduerſo Tarſaticae, viſitur,

Ys. Curica. Velſ. *Inſ. Curica.* Ptolemaeo, *Κουρίκτα*, *Curicta;* Straboni, *Κυρακτική*, *Cyractica* pone Iapodas, alias *Κηρυκτική*, *Cerynctice* dicta. Incolae Plinio *Curictae.* Porphyrogenneta iam recentiore vocabulo vſus, *Βέκλα*, *Vecla*, nuncupauit; hodie *Veglia*, orthographia Italica, Illyriis *Velya*, antiquioribus chartis, *Vegla*, *Velga.*

Ys. Ekronis. Velſ. *Inſ. Ekronis.* Si vocem ſpectas, erit Ptolemaei *Σκαρδῶνα*, *Scardona;* niſi *Cherſo*, antiquis *Crepſa*, malis; non enim ſeriem inſularum ſeruat Tabula, vt in Arba videbimus; et maxima inter ceteras iſthic etiam comparet. Plinius, *Crexa*, Ptolemaeus *Κρέψα*, *Crepſa*, in Flanatici ſinus intimo. Chartis vetuſtioribus *Kereſſy.* Supra hanc notat Haket, et olim iam notauit Hirſchvogel inſulam, quae ſit prima Liburnicarum, nomine *Peroſina*, cum oppido homonymo, quae eſt veterum *Apſoros*, *Ἄψορος*, vnde Apſyrtides, Tabulae *Erronis*, Crepſae iuncta, vt omnes recentiores chartae habent, freto, vbi anguſtiſſimum, mill. paſſ. diremta, longa ſesqui mill. geogr. lata vnum.

Ys. Pamodos. Velſ. *Ins. Pamodos.* Farlatus *Pontaduram*, quae aliis *Pondadura*, ad ſinum Nonenſem, putat; ſed ea minor eſt, quam vt rationem eius auctor Tabulae habuiſſe videatur; eſt tamen inſulae *Pago* vicina, quae nominis antiqui veſtigia ſeruet. Eſt etiam inſula parua *Pomo*, cum *Miliſello*, *S. Andrea*, *Buſi*, Liſſae vicina, quae ſono vocis *Pamodo* ante reſpondeat, in primis, quod Iſſa ſequitur; ſed maiores deſignare auctor voluerit.

Ys. Sissa. Velſ. *Inſ. Siſſa.* Ex aduerſo Iaderae, vnde longius in exortum hibernum abeſt; ſed auctor Plinii *Giſſam* heic indicare voluerit, quae hodie *Groſſa*, cum *Giſo* vico, qui vetus nomen ſeruet; alii *Longam* vocant, cui parua quaedam *Giuſia* eſt vicina. Vox Tabulae eſt Illyrica, mammam ſignificans, quae magis proba videatur, quam *Giſſa.* In Pago inſula caſtrum *Keſſa*,

aliter *Chiſſa*, videtur huc aliquid facere; ſed prior opinio veritati magis congruat. Danuilleo in quadam charta, *Liſſa*, haec Groſſa; in alia Scardona, et Pagus *Giſſa*, aut *Ciſſa*. Liſſa Plinii eſt apud Iaderam, hodie *Uglian.*

Ʋſ. Arva. Velſ. *Inſ. Arua.* Plinio, *Arba;* Ptolemaeo, *Scardona*, cum oppido *Ἄρβα*, *Arba;* Conſtantino *Ἄρβη*, *Arbe.* Seruat nomen inſula cum oppido homonymo, media Velyam inter et Pagum. *Ἄρβων*, *Arbon*, Stephani, ex Polybio, ad Naronam ſpectat. Paullo ante Tragurium vna notatur, absque nomine; ante ſinum Salonenſem quaternae cenſentur.

Ʋſ. Boa. Velſ. *Inſ. Boa.* Plinius, contra Tragurium *Bauo;* Ammianus, *Boas* inſulam et locum vocat; Theodoſii lex, *Boam;* hodie *Bua*, nonnullis *Babua*, Tragurio vicina. Danuilleo, *Bua*, *Bubua*, *Butua.*

Ʋſ. Issa. Velſ. *Inſ. Iſſa.* Scylax, *Ἴσσαν*, *Iſſam*, nuucupat, cum vrbe graeca; Scymnus coloniam Syracuſiorum eſſe ait. Straboni, Plinio, Ptolemaeo, aliis, *Ἴσσα*, *Iſſa;* incolae *Ισσαῖοι*, *Iſſaei*, item *Iſſenſes.* Habuit et officinam monetariam, pecunia *IΣ.* inſcripta, vt in epigraphica monemus. Italis non recte *Liſſa;* rectius Illyriis *Viſz*, ab ſitu in mari alto.

V. Ʋſ. Solentÿ. Velſ. *Inſ. Solentij.* Hodoeporicon, Iſſam inter et Brattiam, *Bolentia*, in codice Regio; in aliis *Solenna*, *Solenia*, *Solentia.* Fortis, e Tabula, *Solentum* legit. Scylaci, *Ὀλύντα*, *Olynta;* Fortis heic, *Ὀλύνϑα*, *Olyntha.* Hodie *Solta*, *Scolta*, *Sholta*, quibusdam chartis *Olunta.*

Ʋſ. Brattia. Velſ. *Inſ. Brattia.* Scylaci, *Κρατειαὶ*, *Cratiae* ſeu *Crateae;* Polybio, *Βρεκτία*, *Brectia;* Lycophroni, *Κρᾶϑις*, *Crathis;* Plinio, *Brattia;* ſic et Hodoeporico. Porphyrogennetae, *Βάρτζω*, *Bartzo*, per metatheſin. Italis *Brazza*, incolis *Bracs*, *Vranyicz*, ditionis Spalatinae.

Ʋſ. Faria. Velſ. *Inſ. Faria.* Scylaci, *νέος Φάρος*, *noua Pharus*, inſula graeca; Scymnus Pariorum coloniam eſſe perhibet. Ptolemaeo, *Φαρία*, *Pharia*, vt Tabulae. Pomponio Melae, *Pharos;* Plinio *Pharia.* Italis *Lieſina*, Dalmatis *Hvar*, *Far*, cum oppido cognomine; vt vel inde veteres patriae colonos videas. Eſt vox originis Illyricae, faſtigium ſignans. Graeci habebant officinam monetariam, ex qua pecunia *ΦA* inſcripta prodiit.

Ʋſ. Tauris. Velſ. *Inſ. Tauris.* Hirtius memorat, Octauium a Vatinio victum in inſulam *Tauridem* ſe recepiſſe. *Torcola* forſan erit, inſula parua, Leſinam inter et Curzolam. Cellarius non obſeruauit, in Tabula quoque inſulam eſſe, cum a nemine, praeterquam Hirtio, id nominis proditum ait. Haec erit forſan *Προτερὰς*, *Proteras*, Scylacis, quam Cratiis et Olyntae iungit; et forſan *Χόαρα*, *Choara*, Porphyrogennetae.

Turris. Stagna. Velſ. *Turris Stagna.* Eſt peninſula *Sabioncello*, Dalmatis *Pelyaſzacz*, vt vrbs hodieque *Stagno* dicta oſtendit. Memoriam peninſulae hanc reliquit Scylax: Ante quam ad Naronem fluuium peruenias, magna admodum regionis huius pars in mare excurrit.“ Danuilleo, Hyllis peninſula, quam nos alio ponimus loco.

Ins. Corcyra. Vels. *Ins. Corcyra.* Scylaci, *Κέρκυρα ἡ μέλαινα*, *Corcyra nigra.* Sic eam Apollonius in Argonauticis vocat; Scymnus Cnidi coloniam. Straboni, Appiano, Agathemero, *Κέρκυρα*, *Cercyra;* Ptolemaeo, *Κόρκυρα*, *Corcyra;* Conſtantino, *Κούρκουρα*, *Curcura.* Italis hodie *Curzola*, Dalmatis *Karkar.*

Ins. Melita. Velſ. *Inſ. Melita.* Scylaci, *Μελίτη Melite*, priori vicina; ſic Agathemero et Stephano; Ptolemaeo, *Μελιτινή*, *Melitine;* Plinio et Hodoeporico, *Melita*, huic etiam *Melta*, *Meleta;* Conſtantino, *Μέλετα*, *Meleta.* Italis *Meleda*, chartis quibusdam *Mileto*, Dalmatis *Mlit.*

Ins. ladestris. Velſ. *Inſ. Ladeſtris.* Nonnulli eruditorum cenſent, in tabellis honeſtae miſſionis Veſpaſiani, patriae nomen teſtium LADESTIN. huc pertinere; ſed ibi IADESTIN. legi oportere, ex aliis monumentis in epigraphica monſtramus. Ladeſtris Tabulae ſit *Lagoſta*, Corcyrae ab auſtro vicina. Danuille, *Ladeſto* nuncupat, alias *Elaphites* Plinii; quas *Zupanae* vicinas faciunt alii; ſed eae minores ſunt, ipſo Plinio teſte. Atque hae fuerunt in Illyrico inſulae, quarum auctor Tabulae meminit. Portus videamus.

VI. Strabo dicebat, omnem Illyrici oram commodis inſtructam portubus, vti inſulas quoque vicinas; cum e contrario Italica ora ſit importuoſa; ſed neque ipſe, neque alius, nominare vllum voluerunt, praeter Scylacem, qui vnum apud Hyllos nouit; alterum Artemidorus in ſinu Flanatico. Sola proinde Tabula heic nobis praeſidio eſſe poteſt, quae omnino ſex eorum cenſet. Hodoeporicon, in portuum recenſione, a Pola Iader, ab Ancona Iader, traiectum memorat, nihil de reliqua Illyrici ora. Tabula hos nouit portus:

Port. planaticus. Velſ. *Port. Planaticus.* Eſt Flanaticus, quem Artemidorus, apud Stephanum, nouit: *Μετὰ δὲ τὴν Ἄλωον, λιμὴν ἐστι Φλάνων*, *Poſt Aloum eſt portus Flanon. Fianona* oppidum habet ſinum propinquum portui aptum; *κόλπος Φλανατικὸς*, *ſinus Flanaticus*, Artemidoro et Plinio memoratus; Hodoeporicon ſinum Liburnicum vocat; hodie *Golfo Quarnero*, antiquioribus *Querner*, portus autem *Porto Fianona*, chartis vetuſtis *Flauento*, ditionis Venetae.

Port. Senia. Velſ. *Port. Senia.* Vrbis Seniae meminerunt plures, portus nemo praeterea. Olim mari potentes videntur fuiſſe Senienſes, quod pelagus Adriaticum Illyricae genti vſque hodie *Sinye more* vocatur. Portus ab *S. Helena* vico, a borea vicino, habet nomen; in chartis Viennenſibus *S. Hillia*, *S. Iacob*, locus ſignatur, quae vocabula charta Veneta non agnoſcit. Hodie *Kralyevicza* portus regii inſignia tenet.

Por. epilicus. Velſ. *Por. Epilicus.* apud Iaderam. Plinius meminit inſulae *Portunatae*, quam Danuille Pontaduram vult eſſe, ſeu, vt rectius ſcribitur, *Ponto Dura.* Omnis ille tractus, Likae fluuio et regioni praetentus, eſt vadoſus, vt Plinius dicebat, ſinum iuxta litus longum efficiens, *Canal di Novigradi* nuncupatum, quem veteres *Epilicum*, a vicino agro, nominarint.

Amnem hunc pleraeque chartae obſtruetum ſignant, Veneta perſpicue in mare deducit, infra *Miſhnyacz* oppidum, Italis *Carlopago.* Portum autem veterem in ſinu Nonenſi, ad inſulam memoratam, fuiſſe putes. Traiectum a Pola Iader nouit Hodoeporicon.

Port. calouttanus. Velſ. *Port. Salonitanus.* in ſinu cognomine, hodie *Seno di Salona.* Hoc in loco, inquit Lucius, naualia exſtiterunt, portus tutus, et ex proximo flumine in ipſum influente, habitatoribus, et nautis aptiſſimus fuit; cum Iader piſcium ferax, quamuis paruo ſpatio nauigabilis ſit, pluribus tamen in locis ex ſaxoſis ripis cadente flumine, lacus profundos et cauernoſos, atque ob id piſcoſos, ac molas frumentarias in promtu habuit." Portum tamen hunc, metropoli Dalmatiae vicinum, veteres non norunt, praeter Scylacem, cui vrbs Heraclea, *καὶ λιμὴν, et portus*, apud Tragurium.

Port. epetius. Velſ. *Port. Epitius.* Epitium municipium, a quo hic portus eſt nuncupatus, apud oſtium amnis *Xernovnicza,* amplitudine ſua multorum nauigiorum capax, hodie limo oppletus negligitur, teſte Alberto Fortis, qui haec loca ſingulari diligentia luſtrauit. Hi erant portus.

§ III

Prouinciae, populi.

I. PLVRES Illyrici populi ab antiquis, Plinio praeſertim et Ptolemaeo, cenſentur, quos Tabulae auctor in prouinciis praeterire conſueuit. Antiquiſſimis temporibus *Enchelei* dicebantur, graeco vocabulo, quod vadoſa haec loca incolebant; deinde Illyrii, eadem ſignificatione, in plures ciuitates diuiſi, quas in geographia recenſemus. Altera parte fuere *Liburni*, a vicinis, ob peritiam rei nauticae, adpellati, aeque vetuſti, qui maiorem ſinus Adriatici partem tenebant, Ilyriis proprie dictis finitimi. Tabula, inter Promonam ad Andretium, exhibet,

II. **Bolinia.** Velſ. BVLINIA. Lucius, Tabulam, et Periplos ſecutus, Bulinos Tragurio vicinos facit. Scylax haec de iis narrat: Liburnos ſequitur Illyriorum gens, habitantque Illyrii ad mare vſque Chaoniam, quae eſt ex aduerſo Corcyrae, Alcinoi inſulae; eſtque ibi vrbs graeca, cui nomen Heraclea, cum portu; ſunt et qui Lotophagi dicuntur; barbari hi; Hieraſtamnae, ***Βουλινοὶ***, ***Bulini***, Hyllini; Bulinorum vicini ſunt Hylli; dicunt vero hi Hyllum, Herculis filium, illic habitaſſe; ſunt autem barbari; incolunt peninſulam paullo minorem Peloponneſo. Huic peninſulae contermini ſunt Bulini; *παράπλους δὲ ἐστι τῆς Βουλινῶν χώρας ἡμέρας μακρᾶς ἐπὶ Νεστὸν κόλπον*, praeternauigatio regionis Bulinorum ad ſinum Neſtum eſt unius diei longioris." Peloponneſus a promontorio S. Angeli ad vrbem Patras longa eſt 27 mill. geogr. quae eſt Dalmàtiae a

Nona ad ostium Naronis mensura, item ab Cetina ad ostium Moracsae. Proprie autem peninsula ea Hylleorum, (*Hlievnicsani*) et Bulinorum (*Bolyani*) Zermangam inter et Kerkam fuisse videtur; deinde, regione hac per Liburnos occupata, Hylleisque et Bulinis in exortum retrusis, ad Nestum, qui Cetina est, peninsulae vocabulum processit. Bulinos istos plures e vetustate norunt; Dionysius *Βουλιμέων*, *Bulimeorum* adpellatione eos adficit; Artemidorus vrbem quoque *Bulinam* memorat; quae fuerit situ Tragurii hodierni, supra quod vicus *Boline* visitur; nam vetus Tragurium, Scylaci Heraclea, XIII M. P. in occasum auctumnalem ab hodierno aberat.

§ IV

Oppida, mansiones in Liburnia.

I. HABET iter litorale Tabula, a Pola ad Seniam, et porro; sed ab ora nonnihil deflectens, per agrum Likanum, vtpote campestrem, progressa, litus Liburnicum, petris asperum, euitatura. Hodoeporicon, quodam interuallo se socium adiungit. Ab Arsia fluuio, qui terminus Italiae erat, in Tabula occurrit,

Aluona. XII. Vels. *Aluona.* XII. Artemidoro, portus *Ἄλωον*, *Aloon;* Plinio, vrbs *Aluona;* Ptolemaeo, *Ἀλοῦον*, *Aluon*, in Istriae mediterraneis; incolae Plinio *Alutae.* Chartis veteribus *Albon*, hodie *Albona.*

Tarsatico. XX. insignia municipii; Vels. *Tarsatica.* XX. Hodoeporicon, *Tharsatico.* XVII. a mansione ad Titulos, quam in *Lippa*, Carnioliae oppido, posuimus. Videtur autem in Tabula Flauona cum X M. P. desiderari; inde enim Tarsaticam vsque quatuor mill. geogr. censentur. In Regio, *Tarratico;* in reliquis *Tarsatico.* Plinio, *Tarsatica;* Ptolemaeo, *Ταρσατικα*, Schotti libro *Ταρσατικὰ*, *Tarsatica.* Hodie *Terszacz* castrum, prope vrbem *Fiume*, Illyriis *Rieka*, a praeterlabente amne dictam, chartis antiquioribus *S. Veit;* Malombrae, ad Ptolemaeum, *S. Maria de Transiach*, fluuius Oeneus, *Tarsia.*

Ad Turres. XX. Vels. *Ad turres.* absque numero. Hodoeporicon, *Ad Turres.* XX. Tabula duplicem ab Tarsatica viam signat; alteram directe Seniam, alteram per Turres. Sed olim ductum viae Nouiodunum versus fuisse putem, per montem *Klek*, quae paucis ante annis refecta veredis adcommodata est. Haec quippe litoralis vna erat, vt numeri quoque indicare videntur. Turres hae ad portum Regium, *Porto Re*, incolis *Kralyevicza*, antiquioribus *Czarevicza*, exstiterint; in plerisque tamen chartis recentioribus, oppida *Bribir* aut *Novi*, medium interualli, Seniam versus, tenere conspiciuntur; Atlas Schimekii pro *Porto Re* pugnat.

Senia. xx. insignia municipii; Vels. *Senia.* xx. Hodoeporicon, *Senia.* xx. in Regio XXIIII. Plinio, *Senia;* Ptolemaeo, *Σένια*, *Senia.* In marmore domestico, L. Aurelius Victor, domo Aequo, SENIAE sacerdos, cui plebs SENIENSIVM honores fecit; idem incolarum nomen in alio quoque legitur. Chartae vetustiores, *Zeng*, *Segna*, sic et hodie variant; Illyriis *Szeny*, heroum, medio in primis aeuo, patria.

Auendone. xx. sic Vels. Hodoeporicon, *Auendone.* XVIII. in Regio, VII. Straboni, *Οὐένδρος*, *Vendrus*, *Οὐένδος*, *Vendus*, in MSS. *Οὐενδῶ* *Vendo;* Appiano, populus *Αὐενδεᾶται*, *Auendeatae.* Simlero, ex Hodoeporico, alias *Vendum.* Wesselingius putat, *A Vendone* dici oportere; Danuille, *Auendo*, ad exortum amnis, quem Haket *Kasticza* (*Gashticza*) vocat, qui postea Gaczkam influit, Haketo *Iaczka*, apud *Otocsacz* praetorium militiae nationalis; ambo sunt obstructi. Heic *Brinye* oppidum est, monti *Velyun*, Haketo *Voluin*, locus *Brindel*, subiectum. Vtrum Vendo monti, an fluuio nomen fuerit, non facile terminaris. Haket vno mill. geogr. oppidum ab amne remouet, et vetus *Brinye*, nouo propinquum, *Vojvodusha* nuncupat; vt potius a monte id nominis profluxisse videatur.

Arypio. x. Vels. *Arypio.* absque numero. Hodoeporicon, *Arupio.* x. Straboni, *Ἀρούπεινος*, *Arupinus;* Ptolemaeo, *Ἀρουκία*, *Arucia*, Schotti edito *Ἀρουκκία*, *Aruccia.* Appiano, populus *Αὐρουπῖνοι*, *Aurupini.* In epigrapha Norici, Venustinus, D. ARVP. domu Arupio. Danuille, *Arubium*, situ *Modrush* oppidi, cui vicinus a septemtrione vicus *Zarobnik* vestigia nuncupationis antiquae seruet. Monti *Robnik* fuerit nomen, qui hodie adscititio vocabulo Capella audit, vltra quem in boream incidens Arupium, in censu Pannoniae superioris fuerit, olim agro Iapodum alpinorum consistens. Inde Hodoeporicon boream, Tabula austrum petunt. Pleraeque chartae speciales sunt his locis mendosae, ad montes iusto arctiores, postea iusto fusiores. In Hodoeporico L M. P. ab Senia Carlostadium recte censentur. Bibium, seu Biuium Hodoeporici, circiter vicum *Barilovich*, prope laeuam *Mreznicae* ripam, occurrat; inde pari X M. P. interuallo Romulam, hodie Carlostadium, itum. Romulam habuimus itinere ab Emona Sisciam, vbi monebamus, errare eos, qui mansionem ad Sauum statui volunt, quo mensura L M. P. nullo pacto pertingere potest. Nos heic Tabulam, mediis Likae campis, planitie amoena, frugum, et virorum bellicosorum fertili, procedentem sequemur.

II. Epidotio. x. Vels. *Epidotio.* x. Forsan Ptolemaei *Ἀρδώτιον*, *Ardotium* erit. Danuille hoc iter ingredi noluit; neque alius tentauit vllus. Est praesidium *Otocsacz*, in quadam insula fluuii *Gaczka*, in quem heic *Gashticza* effunditur; Hirschvogelio *Odoczschicz*, Ortelio *Baciaohie;* illud rectius; chartis *Ottotschatz*, *Ottochacz.* Binas inscriptiones, quae heic habentur, in regno epigraphico referimus. Videtur fluuius id nominis habuisse, Graecis *ἐπὶ Δωτίῳ*, *ad Dotium*, vt *ἐπὶ Λίκῳ*, *ad Licum*, *ἐπ᾽ Ἴστρῳ*, *ad Istrum.* Ptolemaeus,

Latinam expreſſionem ſecutus videtur. *Gaczka* fluuius, incolis *Djaczka, Gyaczka*, quoddam antiquae vocis veſtigium ſeruet; ante loco nomen *Gaczka* erat, Porphyrogennetae *Γουτζηκᾶ, Gutzeka*, ab amne procul dubio. Vetus oppidum ab ſitu inſulari fuerit nuncupatum, vt hodie quoque audit.

Ancus. XVI. ſic Velſ. Numeri ad oppidulum *Vaganacz* ducunt, dextra Likae (Haketo *Licza*) amnis ripa, cui hinc vicus *Klanacz*, inde *gornye* i *dolnye Pazariſhte*, ſuperius et inferius emporium, adſident; vt locum olim non vulgarem fuiſſe putes. Hoc euerſo *Goſzpich* oppidum ad VIII in auſtrum lapidem, ſurrexerit. Anci huius, olim forſan *Vanci*, a menſura frugum nuncupati, nemo alius mentionem facit.

Auſancalione. XV. ſic Velſ. Danuille, *Zavalis*, *Zavalio*, ad recentem Coronam, inter *Buſin* et *Dreſnik* (*Buzsin*, *Drezsnik*) vbi *Zavalie* mons, ex adſinitate vocis, antiquum nomen reformauit. Ea loca trans alpes in Pannonia ſunt; noſtrum oppidum, Ptolemaeo *Αὐσαυκαλεὶ*, Schotti edito *Αὐσαυκαλεῖ*, *Auſancali*, eſt ad Likam fluuium, vbi is montium cauernis apud *Kuklich* vicum hauritur, tenui alueo laterali auſtrum verſus profluente. Nonnulli lacum ampliorem heic formant, vt Danuille, qui ora eius auſtrali *Medulum*, huc minime ſpectans, collocat. Eſt ad ſecundum mill. germ. *Medilivo* vicus, qui Medulum Danuillei ad ſe pellexerit. Ortelius flumen *Buſanch*, oppidun *Coſin*, vocat; heic *Sadova* amnis eſt, ab exortu Likam influens, *Koſin* (*Kozsin*) autem vicus, ad Likam, in boream abſcedit. Per *Buſanch* videtur geographus Guczkam indicare voluiſſe. Forſan aliqua ciuitatium, quas in ora Liburnica recenſet Scylax, huc pertinebit. Sunt ibi *Lias*, *Idaſſa*, *Attionites*, *Dyyrta*, *Halupſi*, *Olſi*, *Pedetae*, *Hemioni*. Populares locum dixerint *Zakal*, ſub coeno; vnde *Sancalio* ortum acceperit. In chartis recentioribus nonnullis hoc agro *Lovinyacz* oppidulum ſignatur. Inde via hodie duplex, altera *Dracsevacz* locum maritimum, altera *Gradcsacz* oppidum, in exortum hibernum, petit. Hanc Tabula tenet.

Clambetis. XVI. ſic Velſ. Danuille, ſuperius mediis alpium iugis, prope fines Pannoniae, vico *Klacsnicza*, inter *Vakup* et *Bihacs* oppida, Clambetin ſtatuit. Nobis *Gradcsacz* munimentum eſt, finibus Likae, prope regionem *Zermanya* dictam, et montem KOM. antiquis *Kolm*, *Cholm*, qui plana Liburnorum terminat, et cum *Dinara*, qui poſt Zermanyam fluuium protenditur, Iapodas olim Liburnosque ab Illyriis proprie dictis ſecreuiſſe videtur. Sane *Καταρβάτης*, *Catarbates* fluuius, apud Scylacem, poſt Liburnos ponitur, quem excipiunt Illyrii; in quo inſignia ſunt *Arbatorum*, et *Corbauiae*, quae hac montana plaga erat, veſtigia. Adeo vetuſtiſſimae mortalium traditiones cum recentiſſimis ſaepe conueniunt, ſi recte inſpiciantur. Danuille per haec iuga, Vunae et Kerkae ab occaſu praetenta, fines Pannoniarum et Liburniae ducit, in tabella ad commentarios Creuierii. Sed Plinius Titio Liburnos a Dalmatis dirimi refert; quae ſunt clariora, quam Ptolemaei lineae, gradibus vitiatis. Ad Titium promouerunt Liburni ſedes aetate poſteriori, idcirco a Dalmatis male habiti;

olim Zermanya finis erat. Oppidum *Clambetis* nomen a monte *Kom*, *Kolm*, *Klom*, acceperit, cui ab exortu *Glamocs* vicinus est, vestigia nuncupationis antiquae clarius exprimens.

Hadre. XIII. Velf. *Hadre.* XIII. schedae nostrae **Hapre.** Danuille praeterit; interuallum respondet oppido *Zvonigrad* cum arce, ad Zermangam recentem, finibus regionis cognominis, quae pars Corbauiae erat. *Obrovacz* sono vocis Hapras exprimeret ante, si interualla paterentur. In Atlante Schimekii *Obrovacz* est S. Archangelo propius quam *Zvonigrad;* ego Albertum Fortis et Haketum, qui haec loca suis vsurpauere oculis, sequi malim. Litera H barbaram heic expressionem notet, *Zapreh*, in locum *Zabreh*, sub montem; vt hodie in chartis *Zatton*, Haketo *Zalon*, quod rectius, Zadvonobile; et ipsum castrum *Zavoni-grad* ante nuncupatum fuerit; Ortelio *Sonigrad* oppidum. In Tabula sequitur,

Ab Hapre Burnomilia. Velf. *ab hadre Burnomilia.* Haec mansiones repetendi ratio alias etiam occurrit, in primis, vbi ductus viarum, ob constructionem operis, sunt longiores, locis vacui; vt ad spatia explendum nomina locorum ab auctore Tabulae iterari putes. Seorsim deinde scribitur,

Burno. XIII. Velf. *Burno.* XIII. insignia municipii. Velseri scriba vias confudit, ductu apud Praetorium Pannoniae, ad Sauum, relicto. Strabo, *Λιβύρνη πόλις*, *Libyrna oppidum.* Casaubonus putat, mendum esse, pro *Σκάρδων Λιβυρνικὴ πόλις*, *Scardon Libyrnica vrbs.* Sed maneat *Libyrna* seu *Liburna*, quae sic nuncupata fuerit, ante breuiationem, vt gentis hoc tractu metropolis, vbi arcus triumphalis Tiberio, Augusti iussu, erectus fuit, de quo in epigraphica agimus. Plinio, *Burnum*, in Dalmatia, minus recte, quod dextro Titii latere exstabat. Danuille, Plinium secutus, in parte Dalmatica, situ *Murich* oppidi, statuit. Ptolemaeo *Βοῦρνον*, *Burnum;* Artemidoro, apud Stephanum, *Βοῦννος*, *Bunnus*, in vicem *Βοῦρνος*. Nonnulli Burnum et Liburnam diuersa loca esse volunt; alii etiam Burnum Plinii et Ptolemaei distinguunt. Sed vnum erat *Liburnum* oppidum, hodie ruinis haerens apud coenobium S. Archangeli; quem situm alio itinere Tabula firmat, quod sic habet:

III. **Iadera.** insignia coloniae; sic Velf. Incoat ab angulo sinus Aenonensis, tamquam itineris principio, quod per oram Liburniae nullam habet viam. In Hodoeporico sunt itinera maritima, a Pola *Iader* in Dalmatias stadia CCCCL. ab Ancona *Iader* stadia DCCCL. Itinere terrestri, a Pola: Traiectus sinus Liburnici *Iader* vsque stadia CCCCL. Mensuras examinamus in geographia. Plinio, *colonia Iadera;* sic Ptolemaeo, *Ἰάδερα κολώνια*, *Iadera colonia;* Schotti libro *Ἰάδερ*, *Iader.* Epitheton Vegetio *Iadertinus;* sed antiquis inscriptionibus Jadestinus; C. Arrenius Maximus, ab ordine IADESTINO honoratus; in tabellis Vespasiani, Q. Petronii Musae, IADESTINI. Plura in epigraphicis referimus exempla. Hodie Italis *Zara*, Illyriis *Zadar.*

Nedino. XII. sic Velſ. Ptolemaeo, *Νήδινον*, *Nedinum;* incolae epigraphis, Neditae; fines inter NEDITAS et Corinienſes; in tabellis miſſionum, Q. Publicii Macedonis, NEDITANI. in marmore domeſtico, C. Lartio Sabiniano, officiali NAEDITARVM. Seruat nuncupationem *Nadin*, ad exortum *Goduchia* fluuii.

Aſſerie. XII. sic Velſ. apud Scheibium numerus abeſt. Ptolemaeo Eraſmi *Ασισία*, *Aſiſia;* Schotti *Ασσέσια*, *Aſſeſia;* Italo *Aſſeſſia.* Plinio, populus *Aſſeſiates. Podgradje* vicus, in regione *Kotar*, vbi Fortis antiquae vrbis veſtigia reperit. Inde Burnum M. P. XII. quae eſt ad S. Archangeli coenobium menſura iuſta. Promonam, quae hoc itinere ſequitur, in Dalmatia dicemus. Supereſt pars itineris litoralis, ab Iadera Scardonam, ſerie nonnihil turbata, quam inflectere libet;

Lorano. XX. Velſ. *Lorano.* XX. Haec manſio eſt loco alieno, incuria ſcribarum, poſita, poſt Praetorium Dalmatiae. Clarum eſt *Vranna* oppidum, aeuo medio *Aurana*, Ortelio *Verania*, prioratu nobile, dimidio Scardonam inter et Iaderam itinere, quod hodie quoque in vſu eſt. Manſio haec cum XX M. P. iſthuc reſtituta ſitum ſuum egregie tuebitur, menſura et nomine reſpondentibus. Proinde Loranum ſequi debet,

Sardona. XX. inſignia municipii; sic Velſ. Hodoeporicon *Blandona.* XX. Diuerſa haec eſſe oppida, Ptolemaeus oſtendit, cui *Βλανῶνα*, Suritae *Βλανώνα*, Schotto *Βλάνωνα*, *Blanona*, eſt Blandona; noſtra vero *Σκαρδῶνα*, Schotto *Σκάρδωνα*, *Scardona.* Plinio, Scardona, initium Dalmatiae, cum ſit in Liburnis. Straboni, *Σκάρδων πόλις*, *Scardon vrbs*, ad fluuium, quo aduerſo in Dalmatas nauigari poterat; nimirum, cum hi non dum oram adcolerent. Danuille, Blandonam ſitu Belgradi oppidi maritimi, expoſcente menſura, ſtatuit. Scardona, incolis *Szkradin*, dextra Titii, qui Liburnos a Dalmatis ſecernebat, ripa.

§ V

Oppida, manſiones

Dalmatiae.

I. ORAM primum, vt moris nobis eſt, tenere libet, qua deſcripta, in mediterranea digrediemur. Hodoeporicon cum Tabula, quamquam non pari vbique paſſu, vadit. Iter hoc in Tabula eſſe turbatum, paullo ſuperius oſtendimus, et heic clarius viſuri ſumus. Puto autem ſic olim fuiſſe ſcriptum: Iadera. Lorano. XX. Scardona. XX. ad Praetorium. XII. Tragurio. XI. Sicſis. XV. Salona VIIII. Cum hodie in Tabula haec ſeries compareat: Iadera. Sardona. X.

Ad pretorium. XI. XX. Lorano. XX. Ragurio. XV. Sicſis. V. Salona. VIIII. Itaque ab Scardona ponemus,

Ad pretorium. XX. inſignia vrbis, aedes tetragona ampla; ſic Velſ. In Tabula duo numeri XI. et XX conſequenter notantur, quorum prior ad Tragurium ſpectat. Hodoeporicon, *Arauſa.* XX. *Praetorio.* XXX. Arauſa Ptolemaeo *Ἀραυζῶνα*, Schotti libro *Ἀραύζωνα*, *Arauzona*, eſt *Raſſina* vicus, ad lacum Scardonenſem, in Liburnis. Praetorium, ex numeris, reſpondet Sebenico veteri. Danuille, *Arauzona*, ſitu *Draxich*, ad oram; apud Sebenicum nouum Tariona, a monte, quem chartae recentiores *Tartari* vocant, Ortelio oppidum *Fariſol;* Praetorium apud vetus Tragurium ſtatuit, quod etiam Fortis Albertus putabat.

Ragurio. XI. inſignia oppidi ciuium Romanorum, tribus turriculis non pictis. Apud Velſerum *gurio*, prioribus vitiatis. Hodoeporicon, *Tragurio.* XVI. in Regio, XV. Straboni *Τραγούριον*, *Tragurium*, opus Iſſeorum. Ptolemaeo, *Τραγούριον, νῆσος καὶ πόλις*, *Tragurium inſula et vrbs;* quam poſitionem Tabula egregie firmat, cum vrbem in peninſula ponit, ſed viae ductu praetereunte; cum numeri diuertendum ſuadeant. Hunc ſitum vetus Tragurium, Italis *Trau vecchio*, incolis *ſztari Trogir*, omnino habet, errorisque arguit eos, qui Tragurium veterum nouo, hac poſitione carenti, inaedificant, qualis Danuille cum adſeclis. Scylax Heracleam dixit. Hodoeporicon oram legerit, vt plura M. P. cenſeret.

Sicſis. XV. inſignia oppidi veteranorum, aedicula tetragona; Velſ. *Siclis.* V. Numerus hic etiam in Scheibio, ex itinere ſuperius conſpicuo, ab Andretio Salonam, huc a veteri ſcriba perperam translatus, viſitur poſito in locum eius XVI. ad Aequum ſpectante. Plinio *Sicum*, in quem locum diuus Claudius veteranos miſit. Ptolemaeo *Σικοῦν*, *Sicum.* Hodie *Sziget*, prope Tragurium nouum, quod ex veteri oppido ſurrexerit, menſura ſuadente. Eſt inſula Bua vrbi oppoſita, quae antiquo loco tribuerit nomen. Danuille, numero quinario deceptus, ad quintum ab Tragurio nouo lapidem *Sicum* ſtatuit, vbi veteris Salonae ſuburbana fuere.

Salona. VIIII. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Salonas.* XIII. ab Tragurio; vbi denarius deſideretur, vt numeri Tabulae oſtendunt. Forſan ſuperius, ab Arauſa ad Praetorium, in XXX latebit, vbi XX ſufficiunt, Tabula iudice. Sic alias quoque pluratiue; itinere maritimo, a *Salona* Sipunte ſtadia M. D. Strabo, *ἐπίνειον* Dalmatarum *nauale Σάλων*, *Salo.* Caeſar oppidum nouit, pluratiue, vt columnae milliariae Tiberii, ab SALONIS ad caſtellum Daeſitiatium, ab SALONIS Andetrium; in arae Iouis dedicatione, incolae COLONIAE MARTIAE IVLIAE SALONAE. Hodie in ruinis antiquae vrbis vicus tenuis *Szlon*, boreali, vt Tabula habet, ſinus Salonitani latere, non auſtrali, vt mapparum fabri notant, quibusdam vltra Spalatum reiicientibus, quos Dan-

uille ex parte ſequitur, laeua Iader effluentis ripa vrbem ſignans, cum in dextra fuerit.

II. Praeter hanc viam, cuius ductum ab Sicſis ſcriba omiſit, ſunt aliae quinque apud Salonam concurrentes; a Burno, ab Aequo, a Narona, et vna litoralis a Maronia; hanc primum abſoluemus. Haec vero ibi occurrunt loca:

Ad Diana. IIII. fanum deae, in angulo ſinus Salonitani, et promontorii, in quo aedes S. Georgii, fano veteri inſiſtens. Velſ. *Ad Diana.* IIII. Viae ductus ab vrbe eſt exmiſſus, et numerus IIII in medio poſitus, vt ab Salona Spalatum diſtantiam exhiberet. In lapide Rauennate, C. Marcius Iuſtus, veter. nat. Dalmata CASTRI DIANAE. Tabulae viarum Tiberii, DIANAE FAN. vti legi oportere cenſebamus. Fanum hoc Tiberius, qui Dalmatas domuit, conſtrui iuſſerit, vbi caſtrum poſtea, et locus immunis, vt videtur, ſurrexerit. Hodie fanum S. Georgii ibi conſiſtit.

Spalato. IIII. ab Salona; ſic Velſ. Tabulae tempore locus non videtur magnae conſiderationis fuiſſe, vt quem Diocletianus ampliarit. Proinde hallucinatur, qui eum a palatio eius Imperatoris nuncupari volunt. Dalmatis *Szplit*, a ſpelunca promontorii vicini, audit. Notitiae, *A Spalato*, vel iunctim *Aſpalato*, oblique; Conſtantino *Ἀσπάλαθον*, *Aſpalathum;* Eutropius villam vocat, in qua Diocletianus praeclaro otio ſenuerit.

Epetio. IIII. ab Salona; inſignia oppidi liberi, tribus domunculis non pictis; ſic Velſ. Huc via ab Salona, item ab Caſtro Dianae, tendit, vt oppidum cum iis triangulum efformet. Polybio et Ptolemaeo, *Ἐπέτιον*, *Epetium;* Plinio, ciues *Epetini*, Iſſenſium coloni, ac proinde liberi. In marmore Salonitano, quidam nomine EPETINVS. legitur; in alio, prope Salonam, LOCO QVI APPELLATVR IN EPETINA. Fortis Albertus putat, apud vicum *Sztoberz*, prope *Xernovnicza* fluuium, quem in mappa *Xemernicza* (*Csemernicza*) vocat, Epetium fuiſſe. Ortelio, *Zernoſnica* oppidum, laeuo amnis exeuntis latere; quidam recentiorum *Xernovizza* ponunt. Danuille, Epetium Almiſae, Oneum Rogoſnicae adſcribit.

Oneo. VII. Velſ. *Oneo.* VII. Ptolemaeus Eraſmi, *Ὀναῖον*, Schotti *Ὄναιον*, *Onaeum*, ſed Peguntio poſtpoſitum. Plinius, cui haec ora perſpecta fuerit, Epetini; *ab his caſtella, Piguntiae, Rataneum, Narona colonia.* Onei non meminit; neque Tabula loci inſignia promit; vt locum non magni nominis fuiſſe putes. Plerique litus hoc iuſto amplius diducunt; apud Schimek hoc interuallo eſt *Almiſſa*, Ortelio *Almiſa*, laeua Cetinae exeuntis ripa, Dalmatis *Omiſh.*

Inaronia. XII. inſignia caſtelli quadri; ſic Velſ. Interuallo hoc vici *Rogoxnicza* et *Vrulya* occurrunt, quorum hoc Peguntium Plinii et Ptolemaei, Alberto Fortis eſſe videtur; nos olim cenſebamus, Peguntium, *Πηγούντιον*, Schotto *Πιγούντιον*, *Piguntium*, Ptolemaei, in Tabula hoc loco excidiſſe, et

ſcriptum *Inaronia*, ſeu, vt Thomas archidiaconus legit, *Maroniam*, ſequenti oppido adſcribi debere, quod absque epigrapha ponitur. Peguntium quippe, Plinio et Ptolemaeo hac ora memoratum, ab auctore Tabulae praeteritum, nemo facile crediderit. *Vrulya* proinde, chartis *Brella*, *Vruglia*, etiam Fortis Alberti opinione, ſit Peguntium, oppidum liberum, ſeu caſtellum, iuris Iſſenſium fortaſſe.

N. - - VII. inſignia oppidi liberi, L figuram praeferentis, absque nomine; ſic Velſ. Tabula, ſcribarum oſcitantia, hoc loco vitium paſſa eſt, exmiſſo oppidi vocabulo, et Drino amne cum Sauo perperam heic in Adriam deducto; cuius rei in amnibus mentio facta. Hoc loco autem *Maroniam* exprimi, adiuncta ſuadent, vt credamus. In veteri epigrapha, Budae, in Pannonia, Pacatus MVCARIS patria, miles; aeuo medio *Mocrum*, *Muchirum*, *Mucarum*, dicebatur; hodie vrbs *Makarska*. Numerus VII a priore iſthuc adcurate ducit. Forſan idem erit Rataneum Plinii, *Ραίτινον*, *Raetinum* Dionis Caſſii, et Polybii *Νόυτρια*, *Nutria;* vt locum fuiſſe antiquum opinere. Danuille, Peguntium Makarſkae, Rataneum *Gradacz* oppidulo admouit. Viae ductus heic interrumpitur; ad Fuſcianam, alio itinere poſitam, iſſe, ex adiunctis cenſere licet. Makarſkae agit amicus ſingularis noſter, Ioſeph Pavlovich, canonicus, bonarum artium, in primis antiquitatum, cultor eximius.

III. Iter ab Salona, per mediterranea Naronam vſque, in Tabula et Hodoeporico habetur, cuius inſcriptio heic: *Iter de Dalmatia in Macedoniam, id eſt, Salonis Dyrrachium.* Tabulam, pro conſueto, praemittere libet.

Tilurio. XVI. Velſ. *Tilurio.* absque numero; Weſſelingius XVI. legit. Hodoeporicon, *Ponte Tiluri.* XVI. in Regio, M. P. II. Rauennas, *Tilurion*, *Ponteluri.* Danuilleo, in tabella ad commentarios Crevierii, *Tilurum*, laeua Cetinae ripa, ſitu oppidi *Duare;* in Atlante, *Pons Tiluri*, fluuius Neſtus; quae ſunt ſana. Weſſelingius, cum nonnullis, vult, Pontem flumini Tilurio impoſitum; verum id nominis heic amnem nemo nouit; Neſtum Scylax et Stephanus produnt. Erit forſan Tribulium Plinii; hodie vicus *Trily*, dextra Cetinae ripa, vbi traiectus noſtra quoque aetate eſt, menſura ſitui reſpondente. Heic prodit via ab Sirmio tendens.

Billubio. XII. Velſ. *Billubio.* XXII. Hodoeporicon, *Trono.* XII. *Bilubio.* XIII. Surita, *Biludium*, Regius *Bilubium.* Trono ſit Ptolemaei *Ἡρῶνα*, *Herona*, circiter vicum *Lovrech*, vbi veſtigia antiquae habitationis compareant. Danuille, *Biludium*, ad XX ab Tiluro lapidem, ſitu vici *Polyicza*, infra quem, mare verſus, mons *Bioka*, quem veteres *Bieli brieg* nuncuparint; vnde *Bilubii* nomen. Si numeri Hodoeporici bene habent, in Tabula denarius exciderit; quamquam, ſi chartas meliores ſequamur, ab Salona Naronam quindecim mill. geogr. ſeu M. P. LXXV. cenſentur; in Tabula tribus minus; vt breuiore via proceſſiſſe videatur.

Ad nouas. VIIII. Vell. *Ad nouas.* VIIII. Has geographi praeteriuerunt. Eſt vicus *Runovich*, infra lacum Imotenſem, in quo ante annos non multos lapides literati ſex ſunt effoſſi; quorum vnus, Genio M. N. ſaluis ciuibus NOVENSIBVS. alter, dec. MVNIC. NOVENSIVM. tertius, I. O. M. ET G. M. N. ſcriptum praeferunt.

Ad fuſciana. VIIII. Velſ. *Ad fuſciana.* VIII. Hodoeporicon, *Auſuſtianis.* XVIII. in Regio, *Aufauſtinianis;* in reliquis, et Rauennate, *Aufuſtianis.* Weſſelingius formam Tabulae ceteris praefert. Eſt vicus eo tractu *Hrudo* ſuperius et inferius, chartis *Hurdo;* quorum illud colorem metallinum notat. Heic, aut paullo inferius, via ab Maronia exierit, quam ſignare ſcribae neglexerunt.

Bigeſte. XIII. ſic Velſ. Danuille, prioribus praeteritis, *Bigeſte*, ad *Ráſztok* lacum, quem non ſignat, ſed amnem Norin inde deducit, cui manſionem adplicat, ſitu arcis *Vergoracz.* Eſt *Bigava* amnis, Neretvam petens, ſed in boream remotius. *Bigeſte* a ſpecula nomen acceperit. Paullo ſuperius viae lapide ſtratae veſtigia notat Fortis, x M. P. interuallo; niſi aquae ductus is erat, cum ad montem dumtaxat pertingant reliquiae, aut via ſingularis ad vineas, hortosque; quamquam directio eius, in charta illa, verſus *Runovichi* eſſe videtur.

Narona. XIII. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Narona.* XXV. in quibusdam, *Harona*, *Arona.* Variant etiam veteres; Polybius, τὸν Ἄρβῶνα, *Arbonem* vocat; (a) Scylaci fluuius eſt ὁ Νάρων, *Naro*, vrbs forſan eiusdem nominis, cum addito *emporium.* Danuille diſtinguit loca, Emporium caſtro *Opus* adplicans. Ptolemaeo, Ναρβονὰ κολώνια, *Narbona colonia;* Stephano, Ναρβὶς, *Narbis.* Latinis, Ciceroni, Plinio, *Narona.* In veteri marmore Budae, in Pannonia, Bato NERITANVS. Porphyrogennetae, regio Ἀρέντα, *Arenta*, incolae Ἀρενтανοὶ, *Arentani.* Dalmatis, vrbs vetus, quae in ruinis ſepulta iacet, *grad Norin*, perperam chartis recentioribus, tamquam viueret, notata. Eam adluebat fluuius cognominis, in Neretvam incidens, qui Naro veterum eſt, hodie regioni homonymus; incolae *Nerecsani*, vt fere in lapide memorato. Vicinum ab occaſu eſt caſtrum *Citluk*, quod ex ruderibus vrbis ſurrexerit.

IV. A Narona procedit ſecus oram Tabula, ſed ductum viae ſcriba ſignare neglexit. Hodoeporicon vna vadit ad ſpatium aliquod, cum ad Biuium ſeparantur. Tabulam praecedere iubeamus.

Ad turres. XXII. ſic Velſ. Menſura ducit ad vrbem *Stagno.* Tabula inter inſulas habet **Turris Stagna.** quae oppido nomen dedit, Dalmatis *Szton* nuncupato, ab ſtatione nauium fortaſſe. Pleraeque chartae ſpatium hoc iuſto amplius diducunt; meliores habent mill. geogr. quatuor cum tribus quintis; quale eſt theatrum belli Turcici, ab Artarienſi ſocietate editum, quo in menſuris, vtpote adcurato, plerumque vtor.

(a) L. II. c. 11.

Dilunto. xiii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Dallunto.* xxv. A Turribus via in occaſum, Moracsam verſus, flexerit, qua ad caſtellum Daelitiatium itum. Diluntum ſteterit circiter caſtrum *Klobuk*, prope montem *Kulm.* Hodoeporicon ſecus fluuium Omblam recta progreſſum, minus numerauit.

Pardua. xiiii. ſic Velſ. In quibusdam chartis hoc agro vicus *Oraovich*, in aliis *Cracovo*, ponitur; plaga montana eſt, ſed iuxta Moracsam itineri apta. Nomen manſio a montibus acceperit, *Bardo*, pluratiue *Barda*, vulgo *Berdo*, *Brda*, vocali expreſſione abſorpta.

Ad hihio. xvi. inſignia oppidi liberi; ſic Velſ. In voce *Hihio* ſit enunciatio barbara; niſi *Biuio*, *bibio*, erat, chartis circa haec loca *Bidindo.* Sane biuium heic Tabula exhibet, cuius pars oram petit, pars ſecus Moracsam progreditur. Ager hic *Nikſhichi*, portio Nigromontanorum, adpellatur, cum oppido cognomine; quocum *Hihio* non minimam cognationem habere videatur. Danuille, *Biuium*, ad Omblam recentem ponit, circiter *Kolaſhin* vicum, ad xx a Narona lapidem. Si reliquas Hodoeporici et Tabulae manſiones expreſſiſſet, de ſyſtemate eius arbitrari liceret; ſic autem obiter loca itineris attingendo, incertos opinionis ſuae relinquit. Viam litoralem ab Hihio, quod ad xx a *Pechia* in occaſum lapidem, dextra Oriundis ſeu Moracsae ripa, vbi Dalmatiae, Seruiae, Albaniae fines concurrunt, ſteterit, Tabula ſic exhibet, Hodoeporico mediterraneam tenente:

Aſamo. xxviii. Velſ. *Aſano.* xxviii. Danuille, *Aſamum*, laeua effluentis Tribincsiczae ripa, vbi chartae *Zanon* vicum ſtatuunt; quod a vero longe abeſſe non videatur. Certe ad eum amnem, cui *Aſamo* aut *Samo* olim nomen, eam manſionem eſſe oportebat. Montana eſt ea plaga, vt plura M. P. ſit cenſere neceſſum, quam rectus viae ductus expoſceret.

Epitauro. xx. inſignia coloniae; Velſ. *Epitauro.* xx. Plinius, *Epidaurum colonia;* Ptolemaeus, *Ἐπίδαυρος*, *Epidaurus;* in tabellis Veſpaſiani, P. Vibii Mimi, EPITAVR. in quadam, apud Golzium, epigrapha, COL. EPIDAVRVM. LEG. ix. Hodie *Raguſa vecchia*, incolis *ſztari Dubrovnik.* Numerus ab oſtio Tribinſhicae bene habet.

Reſinum. xx. ſic Velſ. Scylaci, *Ῥιζοῦντος*, *Rhizuntis*, oblique, vt recto ſit *Ῥιζοῦς*, *Rhizus;* Voſſius, cum Polybio, Strabone, Stephano, *Ῥίζων*, *Rhizon*, oblique *Ῥίζονος*, *Rhizonis*, vult legi. Liuio, *Rhizon;* Plinio *Rhizinium;* Ptolemaeo *Ῥίσινον*, *Rhiſinum*, Schotti libro *Ῥίδιον*, *Rhidium;* Italus *Riſino* reddit. In tabellis miſſionis, P. Lucii Moderati, RISINITAE. Eſt oppidum *Riſano* ſeruans nomen. Danuilleo, *Rhizon*, ſitu recto. In mappa theatri bellici internalla heic adcurate ſignantur. Scribae ſeriem manſionum ſequentium in Tabula turbarunt, Butua Vlcinio poſtpoſita.

Batua. xv. ſic Velſ. Scylax *Βουθόην*, *Buthoen* vocat; ſic Stephanus; Ptolemaeo, *Βουλόυα*, *Bulua*, pro *Βουδόυα.* Plinio, *Butua*, oppidum ciuium

Romanorum, cuius insignia non exhibentur. Constantino, *Βουτόβα*, *Butoua*, ad popularem exprimendi rationem, *Budva*.

Vicinium. xx. sic Vels. Plinio, *Olchinium*; Ptolemaeo, *Οὐλκίνιον*, *Vlcinium*, vt in Tabula scriptum fuerit. Liuio incolae *Olciniatae*. Constantino, *Ελκίνιον*, *Helcinium*; hodie Italis *Dulcigno vecchio*, Illyriis *Dublovicta* portus, a noua *Dulcigno* v. M. P. abscedens.

Scobre. xx. insignia vrbis liberae; sic Vels. Polybius, *Σκόδραν*, *Scodram*, vt montem *Σκόρδον*, *Scordum*, nuncupat; (a) ceteri *Scodram*, Plinius, Ptolemaeus, Florus, Stephanus, alii. In marmore domestico, Augustus REIP. SCODR. D. D. B. M. Numi autonomi, *ΣΚΟΔΡΕΙΝΩΝ* et *ΣΚΟΔΡΙΝΩΝ*. *Scodrinorum*; vulgo *Scutari*, *Escodar*, Illyriis *Szkadar*.

Lissum. xxx. sic Vels. Polybio, Diodoro, Straboni, aliis, *Λισσός*, *Lissus*; cuius situm priores duo depingunt; arx ei vicina *Acrolissus* erat. Plinius, Lissum oppidum ciuium Romanorum; a Lisso Macedoniae prouincia. Lissam, Illyricae significationis vocem, in Moesis et Dacis habuimus, terminum prouinciae vnius, et ingressum in alteram notantem, quo sensu et isthic comparet; heic enim Dalmatiae et Macedoniae finis est, monte, Driloni ab austro et ortu praetento, vtramque prouinciam dirimente; antiquus Poeonicarum et Illyricarum gentium terminus. Nam qui inde ad Ceraunios degebant, ex stirpe Thracum processerant, Illyriorum nomine adsumto, quibuscum a primis inde temporibus mutuo consueuerant. Hodie oppidum *Alessio*, chartis etiam antiquioribus. Et hactenus quidem litus persecuti sumus.

V. Ex mediterraneis sunt viae a Burno Salonas, ab Aequo Salonas, ab Hihio Scodram, a Lisso Naissum; ordine eas exponemus. Hodoeporicon primam non habet, quae in Tabula sic exhibetur:

Promona. xvi. sic Vels. Straboni, *Πριάμωνα*, *Priamona*, vrbs Dalmatiae; Appiano, *Προμόνα*, *Promona*, Liburnorum, qui olim eam non tenebant. Hodie vestigia modo vrbis superant ad montem *Promin*, incolis *Promin grad* nuncupata. Danuilleo, *Promona*, situ munimenti *Dernix*, dextra Ciccolae amnis ripa; alii *Novest*, *Nevest*, eo loci statuunt, *Dernix* oppido laeuorsum relicto, et, vbi Fortis montem *Promina* ponit, vicum *Ramine* exprimunt. Ad amnem memoratum Promonam statui oportere, viae ratio postulat, quidquid de sono vocum recentiorum opinari velis.

Magno. viii. sic Vels. Danuille praeterit. Schimek situ et interuallo hoc vicum *Mocno* habet, aliis *Molcova*, sed remotius inde. Ad recentem fluuium Ciccolam, siquidem eius decursus Salonam versus est, *Magnum* stare oportebat.

Andretio. xiiii. sic Vels. Straboni, *Ανδρήτριον*, *Andretrium* castellum probe munitum; Harduinus e Strabone legit *Ανδήτριον*, *Andetrium*; Xylander

(a) Excerp. Legat. LXXVI.

Andretium reddit. Ptolemaeo *Ανδέκριον*, *Andecrium;* Dioni *Ανδήριον*, *Anderium*, cuius describit positionem. In monumento viarum Tiberii, ab Salonis ANDETRIVM. in *Vranyicz* insula, C. Valerius Restitutus, domu ANTRIO. pro *Andetrio*. Constantino *Κλεῖσα*, *Clisa*, ad quartum ab Salona lapidem; hodie *Klisz*, chartis *Clissa*, munitio, dextra Iaderis fluuii, quem plerique negligunt, ripa, vt Schimek rite signauit. Fortis Danuilleum secutus, admodum breuem fluxum amni tribuit.

Salona. v. Velserus cum videret XVI numerum, qui heic perperam ab Aequo translatus comparet, ad Salonam referri non posse, viam ad Aequum duxit, quod necessum non erat, neque id viae ratio patitur. Apud Sicum diximus, numerum v. qui eo loco est otiosus, isthuc spectare. Dio Cassius, Andetrium Salonae vicinum facit; Porphyrogenneta ad quartum ab vrbe lapidem statuit; ad quintum fuisse, ex Tabula colligimus.

VI. Itinere ab Sirmio Salonas, Ionariam vsque progressi sumus, ad XIII ab *Saritte*, Hodoeporico *Sarnade*, quae est *Strido*, D. Hieronymi patria, milliare; quam apud *Knin* oppidum exstitisse, ratio viae et numerorum suadet, vt credamus. Ab Ionaria sequitur,

Bariduo. XIIII. sic Vels. Ob loci angustias, vocabula haec nonnihil confuse ponuntur; scriba Velseri distinctius expressit. Hanc putet quis Cassii *Ἀρδουβαν*, *Ardubam*, quam Fortis apud *Knin* fuisse opinabatur. Ait Dio, castellum arte munitissimum fuisse, *καὶ ποταμὸς ῥοώδης τοὺς πρόποδας αὐτοῦ κύκλῳ, πλὴν βραχέος, περιῤῥεῖ*, et fluuio rapido decliuia eius circum, modico spatio demto, perluta." Nisi in *Κύκλῳ* amnis nomen lateat, qui *Cicola* hodie quoque nuncupatur; situs hic Knino ante, quam Dernizso conueniret; sed *Knin* munimentum est ad confluxum Butinshicae et Kerkae amnium; huius autem lapsum esse pigrum, Fortis perhibet; quamquam *ῥοώδης* patulus potius, quam violentus esse videatur, et *Dernix* aeque munimentum est ad fluuium validum, quo olim circumdari potuit. Ad haec, vocabula pro Dernixo pugnant, et Dio in situ depingendo sic errare valebat, vt in arcuum triumphalium, et Andetrii situ errauit. Ceterum Dernixii positio apud Schimek rectior esse videtur, quam apud alios, qui id, respectu Knini, ad occasum hibernum reducunt, cum in exortum promoueri debeat.

Inalperio. absque numero; (a) Vels. *In alperio*. VIII. Putem, *in alpe Rio;* est tractus montium, a borea in austrum procurrentium, quem etiam Tabula signat, qui fere Salonam vsque protenditur, antiquis forsan *Rio* dictus, hodie *Vergich*, cum arce cognomine, quae vox fastigium, *verh*, incolis significat. Apud Schimek, abscedunt iuga montis ab *Dernix* in occasum VIII M. P. interuallo, vt editio Velseri adcurate exprimit.

(a) In exemplari nostro VIII. postponitur.

Aequo. XVI. insignia coloniae; Velſ. *Aequo.* VIII. qui numerus ad praecedentem manſionem ſpectat, M. P. XVI. vitio ſcribae, ad aliud iter, ab Andretio Salonam, praue transpoſitis. Hodoeporicon, a Pelua, *Aequo.* XVII. in Regio, *Equo.* Ptolemaeo, *Αἰκοῦον κολώνια*, *Aequum colonia;* nulli praeterea ſcriptorum memorata; e conuerſo lapidibus celebris; Seniae, L. Aurelius Victor, domo AEQVO. Salonae T. Flauius, DEC. COL. AEQVI. Zlatnae, in Dacia, P. Celſius Conſtans, DEC. COL. DELMATIAE. CL. AEQVO. Albae Daciae, DEC. COL. AEQVENS. In *Citluk*, vicino ruderibus antiquae vrbis loco, AEQVENSES MVNICIPES. Ab Claudio Imp. coloniam deductam, Zlatnenſis epigraphe oſtendit. Rudera vrbis, ad quintum ſupra *Sziny* praeſidium lapidem, laeua Cetinae ripa, Fortis Albertus deprehendit, Aequi veſtigia recte arbitratus. Danuille quoque, qui vicina praeteriit, Aequum rite ſignauit, quo loco *Cetina* oppidum in quibusdam chartis notatur.

Salona. XVI. Velſ. *Salona.* XVI. XVI. numero bis poſito, ſeu potius translato ex itinere alio, ab Salona Tilurium, vbi deſideratur. Apud Scheibium heic recte exprimuntur notae. Hodoeporicon, *Salonas.* XXI. quae menſura eſt adcurata. In Tabula, quae per Andretium proceſſerit, rite XVI ponuntur; inde enim V M. P. Salonam vſque ipſa numerat, vt alias dictum. Tractus viae, qui heic Salonam vſque fertur, Andretio iungi debet, quod Hodoeporicon praeteriit.

VII. Sequitur via ab Hihio Scodram; a Narona ad Hihium, ſeu, vt Danuille quoque legit, Biuium, cenſentur in Tabula LXV M. P. ab Hihio Scodram CXVIII. cum recto ductu, in chartis melioribus, ab Narona Scodram ſint ſeptemdecim mill. geogr. ſeu M. P. LXXXV. ſed montes, et ad praeſidia diuerticula, numeros auxerunt. Itaque ab Hihio in Tabula comparet,

Leuſino. VIII. Velſ. *Leuſino.* VIII. Hodoeporicon, *Leuſinio.* XL. ab Dallunto. Fuerit manſio ad montem Scardum, qui hoc tractu *Lyubin* dicitur, cum agro in occaſum ſpectante *Lyubinye*, et oppido cognomine, quod chartae meliores ſupra Naronam ſtatuunt; vbi Danuille, in Atlante, Luſſunium ponit; in tabella ad commentarios Creuierii, *Luſinum*, ſitu *Klobuk*, cui nos Diluntum admouimus. In quibusdam chartis, circiter haec loca, eſt *Velyane* vicus, eique in auſtrum vicinus *Dublyano.* Leuſinum olim, idiomate populari, *Luxina*, (*Luzsina*) ab ſitu nomen acceperit, qui heic ſaltuoſus eſt. Iuuat obſeruatio Conſtantini, apud Weſſelingium, qui *Λαῦ*, *Lay*, *Lav*, locum praeruptum Illyriis ſignificare ait; vnde *Λαυσαίους*, *Lauſaeos*, perhibet nuncupatos, quod praecipitia incolerent. Hodie *Cernogorci* vniuerſim haec iuga tenentes vocantur, plura ſingularia complexi nomina, quales *Leſhani*, *Leſhevichi*, ager *Liexanſka kraina*, qui veterem ſeruet nuncupationem. Antoninorum aetate regio haec cultior fuerit, quam Theodoſiorum; quod in Hodoeporico ad XL. M. P. nullus occurrit locus.

Sallunto. XII. Vesſ. *Salunto.* XII. Numeri ad *Pekia*, *Pechia*, vrbem ducunt, ad amnem quempiam, qui Drinum album recentem ab occaſu petit. Heic caſtellum Daeſitiatium, cuius monumentum viarum Tiberii meminit, exſtitiſſe putamus, cui populari dialecto Salunto, *Zahlun*, vltra montem, nomen. Inſignis Cernogorenſium prouincia *Zeta*, vulgo *Zenta*, ad amnem cognominem, viro fortis, libera, Daeſitiatium maiorum ſuorum virtute gloriatur. Iſthuc viam ab Salona, ductu Tiberii inſtitutam, iſſe, in epigraphica oſtendimus.

Sanderua. XVII. ſic Vesſ. Hodoeporicon, *Andarba*. XXVIIII. ab Leuſinio. Rauennas, *Auderba*. Weſſelingius *Andarba* probat; ſed Tabulae formula popularium loquendi modo magis reſpondet. Menſura duce, ad exortum *Zetae* amnis, perperam *Zem* aut *Zenta* chartis, trans montem Dibram venimus, vt ipſa loci nuncupatio oſtendit. Quaedam chartae *Bordagni* vicum eo agro notant, meliores *Clementi;* illi *Berdjani*, *Bergyani*, antiquis *Bryges*, ſunt, hi *Hlumanti;* quae voces idem ſignificant, montium quippe incolas, quales hi omnino eſſe noſcuntur. Danuille heic *Diocleam* ſcribit, loco non ſignato. Sunt Zetam inter et Moracsam rudera vrbis *Vertograd*, in hac vicinia, quam patrum memoria exſtitiſſe, monumenta Serbica fidem faciunt, olim Diocleae vocabulo inſignem.

Varis. VI. ſic Vesſ. In chartis hic ager, Zetae recenti ab exortu vicinus, *Vurali* audit; ſed mihi Tabulae *Varis* cum *Vertograd* cognationem habere videtur, ſeu illa ſit reapſe Dioclea, ſeu alia vetus ciuitas, certe vocabulo, vrbem ſignante, notata. *Grad* quippe vrbs munita eſt, oppidum *vároſh*, ab *varh*, faſtigio, quod vrbes ſitu edito condi conſueuere. Poſteri ab hortis, hoc fertili campo cultis, locum adpellauerunt.

Sallunto. XI. ſic Vesſ. Hodoeporicon, *Sallunto.* XVIII. Forſan Ptolemaei *Σαλωνιάνα*, *Saloniana*. Eſt hoc interuallo oppidum *Podgoricza*, inter montem ab occaſu, et lacum, quem riuus Zetam petens efficit, ab exortu ſitum, qui Sallunto etiam vocis ſignificatu reſpondeat. Quae ſi bene habent, via per Cernogorenſem agrum, *Vleſhivacska* dictum, proceſſerit.

Nalata. XVIII. ſic Vesſ. Hodoeporicon, *Alata.* XVII. Rauennas, *Aleta;* Weſſelingius ex Tabula *Nalato* legit. Ptolemaeo *Ἄλητα*, *Aleta*, ſed longius in ſeptemtriones. Eſt populus *Pulati*, hunc agrum incolens; eſt *Holti* lacus, ex quo fluuius Scodrenſem paludem petens, emergit, et vicus ei vicinus *Luncza.* Sane, circa exitum Zetae in Marocsam oportebat Nalatam ſeu Aletam eſſe. Seruat ager Leſhanſka (Lezsanſzka) veteris nuncupationis, ſiluam alnis conſitam notantis, veſtigia.

Berſumno. X. ſic Vesſ. Hodoeporicon, *Birziminio.* X. Rauennas *Burzumi.* Danuille, *Berziminium*, item *Beraminium*, ad Zetam!, prope effluxum in Moracsam. Eſt paullo inferius *Ozrinich*, ſupra Labeatidem; chartis *Ocinich*

perperam infra lacum. Habet cognationem cum Oriunde amne, vulgo *Moracsa*, quem rectius popularis nuncupatio exprimit *Ozrinich*, quam *Berſumnum* aut *Birziminium*. Quamquam haec vox omnino Illyrica eſt, celeritatem fluminis ſignificans.

Sinna. XVI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Cinna*. XVIII. Ptolemaeo, *Κίννα*, *Cinna*, vt Surita legit, aliis *Χίννα*, *Chinna*. In charta, quam ſocii Artarienſes dederunt, *China*, itinere ab Aleſſio Priſtinam, tamquam locus exſtans. Sinnam ad lacum eſſe oportebat, vt ipſa vox indicare videtur. Eſt ager *Czetine* dictus, qui cognationem cum Sinna ſeu Cinna habeat. Lacus Illyriis *Jezero* dicitur; vnde *Ozrinich*, et Oriundes, promanarit, qui mediam permeat paludem. *Riecska* oppidum, occiduo Labeatidis lateri adſitum, interuallo et ſignificatu Sinnae reſpondet. Non longe inde abeſt *Niegusſh*, *Negox* oppidum, quod ſitu prioris nonnulli ſtatuunt, per quod via a palude Cattarum (Kotor) ducens, transit.

Scobre. XX. ſic Velſ. Auſtrali lacus ora, vt hodie, proceſſerit via, per vicum *Dugidol*, longam vallem, Scodram vſque, de qua in ſuperioribus dictum. Hae partes adcuratae dimenſioni ſubiectae non ſunt; idcirco ſumma in chartis diuerſitas comparet. Mappae generales, vt ea theatri belli Turcici, ſunt meliores, quam ſpeciales, quae antiqua nouis, quadrata rotundis miſcent; vt in vetuſtioribus quorumdam locorum poſitionem meliorem, quam in his recentiſſimis, obſerues.

VIII. Ex itinere a Liſſo Naiſſum duo loca in Dalmatiae cenſum veniunt, *ad Picaria* et *Creueni*; quorum id Ptolemaeo praeterea notum, hoc alteri non memoratum. Sic ea in Tabula, ab vrbe Liſſo, habent:

Ad picaria. XXX. Velſ. *Ad Picaria*. XXX. Ptolemaeo, *Επικαρία*, *Epicaria*, ſitu recto. Cellarius inter obſcuriora recenſuit, vocabulo ex Tabula non obſeruato. Deliſle, numeros Tabulae ſecutus, *Epicaria* ſitu oppidi *Kabaſſi* notat; ſequitur Danuille in Atlante; ſed in tabella Graeciae, ad XII ab Liſſo milliare, agro oppidi *Giadri*, ſtatuit. *Kabaſſi* numeris rite reſpondet.

Creueni. XXX. ſic Velſ. Deliſle, *Grebenum*, ad Clauſalae, hodie *Cheri*, amnis exortum, vbi nullus eſt id nominis locus. Danuille praeterit. *Haſſi* oppidum, prope laeuam Drini nigri, ſub Scodri iugis, interuallo reſpondet, in Macedoniae, Albaniae, et Seruiae finibus, quod alii Albaniae, alii Macedoniae adſcribunt; olim ad Dalmatiam ſpectabat, iugis Scodri, ab exortu imminentibus, ab Dardania diremtam. Et hactenus quidem de Illyrico dictum eſto.

CAPVT XII

ITALIA

I. ORIGO Italici nominis aetate fabuloſa reconditur. Ab Italo rege id nuncupationis promanaſſe, vulgaris eſt eorum, qui hoc argumenti genus attigerunt, opinio. Nos heic Italiam accipimus eo ſenſu, quo Tabulae tempore accipiebatur, inde ab Octauiano Imperatore. Scilicet, quidquid alpes inter et mare inferum ſuperumque ad fretum Siculum continentis procurrit, Italiae vocabulo vſurpamus; prorſus, vt Mela Pomponius dicebat: (a) Italia ſe media perpetuo iugo attollens Apennini montis, inter Hadriaticum et Tuſcum, ſiue, vt aliter adpellantur, inter ſuperum mare et inferum excurrit." Ptolemaeus alpinos quosdam populos, qui partim Galliae, partim Rhaetis adnumerantur, Italiae adſcribit; quales Salaſſi, Lepontii, et procul dubio Caturiges cum oppido Eburoduno, Seguſiani cum Brigantio, Tridentum, Belunum ciuitates Rhaetorum.

II. Itaque cum iis tenemus, qui a Varo, et ſummis alpibus Graiis, Cottiis, Peninisque et Rhaeticis, Italiam incoant, deinde Carnicis et Pannonicis, Illyricisque, ad Ocram, Albium, flumen Arſiam. In Tabula, ab Auguſta Taurinorum vſque Romam ITALIA veteri caractere Latino, picto, exhibetur, adiunctis prouinciis, Liguria, Etruria, regione trans Padum, Tuſcia, Piceno, Maurucinis, Campania, Apulia, Salentinis, Lucania, Calabria, Bruttiis; quas totidem paragraphis referre libet. Italiae in regno epigraphico frequens fit mentio; in Romanis et Veronenſibus, Sex. Petronius Probus, praef. praetor. ITALIAE. Romae, Vettius Agorius, praef. praet. ITALIAE. Neque rarius legionum Italicarum nomina occurrunt.

III. Patet regio ab gradu longit. 24 min. 20. ad 36 min. 20. latit. 37 min. 48. ad 46 min. 40. Vnde productio in longum, ſub alpibus, ab iugis Cottianis ad flumen Arſiam, M. P. CCCC. medio, a Populonia ad Anconam, CLXXX. imo, a Poſidonia Hydruntum CC. Nam exremo ocreae, cuius figuram praefert, ab Rhegio ad Locros Epizephyrios nonniſi XXXIII. cenſentur. Latitudo amplior longitudine; nam, ab oſtio Halecis, et promontorio Leucopetra, per medium Italiae ſi procedas ad parallelum Loncii et fontium Glanis, ſunt DCCLXV. recta vero, iuxta gradum longit. 34 ad parallelum memoratum, habes DCXL M. P.

(a) L. II. c. 4.

SECTIO I

REGIO TRANSPADANA

§ I

Nuncupatio, fines.

I. REGIO illa, quam Padus mediam praestringit, inde ab Gallorum aduentu, Gallia cisalpina vocabatur, cum ante Siculi, Liburni et Veneti, his in exortum vicini, pleraque tenuerint, Plinio prae ceteris teste, qui, regione quinta, quae Piceni est, memorata, haec narrat: (a) Iungitur his sexta regio, Vmbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum; ab Ancona Gallica ora incipit, Togatae Galliae cognomine. Siculi et Liburni plurima eius tractus tenuere, in primis Palmensem, Praetutianum, Adrianumque agrum. Vmbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli.“ Ante hos igitur Padi adcolae fuerunt ii, qui nomen flumini dedere, Euganei, Venetae, Liburni, gens Illyrica. Celtas quippe aduenas heic fuisse, ab Tarquinii Prisci temporibus, notum est. Tusci et Vmbri aliam habuere patriam. Euganei, Venetae, Liburni sunt, domestici; postea, inualescentibus aduenis, ad cognatos in exortum retrusi, praeter eos, qui agri auiti cupidine illecti, heic restitere, aduenis mixti, lingua et moribus partim adsumtis, partim communicatis.

II. Augustus, nomine Gallorum sublato, et vniuersa Italia in regiones XI diuisa, octauam, Galliae Togatae portionem, inter Padum et Apenninum, a Trebia fluuio ad oram Adriae, vbi Aemilia et Flaminia postea natae; nonam iussit esse Liguriam; decimam Euganeos et Venetos; vndecimam transpadanam, ab alpibus ad flumen Adduam et Larium lacum. Hanc nos, in descriptione Italiae, primam sumemus, ob seriem rerum naturalem, ab septemtrione in austrum progressi. In Tabula, a Mediolano, scribitur, caractere atro, REGIO TRASPA. exmissis postremis DVM. **_Regio trans Padum._** Nota est epigraphis; Romae, T. Flauii Postumii Titiani, CORR. ITALIAE TRANSPADANAE. Veronae, Claudius praeses PROV. TRASP. Polybio, *ἡ περὶ τὸν Πάδον χώρα*, *circum Padum regio*, etiam cispadanam Galliam comprehendit. Ab Lario

(a) L. III. c. 19.

lacu, et fluuio Addua ad Benacum et Athefin, fcribi videas, MEDIA PROVINCIA. literis minio pictis, quam Euganei et Cenomani tenebant, praeter minutos alios; cuius prouinciae, antea regioni vndecimae, cum Venetis, Carnis, Iftris, adcenfae, nomen alias non comparet. Videtur autem effe portio Italiae *fubalpinae*, cuius Plinius et Plutarchus mentionem faciunt, qui transpadanam eo vocabulo acceperint. Cluuerius in Tabula vtramque phrafim pro transpadana Italia accipit, inclufis etiam Venetis, Carnis, Iftris, quae libro Notitiae, *prouincia Italia Mediterranea* dicatur; (a) fed auctor Tabulae videtur fenfu noftro eas accepiffe voces. Nos hac fectione fumimus et regionem trans Padum, et prouinciam mediam, feu tractum omnem Padum inter et alpes Rhaeticas, ab Graiis Cotiisque, et Peninis, ad flumen Athefin et Venetos.

III. Patet ea in longum, ab gradu longit. 24 min. 20. ad 28 min. 52. latit. grad. 45 ad 46. Longitudo maxima, ab Cottiis alpibus ad Hoftiliam, ccxxx M. P. latitudo a Pado et Nuceria ad Serii amnis exortum, M. P. c. Nuncupatio regionis a Pado flumine, quod antiquis eius adcolis, vt alias paffim, aquam fignificat, Illyriis *Voda;* vnde deminutiuum *Vodinca*, Polybio et Plinio *Bodincum*, recte quidem, vt pro *Vuda* dicimus *Buda;* fed non vt Plinio Celtae retulerunt, *fundo carens*, tamquam *Boding* fit etymon vocis. Celtas heic aduenas, et tardius quidem, neque tamen ad Padum, effe nouimus; a quibus geographica fluuiorum et montium locorumque vetuftiorum nomina, nifi de quibus certo conftet, nemo deriuarit.

§ II

Montes, fluuii, lacus.

I. ALPES Cottias, Graias, Peninas, quarum fingillatim Tabula meminit, in Gallia Narbonenfi memorauimus. Inde tractu continuo, pedem et quatuor vncias longo, tenduntur iuga ad fines Noricorum et Carnorum. Singulari ductu exprimitur mons, tres vncias patens, ex quo Vbartum et Vmanam fluuios deriuat auctor; quae fint iuga Orobiorum, et Triumplinorum, inter Larium et Benacum, quae feorfim a vallibus apud Italos nuncupari folent. Habet deinde fesqui vnciam patentem, ex quo Cleufis defcendit, Camunos inter Stonosque ortus, inter Seuinum et Benacum. Ortelius *iuga Rhetica* vocat; recentiores nomen fingulare non produnt.

II. Fl. padus. literis minio pictis, ad fontes; Velf. Fl. Padus. Fluuius regionis princeps, quem prae ceteris Polybius et Plinius defcribunt; pofterio-

(a) Ital. Ant. p. 219.

rem audire libet: Padus gremio Vesuli montis, celsissimum in cacumen alpium elati, finibus Vagiennorum, visendo fonte profluens, condensque se se cuniculo, et in Forouibiensium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior; Graecis dictus Eridanus, ac poena Phaethontis illustratus; augetur ad Canis ortus liquatis niuibus; agris quamuis torrentior, nil tamen ex rapto sibi vindicans; atque vbi liquit agros, vbertate largior; trecentis M. P. a fonte addens meatu duodenonaginta; nec amnes tantum Apenninos alpinosque nauigabiles capiens, sed lacus quoque immensos in eum se se exonerantes, omni numero xxx flumina in mare Adriaticum defert." (a) De vocis etymo haec postea notat: Pudet a Graecis Italiae rationes mutuari. Metrodorus tamen Scepsius dicit, quoniam circa fontem arbor multa sit picea, quales gallice vocentur Padi, hoc nomen accepisse. Ligurum quidem lingua amnem ipsum Bodincum vocari, quod significet fundo carentem; cui argumento adest oppidum iuxta Industria, vetusto nomine Bodincomagum, vbi praecipua altitudo incipit." Falsam hanc relationem ab Celtis acceperit scriptor; Polybius haec dumtaxat: *παρά γε μὴν τοῖς ἐγχωρίοις ὁ ποταμὸς προσαγορεύεται Βόδεγκος*, *apud indigenas fluuius hic Bodencus audit.* (b) *Vodenka* haec est, vt Padus primitiuum *Voda.* Ineptum quippe foret, amnem sine fundo nuncupare, vt Plinius dicebat. Cluuerio tamen ex hac voce placuit, Ligures originis Germanicae populum adserere; quod minus mirere, quam quod Illyrios etiam e Celtico regno prodiisse arbitratus est. Mons, ex quo Padus promanat, *Mont Viso*, in valle ei subiecta, *Lac di Viso*, ad quem duplici scaturigine ampla oritur. Flumen Italis *Pò*, Gallis *Pau*, Germanis *Paw* et *Pfaw*, teste Cluuerio, nuncupatur, Illyriis *Pad.* De ostiis, cum eo ventum fuerit, dicemus.

III. Plinius aiebat, Padum xxx flumina in Adriam deferre; Tabula quaternis plures numerat, quorum sexdecim ex alpibus a borea, octodecim ex Apennino ab austro, in eum incidunt. Priores, qui ad hanc sectionem spectant, heic recensebimus.

Fl'. Orsus. literis miniatis; Velf Fl'. Orsus. Plinius *Orgum* vocat, apud quem nonnulli *Morgum* legunt; Ennodio *Orgus.* Surgit in Centronum et Salassorum finibus, monte *Soana*, sub pede *col de Calest*, ad viam, quae ab *Chivasso*, vbi Padum influit, Aostam ducit. Hodie *Orco.* Forsan Tabulae *Orsus* habet rectius ad Ligurum Tuscis mixtorum idioma, quo vrsus dicebatur *orso*, vt Italis nunc quoque audit.

Alterum ex patulo fonte, qui lacus Nenus vocatur, deriuat, praefluentem Augustam Praetoriam; is Duria maior est, Ptolemaeo *Δορία*, *Doria;* sed fontibus minorem expressit auctor, qui in monte *Senis* reapse e lacu oritur, apud Augustam Taurinorum Pado immersus. Maior in alpibus Graiis, hodie

(a) L. III. c. 20. (b) L. II. c. 16.

Mont petit S. Bernard, aeque patulo fonte prodit, non longe ab Crescentii vrbe in Padum defluens. Plinius *Durias duas* nouit. Danuille epithetis distinguit, *Duria maior*, Italis *Dora*, *Doria*, Gallis *la Doire; Duria minor*, Gallis *la petit Doire*, Italis aeque *Dora*. Cluuerius, qui haec loca vidit, minorem *la Dorietta*, maiorem *la Doria Baltia* nuncupari ait.

fl'. Betvctelv. Vels. Fl'. **Betuctelum.** Alueus exprimit Sessiten, vulgo *Sesia*, in alpibus Peninis ortum, quem apud Vercellas amnis *Elvo* ab occasu petit, veteribus ignotus. Plinio *Sessites;* Ennodio *Sessis;* adcolis Vercellensibus *la Sessia*, Harduino teste. *Betuctelum* putet quis vocem compositam esse ex *vetus castellum*. Est fluuius *Cervo*, priori parallelus, deinde iunctus, ad quem vici *Castellengo* et *Biella*, qui veteri nuncupationi occasionem dederint. Cluuerius hunc cum sequentibus binis ad eos spectare ait, qui lacum Verbanum petunt. (a)

E lacu Clisio deducit amnem Tabulae auctor absque nomine; lacus is *d' Orta* erit, cui vicinus alter locus *Ceglio*, nomen olim dederit lacui, aut ab eo sit mutuatus. Amnis prope eum ortus *Gogna* vocatur; quod nomen ante habuerit, diuinare non licet; nisi Nouaria dicebatur, vt mox visuri sumus.

fl'. Victivoi. literis pictis; Vels. Fl'. **Victium.** Nomen hoc Vitricium arguit, procul dubio vrbs *Ivrea* hodie, laeuo Duriae maioris latere, in minuti amnis confluxu. Profecto Duriam exitu suo apud Cutias, Danuilleo Cottiae sunt, ostendit; quamquam *Sessites* ibi effunditur. Quare aut nomina vrbium reapse hi fluuii tum gerebant, aut scribarum oscitantia, missis propriis, sunt ab oppidis vicinis adscita. Duriae vocabulum iure heic desideres, Sessitisque, vtpote fluminum nobiliorum, quae dudum isthic nomina amisere.

fl'. Nouaria. scriptura picta; Vels. Fl' **Nouaria.** A Nouaria defluunt *Gogna* et *Albogna*, partem iuncti, fontibus et exitu diuersis, his *Terdoppia* vicinus, distincto alueo defluens. Neutrum Danuille nominat, quia scriptoribus tacentur. Cluuerius, amnem vrbi cognominem fuisse, nullus dubitat; sed is tum vestigia nominis retenturus erat. Horum priorem *Gogna* oportebat e lacu Clisio deriuare, cui vicinus exsurgit.

IV. fl'. Ticenum. sic Vels. Strabo, *τὸν Τίκινον*, *Ticinum*, sic Plinius quoque nuncupant; excerpta Polybii e Strabone, *Τίκνιον*, *Ticnium;* nisi mendum typi censeas; nam et Strabo ex Polybio *Τίκινον* adfert, et Polybius, eumque secutus Liuius, *Ticinum* vocant; (b) editio, qua vtor, *Τήκινον*, *Tecinum*, habet; forsan *Τικηνὸν* erat, vt apud Procopium, et Tabulae auctorem. Hic amnem ex alpibus Rhaeticis probe deducit, deinde cum lacu peramplo, quem nominare omisit, communicat alueo distincto, prioris fluxu in Padum tendente. Oritur in monte S. Gothardi, fontibus patulis, ortui hinc Rhodani,

(a) L. I. Ital. Ant. c. 36. (b) Polyb. L. III. c. 64. Liu. L. V. 34. XXI. 39. 45.

inde Ruſſi (*Reuſs*) vicinis; permeat lacum Verbanum, ex eoque emergens alueo ſingulari in Padum fertur. Chartis *Teſin*, *Teſino*, *Tiſino*, *Ticino*.

fl'. Ambrum. Velſ. Fl'. Ambrum. Deriuat e lacu auctor, vt Lambrum dicere voluiſſe videatur, prout amnem Plinius vocat; et ipſe Tabulae auctor, ad effluxum, *Lambrum*, manſionem. Burdigalenſe, *Frigidum fluuium* adpellat. Oritur inter Adduam et lacum Larium, recipit alueum a Como ex Lario defluentem, ac prope Placentiam in Padum deuoluitur. Sic chartae Danuillei et recentiores; is tamen in tabella Galliae cisalpinae nullam facit alueorum cum Lario communicationem. Seruat fluuius nomen *Lambro*.

fl'. Vbartum. ſic Velſ. Hic fluuius, cum ſequenti Vmana, e monte diſtincto prodit. Vbartus, Lambro vicinus, defluit ab oppido *Cobarte*, deſinitque in canalem Adduae immiſtum. Nomen fluuio *Molgora*, monti vicino *Brianza*. Cluuerius, *Brembo* fluuium, ortiuo latere Adduae mixtum, accipit; quod, fontium vtriusque habita ratione, propius vero videatur. In Tabula, hoc agro, Padus inſulam, a Mediolano Cremonam vſque, efformat, in alueum borealem Lambrus cum Vbarto decidunt. Hoc autem alueo Adduam in primis deſignari, nullus dubito; ſed auctori Tabulae familiare eſt, collaterales fluuios minores adpellare, quod maiores vulgo noti eſſent. Hanc inſulam Danuille in tabella ad commentarios Crevierii ſignauit, in aliis omiſit. Sunt canales nauigabiles, olim ducti, qui hanc inſulam efforment; ab Ticino amne Mediolanum ductus canalis, *grand Naviglio*, inde ad flumen Adduam *Naviglio de la Marteſana*, in quem *Molgora* amnis influit. Vbartum Cluuerius non habet, qui alias Tabula vti conſueuit.

fl'. Vmatia. Velſ. Fl'. Vmatia. Cluuerio, *Humatia*. Ex eodem monte cum Vbarto deſcendit; ſed amnis *Serio* diuerſis fontibus diuerſo oritur ſitu; recens praefluit oppidum *Coma*, deinde alterum *Manini*, quae vocis antiquae veſtigia ſeruent. Serius intrat Adduam, inſulam memoratam cum eo efficiens.

fl'. Cleuſis. Velſ. Fl'. Cleuſis. Polybius, *Κλούσιον ποταμὸν*, *Cluſium amnem*, vocat. (a) Cluuerio, *Cluſius* ſiue *Cleuſis;* Cellarius *Cleſium* legit. *Chieſe* eſt, vel *Chieſi*, lacum Edrinum transiens, deinde Ollio miſtus; quem Tabulae auctor exprimi voluerit, ſed lacum Seuinum exprimere oblitus. Praeteriit etiam Mincium cum Benaco. De *Ateſia*, ſeu Atheſi, qui ſequitur, apud Rhaetos dictum; lacus veniunt.

V. **LACVS. HENVS.** Velſ. Lacus Henus. Eſt mons *Senis*, apud quem Duria minor e patulo fonte ſurgit, quem auctor Tabulae *Nenum* lacum adpellat. Nam, vt apud Padi fontes, tam lacui quam monti *Viſo* nomen eſt, ſic etiam iſthic fuiſſe putes. Cluuerio mons *Cinifius*, cum cauerna, ſine lacu. Scincomagum manſionem reſpexerit, vt Cinifium formaret.

(a) L. II. c. 32.

Lacus. Clisius. literis minio pictis; Velſ. Lacus. Cuſius. Erit *lago d' Orta*, ab cognomine oppido nuncupatus, cui ab occaſu vicinum eſt oppidum *Ceglio*, in quo ſint veteris nuncupationis veſtigia. Sed Verbanum ſignare voluiſſe videtur auctor, ex quo Ticinus exit, quem is ex monte deriuat, vt ſupra monebamus. Eſt ad exortum Lambri *val Cluſio*, et oppidum eiusdem nominis, quod cum Tabulae Cleuſi fluuio et Cliſio lacu, cognationem habeat.

Lacum Comacenum, ſeu Larium, duas vncias longum, vnam fere latum, exprimit auctor Tabulae, ſed cum Verbano committere videtur, Ticinum alueo diſtincto in eam infundens. Medius hos inter eſt *Lugano* lacus, quem Cluuerius *Cereſium* vocat; forſan ab *Cerro* oppido, lateri lacus Verbani, quem Itali *lago Maggiore* nuncupant, ortiuo adſidenti.

Ex lacu modico, vel potius fonte patulo, Ambrus exit, Cluuerio *Eupilis*, ex Plinio, cuius haec ſunt: (a) In hac regione et XI lacus inclyti ſunt, amnesque eorum partus aut alumni; ſi modo acceptos reddunt, vt Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis, omnes incolas Padi.“ Hodie *lago di Puſiano*. Eſt ad exortum Lambri *Val Cluſio*, et oppidum homonymon, vt paullo ſuperius monebamus.

§ III

Populi transpadani.

I. OLIM hanc regionem validi colebant populi, quales Salaſſi, Taurini, Inſubres, Orobii, Cenomani, Camuni, Triumpilini, Euganei, Naunes, Stoni. In Tabula ſunt, Nantuani, Naburni, Tauriani, Cenomani, Meſiates, Inſubres, Trumpli, quos ordine perſequemur. Nantuanos, alias Nantuates, in Gallia Narbonenſi Lemano admouimus, Caeſaris et Strabonis auctoritate ducti; in Tabula ſupra Cottias alpes in parte Italiae, comparent. Potuit pars eorum iſthic poſterius habere; quamquam pictor hic in recenſendis populis non ſemper geographicam tenet ſeriem. Succedant,

NABVRNI. Velſ. Naburni. Hos ne Cluuerius quidem nouit. Plutarcho, in Mario, bellum Cimbricum memoranti, "*Ἄμβρωνες*, *Ambrones*, qui *τὴν πάτριον, ἐπίκλησιν αὐτῶν εἶναι. σφᾶς γὰρ αὐτοὺς οὕτως ὀνομάζουσι κατὰ γένος Λίγυες*, vetus id ſuum cognomen dicebant; ita enim ſe ipſi Ligures totius gentis vocabulo nominant.“ (b) Hos Ambrones Cluuerius non recte Helueticam fuiſſe nationem adſerit. *Naburni* erant hi, ex quibus ſcriptor Graecus Ambrones fecit. Plinius Montanos dicebat: *Ex Caturigibus orti Vagienni Ligures*,

(a) L. III. c. 23. (b) Conf. Cluuer. L. I. Ital. Ant. p. 47.

et qui Montani vocantur. (a) Liuius *Briuiates* Ligures vocat; (b) quod populi idiomate *Montanos* fignificat. Ponuntur fupra Taurinos, ad fluuium Orgum, a quo fint nuncupati; nifi *Nagorni* potius, feu montani aut reapfe *Naburni*, faltum piniferum adcolentes, dici debeant. Sane Taurinorum, qui ab alpibus graeco vocabulo funt adpellati, pars fuiffe videntur, populari expreffione adfecti.

TAVRIANI. Velf. TAVRIANI. Polybius meminit *τῶν Ταυρίνων, οἱ τυγχάνουσι πρὸς τῇ παρωρείᾳ κατοικοῦντες, Taurinorum, qui ad radices alpium incolebant.* Stephanus hos cum Taurifcis perperam committit, quod Cluuerius, adducta Polybii auctoritate, qui populos adcurate diftinguit, fequi non debebat. Longe enim hi ab fe fe remoti erant, etfi olim eiusdem forfan, Liburnici quippe, generis populus. Strabo, *Ταυρῖνοι, Λιγυστικὸν ἔθνος, Taurini, Liguftica gens;* idem Liuius, Pliniusque adferunt. Quamquam non fatis adparet, vtrum Italicae potius, an Liburnicae ftirpis fuerint; in hos tamen opinio noftra propendet. Nam Cluuerii, Ligures Germanis adfcribi volentis, fententia tanti eft, quanti ex Illyriis Celtas facientis. Si Bodincus Ligurum lingua Padus dicebatur, non dubitem, eos olim a Liburnis, late heic dominantibus, originem duxiffe. Qui Graecis Taurini, popularibus *Naburni* dicebantur. Celticae voces *die Tauren, Taurifchen*, funt originis Graecae, non Celticae, vt Cluuerius adferebat. (c) Neque Liuio facile crediderim, adcolas Padi femigermanos nuncupanti, nifi paucos, qui ab ftrage gentis fuperfuere, qui poftea vicinorum Italicae et Liburnicae ftirpis populorum mores et linguam adfumfere. Strabo Ideonni et Cottii regnum Liguribus adcenfet; vt potentes olim his locis fuiffe videantur. Antiquiffimum heic populum, ex Phaethontis et Cycni fabulis arbitrere.

II. **CENOMANI.** literis minio pictis; Velf. Cenomani. Graecis *Κενομανοὶ*, *Cenomani*, Galli, Eburouicorum et Aulercorum confanguinei. Cato, apud Plinium, auctor eft, Cenomanos iuxta Maffiliam habitaffe in Volcis, ante quam in Italiam transgrederentur; forfan generis Liguftici; neque enim Galli proprie dicti eam olim plagam tenuere. Polybius, Cenomanos ad Padum, poft Laeuos et Lebecios, confediffe refert. Ptolemaeus eis Bergomum, Forum Diuguntorum, Brixiam, Cremonam, Veronam, Mantuam, Tridente, Butrium, adfcribit; quae non omnia ipforum erant. Ad Clufium eos habuiffe, Polybius tradit.

MESIATES. Velf. MESIATES. Horum non meminit geographia. Eft apud Plinium filua Italiae *Maefia*, quam in Etruria prope Baccanos effe aiunt; quae huc nihil faciat. *Mefiates* hi prouinciae *Mediae*, quam inter Adduam et Athefin fuiffe diximus, incolae inde nuncupationem acceperint, ceterum corporis Cenomanorum populus.

INSVBRES. Velf. INSVBRES. bis ponuntur, atro colore et miniato. Polybio, *Ἴσομβρες, Ifombres*, et *Ἴσομβροι, Ifombri;* Plutarcho, *Ινσόμβρες*,

(a) L. III. c. 24. (b) L. XXXIX. c. 2. (c) L. I. Ital. Ant. c. 11.

Insombres; Straboni, *Ἴνσουβροι*, *Insubri*, et *Σύμβροι*, *Symbri*. Liuio, singulari forma, *Insuber*. Plutarchus, *Ἴσομβροι*, *Κελτικὸν ἔθνος*, *Isombri*, *Celtica gens*. Liuius Heduorum cognatos ait; Polybius, inter Lebecios et Cenomanos, sedes eorum statuit; quod Cluuerius sic vult accipi, vt Cenomani Padum adcoluisse, Insubres mediterranea tenuisse, intelligantur; prout eos Danuille quoque dispo-suit. Tabulae auctor Clisium inter et Nouariam amnes Padi ripae eos admouet.

Trumpli. Vers. TRVMPLI. Plinius: Latini iuris Euganeae gentes, „quarum oppida XXXIV enumerat Cato; ex his Triumpilini, venalis cum agris suis populus; dein Camuni, compluresque similes finitimis attributi municipiis." In tropaeo alpium, TRIVMPILINI itidem Camunis iunguntur. Geographi in valle *Troppia*, inter Melam fluuium et Seuinum lacum statuunt, Cluuerio duce. Est etiam oppidulum *Torbole*, dextra memorati amnis ripa, quod antiquae vocis vestigia seruet. Tabula inter Nouariam fluuium et lacum Larium eos ponit. Euganei erant Venetorum cognati, hoc nomine ab Graecis adfecti, ipsi populari sermone *Slavni* dicebantur, quorum pars Triumpilini, seu, vt Tabula vsu militari eos nominat, *Trumpli* fuere, desides, ipso indice vocabulo, idcirco in haec montana cum Camunis, id est, cognatis, reiecti.

§ IV

Oppida, mansiones

I. TRIA sunt hac regione e Galliis in Italiam itinera, per alpes Penninas, Graias, Cottias; omnia exhibet Tabula; Hodoeporicon bina; Burdigalense vnum. Vbique ad alpes vsque in Narbonensi progressi sumus. Inde quippe initium Italiae duci oportere censemus. Itinere a Mediolano per alpes Penninas Magontiacum, vt Hodoeporicon habet, Tabula *In summo Pennino* XXV M. P. ab Octoduro ponit, quam mansionem ad S. Petri, vulgo *S. Peter*, dextra recentis Dransae, Rhodanum petentis ripa, ad quartum, ante quam summa alpium iuga conscendantur, lapidem omisimus, interuallo ab Martinach oppidulo rite respondente. Sequitur,

Eudracinum. XIII. Vers. *Eudracinum*. XIII. Cluuerius mansionem hanc medio quodam inter M. S. Bernardi maiorem, *le grand S. Bernard*, et Augustam Praetoriam, spatio fuisse, numerum autem XIII superfluere putat. In vtroque falli virum, de Italia veteri praeclare meritum, est citra controuersiam. A fano quippe S. Petri ad S. Bernardi, recta sunt duo mill. geogr. quo interuallo altissima alpium Peninarum iuga intercedunt, vt tria mill. pass. facillime addi queant. Inde vero montis S. Bernardi decliuia, et flexus iuxta *Balteglio* fluuium Italiae, qua et hodie via ducit, omnino quinque mill. geogr. ipso teste Cluuerio, conficiuntur. Danuille, verbis Cluuerii motus, mansionem exmisit.

Phrasi *In summo Pennino* sint decepti, quam non recte ad S. Bernardi, vbi reapse iugum alpium est summum, retulerunt, quod ea mansio in decliuo alpium boreali, prope summas alpes erat, vbi fanum *Penini* dei, teste Liuio, in S. Petri deinde conuersum, stabat. Heic autem viuam *Drance* amnis memoriam habemus, ad cuius exortum fanum aliud fuerit, quod in S. Bernardi postea abiit. Fluuium Dracinum aut Eudracinum veteres dixerint, Tabula teste, quae vna eius nomen seruauit.

Augusta pretoria. XXV. insignia coloniae; sic Vels. Hodoeporicon, *Augusta Praetoria.* XXV. a Summo Penino. Strabo, *πόλιν Ἀὐγούσταν*, *vrbem Augustam*, missis Romanorum tribus millibus, ab Caesare conditam refert. (a) Plinius: Salassorum Augusta Praetoria, iuxta geminas alpium fores, Graias atque Poeninas." (b) Ptolemaeo, *Ἀὐγούστα Πραιτωρία κολώνια*, *Augusta Praetoria colonia.* Augustae, praeter alios, meminerunt Dio Cassius, Solinus, Martianus. Gallis *Aoust*, Italis *Avsta*, *Aosta*, in Duriae maioris et Baltellii confluente. Hodoeporicon via breuiore fuerit progressum, vt pauciora M. P. numeraret; neque tamen Octodurum inter et Augustam L M. P. sufficiunt; nam ductu recto fere sunt decem mill. geogr. queis si iuga montium et viae flexus addis, Tabulam hoc loco nulla ratione abiicere valebis.

II. Apud Augustam exit via per alpes Graias progressa, quam Hodoeporicon quoque, itinere duplici, a Mediolano Viennam, et indidem Argentoratum exhibet, vnica mansione intermedia; Tabula binas habet. In Gallia Narbonensi, iter hoc alpinum persecuti, ad mansionem *In alpe Graia* peruenimus, *Petit S. Bernard* interpretati, Cluuerio Mons diui Bernardi minor audit, in comitatu *Tarantaise* Sabaudiae, finibus ducatus Augustani. Sequitur in Tabula,

Ariolica. VI. sic Vels. in editione, qua vtor, numerus abest. Cluuerius putat, olim *Artolica* in Tabula scriptum fuisse ex eo, quod circiter id interuallum hodie in summa valle *Tuglia* Gallis *Tuille*, vicus occurrit; quae non videantur improbanda. Quamquam vetusta locorum vocabula, nisi certum praesto sit argumentum, ad sonum recentiorum refingere nefas putamus.

Arebrigium. XVI. sic Vels. Hodoeporicon, *Arebrigium.* XXIIII. a Bergintro. Simlero, vel *Areburicum*, vel *Ereburicum.* Cluuerii opinione *Moriago*, hodie *Morges*, prope laeuam Duriae ripam, arbitrantis, in Tabula pro XVI M. P. VI scripta fuisse; sed ibi ponti locus non est, si *brigium* Celtis pontem notare debet; et ipsum *Morges* oppidum, viae maeandris poscentibus, ad X fere lapidem ab *la Tuille* abest. Paullo inferius, inter oppidum *Sala* et vicum *Derbe* est riuus, ab austro per vallem *Grisanch* Duriam petens, vbi simul amnis traiicitur. Est etiam superius *col de Grisance.* Videtur amnis ille, Duriae immersus, aut mons vicinus, *Arae* nomen habuisse. Vtrum autem a ponte

---

(a) L. IV. p. 206. (b) L. III. c. 21.

potius, quam colle, *brig* loco sit nuncupatio indita, non facile decreueris. Pontes enim aliis quoque locis erant, et *brig* nitidissima vox Liburnica, collem significat; tamen heic pontem prae colle accipi malim, vt in fluuio *Ar* aut *Aria* nuncupato, quod sit vetustius Duriae recentis nomen, pontem fuisse intelligamus, a quo mansio fuerit adpellata.

Augusta pretoria. xxv. sic Vess. Hodoeporicon, *Augusta Praetoria.* xxv. itinere vtroque. Interuallum, si chartas consulimus, nonnisi trium mill. geogr. esse videtur; sed viae flexus, qui hodie quoque fiunt, numerum M. P. auxerint. De vrbe Augusta diximus itinere priore.

III. Inde progreditur Tabula in occasum hibernum, Mediolanum versus, comite Hodoeporico, at non pari vbique passu. Neque enim Tabula itinere hoc Mediolanum adit. Nos iter istud Placentiam vsque, vbi viae concurrunt, persequemur, deinde reliqua visuri. Itaque ab Augusta haec sunt Tabulae loca:

Vtricio. xxviii. sic Vess. Hodoeporicon, *Vitricium.* xxv. In Neapolitano, *Vitricum;* Vaticano, *Vitridium;* Rauennati, *Bitricium.* Cluuerius, *Vereggio*, incolis *Verezo*, chartis *Verex*, laeua Duriae ripa, ad confluxum amnis a borea decidentis, vt Danuille quoque Vitricium signauit, laeuo amnis memorati latere; in chartis vtroque notatur.

Eporedia. xxi. Vess. *Eporedia.* xxv. Cluuerius e Tabula xxi legit. Hodoeporicon, *Eporedia.* xxi. Simlero, *Ephoredia*, vel *Eporedia.* Velleio, *Eporedia*, in Vagiennis; nonnullis *Eporaedia*, colonia. Ptolemaeo, *Ἐποϱεδία*, *Eporedia.* Tacitus inter municipia censet. Rauennati, *Eporea*, *Eporeia;* aliis aeui medii scriptoribus, *Hipporegia*, *Eporegia*, *Iporeia.* Hodie vrbs *Ivrea*, ripa Duriae laeua. Danuille biuium heic notat, cuius pars Augustam Taurinorum, pars Vercellas progreditur; prior in Hodoeporicis et Tabula desideratur. Pergit haec:

Vergellis. xxxiii. sic Vess. Hodoeporicon, *Vercellis.* xxxiii. Plinius: *Vercellae Libicorum ex Sallyis ortae.* Tacitus municipiis adnumerat. Eadem forma D. Hieronymus, Paullinus, alii vtuntur. Nonnulli posteriorum *Vercellis* vt monoptoton acceperunt. *Vercelli* vrbs est, ripa Sessitis dextra in confluxu Ceruí et Elui amnium. In Homannianis octo mill. germ. censentur; apud Danuille rectius M. P. xxx.

Cuttias. xiii. insignia municipii; sic Vess. Hodoeporicon, itinere a Mediolano Arelate, per alpes Cottias, *Cottiae;* in Regio, *Guttie.* Burdigalense, *mutatio ad Cottias.* Surita vult, Strabonem Cottii oppidi meminisse; verum is *τὴν Κοττίου γῆν*, *Cottii terram* memorat, Wesselingio recte obseruante. Nunc vicus *Cozzo*, ad canalem apud Vercellas Sesiae mixtum.

Laumellum. xii. sic Vess. Hodoeporicon, *Laumellum.* xxiii. Burdigalense, *mansio Laumello.* xii. Ptolemaeo, *Γάυμελλον*, *Gaumellum*, pro *Λάυμελλον*, vt Cluuerius idonee animaduertit. Est oppidum *Lumello*, dextra Gognae

fluuii ripa. Hodoeporici numerus denario abundat. Laumellum ad Nouariae amnis traiectum recte ſtatuit Tabulae auctor, ipſo oppido, quod Vercellas inter et Mediolanum erat, non ſignato, quod eam non tenebat viam. Hodoeporico Nouaria a Vercellis XVI. a Mediolano XXXIII. M. P. In marmore Ligoriano, NOVARIAE COL. NOVARIENS. de cuius fide ſubdubitat Weſſelingius. Tacitus municipiis transpadanae regionis adcenſet. Seruat nuncupationem.

Ticeno. XXI. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Ticinum.* XXII. Occurrit alio quoque itinere, per alpes Cottias Viennam, item a Vercellis Laude. Burdigalenſe, *mutatio Duriis.* VIIII. *ciuitas Ticeno.* XII. Ticini fluminis Polybius mentionem facit, non item oppidi. Plinius, Leui et Marici condidere Ticinum, non procul a Pado. Tacitus frequens meminit vrbis, quam iure municipii gauiſam, lapis apud Cluuerium oſtendit. Is Durios vicum *Dorno*, hodie *Adorno*, dextra *Terdoppia* amnis ripa, eſſe credit; Danuille ſiniſtra poſuit. Ticinus fluuius antiquum nomen conſeruat, vrbs *Pavia* vocatur, laeua Ticini, prope effluxum, ripa; Danuille dextra, Tabulam ſecutus, collocauit. Eſt via ab Ticino Mediolanum, quam Tabulae auctor non ſignauit, quia tum fortaſſe non exſtabat.

IV. Lambrum. absque numerali nota; ſic Velſ. Lambrum heic fluuium indicari, Cluuerius quoque obſeruat, ſed viam cum manſionibus negligit; quare Danuille quoque praeterit. Olim haec via in deſuetudinem abierit, quod Itineraria Ticino Mediolanum, inde Placentiam petunt. Si locorum ſeries, vt videtur, bene habet, numerus XX. ad Placentiam traiectus, huc ſpectabit; tot enim ſunt ab Ticino ad Lambri exitum M. P. adcurate. Vicus *Allarene*, ripae exeuntis fluuii laeuae adſitus, manſioni antiquae reſpondeat.

Quadrata. absque numero; ſic Velſ. Si eſt oppidulum *Guardameglio*, vt ſuſpicari licet, numerus VII. qui ſequitur, huc pertinebit, a Placentia ad tertium fere in boream lapidem remotum indicans locum. Notatur quidem in Tabula ductus viae dextro Padi latere; ſed laeuo eam proceſſiſſe, cum Lambrus fluuius, tum poſtea Padus oſtendunt.

Ad padum. VII. ſic Velſ. Numerum hunc ad praecedentem ſpectare manſionem, paullo memorauimus ante; heic autem III aut II M. P. notari oportuiſſe, viae ratio innuit. Manſionis antiquae locum tenet oppidulum *Caroſſa.*

Placentia. XX. inſignia coloniae; ſic Velſ. Numerus hic Ticinum inter et Lambrum olim poſitus fuerit, vt ſupra dicebamus. Placentia quippe ipſi ripae Padi adſtituta eſt; vt menſuram alio ſpectare, quisque facile intueri queat. Auctor Tabulae vrbem in laeua ſtatuit; ſed in aduerſam referri debere, manſio *ad Padum*, hodie oppidulum *Caroſſa*, clare monſtrat. Proinde alia ſectione de vrbis antiquae memoria differemus. Comum adire libet.

V. Danuille, Hodoeporicon ſecutus, vnam ab Como Mediolanum viam ſignat, ex Rhaetis deriuatam; Tabula binas habet: a Como per Bergo-

num, ſub alpibus, Veronam, alteram a Como Mediolanum. Illam prius exſequi libet. Itinere Rhaetico, ab Clauenna, ſic habetur:

Como. XVIII. absque inſignibus; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Como.* XV. ab Summo lacu. Plinius: Orobiorum ſtirpis eſſe Comum atque Bergomum, et Licinii forum, et aliquot circa populos, auctor eſt Cato." Iulius Caeſar nouos colonos addidit, vnde *Nouocomenſes* dicti, quod vocabulum prodidit Cicero. Appianus, *πόλιν Νεώκωμον*, *vrbem Neocomum*, Plutarchus incolas *Νεοκωμίτας*, *Neocomitas*, nuncupant. In lapide veteri, curat. REIP. COMENS. Alumnus vrbis Plinius iunior. *Como* et hodie vocatur. De numero XVIII. huc a Mediolano transpoſito, et XXXV. qui eo itinere comparet, iſthuc ſpectante, in Rhaetia dictum.

Bergomum. absque numero; ſic Velſ. Idem numerus XXXV. Mediolanum verſus occurrens, incuria ſcribarum poſteriorum eo translatus, huc quoque ſpectet. Sunt enim in tabella adcuratiſſima Galliae cisalpinae Danuillei, a Como Bergomum XXXV M. P. Burdigalenſe, *ciuitas Vergamo.* XII. a Ponte Aurioli, itinere a Mediolano, quod eſt oppidum *Pontiralo*, ad Brembanae cum Adda confluentem. Orobiorum ſtirpis Bergomum eſſe, paullo ante ex Plinio intelleximus. Trogi epitomator Iuſtinus, *Vergamum*, vt in vulgatis, dixit; ſcripti *Bergomum* habent. Inſcriptiones antiquae, curator. REIP. BERGOM. item BERGOMI patrono. Si Cluuerium audis, Celticae originis, ſeu Gallicae, (idem enim ipſi eſt) Orobios et Bergomates eſſe videbis. Ait enim, Orobios Graecis dictos, ab ὄρος et βίος, monte et vita, quod in montibus degerent, *Berghom* autem et *Bergham*, a *berg* et *home*, Anglis et Friſiorum nonnullis, idem ſignificaret. At vero hi Orobii, Ὀρόβιοι, ante omnem Gallorum memoriam, iſthic colebant, pars Euganeorum veterum, qui aeque ab Graecis eam nuncupationem accepere; qui vt idcirco graecae ſtirpis dici nequeunt, ſic neque Orobii, Germanis *Berghomi*, vt Cluuerius vult, adpellati, graecae aut germanicae originis eſſe poterant; vtpote omnem iſthic Celtarum memoriam vetuſtate excedentes. Neque Celtas cum Gallis recte committit Cluuerius, vtqui a principio diuerſae ſtirpis et linguae fuerunt; qua de re opere de Iſtro vberius actum. Seruat nomen vrbs *Bergamo*, Brembanam inter et Serium fluuios, vbi proxime ad ſe ſe accedunt, bis mill. paſſ. a poſteriore in occaſum.

Leuceris. XX. ſic Velſ. Burdigalenſe, *mutatio Tollegatae.* XII. *mutatio Tetellus.* X. Diuerſam heic indicari viam, ipſa oſtendunt nomina. Cluuerius, *Tollegatas*, *Talgat*, *Telgat*, hodie *Tilgato*, prope Ollium, Tetellus *Baitella*, hodie *Betoli*, eadem regione, interpretatur, addens, numeros vtrobique eſſe falſos, quod Bergomum inter et Brixiam omnino M. P. XXX intercederent. Danuille, numeros ſecutus, illud apud Ollium, hoc in mediterraneis, circiter oppidulum *Rovato*, ſtatuit. Duplex eſt a Bergamo via, vna directe *Iſeo* verſus, inde Brixiam tendit; altera in auſtrum, verſus *Vrgnano* vicum deflectens, eodem

proficifcitur, longior nonnihil priore. Hac ad xx lapidem occurrit vicus *Bettoli,* prope dextram Ollii ripam, in cuius aduerfa *Palazzuolo;* circiter quae loca Leuceras quaeri oporteat. Cluuerius: Tabulae ifta vox *Leuceris* quid fibi velit, aut cuius loci nomen fuerit, plane difpicere nequeo; quando numeri tam vehementer corrupti funt; nec vllum adfine vocabulum in aliquo locorum huius tractus exftat." Sed tot feculorum decurfu nomina manfionum mutari, nihil mirum; numeri autem vtrobique bene habent. Nam fecundum Danuillei rationes, recta procedenti funt XXXII M. P. neutra autem viarum veterum rectam tenebat; et auftrali hac, quam Tabula fequitur, a vicinia *Bettoli* ad Brixiam funt fere mill. germ. fex, feu M. P. XXX. quot in Tabula notantur. Danuille vocis cognatione ductus, fuperiore lacus Seuini parte *Leuceris* ftatuit, oppido *Lover;* quod eft extra viam et orbitam.

VI. Brixia. XXXV. fic Velf. Burdigalenfe, *ciuitas Brixia.* X. Plinius, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro. Liuius, Brixiam caput gentis effe ait. Catullo, Brixia Chinaeae fuppofita fpeculae. In epigraphis antiquis, Tridenti, C. Valerius Marianus, decurio BRIXIAE. in domeftica, L. Lucretius Erafmus, fexuir Aug. BRIX. Eft *Brefcia*, ad *Garzo* fluuium, prope Melam, qui tefte Catullo, vrbem percurrebat olim.

Ariolica. XXXII. fic Velf. Cluuerius, oppidum *Pefchiera*, ad exitum Mincii ex Benaco, effe putat, ex lapide veteri, in quo collegii nauiculariorum ARDELICENSIVM fit mentio; vnde vetus nomen loci Ardelicam fuiffe, et in Tabula *Artelicam* legi oportere, arbitratur. Danuille, fententiam amplexus, *Ardelica*, eo fitu ponit. Cellarius cum his colluctari noluit. Et interuallum quidem Pefchierae non male conuenit, vocis autem Ariolicae in Ardelicam aut Artelicam conuerfionem non probo. Poterat enim aut manfio haec inferius ad *Ponti* vicum effe, aut ipfa Ardelica fitu alio confiftere, (neque enim Pefchierae cum Ardelica quidquam cognationis intercedit) et, vt hodie *Rivalta* locus ad Mincium, fic olim *Ariolica*, vfu militari dici; feu *Pefchiera*, fiue *Ponti*, feu, quod propius vero putem, *S. Lionce*, laeua Mincii ripa, effe velis.

Verona. XIII. infignia coloniae; fic Velf. Burdigalenfe, *manfio ad Flexum.* XI. *mutatio Beneuentum.* X. *ciuitas Verona.* X. Illud Cluuerius *Bidizzoli*, ad ramum Cleufii, verfus oppidum Lonacum; Danuille, ripa Cleufii laeua, circiter pontem S. Marci; ego ex interuallis, ipfum *Lonatum*, *Lonato*, oppidum, effe puto; hoc Cluuerio fufpectum, quod notiffimam Samnitium vrbem praeferre videretur, idcirco reiectum eft; quod Weffelingio iure difplicuit. Interuallum ad *Monzambano* oppidum, laeua Mincii, ducit, prope *S. Lionce*, qua Tabula fit progreffa. Veronam Plinius Rhaetorum et Euganeorum fuiffe ait. Catullus, de patria fua: *Brixia Veronae mater amata meae.* In arcu vrbis gemino legitur, COLONIA AVGVSTA VERONA GALLIENIANA. et infra, muri VERONENSIVM fabricati. Euganei, qui vrbem condiderunt, ab fitu

elatiore *Veronam* dici voluere. Perſtitit vocabulum ab antiquiſſimis inde temporibus ad noſtram vſque aetatem.

Apud Veronam concurrunt praeterea tres viae, vna ex Rhaetia, Tridento, altera Patauio, et Concordia, tertia ab Rauenna; in hac poſtrema eſt manſio Hoſtilia, huius regionis extrema, quae in Tabula ſic exprimitur:

a uerona Hoſtilia Milia paſſus. Hoſtilia. XXXIII. Velſ. *Auerona Hoſtilia Milia paſſus.* XXXIII. Hodoeporicon, *Hoſtilia.* XXX. itinere a Verona Bononiam. Plinius: *Hoſtilia vicus adluitur Pado.* Tacitus vicum Veronenſium vocat. Eſt oppidum *Oſtiglia*, laeuo Padi latere, ex aduerſo *Revere* vrbis. Heic finis erat Venetorum, cispadanae item et transpadanae regionis.

VII. Supereſt iter a Como per Mediolanum Mantuam, ex Rhaetia ducens, quod Hodoeporicon Mediolanum vſque ab Como vno dumtaxat loco exhibet, ſed per Mediolanum frequentius transit. Tabulam praemittere libet.

Mediolanum. XXXV. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Mediolano.* XVIII. Weſſelingius Tabulae numerum iuſto maiorem, Hodoeporici iuſto minorem eſſe ait; quod Mabillonius eas vrbes XXV M. P. interuallo diſtare perhibeat. Hoc interuallo etiam Danuille disiunxit vrbes; quae in chartis recentioribus non niſi tribus mill. geogr. et tribus quintis ab ſe ſe recedunt. In Tabula numeros eſſe permutatos, XXXV ad Comum ſpectare, et qui ibi notatur, XVIII iſthuc referri debere, iteratis monuimus vicibus. Vrbem Hodoeporicon frequentius recitat, in primis ductis ab ea itineribus: A Mediolano per Picenum et Campaniam ad Columnam; a Mediolano Arelate, per alpes Cottias; a Mediolano per alpes Graias Viennam; a Mediolano per easdem alpes Argentoratum; a Mediolano per alpes Penninas Magontiacum. Itinere ab vrbe Roma Aquileiam, *Mediolanum ciuitas.* Burdigalenſe, *ciuitas Mediolanum;* vbi auctor, peregrinatione Hieroſolymitana peracta, Itinerarium finit. Liuius, Pliniusque, ab Inſubribus conditum ferunt; ſcilicet, quod in transalpina homonymon oppidum noſſent. Sed ante omnem heic Gallorum Celtarumque famam vrbes erant, ab indigenis conditae; et ab Gallis rationem Italiae mutuari ſic pudet, quemadmodum ab Graecis, dicebat Plinius. Vrbs erat fluentis *Olanae* circumdata, hodie Lambrum quoque ab occaſu vicinum habet; Liburni lingua ſua ſitum, inter fluenta *Olanae*, adcurate expreſſerunt. Nullius aduenarum gentium idioma hunc vrbis ſignificatum exprimit. Polybio *Μεδιόλανον*, *Mediolanum*, praecipuus Inſubrium locus; Tacitus firmiſſimis transalpinae regionis municipiis adcenſet. Superat breuiatum nomen *Milano*, Germanis vitioſe *Mailand;* vt vel inde de conditoribus arbitrere.

Laude pompeia. XVI. Velſ. *Laude Pompeia.* XVI. Hodoeporicon, itinere ab vrbe Roma, *Laude ciuitas.* XVI. itinere ad Columnam, a Mediolano *Laude ciuitas.* XVI. itinere a Vercellis, *Laude.* XXIII. ab Ticino. Burdigalenſe, *mutatio ad Nonum.* VII. *ciuitas Laude.* VII. Weſſelingius addit, bina M. P. deeſſe,

vt interuallum et loco nomen conſtet. Verum id neceſſum non eſt; quod vrbe tum late petentibus vicis ampliata, vnum mill. paſſ. auctor neglexit; eſſe autem *Melignano*, amplius decem mill. paſſ. remotum, nequit; a quo *Lodi vecchio*, laeua Lambri ſitum, v M. P. abeſt, vbi et Cluuerius Laudem exſtitiſſe putat, Danuilleo probante, ſed ad xxi a Mediolano lapidem minus recte. Plinius: *Boii trans alpes profecti Laudem Pompeiam condiderunt.* Verum ea id cognominis ab Cn. Pompeio Strabone, Magni patre, accepit, geographo Strabono et Aſconio Pediano teſtibus. Cluuerius, quod nomen, inquit, Boii oppido indiderint, haud facile quisquam dixerit. Forſan Boii vrbem, ante exſtantem, a fluuio nuncupatam, cycni vocabulo, (Liburnis *labud*) occupauere. Idem quippe, quod de Mediolano dixi, de aliis quoque vrbibus intelligito, demtis paucis, quas ſuo dicemus loco. Lapis a Mediolano nonus apud oppidulum *Viboldono*, prope dextram Lambri ripam, exſtiterit, Danuilleo praeteritus.

VIII. Ab Laude Pompeia duplex iter eſt, Placentiam vnum, alterum Cremonam; in illo xx M. P. in Velſeri editione deſunt, Cluuerius exprimit; ducunt ad Padum, vbi *Caroſſa* oppidulum, quod manſioni *ad Padum* reſpondere diximus. Hoc itinere in Burdigalenſi, eſt *mutatio tribus Tabernis.* viiii. *mutatio ad Rota.* v. *ciuitas Placentia.* xi. Cluuerius Tabernas ad iii ſupra *Zorleſco* caſtellum, Rotas ii infra illud mill. paſſ. exſtitiſſe putat; in chartis recentioribus, priori vicus *Borgetto*, poſteriori *Monticello*, vterque laeua Lambri ripa, reſpondent. Danuilleo, 3. *Tabernae*, ſitu oppidi *Sacognano*, a ripa remoti, quod vix ad ſeptimum lapidem eſt; Rotas omiſit. Poſteriorem viam vna ſeruauit Tabula, hoc ordine:

Acerras. xxi. Velſ. *Acerras.* xxii. Antiquus locus, Polybio, Straboni, Plutarcho, Zonarae, Stephano, memoratus; huic *Ἀχέῤῥαι*, *Acherrae*, geminata canina; Plutarchus *Ἀκέῤῥας*, *Acerras*, Polybius *Ἀχέρας*, *Acheras*, dixere; Zonaras *Ἀκέρας*, *Aceras*, ſimplice. Strabo, *Ἀκέρων*, *Acerarum* oblique meminit. Aliae erant Acerrae in Campania, quas Maro, Plinius, alii, adferunt. Cluuerius vicum *Gherra*, hodie *Ghiera*, dextro Addae latere, ex aduerſo *Picighiton* oppidi, Acerras fuiſſe, recte adſerit; ſed cum Tabulam noſtram circiter A. C. ccclxv. Valentiniano et Valente Impp. compoſitam adſerit, patronos dicti ſui nos non habet.

Cremona. xiii. absque inſignibus; ſic Velſ. Polybius, *Κρεμώνην*, *Cremonam* coloniam vocat; Liuius: *Coloniae deductae in agro de Gallis capto, Placentia et Cremona.* Iunioribus *Κρεμὼν*, *Cremon*, oblique *Κρεμῶνα*, *Cremonem.* Ptolemaeo *Κρέμωνα κολώνια*, *Cremona colonia*, more Latinorum; ciues Cremonenſes. Vrbis praeterea meminerunt, Virgilius, Paterculus, Plinius, Silius, Tacitus, Plutarchus, Appianus, Dio, Aur. Victor; quorum teſtimonia Cluuerius adfert; ſed Itineraria Romana, vt ipſe ait, non meminerunt vrbis, praeter vnam Tabulam. Seruauit nomen integrum *Cremona*, laeua Padi, in canalis *Naviglio dell' Oglio* confluente.

De Loriaco. XXXII. Vesf. *De Loriaco.* XXXII. Olim *Bedriaco* in Tabula scriptum fuisse, recte obseruat Cluuerius, numeris quoque id poscentibus. Plures veterum meminere loci, sed ratione diuersa; vt in Tabula vitium non mirere; quamquam vsu militari *Loriacum*, ab Ollio flumine, in cuius cum Cleusi confluxu *Caneto* oppidum, cui Bedriacum adscribit Cluuerius, consistit, nuncupari potuit. Danuille ab dextra Ollii ripa remouet, circiter oppidum *Sabionetta* Bedriacum statuens. Hodie via per *Caneto* ducit, et mensura loco respondet. Plutarcho, τὸ *Βητριακὸν*, *Betriacum;* Iosepho Flauio *Φρηγδιακὸν*, *Phregdiacum;* Tacito *Bedriacum;* Eusebio; in Chronico, *Vetriacum;* apud veterem Iuuenalis scholiasten, *Bebriacum.* Pompeius Planta, Tacitus, vicesimo ab Cremona lapide fuisse aiunt; Plutarchus CL stadiis; Tabula M. P. XXII. quae mensura est adcurata. Danuillei Bedriacum ab Cremona recedit XXIII M. P. vt dubia sit eius positio.

Mantua. absque numero; sic Vesf. Itineraria, quod Cluuerius ait, Mantuae non meminerunt, sed scriptores, Maro, Liuius, Strabo, Plinius, Silius, Statius, Ptolemaeus. Graecis *Μάντουα*, *Mantua*, sic etiam Latinis, constanter. Seruius, in Virgilium, a Thebanis conditam, deinde Thuscis habitatam, nouissime Gallis, refert; Maro, cuius patria fuit, vrbem a nomine Mantus, Tiresiae vatis Thebani filiae, dictam canit. Vocabulum id Liburnis nouercam significat, quod amni olim fuerit proprium. Flumina quippe apud Illyrios sunt generis feminei, vt Plinius *duas Durias* nuncupauit; quod *voda*, seu aqua, intelligitur, quae est formae eiusdem. Seruat nomen Mantua, intra Mincii amnis fluenta, situ palustri consistens, quinque mill. germ. ab Caneto remota, Illyriis *Mandava.* Danuille a Bedriaco suo XXI M. P. reducit.

Hostilia. XI. Vesf. *Hostilia.* absque nota numerali. A Mantua directe Hostiliam non nisi quatuor mill. geogr. censentur, vt Danuille quoque signauit; proinde auctor Tabulae in exortum processisse videtur, versus *Legnago* oppidum, cum in viam a Verona ducentem, circiter vicum *villa Borghesiana* dictum, incideret, per quam ad Hostiliam vsque processit.

IX. Residua est pars itineris ab Arelate, per alpes Cottias, Augustam Taurinorum, sed ripa et regione Padi dextra, cum aduersam teneat. In Hodoeporico est iter duplex per alpes has, vnum a Mediolano Arelate, alterum a Mediolano Viennam. Cum Tabula progreditur Burdigalense, in quibus hae sunt mansiones. In alpe Cottia. VI. a Brigantione; inde vero,

Gadaone. V. apud Scheibium Cacnone. mediis attritis. Burdigalense post Matronam montem, hodie *M. Genevre*, et vicum *Chapelle*, vbi mansio *In alpe Cottia*, habet, mutatio *Gesdaone.* X. Rauennati, *Gessabone.* Cluuerius *Σκιγγόμαγον*, *Scingomagum* Strabonis, et Plinii, huc pertinere putat; Honorius Bouche Segusionem vult accipi; sed Plinius Segusionem et Vibii Forum seorsim nominat. Nos Scincomagum Artemidori, Strabonis, Plinii, Senomagum Tabulae, *S. Pauli*, ad Rhodanum sumus interpretati, mensura DXVIIII M. P. a

Plinio, quater mille centum quinquaginta duorum ſtadiorum ab Artemidoro apud Strabonem relata, eo adcurate a Roma pertingente; quod viros doctos non obſeruaſſe mirum videri queat. Recte autem Geſdaoni oppidum *Seſanne*, hodie *Sezane*, reſpondere monet Cluuerius, Weſſelingio et menſura adſtipulante. Danuille, *Gadao* laeua, Scincomagus dextra, Duriae recentis ripa.

Martis. VIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Ad Martis.* XVIII. a Brigantione; itinere Viennenſi XVIIII. quem cenſum Tabula probat. Ammianus, alpium iugis memoratis: A ſummitate, inquit, huius Italici cliui planities ad vſque ſtationem nomine Martis per VII extenditur millia; et hinc alia celſitudo erectior, aegreque ſuperabilis, ad Matronae porrigitur verticem." Burdigalenſe, *manſio ad Marte.* IX. Cluuerius, ex interuallo, *Orſi* oppidum, Gallis *Ours*, chartis *Oula*, dextra Duriae recentis, eſſe arbitratur; cui Danuille accedit, *ad Martem* eo ſitu notans.

Seguſione. XVII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Seguſione.* XVI. Burdigalenſe, *Secuſſione.* XVI. in notis, *Seguſione.* Plinius, *Seguſio;* Ptolemaeus, *Σεγούσιον*, *Seguſium;* Ammianus, *Seguſio;* Paullus Diaconus, *Secuſio;* in quibusdam Hodoeporici exemplaribus, *Reguſione.* In marmoribus, CIVITAS SEGVSINA. item, ordo ſplendidiſſ. CIVITATIS SECVSINAE. apud Cluuerium, MVNICIPI SEGVSINI. Incolae Ptolemaeo *Σεγουσιανοὶ*, *Seguſiani.* Nomen vrbi *Suſa*, dextro Duriae latere, vtrum ab Celtico *Segethuns*, *Segethuſen*, ab amne *Sege*, vulgo *Semar*, quod Cluuerius vult, id nominis acceperit, iure ambigas; quod Seguſium, regni Cottiani caput, gentis Taurinorum, originis Liguſticae, erat, Strabone teſte; quos ab Celtis aduenis veteres gnaue diſtinguunt. Scincomagus Plinii huc referri nequit; quod ſcriptor oppidum hoc ab Seguſione diſtinguit, et numeri ab eo proditi ad Rhodanum ducunt; nam ab vrbe Roma Seguſionem ſunt CCCC M. P. cum Plinius ad Scincomagum DXVIIII eſſe dicat.

Finibus. XXII. Velſ. *Finibus.* XXII. Hodoeporicon, *Fines.* XXIII. itinere Viennenſi XXIIII. Burdigalenſe: *Inde incipit Italia*, *mutatio ad Duodecimum.* XII. *mutatio ad Fines.* XII. Lapidem octauum ait Cluuerius, oppido *Rivoli*, Fines vero *Avilianae*, chartis *Veillane*, cognomine, reſpondere. Minus quidem interuallum id eſſe videtur, quam vt numeri rite disponi queant; ſed plaga montana, et flexus viae, diſtantiam augent. Cluuerii ſententiam Bouche, Weſſelingius, Danuille, ſequuntur. Initium Italiae apud auctorem Burdigalenſis Itinerarii vulgo accipi intelligito; Fines autem regni Cottiani, vt recte viri docti obſeruarunt. Cluuerius, cum regnum Cottii alpium iugis coercet, non ſibi conſtat; ſiquidem caput regni adſerens Seguſionem, quae extra illa clauſtra ad XXX in exortum lapidem ſita erat, fines regni memorati vltra alpes producit.

Auguſta Taurinor. XVIII. inſignia vrbis. Velſ. *Auguſta Taurinorum.* XVIII. Hodoeporicon, *Taurinis*, XVIII. Cuſani codex X. itinere Viennenſi XVI. Burdigalenſe, *mutatio ad Octauum.* VIII. *ciuitas Taurinis.* VIII. Polybius et Liuius narrant, praecipuam Taurinorum vrbem ab Hannibale captam, neque

tamen eam nominant. Appianus, *Ταυρασίαν*, *Taurasiam*, Stephanus *Ταυρανίαν*, *Tauraniam*, vocant. Poſtea Auguſta Taurinorum eſt nuncupata; vnde Ptolemaeo *Αὐγοῦστα Ταυρίνων*, *Auguſta Taurinorum;* ſic Plinio, Tacito, aliis. Rauennati, ciuitas, quae dicitur *Staurinis*. In marmore antiquo, curat. REIPVBLIC. AVGVSTAN. TAVRIN. Annales *Taurinum* praeferunt; chartae veteres, *Taurini*, *Taurinis*. Italis *Torino*, *Turino*, Gallis *Turin*, in Duriae minoris et Padi confluente. Ex hoc Tabula cum Hodoeporicis dextra Padi regione progreditur, vt in Liguria viſuri ſumus. Scriba Velſeri, viam ab Auguſta Eporediam ducit, quae apud Scheibium non comparet. Et hactenus quidem de Italia transpadana dictum eſto.

S E C T I O II

V E N E T I A

§ I

Nuncupatio, *fines*.

I. REGIO haec transpadana, etiam Tabula teſte, dicebatur ante, quam Venetiae inualuiſſet nomen; id autem longe recentius factum, quam Tabulae ſit aetas, circiter tempora Conſtantinorum. Straboni quidem *Οὐενετική*, editis *Ενετική*, *Henetice*, ager Venetorum audit, Ptolemaeo *Οὐενετία*, *Venetia;* ſic Liuio, Paterculo, Floro; ſed id vocabuli prouinciae ſignificatum non obtinebat ante tertium ſeculum Chriſtianum. Notitia imperii duplicis Venetiae facit mentionem, inferioris quidem exerte, vt etiam ſuperiorem fuiſſe intelligamus. In marmore Neapolitano, M. Maecius Caecilianus, corrector VENETIARVM ET HYSTRIAE legitur. Procopius, Iornandes, *Venetias* pluratiue nuncupant. Erat tempus, quo haec omnis regio, Adduam vſque, nomen Venetiae obtinebat; Paullus Diaconus: *Venetiae terminus a Pannoniae finibus vſque Adduam fluuium protelatur*. His finibus regio Italiae decima, Auguſti inſtituto, continebatur.

II. Tabula Iſtriam nouit, quae ab antiquis reipublicae temporibus prouinciae iura retinuit, ISTRIA nuncupata; reliquum a Formione in occaſum regioni transpadanae adcenſum erat. Nobis agrum vniuerſum, quem Veneti, Carni, Iſtri tenuere olim, ab Atheſi et Hoſtilia, Venetiam adpellare placuit; etſi cognomen hoc Tabulae aetate ſit poſterius, et Iſtria prouinciae dignitatem vltro retinuerit. Omnis autem regio haec inter alpes et ſinum Adriae, ab Atheſi ad Ocram montem et fluuium Arſiam explicatur, inter grad. longit. 29 et 32.

latit. 44 et 46 min. 40. Longitudo regionis ab Hoſtilia et flexu Atheſis auſtrali, ad Ocram et Arſiae fontes, M. P. CLXXX. latitudo, a promontorio Polatico ad confluxum Glanis et Draui, CXX. Danuille in chartis ſuis Veronam Venetorum, Aemonam Carnorum finibus, non recte comprehendit; cum illam Euganeorum, hanc Pannoniorum fuiſſe ſciamus. Harum partium geographiam ſingulari calamo, ad guſtum recentiorem, conſcriptam habemus; quapropter heic Tabulam modo cum Hodoeporicis explorare libet.

§ II

Montes, fluuii, lacus, inſulae, portus.

I. ALPIVM tractus ſingularis in Tabula comparet, quinque vncias cum ſemiſſe longus, ex quo inde Iuuauis, hinc Meduacus, Liquentia, Tilauentus emergunt. Hunc tractum nouit Polybius, cum alpes ad intimum Adriae ſinum ſpectare, easque Tauriſcos et Agones incolere ait: *τοὺς δ' ἐπὶ τὰ πεδία Ταυρίσκοι καὶ Αγῶνες, καὶ πλέιω γένη βαρβάρων ἕτερα, ab altera* (alpium parte) *Tauriſci et Agones, et aliae gentes barbarae*, degunt. Strabo Apenninum vocat: Supra Carnos ſitus eſt, *τὸ Απέννινον ὄρος, mons Apenninus*, ex quo Iſarus, Atheſis, Atagisque exeant. Partem huius Tullum et Phlygadiam eſſe refert, ex quibus Duras, Glanes, et alii minores fluuii orti, Danubium petant. Alii Noricas, Carnicasque alpes nuncupant, vt alias dicebamus; quarum nomen vſque hodie in chartis notari ſolet, vulgo *Taurn*, ab incolis veteribus Tauriſcis, dictae. Atheſis ſurgit in Tridentinis, ſeu Rhaeticis, teſte Plinio, qui hodie mons *Brenner* audit; Medoacus ex eadem regione Tridentina prodit; Liquentia et Tilauentus e Carnicis. Haec alpium vocabula praeter caeteros Plinius nouit.

II. Alius minor tractus, ſesqui vnciam longus, exprimitur, qui amnem Frigidum emittit; hodie *Dull*, eique vicinus *Nanas*, pars Ocrae veteris, cuius Strabo et Ptolemaeus mentionem faciunt. Nonnulli alpes Iulias dixerunt, vt Tacitus, qui eas Rhaetiae iungit. Poſterius id nominis amplius inualuit. Tabula inter Longaticum, et manſionem ad flumen Frigidum, habet, *In alpe Iulia.* Burdigalenſe, ad XXXV ab Aquileia lapidem, *Inde ſunt alpes Iuliae.* Hodie quoque geographi Carnici hoc nomine iuga haec alpium inſignire ſolent.

Paullo inferius mons ſesqui vnciam longus viſitur, ex quo Sauus effluit, quas alpes Carnicas vocat Plinius. Oportebat eum ſupra Iulias poni; ſed ſtructura operis id non admiſit. Montes, qui Sauum emittunt, ad fontem borealem *Mounik*, ad auſtralem *Scoinacs*, audiunt; vt Haketus in mappa notauit; nam in vulgaribus chartis haec vocabula in caſſum quaeſieris.

Supra Iſtriam, ad Arſiae fontes, vnciam patet mons, qui Strabonis Albium, Ptolemaei Albanum, ſignificet, ex quo ille Colapim deriuat. Iuga

alpium, ab *Nanas*, seu Ocra et Lugeo lacu, in exortum, sunt *Javornik*, *Pluka*, et inde *Piuske planine*, *Shishnik*, *Jarmovicz*, sub quo Kupa oritur a borea, *Rieka* ab austro; hic Liburnorum, ille Pannoniae amnis. Pars alpium, in sinum Flanaticum propendens, *Planik*, *Utska*, *Caldiera* vocantur, ex quorum iugis Formio, Quietus, et Arsia deriuantur.

III. Fluuiorum primus est Athesis, quem apud Rhaetos memorauimus; deinde sunt Brintesia, Meduacus, Liquentia, Tilauentus, Sontius; Frigidus, Timauus, Quietus, Arsia; quos ordine recensere libet; ostia Padi in cispadana referemus.

fl. Meduacum. Velf. Fl'. Meduacum. Straboni, *Μεδόακος*, *Medoacus*; Plinio, *Medoaci duo*, scilicet maior et minor, vt geographi interpretantur, Tabulae auctoritate ducti, in qua ad XIX ab Altino lapidem, Maio Meduaco. VI. Mino Meduaco. quos *Brenta* et *Brendola* iuniores credunt. Cluuerius, minorem Meduacum, *Bachiglione*, seu *Bacaion*, accipi vult, qui alueo distincto in mare fertur, cum priores bini confluant. Danuille vario modo signat fluuios, nunc seorsim manantes vsque ad mare; nunc binos Meduacos superne alueo nexos; nunc maiorem solum, minorem Togisono iunctum. Chartae recentiores typo Cluuerii, qui amnes vidit, respondent, in quibus Meduaci coeuntes, Togisonus distincte fluens, comparent.

fl. Brintesia. sic Velf. Cluuerius ait, Brentam designari, nemini esse dubium; sed auctor Tabulae ex Pado in mare deducit amnem, qualis hodie quoque a Molino ad *Bebe* vicum conspicitur, apud Brondola portum cum *Bagliona* seu *Bachiglione* effluens. Proinde, fluxu quidem Plinii Togisonum indicari putem, nomen autem ad Meduacos referri, *Brentesia* vulgo nuncupatos, vt Cluuerius quoque censebat. Tabula enim ab iis, qui vltimum eam procudebant, misere habita, Athesin, Meduacum, et Liquentiam, in Padum deducit, seu errore scribarum oscitantium, seu reapse ita compendii causa notare volentium, id factum censeas. Secus enim haec manifesta sphalmata, in monumento Romano, Principum auctoritate constructo, explicari nequeunt. Quippe cum vniuersus orbis Romanus, pedem dumtaxat lata Tabula, ab occasu in ortum procurrere cogatur, necessum erat, complura longe alio, quam sint reapse, statuere loco.

fl'. Licenna. Velf. Fl'. Licenna. Plinius, flumen *Liquentia*, ex montibus Opiterginis. Est is *Matognia*, apud Cenedam ortus, in alueis Liquentiae minimus; alter *Meschio*, in *Serra* valle, paullo superius surgens; praecipuus autem *Celina*, in Carnicis ortus; hi simul iuncti efficiunt alueum *Livenza*, *Lavenza*, nuncupatum, qui olim vulgo *Licenna* audierit, ex quo Latini Liquentiam fecerunt; quod Seruio dedit occasionem, fluuii nomen in metris Virgilianis inuestigandi, vbi *liquentia* flumina epitheton citra controuersiam est, substantiuo, vt dicimus, coniunctum. Vocabula haec amnium sunt originis Venetae, ab animalibus sumta, Meduacus ab vrso, Licenna a vulpe, Brintesia ab

celeritate; si veteres *Liena* dixerunt, pigrum notabit; Meduacus etiam medio fluentem.

fl'. Tiliabinte. Vels. Fl'. Tiliabutte. Plinio, *Tilauentum maius minusque;* Ptolemaeo, *Τιλάουεμπτος*, *Tilauemptus*, Carnis datus. Strabo Carnos inter et Venetos dirimentem ait, absque nomine. Cluuerius pro duplice Tilauento vult Romatinum; cui Cellarius accedit. Nos *Tajamento* interpretamur; ostium maioris *porto de Tajamento*, minoris *porto di Lagugnama*. Venetis rapacem notat, *Tilavita* pro *Silovita*.

IV. fl'. frigid. ad fontem, et in via fl. frigido. Vels. Fl'. Frigid'. et *Fl. Frigido*. Exortu reapse Vipauam cum Lisoncio, exitu Timauum praefert. Plures heic amnes iunguntur. Plinii Turrus Natisonem in Sontium defert; ab exortu *Idercza*, et *Vipava*, distinctis alueis in eumdem Sontium feruntur. Olim Natiso hos amnes in mare deducebat. Turrus est *Corvo*, aliis *Torre*, Vdinam, Natiso est *Natisa*, *Natisone*, Forum Iulii praefluentes; Sontius Italis *Lisonzo*, Carnis *Socsa*, Frigidus Italis *Vipao*, Carnis *Vipava*, Germanis *Vipach*. Natisonem Strabo *Natisona*, *Ναríσωνα*, Plutarchus *Ατισῶνα*, *Atisonem*, vocant. Plinio, Melae, Ptolemaeo, Ammiano, *Natiso;* Carnis hodie *Natisza*. Sontium Iornandes, Cassiodorus *Isontium* dicunt; Tabula ponte sonti. ad XIIII ab Aquileia lapidem, quod compendio, pro *Sontii* scriptum, Carnis *Szocsa*, succosum significat. In Hodoeporico, *Fluuio Frigido*. Socrates, victoriam Theodosii referens, *Φρίγιδον ποταμὸν*, *Frigidum fluuium*, adpellat. Carnis *Vipava*, aut deminute *Vipausheza*, antiquis frigidum notarit, si recte Latini verterunt; nam *vippao* influentem designat, *vapno* calcem; vt ex alterutro eam vocem promanasse putes; si tamen fluuius antiquis ita dicebatur.

Lacum, in quem Frigidus decidit, esse Timauum, mari vicinum, cuius exerte meminit Liuius, non dubitem. Cluuerius, qui hunc agrum diligenter lustrauit, *Lago della Pietra rossa*, lacum saxi rubei, a fontibus Timaui septenis ad secundum lapidem, adcolis dici perhibet; ex eo fluuius, cum riuo *fiume di santo Antonio*, emergens Timauum petat; quorum fontes iuncti fontibus Timaui, nouem censeantur. Hunc lacum quaedam chartae recentiores occidua Timaui ora signant. Haket, qui locum aeque lustrauit, fontem Timaui ad S. Ioannis vicum prope desertum, amplum esse ait, aqua frigida, potui minus salubri, nouenis locis scaturiente, vt Virgilius tradidit; sicca tamen tempestate vix septenis; vnde opinionum apud veteres de fontium numero diuersitatis origo. Tabulae auctor compendio vsus, ne famosum antiquitati fluuium neglexisse videretur, Natisonem cum sociis, nomine Frigidi, in Timauum deriuauit. Ab cultu seu agri, siue Numinis, *Timava* fuerit nuncupatus amnis. Quod enim Polybius apud Strabonem dicebat, locum, vbi fontes Timaui essent, *πηγὴν καὶ μητέρα θαλάττης ὀνομάζειν*, *fontem et matrem maris adpellari*, de insula dici audierit, quae ostio Timaui obiecta erat, *medi-morje* Carnis, quod *mati-*

morja, matrem maris, non recte interpretati ſunt Graeci. Niſi reapſe ex *mati-morja* vox Timauus ore peregrino formata erat; incolis *Timao* nuncupatur.

Quaeti. inſignia aquarum; ſic Velſ. Geographi, duce Cluuerio, fluuium hodie *Quieto* nuncupatum, hac voce indicari putant, tamquam ſit Quaetus olim dictus, vt Danuille, Cluuerium ſecutus, habet. Tabula nullum ſignat alueum. Oritur apud *Buſet* oppidum, prope ciuitatem Nouam mari illapſus. Arſiam, qui in Tabula duplici loco ſignatur, in Liburnis diximus. Neſcio autem, vtrum *Siluo* Tabulae ad *Punta di Saluori* conſtituendum, fluuio *Dragogna*, in vicinum *Golfo Largone* ſinum effuſo, adcommodari queat. Cum enim neque aluei, neque ſolita **fl.** particula addatur, certi quidpiam hoc in genere adſeri nequit. Inſulas videamus.

V. **Ins. So-omaia.** Velſ. *Inſ. Sepomaia.* Scheib, in catalogo, *Sepomaria* reddit. Cluuerio *Sepomana*, Parentio oppoſita. Danuille *Vmago* interpretatur, cui a borea vicinus eſt pagus *Sipar*, in quo veſtigia nominis antiqui ſuperent; ſed cum nulla heic ſit inſula, adſeueranter nihil dixerim. In Tabula eo ſignatur modo haec inſula, vt ad oſtia Padi referri queat. Forſan in voce *Sepomana* latebunt *Septem maria*, quod nomen in Tabula ad ſextum a Foſſis lapidem, ad boreale et praecipuum Padi oſtium, legitur; et in Hodoeporico, a Rauenna, *Inde nauigantur ſeptem maria Altinum vſque;* quam phraſin Danuille oſtiis Padi adpoſuit, vbi plures inſulae comparent, quas omnes vno *Sepomaia* vocabulo detorto auctor Tabulae exprimi voluerit.

Ins. Urſaria. Velſ. *Inſ. Vrſaria.* Plerique cum Cluuerio cenſent, *Conuerſera*, ſeu *Converſara*, oſtio amnis *Lemme* oppoſitam, eſſe *Vrſariam;* ſed *Orſero* oppidum, dextra exeuntis ripa ſitum, vocis ſono propius accedit.

Ins. pullaria. Velſ. *Inſ. Pullaria.* Plinius: Iuxta Iſtrorum agrum, Ciſſa, Pullaria, et Abſyrtides Graiis dictae.“ Alii *Pullariae* pluratiue dicunt, voluntque tres eſſe, quarum praecipua *Iſola di Brioni*, ſupra portum Polaticum, altera *Figaruola*, teſte Cluuerio. Brygeides Apollonii a Brygis nuncupatae, huc ſpectare non poſſunt.

E portubus vnum Tabula nouit ad ſextum, ſupra Meduacum maiorem, milliare, **ad portum.** Danuille, e diſtantia manſionem quidem *ad Portum*, in aquis autem *Portus Venetus*, cum interpretatione, *Veniſe*, notat; ſcilicet, vbi Venetiae ſurrexerunt poſtea, circa quas hodie plures ſunt portus; Brentae propior, *porto di Malmoco.* Flanaticum, qui praeterea in Tabula comparet, in Liburnis diximus.

§ III

Oppida, mansiones.

I. IN recensione locorum regionis huius, oram primum sequemur, deinde ea, quae in mediterraneis sunt, visuri. Hodoeporicon, itinere ab vrbe Roma Constantinopolim, post Rauennam, habet: *Inde nauigantur septem Maria Altinum vsque.* Tabula per haec Maria progrediendo, loca singillatim recenset, quae Danuille in tabella Galliae cisalpinae adcurate notauit. Principium ab ostio boreali, quod Polybio, *Παδόα*, *Padoa*, Plinio *ostia plena*, sumere libet, qui terminus Venetorum erat. A mansione Radriani, quam apud alueum *Po d' Adriano* quaeremus, in Tabula notari videas,

VII. Maria. VI. sic Vels. Cluuerius Septem Maria paludes intra ostia sitas interpretatur; Danuille ipsa ostia, et ad septimum ab Hadriano lapidem, *Maria* Tabulae, ripa Padoae laeua, quae hodie locis vacua est, ductis terminis, *Linea di confini*, inter Ferrariense et Rouiginum territorium.

Fossis. VI. Vels. *Fossis.* VI. Cluuerio, *Fossiones Philistinae*, situ priore; Danuilleo praeterea locus *Fossae*, dextra Athesis, ad quartum supra ostium lapidem; in aduersa ripa vicus *Fossone* visitur, et canalis, instar alterius ostii Athesis, *Cavanello.* Fossiones Philistinas, Tartarum alias dici, Plinius perhibet.

Eurone. XVIII. Vels. *Ebrone.* XVIII. Plinio, portus *Edronis*, quem duo Meduaci cum fossa Clodia efficiebant. Strabo Meduacum, vt flumen, adpellauit portum. Cellarius, Cluuerio duce, nomina haec *Porto di Brondola* conuenire, ad ostium Meduaci minoris, opinatur; rectius Danuille, ad Fossae Clodiae ostium *Edro Portus* notat, vbi hodie vicus *Bebe*, et in pelago vicus *Porto di Brondola*, infra Meduaci minoris ostium, ex aduerso effluentis *Bachiglone* amnis; quamquam chartam Hommanianam, qua vtor, multis naeuis scatere video; vt Danuillei vestigia sequi longe securius esse putem.

Mino meduaco. VI. sic Vels. Amnem, qui *Brondola* vulgo dicitur, esse monebamus paullo superius; duos Meduacos Plinius nouit. Est vicus *Brondola*, sed in insula, nescio, an recte, ex aduerso effluentis amnis homonymi. Danuille, Cluuerium secutus, locum in via signare neglexit; quem heic intelligi vel ex eo videas, quod consueta particula fl. desideratur.

Maio meduaco. VI. sic Vels. Meduacus maior est *Brenta*, Straboni *Μεδόακος*, vt in fluminibus dictum; Plinius quoque *Medoacum*, Liuius Meduacum, nuncupant. Danuille cum sociis locum praeteriit. In chartis est vicus *Fusina*, sed in pelago, prope litus, an recte, nescias. Homanni mappa gemini Medoaci ostia duobus mill. geogr. et duabus quintis, non bene remouet; adcuratius disposuit Danuille.

Ad portu. III. Velſ. *Ad portum.* III. Danuille, *ad Portum*, ex aduerſo vrbis Venetiarum, in litore, vbi hodie locus non comparet; in Ortelianis, prope oram, eſt oppidum *Miran*, quod ſi *Mirano* eſt, longius in occaſum recedit. De portu diximus ante.

II. Altino. XVI. inſignia municipii; ſic Velſ. Strabo, Ptolemaeus, Zoſimus, *Ἄλτινον*, Paterculus, Mela, Plinius, Tacitus, alii, *Altinum* dicunt. Hodoeporicon, itinere ab vrbe Roma, naui ab Rauenna huc adpulit, interuallo non ſignato; alias per mediterranea progreſſum, iteratis vicibus adit oppidum. Burdigalenſe, *ciuitas Altino*, itinere a Patauio; quod poſtea explorabimus. Nota vrbs regno epigraphico; in vico *Ces*, agri Belunenſis, ab ALTINO vſque ad flumen Danubium. Feltriae, collegium fabrum ALTINATIVM. Aquileiae, L. Iunius Succeſſus, domu ALTINAS. Romae, Q. Vennonius Valens, ALTINO. Hodie vicus *Altino*, prope dextram Silis, vulgo *Pieveſella*, ripam.

Apud Altinum exit via Veronenſis, quae ad Vicetiam diuiſa, hinc Opitergium, inde Altinum petit; alia fuit a Verona Hoſtiliam, quam priore dedimus ſectione. Altinum verſus a Verona haec ponuntur:

Vicētia. XXXIII. Velſ. *Vicentia.* XXXII. Hodoeporicon, itinere vrbano, *Vicentia ciuitas.* XXXIII. Surita et Schottus Vicetia legi volunt, contra fidem codicum, in quibus *Vicentia* et *Vincentia* ſcriptum. Burdigalenſe, *mutatio Codiano.* X. *mutatio Auraeos.* X. *ciuitas Vincentia.* XI. Forſan vici *Monte Bello*, et *Caldero*, mutationi geminae reſpondebunt. Strabo, *Οὐκέτιαν*, *Vcetiam*, inter πολισμάτια recenſet; Ptolemaeo, *Οὐΐκεντα*, *Vicenta;* heic fine, ibi principio *i* deſideretur. Latinis, Plinio, Tacito, *Vicetia*. In marmore domeſtico, M. Ennius VICETINVS decurio VICETIAE. Leonici, inter Ateſtinos et VEICETINOS finis terminosque Serranus conſtituit In quodam, ciuitas VIGENTINA legitur. Aelianus praue *Βιγητίαν*, *Bigetiam*, et *Βιτητίαν*, *Bitetiam,* dixit. Vrbs *Vicenza*, ad *Aſtego* et *Leogra* amnium confluentes.

Patauis. XXII. Velſ. *Patauis.* XXII. Cluuerio, *Patauis.* Hodoeporicon, *Patauis ciuitas.* XXVII. Burdigalenſe, *mutatio ad Finem.* XI. *ciuitas Pataui.* XI. Ad Fines ſit vicus *Zocco*, duarum ciuitatium et hodie terminus. Straboni, *Παταουΐον*, *Patauium*, prope paludes, omnium eius regionis vrbium praeſtantiſſima. Norunt eam Liuius, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Diaconus; Aeliano, *Πατάβιον Ἀντήνορος ἔργον*, *Patabium opus Antenoris.* In marmore antiquo, L. Caecilius, terminos inter Ateſtinos PATAVINOSQVE ſtatuit. Pignorius municipium fuiſſe dicit; cuius rei indicia non comparent. Hodie, *Padova*, *Padua* vrbs, in Aſtegi et Brentae confluxu.

Altino. XXX. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Altinum ciuitas.* XXXIII. itinere ab Aquileia Bononiam, *Altino.* XXXII. Burdigalenſe, *mutatio ad Duodecimum.* XII. *mutatio ad Nonum.* XI. *ciuitas Altino.* VIIII. Priorem manſionem vico *Mirano*, apud Muſſonem fluuium, poſteriorem *Meſtre*, conuenire Cluuerius

censet. Danuille, Altinum inter et Patauium XXXII M. P. interponit; in chartis recentioribus sunt mill. geogr. quinque; proinde numeri Tabulae non male habent. Flexus facti sint, vt plura M. P. censerentur. De Altino priore itinere dictum; inde venit,

Concordia. XXX. sic Velſ. Hodoeporicon, *Concordia ciuitas.* XXXI. itinere ab Aquileia Bononiam, *Concordia.* XXXI. Burdigalense, *mutatio Sanos.* X. *ciuitas Concordia.* VIIII. Cluuerius, mutationem Sanos circa dextram Liquentiae ripam fuisse putat, loco non adsignato; idem a Wesselingio factum. Si prior numerus X bene habet, *Zenson* vicus, prope Plauim, ad viam, respondebit mutationi; ad Liquentiam quippe mensura non pertingit. Alter numerus VIIII. est vitiatus, aut mutatio alia cum M. P. XII exmissa, quod mihi vero propius videtur. Straboni Ὀρδία, *Ordia*, pro Κωνκορδία, vt Cluuerio placet. Ptolemaeo, Κονκορδία κολώνια, *Concordia colonia*, in Carnis. Meminerunt praeterea loci, Plinius, Eutropius, Zosimus, Seruius, alii. In marmore domestico, M. Armonius, VI vir IVLIA CONCORDIA. Patauii, Sex. Mauius Apollonius, CONCORD. Seruat nomen Concordia, ad fluuium Romatinum, vulgo *Lemene*, sed in vicum conuersa; quaedam chartae oppidi insignia loco tribuunt.

III. Apud Concordiam exit via a Vicentia, per Opitergium, quae in vna Tabula est conseruata, sed numeris, oscitantia scribae, permutatis. Videtur autem militaris vetus, sub alpibus ducta, cuius meminit Strabo, a M. Aemilio Lepido, Aquileiam vsque a Bononia ductam adserens; qua de re in epigraphica dictum. Itaque a Vicentia in Tabula haec notantur:

Opitergio. XXXIII. Concordia. XL. sic Velſ. nisi quod in editione operum Velseri *Opttergio*, incisoris vitio, scribitur. Straboni Ἐπίτερπον, *Epiterpum*, loco Ὀπιτέργιον, vt Ptolemaeus habet; Schotti editus, Ὀπιπήργιον, *Opipergium.* Norunt praeterea oppidum, Plinius, Tacitus, Ammianus, alii. In marmore Patauino, L. Arrius, sexuir OPITERGI. Vicus *Oderzo*, laeua Matognae amnis ripa. Danuille LV M. P. Opitergium a Vicentia remouet, Concordiam ab Opitergio XXI. sed rectius ibi XL. heic XXXIII. secundum Tabulam, numeris permutatis, censebuntur, adstipulante charta Homanni. Ab Concordia venit,

Aquileia. XXX. colonia muris et sex turriculis munita; sic Velſ. Hodoeporicon, *Aquileia ciuitas.* XXXI. itinere maritimo, scripti *Aquilegia;* itinere Bononiensi, Regium, XXXV. Burdigalense, *mutatio Apicilia.* VIIII. *mutatio ad Vndecimum.* X. *ciuitas Aquileia* XI. Cluuerius Apiciliam inter Concordiam et Tisanam, Vndecimum ad amnem Stellam, prope Maranum, stetisse putat; Danuille, priori *Latisana* seu *Latisano* oppidum, laeua Tilauenti ripa, posteriori *Maranuolo* vicum, supra *Marano*, adscribit; signato etiam hoc ad oram oppido, absque nomine. Hodie via per *Marano* ducit, cui non aegre mutatio Vndecimum respondeat. Aquileiam inde ab A. V. 573. quo colonia Romana isthuc deducta est, omnis nouit aetas. Graecis Ἀκυλήϊα, cuius a mari distantiam, ad-

uerso Natisone, Strabo ait sexaginta stadiorum fuisse, seu M. P. VII. cum semisse. Plinius scripserit V M. P. pro XV. quae hodie leguntur. Marmora frequenter meminerunt vrbis; Pataui, L. Manilius Acidinus, III vir AQVILEIAE coloniae deducendae. Spalati, C. Villius Sextilis, domo AQVILEIAM. in quodam domestico, ciues AQVILEIENSES. in alio, Augustus AQVILEIENSIVM restitutor; Tulnae, in Noricis, Sabinianus et Germanus, decuriones I. D. COLONIAE AQVILEIENS. Hodie vicus exilis, teste Haketo, aëre minus salubri, ob situm palustrem, *Aglar* Carniolis; chartae recentiores insignia vrbis exhibent. Danuille iusto propius admouit mari, ab Natisone IV M. P. reducens.

IV. Ab Aquileia tres viae in Tabula signantur, vna Virunum, in boream, altera Emonam, in exortum aestiuum, tertia Tergeste, in aequinoctialem. Priore, mansionem *ad Silanos* XXXV M. P. *Ydriam* oppidum, fabrica Mercurii nobile, in Noricis, esse diximus; qui ager Pannoniorum olim fuisse videtur. Via haec per humillima alpium iuga, Carniolis *mal Golak*, olim Ocra, tendebat. Altera per eiusdem montis saltum iam sese attollentem, *Szinecz*, *Dull*, *Nanas*, ad *Poig* et *Uncz* amnes obstructos, et patulum Lublancae fontem, ducebat. Postrema oram tenet, quam, praecedente recensa, lustrabimus. Pannoniam versus, ab Aquileia, sociis Hodoeporicis, Tabula sic procedit:

Ponte sonti. XIIII. sic Vels. Danuille, *Pons Sontii*, ad XX ab Aquileia lapidem, dextra fluuii ripa, situ oppidi *Gradiska;* sed numerus Tabulae, secundum veterem vrbis situm, bene habet. Cluuerius IV M. P. vlterius ad Vipauae confluxum, statuit; quam positionem numeri non admittunt. Pontis lapidei meminit Herodianus, Sontii amnis Iornandes et Cassiodorus; vt in fluuiis dictum.

Fl'. frigido. absque numero. Vels. Fl'. F r i g i d o. Hodoeporicon, *Fluuio Frigido.* XXXVI. Mansio ab amne, cuius Claudianus, Socrates, Philostorgius, mentionem faciunt, dicta Cluuerio *Gemünde*, eadem, quae *ad Castra* Burdigalensis; rectius paullo vlterius *Vipao*, Carniolis *Vipava*, prope dextram *Vipausheza* amnis ripam, arbitrere, numeris Hodoeporici eo adcurate ducentibus. Ea fluuii ripa processisse viam et Cluuerius censebat; Burdigalense aliam tenet, vt mox dicemus. In Tabula, temporum iniuria, XXII numerus, aut XX. intercidit; vt ex Hodoeporico colligere licet. Danuille, in charta Galliae cisalpinae, sic ducit viam, vt Idriam petere videatur; in Atlante, duplici ponte signato, altero infra Turri, altero Frigidi confluentes, laeua huius regione iter Burdigalense ducit ad *Vipao*, vbi Castra statuit. Sic autem iter hoc ab Aquileia habet: *Mutatio ad Vndecimum.* XI. *mutatio ad Fornolus.* XII. *mutatio Castra.* XII. Cluuerius, Vndecimum Gradiskae, Furnulos Leiaci Vipauique confluenti adponit, Castra vico *Gmünden*, vti dicebamus. Danuille pro Vndecimo habet Pucinum, situ vici *S. Pietro*, Fornolus *Temnicza*, Castra *Vipach;* nos Castra vico *S. Veit* congruere putamus, ad quintum fere a Vipaua in exortum hibernum lapidem; qua regione via Tabulae et Hodoeporici cum hac concurrerat, ambae vna per iuga progressae.

In alpe Iulia. xv. Vesſ. *In alpe Iulia.* absque numero. Burdigalenſe, ab Caſtris, *Inde ſunt alpes Iuliae. Ad Pirum ſummas alpes.* VIIII. Exſtat intra alpes vicus *Hruſhcsicza* Carniolis a piris dictus, et ſaltus vicinus Germanis *Birnbaumer Wald;* in quibus antiquae mutationis veſtigia ſuperent. Ad ſeptimum inde milliare vicus *Alben*, Carniolis *Planina*, qui Tabulae *alpem Iuliam* deſignet. Atque heic proprius Italiae Pannoniaeque finis; Cluuerius apud Pirum ſignauit, ſed viam ingredi noluit. Phraſis ea in Burdigalenſi, Emonam inter et Celeiam, *Fines Italiae et Norici*, vulgari ſenſu accipi debet, quo Emona, vrbs Pannoniae, ad Italiam referebatur, vt ſuis dictum locis.

V. Reliquum eſt iter litorale, ab Aquileia ad Arſiam flumen. Hodoeporicon vſque Polam comitatur, inde ſinu Flanatum traiecto Iaderam petit. Habet etiam iter ab Aquileia per compendium Veldidenam, quod in Tabula abeſt; hoc autem maritimum inſcribitur: *Ab Aquileia per Liburniam Siſciam;* et aliud: *Iter ab Aquileia per Iſtriam extra mare Salonas.* Tabulam praemittere libet.

Fonte timaui. inſigne aquarum, aedes quadra; Veſſ. *Fonte tumaui.* Cluuerius, *Fonte Timavi* legit. Hodoeporicon, *Fonte Timaui.* XII. ſic in Regio; in aliis XVI. Schedae Pariſinae, *Ponte Timaui;* quod Weſſelingio verius eſſe videtur. Fontem, lacum, et amnem Timaui nomine veniſſe, Cluuerius, congeſtis veterum teſtimoniis, probat; ſed templum etiam Timaui vocabulo inſigne et praetorium militare, vel Auguſtale, cum Aquis fuiſſe, Strabo et Tabula oſtendunt; ille, memorata Aquileia: *ἐν αὐτῷ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶ τὸ Τίμαυον*, *in ipſo intimo ſinu Hadriae templum eſt Diomedis, Timauum.* Cluuerius, qui haec luſtrauit loca, refert, fanum hoc ibi ſtetiſſe, vbi hodie *S. Antonii*, et aquae calidae, *Bagni di Santo Antonio*, II M. P. ab oppido Montis Falconis, a quo vulgo nomen gerunt, *I bagni di Monte Falcone.* Sitas eſſe ad radices modici tumuli, clementer adſurgentis, mille plus paſſibus in longum porrecti; diſtare a mari vno alteroue teli iactu, a fontibus Timaui mille circiter paſſus; includi pariete quadrato antiqui operis, cum piſcina intus quadrangula, quatuor circiter paſſus ſingula latera patente; ambiri gradibus marmoreis vndique, theatri in ſpeciem; ſcaturigines natiuo e ſaxo manare duabus a partibus. Haud procul ab his aquis magni cuiusdam antiqui aedificii viſuntur veſtigia, atque reliquiae. In antiqua Romanorum Tabula itineraria hic locus ea aedificii quadrati figura ſignatus eſt, quae paſſim in eadem Tabula *Aquis calidis*, et nonnumquam Praetoriis Romanorum adpicta viſitur; vtrum aquas, an vero praetorium intellexerit auctor Tabulae, plane dubium eſt.“ Haec *αὐτόπτης* diligentiſſimus Cluuerius. Ego vtrumque intelligi putem. Plerumque enim ſalutaribus eiusmodi locis nobiliores erigebantur aedes, Auguſtis et magiſtratibus, ſaepe etiam militi, hoſpitio futurae. Numerus XII ſcribarum vitio exmiſſus videtur.

Tergeſte. xiiii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Tergeſte.* xii. Straboni, Τεϱγέστη, *Tergeſte*, et pluratiue Τεϱγέσται, *Tergeſtae.* Artemidoro apud Stephanum Τέϱγεστον, *Tergeſtum;* ſic Ptolemaeo; Appiano, Τέϱγηστον, *Tergeſtum;* nonnulli Τέϱγιστον, *Tergiſtum*, apud hunc legunt, ad popularem loquendi modum. Vetuſtiſſimum quippe Illyriorum emporium eſt, Strabone teſte, quod vrbis nomen ad viuum exprimit. Plinio, *Tergeſte;* Melae, *Tergeſtum;* Seruio, *Tergiſtum.* Illuſtre monumentum antiquitatis in hac vrbe eſt, ſenatus conſultum, quod in epigraphica referimus. In marmore Foroiulienſi, Q. Caedius, ſex vir TERGESTE. in domeſtico, C. Getacius Seuerianus, duumuir I. D. TERGESTE. in alio, L. Varius Papirianus, praeſ. fabrum Romae et TERGESTE. Italis *Trieſte*, Illyriis *Terſzt*, *Trieſzt.*

Hodoeporicon, itinere ab Aquileia per Liburniam Siſciam, a Fonte Timaui, habet, *Aueſica.* xii. *ad Malum.* xviii. *ad Titulos.* xvii. *Tharſatico.* xvii. Primum ſit *Seſſana*, alterum *Materia*, tertium *Lippa;* qua hodie quoque via Flumen ducit, quae in Tabula deſideratur; in ea ab Tergeſte venit,

Parentio. xlviii. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Ningum.* xxviii. *Parentium.* xviii. Simlero, *Ningum* vel *Mingum*, hodie *Mugia.* Vaticano, *Higum;* quod Weſſelingius, duce Cluuerio, oppidum *Humago*, hodie *Vmago*, cum portu, interpretatur. Danuilleo, *Ningus*, fluuius, *Vmago Sepomana*, quam ad Padum referri oportere cenſebamus. Interuallum Vmago rite reſpondet. De Parentio dicemus poſtea.

Siluo. abſque numero; ſic Velſ. Haec vox cum alia *Quaeri*, ad latus viae dextrum ponitur. Cluuerius *Siluium*, prope ciuitatem Nouam, vbi nonnulli Emonam falſo quaerebant, interpretatur; Danuille, ſupra Vmagum, in angulo ſinus Largonis, *Punta di Siluore*, incolis *Zavore*, e vocis ſimilitudine, accipit, Siluium ſcribens. Rem putes incertam; quod *Siluo* Tabulae voci Quaeri ſupponitur, et numeri non adſunt, qui ſitum terminarent.

Quaeri. abſque numero, inſigne praetorii, aedes tetragona; ſic Velſ. Cluuerius dextra Quieti amnis ripa, ad iv a mari lapidem, veteris oppidi veſtigia reperit, quod Siluium e Tabula interpretatur. Danuilleo *Aquae*, fluuius *Quaetus.* Alterum hoc veriſimile; Aquas Cluuerius nullas reperit; et *Siluo* videtur ab hoc loco diſtingui; praeſidii quippe inſcriptio eſt *Quaeri* ſeu *Quaeti*, quod in illo ruderum agro conſtiterit. Erat Piquentum oppidum, cuius Ptolemaeus et lapides meminerunt, ſed in mediterraneis, ad Quieti fontes.

Parentium, cuius nomen *Parenzo* ſupereſt, Plinius in oppidis ciuium Romanorum cenſet, Ptolemaeo, Παϱέντιον, *Parentium*, ſic etiam Stephano, cui gentile *Parentinus.* In Tabula, ob anguſtias loci, ad peninſulae Iſtriae principium, quem ſitum Tergeſte habet, ponitur Parentium, numero xlviii.

flexibus per oram factis, non male ſonante; cum II modo M. P. cenſum Hodoeporici ſuperet.

Pola. XXX. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Polam.* XXXI. Cuſani MS. XXI. Nota vrbs Argonautarum ſcriptoribus, quorum antiquior videatur Callimachus, apud Strabonem, qui *Πόλας* vocat, addens, Graecis *ἄστυρον* dici, quod incolae *Polas* nuncuparent; putans, vocem hanc popularibus vrbem ſignificare, quae proprie *campum* notat, in quo vrbs condita, non vtique ab Colchis, aut Argonautis, qui hanc oram numquam viderunt, ſed ab Illyriorum Liburnis. Canit vrbem Lycophron, Callimacho ſuppar; Apollonius praeterit; Strabo ſitum recte deſcribit. Plinius, *colonia Pola, quae nunc Pietas Iulia, quondam a Colchis condita.* In marmoribus, M. Aurelius Menophilus, aedilis POLEN. in alio, Seueri Imp. RESP. POL. Vicentiae, L. Furius Lalus, POLA. Strabonis aetate fuit Italiae finis, quem Auguſti ſucceſſores ad Arſiam protulerunt. Cluuerii peregrinatio huc non pertigit; ſecus inſignia amphitheatri rudera memoraturus erat.

N. - - VI. ornamenta municipii; ſic Velſ. Cluuerius V M. P. legit, recte obſeruans, Mutilam Liuii heic a Tabula deſignari, quam ſcribarum incuria exmiſit. Eſt vicus *Medolino,* cui vicina Faueria, incolis *Valtura* cum portu *Cue*, in chartis recentioribus; Cluuerius *Peara* vicum, apud Arſiam, in mediterraneis, Faueriam eſſe putabat; verum e textu Liuii, ad oram cum Neſactio et Mutila, ſtetiſſe colligitur. Danuille, Mutilam recte ſignauit, Faueria miſſa.

Arſia. fl. VIII. Velſ. *Arſia fl.* VIII. Interuallum a Mutila bene habet. Dextra exeuntis ripa oppidum *Caſtro nuovo*, incolis *Kaſztanya*, in ruderibus Neſactii veteris, quod Ptolemaeus finem Italiae dixit; Plinius: *Oppidum Neſactium*, *et nunc finis Italiae fluuius Arſia.* Hodoeporicon, a Pola: *Traiectus ſinus Liburnici Iader vſque*, *ſtadia* CCCCL. In charta Europae, quae interualla conſtringere ſolet, a Pola Iaderam quindecim mill. geogr. ſeu LXXV M. P. cenſentur, quae communi calculo ſtadia DC faciunt. In geographia oſtendimus, olim tam hoc itinere, quam maritimo, in Hodoeporico DCCL. ſcriptum fuiſſe; vt ex adcuratis Danuillei chartis colligere licet. Haec de regione Italiae decima, quam Venetiam, vſu recentiore, nuncupauimus, dicta ſunto.

SECTIO III

LIGVRIA

§ I

Nuncupatio, fines.

I. LIGVRES antiquiſſimus ad mare inferum, ab iis Liguſticum dictum, populus, quos Scylax et Herodotus norunt, late olim per oram pelagi huius, et alpes vicinas fuſi, coluere, Strabone in primis teſte. Scylax: *Ἀπὸ δὲ Ἰβήρων ἔχονται Λίγυες, καὶ Ἴβηρες μιγάδες, Poſt Iberos ſequuntur Ligures et Iberi mixti*, vſque Rhodanum. Paullo deinde: *Ἀπὸ Ροδανοῦ ποταμοῦ ἔχονται Λίγυες μέχρι Ἄρνου, Poſt Rhodanum fluuium ſunt Ligures vſque ad Arnum.* Idem ait, Maſſiliam, vrbem graecam, in Liguribus fuiſſe. Herodotus, de Sigynis, qui a Thracibus et Getis Adriam et Vmbricos verſus colebant, agens: *Σιγύνα δ' ὦν καλέουσι Λίγυες οἱ ἄνω ὑπὲρ Μασσαλίης οἰκέοντες τοὺς καπήλους, Qui ſupra Maſſiliam incolunt Ligures, Sigynas adpellant inſtitores.* Fines eorum Polybius ſic deſcribit: Initium Apennini ſupra Maſſiliam, et qua alpibus iungitur, Ligures habent ex vtroque latere; et quod Etruſcum mare ſpectat, et quod praedictam planitiem; iuxta mare ad Piſam vſque, primam Etruriae verſus occaſum ſolis vrbem; in mediterraneo ad Aretinorum vſque fines; inde ſequuntur Etruſci." (a) Patriam eorum *Λιγυστικὴν, Liguſticam*, quae Latinis Liguria, vocat. Strabo, *Ταυρῖνοι, Λιγυστικὸν ἔθνος, Taurini Liguſtica gens;* Plinius, Auguſta Taurinorum, *antiqua Ligurum ſtirpe.* Vicinos quoque Liguribus, Strabo ad eorum genus ſpectaſſe ait. Dicuntur etiam *Λιγυστῖνοι, Liguſtini,* antiquioribus; vt Fabio Pictori, apud Plinium.

II. Cluuerius, contra haec veterum teſtimonia, ex obſcuris poſteriorum opinionibus, Ligures Celtica ſtirpe ſatos adſerere pergit. Sed Celtas Scylax ab ceteris clare diſtinguit, nuspiam ad oram mentionem ipſorum faciens, praeter quam inter Vmbros et Venetos, quos ab expeditione relictos ait; et Straboni, Ligures ἑτεροεθνεῖς, alterius generis ab Celtis, perſpicue dicuntur; cuius loci poſtea oblitus eſt Cluuerius. Neque alio Strabonis loco recte vtitur, vbi *Κελτολίγυας, Celtoligures* vocat Salyes, id eſt, Ligures Celtis mixtos; non Celtici

(a) L. II. c. 16.

generis, vt Cluuerius contendit. Sic enim Strabo Iapidas Illyrios Celtis mistos vocauit, quod lingua eorum hodieque monstrat. Oportet sane aduenas ab indigenis secernere. Augusti aeuo nulla heic Gallorum mentio, nisi e memoria temporis antiqui. Ex diligenti agrorum cultu, et industria mulierum in opere rustico, quae Diodorus Siculus de Liguribus narrat, (a) minus recte, Celtas fuisse Ligures, argutatur. Mihi veterum dicta de gente hac pensanti, olim videbatur Liburnicae fuisse originis; vt ipsam nuncupationis rationem a nauigiis, quibus aliquando mari vtroque pollebant, manasse putarem. Profecto, cum a nemine veterum aduenis adscribantur, et ab Etruscis Latinisque origine diuersi esse dicantur; non possunt, nisi ad Liburnorum genus referri. Adde, *Padum*, Ligurum lingua *Bodencum* nuncupatum; adde *Naburnos*, qui erant Taurini, lingua populari sic adpellatos; adde *Cycnum* e fabulis vatem Ligurem vetustissimum, qui Laudis (incolis *Labud* audierit) conditor, Phaethontis propinquus fuisse dicitur; vt e Liburnorum progenie ortum putes; adde *Sigyna*, vocem Liguribus institorem, cauponemque notantem, Herodoto teste; quam ex Celtica explicare Cluuerius est oblitus; Carnis hodie *segam*, *szegam*, manu adtraho, corrado; apud ceteros Illyrios compositum, *dosixem*, *doségnuti*, eiusdem significatus. Vnde veteribus Liburnis *Segina*, tamquam auidum aeris corrasorem dicas, quales omnino institores sunt, cauponem, publicanumue notarit. Neque alia ratio adparet, cur gens ad dura quaeque et fortia nata, tumultu Gallico partes Gallorum cum Venetis secuta non fuerit, quam quod autochthones patriae cum Tuscis Latinisque fuerunt, aduenam gentem agris suis commorantem perosi. Apud Polybium sane, qui Gallorum heic res gestas singillatim exequitur, et Ligurum frequentius meminit, nuspiam Ligures Gallis implicitos legas. Si graecam vocem *Λίγυες* presse sequare, significabit ea populum, homines, qui cultiori quidem dialecto *Lyudi*, (Itala ortographia *Gliudi*) sed Pannonico veteri *Λύγιοι*, *Lugyi*, dicuntur.

III. Liguriam Plinius ab amne Varo ad flumen Macram, iuxta litus, tendit, ex Octauiani institutione; quamquam proprie alpibus maritimis Italia ab Gallis diremta videtur, vt Danuille, secutus veteres, recte notauit. Quare Plinius quoque alias, et Ptolemaeus, Liguriam a portu Herculis Monaeci, qui est post alpes maritimas, incoant. In mediterraneis diuersa est scriptorum opinio; qui Augusti instituta sequuntur, Pado, inter alpes et Stafforam amnem, Regione noua, Liguriam coercent, Iria, quae est *Vochera*, Regioni octauae tributa. Nos, facilioris methodi gratia, ad Trebiam vsque ducemus; vt prima sit octauae Regionis Placentia. Cluuerius Tidonem, ex aduerso Lambri, statuit, supra Trebiam, quem sequitur Danuille. In Tabula LIGVRIA caractere veteri Romano, literis pictis, a Varo ad Lucam, intra Apenninum; superius ad Padum

(a) L. IV.

populos quosdam, Liguſtici generis forſan, ſed ea aetate liberos, enumerat. Nos heic inſtitutionem Octauiani ſecuti, Liguriam dictis finibus comprehendemus. Sic accepta prouincia tenditur in longum ab grad. longit. 24 min. 24. ad 26 min. 48. latit. 43 min. 20. ad 45 min. 10. Summa longitudo, ab oſtio Vari ad Macrae oſtium M. P. CLXV. Plinius oram legens CCXI cenſet; Cluuerius nunc CCLXI nunc CCXI. legit; latitudo a praedicto Vari oſtio ad Bondicomagum dextra Padi ripa, M. P. CXXII.

§ II

Montes, fluuii.

I. IN Tabula tractus alpium incipit occidua Vari regione, tenditur ad Cottias, Graias, Penninas, Rhaeticas, vt hactenus dictum. A fontibus Vari et Padi Apenninus, ex alpium iugis, procedit, ſupra Liguriam, Tuſciam, Etruriam, media Italia protentus. Apud Lunam, occidua regione, tractus ſingularis ab ora maritima ad Apenninum ducitur, Nuram recentem vtrimque ambiens, proprius Liguriae ab exortu ea aetate terminus. Ita fere in antiquioribus ad Ptolemaeum tabulis haec iuga ſignari videas. A Varo amne, ad ipſum litus maris Liguſtici, haec ſcribuntur:

IN ALPE MARITIMA. Velſ. IN ALPE MARITIMA. quae phraſis in ductu viae, caractere minori, repetitur. Alpes Maritimae, Graecis ἄλπεις παραθαλάσσιοι, memorantur Plinio, Tacito, Ptolemaeo, Dioni, aliis. Tacitus ad A. V. 816. *Eodem anno Caeſar nationes alpium Maritimarum in ius Latii transtulit.* Antea ergo liberi fuerunt. Idem refert, alpes Maritimas procuratorem Marium Maturum tenuiſſe, inſtar prouinciae. Vnde Cluuerius, tractus, inquit, alpium Maritimarum intra Italiae finem, Varum amnem, fuit a Vadis Sabatiis ſiue Genua, vbi Apennino iungebantur, ad Veſulum vſque montem, qui Padum fundit; hinc quippe incipiebant alpes Cottiae."

II. Apenninum auctor Tabulae adcurate exprimit, neque tamen compellat. De initiis eius Strabo: Ordiuntur alpes non a Monoeci portu, vt quidam tradiderunt, ſed ab iisdem locis, a quibus etiam τὸ Ἀπέννινον ὄρος, *Apenninus mons*, iuxta Genuam Ligurum emporium, et quae vocantur Sabbatorum vada; nam Apenninus a Genua incipit, alpes a Sabbatis." (a) Vocat etiam pluratiue τὰ Ἀπέννινα ὄρη, *Apenninos montes*; cuius vocabuli montem ſupra Carnos nouit, ex quo Duram et Clanem deriuat; vbi Cluuerius Ἄλπιον legi oportere putat; qua de re dictum alias. Addit Strabo, Ἄλπια ante Ἄλβια fuiſſe dicta;

(a) L. IV. p. 201.

vnde Albium Intemelium, vbi alpes initium capiunt; et apud Iapodas Albium vocari montem, quaſi eo vſque porrectae ſint alpes. Quidquid de alpium etymo cenſeas, quae Illyriis *Planinae* dicuntur, Apenninus ex Penninis promanaſſe videtur. *Pen* antiquis Liburnis adſcenſum niſu difficilem ſignificat; vnde Peninus Apeninusque nati fuerint, tamquam a *Peno* ſeu *Penino*, qui Numinis inſtar colebatur, deriuati. Albius, Alpes, vocabula a Latinis Tuſcisque his montibus impoſita fuere, quae Liburnis *Biel*, *Bil*, *Bel*, audierint; cuius vocis plura, hoc etiam tractu, veſtigia ſuperant. Iuga Maritimarum, ſupra Vada, *Monte Bergore;* (*Verhgore*) ſupra Genuam *M. Zova;* (*ſzova*, noctua) ad exortum Trebiae, *M. Acuto*, *M. Bruna;* ad fontem Tari, *Bovo;* ad Macrae ortum, *M. Gottaro*, a finibus nomine tracto, *Kottar* Liburnis; vbi respublica Genuenſis, quae ſpeciem Liguriae praefert, terminatur.

III. **In alpe pennino.** Velſ. *In Alpe pennino.* Danuille, in charta Galliae cisalpinae, *In Alpe Pennina.* In Tabula ſignatur alpium tractus apud Lunam, a mari ad Apenninum, quem Danuille a Portu Veneris, vtroque deinde *Vara* ſeu *Veira* amnis latere ad fontes Tari et Nurae tendit, iuxtaque horum et Trebiae ripas Padum verſus promouet. Hic Liguriam a Tuſcis dirimebat; quamquam Ligures ad Arnum vſque, teſte Scylace, habebant. Pars huius praecipua ſunt montes *Gottaro*, *Bovo*, *Rivano*, qui rempublicam Genuenſem a ducatu Placentino, Parmenſi, Mutinenſi, dirimunt. Nonnulli recentiorum iuga, Genuenſi reipublicae a borea practenta, *i monti Apennini*, vocant; alii poſt fines Genuenſium id nominis incoant. Cluuerius legi vult IN APENNINO. quem ſummum Apennini montis traiectum, inter Monilia et Boactem interpretatur. Sed bene habet *In Pennino* phraſis; nam et Apenninus a Pennino eſt nuncupatus, vt paullo ante monebamus; et auctor Tabulae popularem loquendi modum ſequi conſueuit.

IV. Amnium, qui ex Apennino orti dextram Padi ripam petunt, a Plinio cenſentur, Tanarus, Trebia, Tarus, Nicia, Gabellus, Scultenna, Rhenus, et Vatrenus; quorum plerique ad ſequentem ſpectant ſectionem. Cluuerius, in Tabula itineraria, inquit, eamdem ripam illabentia complura alia recenſentur, quorum nomina vel corrupta ſunt, vel plane obſcura. Sunt autem iſta, a fonte Padi ad oſtia: Fevos, Latis, Iala, Varuſa, Berſula, Odubria, Hadra, Nigella, Rigonum, Paala, Saternum, Animo, Iſex, Silarum, Sinnum.“ Mare petunt, Lucus, Labonia, Tigila. Nos, pro conſueto, oram abſoluemus ante, tum mediterranea viſuri. De Varo, Italiae et Galliae termino, quaedam in Narbonenſi dicta, heic nonnulla addere libet.

fl'. VARVO. literis miniatis, ſuperne in montanis, et ad oram in via, manſio **VARVO.** in exemplari noſtro **VARVO.** vtroque loco. Velſ. Fl'. Varum. Hodoeporicon, ad viam, *Varum flumine.* Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, praeter iuniores, *Οὐάρον*, *Vari* meminerunt, ſed ad oſtia dumtaxat, cum de finibus Galliae Italiaeque agunt. Plinius, de Narbonenſi locutus:

Regio Deciatium; amnis Varus, ex alpium monte Cema profusus. (a) Flumen hoc in Tabula oſtio alueoque duplici in mare fertur; hodie terni amnes ſuperius concurrunt, quorum medius *Tinera*, occiduus il *Varo*, *le Var*, ortiuus *Veſubia*, XIII M. P. ante Vari exitum coniunctus. Si hic amnium fluxus, olim quoque, vt credere licet, ſic ſe habebat, auctor Tabulae alueos ſerie inuerſa expreſſit. Addit Cellarius, *Varus* a curſu obliquo dictus; qua lingua, aut quo vade, non indicat. Ligurum idiomate finem ſignificat, qui eſt ſenſus natiuus.

Scriba Velſeri alueos diſtinguit, quorum alteri, ad fontes, *Fl'. Vulpis* adponit, quae vox in Scheibio fl'. Vvlpis. caractere picto, notatur. Cluuerius putat, vocabulum hoc eſſe corruptum, pro *Fl. Paulo.* vt amnem Mela vocat, Plinius *Pado;* hodie *Paglion*, Nizzam praefluens. Niſi potius *Veſubia* ſit; nam Vulpis et Paulo expreſſione differunt, et hic minor eſt, quam vt auctor Tabulae eius rationem habuiſſe videatur. Praeterea nexus alueorum, qui in Tabula exhibetur, hanc diuerſitatem amnium non admittit. Quod ſi *Vulpis* vocabulum eſt ſincerum, imperite ſcriba latinus animal e clauſtris fecit, quae veteri Liburnorum lingua *Liſſa*, *Liſſicza*, vocantur; hoc deminutiuum vulpem quoque ſignificat, quod ſcriba reſpexerit. Vtrum autem *Paulo*, an *Pado*, ſincerius ſit, non facile acceſſerim Cluuerio, prius contendenti. Paulo quippe vox minime popularis eſt; ex aduerſo *Pado* in omnibus MSS. obuia, *aquam* Liguribus, vt Padus, et deminutiuum *Bodenca*, notant. Proinde vocem *Vulpis*, ſi recte habet, ad clauſtra alpium Maritimarum ſpectare putes, non bene ad fluuium translatam; cuius rei complura in Tabula exempla reperias.

fl. Lvcvs. literae miniatae; Velſ. Fl'. Lucus. Situs amnis apud Albium Ingaunum, vulgo *Albenga*, vbi Arocia et Centa, *Aroſcia*, et *Neva* chartis, confluunt, oſtio vno, ſub nomine prioris, exeuntes. Cluuerius Arociam Plinii Merulam interpretatur; Luci non meminit. Habet Hodoeporicon *Lumone* locum, ſed propius Varum. Portus Liburnis *Luka* dicitur; hodie quoque *Leka*, *Leca* vicus, prope exitum amnis, comparet, qui antiquae vocis veſtigia ſeruet. Lucus et Merula ſunt adſcititia; *Arucia* videtur ex *Rieka*, *Reka* promanaſſe, quae vox amnem Liburnis deſignat. Tabulae auctor reſpexerit manſionem vicinam, *Luco Bormani* dictam, ad XV in occaſum lapidem, vnde fluuio nomen acceſſerit.

fl. Labonia. Velſ. Fl'. Iabonia. Cluuerius, vocabuli adfinitate ductus, *Lavagna*, cum oppido cognomine, quinque mill. geogr. infra Genuam, accipi vult; cui ſitus fluuii repugnat. Quamquam Tabulae auctor non raro in ſitu fluuiorum exerrat. Fluuius is inter Vada Sabatia et Genuam decurrit. Eſt occiduo Sauonae vrbis agro amnis *Bona*, ad cuius fontes oppidum *C. di Bona*, et prope exitum *Lavagnola;* in quibus Laboniae veſtigia ſuperſint. Vox Liburnis laeuam ſignificat. Plinius a Sabatiis habet, flumen *Porcifera;* ſed propius Genuam, vulgo *Pocevra*, Cluuerio teſte, chartis *Ponzeura.*

(a) L. III. c. 5.

Fl. Tigtila. Velſ. Fl'. Tigtila. Cluuerius putat, in Tabula ſcriptum fuiſſe, Fl. TIGVLIA. fluuium vrbi, cuius Plinius et Ptolemaeus faciunt mentionem, homonymum, ſupra *Seſtri* oppidum mari immerſum, chartis *Granola* dictum; quae a vero abludere non videantur; etſi Tabulae auctor amnem Genuae longe propiorem facit, vbi Plinii Feritor, vulgo *Biſagno*, vt Cluuerio placet. Forſan *Εντέλλα*, *Entella* Ptolemaei huc rectius ſpectabit, quam ad Laboniam, Cluuerio duce. Neſcio autem, vtrum Entellus, heros Siculus, apud Virgilium, huc facere queat; quod ii, qui ex Latio et vicinis agris ab Vmbris et Pelaſgis pulſi dicuntur, Ligures fuerunt, Philiſto apud Dionyſium Halicarnaſſanſem teſte. Sane et Appianus Illyrios cum Siculis, in genealogicis, commiſit. Schotti editio *Ἄντελλα*, *Antella*, praefert.

Fl. Marca. Velſ. Fl'. Macra. Liuius, de Sempronio: A Piſis profectus in Apuanos Ligures, vaſtando agros, vrendoque vicos, et caſtella eorum, aperuit ſaltum vſque ad fluuium Macram, et Lunae portum." (a) Straboni, *ὁ Μάκρης ἐστὶ χώριον*, *Macres eſt locus*, inter Lunam et Piſam; de fluuio accepiſſe geographum, non dubitem. Plinio, *flumen Macra*, *Liguriae finis.* Ptolemaeo *Μακράλλα*, *Macralla;* Schotti libro *Μακραλᾶ*, *Macrala;* Italo *Macra.* Hodoeporicon, itinere maritimo: *A Piſis Luna fluuius Macra.* XXX. Lucano, *Macra.* Tabulae auctor *Marca*, vſu populari, recte nominauit, vocabulo fuſcum notante. Macra enim, per metatheſin, ore Latio, amni non conuenit. Italis *Magra* hodie.

Binos alios, Macram inter et Pennini ingum, in Tabula notari videas, absque nomine; qui cum ſint vltra Penninum, ad Tuſciam ſpectabunt. Cluuerius putat, Ptolemaei *Βόακτον*, *Boactum,* quem is *Boacten* vocat, eſſe amnem, qui oppidum *Brignolo* praeterlapſus, dextram Macrae petit. Eſt *Vara*, nonnullis *Veira*, *Verra*, *Votra.* Sunt etiam ab exortu Macram influentes, quos Tabulae auctor iis alueis deſignari voluerit. Neque enim vllus amnis inde ab *Granola* conſpicitur, qui notari meruiſſet. Recte quoque obſeruat Cluuerius, locum Tabulae *Boron*, et Hodoeporici Boaceas, ad hunc ſpectare fluuium; et *Boron* quidem cum *Vara*, id eſt, fine, vt apud Varum, intime conuenit. Vtrum autem recto *Βοάκτης*, quod Cluuerius vult, an *Βόακτος*, *Boactus*, quod interpretibus videtur, Ptolemaeus intelligi voluerit, ex obliquo *Βοάκτου* elici nequit. Danuille, *Boacea* loco ad ſinum expreſſo, flumen adpellare neglexit. Hi erant fluuii mare Liguſticum petentes. Nunc eos, qui ab Apennino egreſſi Padum augebant, videamus.

V. **Fl. Feuos.** Velſ. Fl'. Feuos. Cluuerius, heic miror, inquit, tam obſcura nomina, Feuos, Latis, Iala, Berſula, Odubria, perſcripta eſſe; quum interim maxima celeberrimaque huius ripae flumina, Tanarus, Trebia, Tarus,

(a) L. XXXVIIII. c. 32.

Gabellus, Scultenna, non memorentur.“ Non habebat, quod miretur. Tabulae auctor alueos fluminum praecipuorum adcurate fignat, quorum nomina, vtpote vulgo nota, praeterit, minus obuia, et popularibus dumtaxat familiaria, opera data, eaque laudanda, exprimit. Praecipui ante Sturam fluuii, Padum ab auftro petentes funt, *Vrayta*, *Mayra*, *Orana*, quorum primus feorfim, reliqui fimul iuncti, Pado mifcentur. Forfan *Sevos* olim fcriptum erat, vt impetum Latinis, aut alaudam incolis notaret. In Ortelianis *Pex*, Tanarum petens.

fl'. Latis. Velf. Fl'. Latis. *Maira* cum *Orana* effe videtur, fluxus ratione habita. Ad recentem fluuium Mairam funt vici *Elve* et *Lot*, qui antiquae vocis veftigia feruent; vrbs quoque *Savigliano*, amnibus interiecta, fono refpondet. Videtur olim *Lotis* pro *Lutis*, acer, nuncupatus fuiffe amnis.

fl'. Iala. Velf. Fl'. Iala. In Ortelianis *Ello*, aliis *Eloro*, *Mondovi* vrbem praefluit, Tanarum petens; Liguribus et Liburnis fterilis, inuida. Veteres illi mortales fluuios confecrare folebant, epithetis virtutum aut vitiorum adfectos, quod bonum alterum, alterum malum Deum effe crederent.

fl'. Varusa. literis pictis; Velf. Fl'. Varufa. Cluuerius, e fimilitudine vocis, riuum *Verfa*, paullo infra Ticini exitum, longius ab fitu noftro in exortum, accipi vult; fed Tabula riuos confectari non folet, nifi nobiliori fluuio iunctos. Stura fit, vnus ex praecipuis, qui Tanarum influunt; heic autem ipfum Tanarum repraefentat, finem quondam Liburnorum aut Tufcorum, poftea Gallorum fortaffe; tametfi Liguria ferius vltra pateret. Danuille in aduerfa regione, Orgum inter et Duriam minorem Sturam ponit, deceptus loco Plinii, verbis Cluuerii non expenfis, qui nomen integrum Sturam feruare ait, ex Graiis delapfum alpibus, non vtique in laeuam, fed aduerfam Padi ripam. Vtrumque Plinius nouit, Tanarum et Sturam; ille praeterea Aeliano *Ταίναρος*, *Taenarus*. Conferuant nomina, *Stura*, *Tanaro*, quorum hic reliquos deferens infra Valentiam Pado infertur.

fl'. Bersula. fcriptura picta; Velf. Fl'. Berfula. Amnes *Belbo* et *Bormia*, Alexandriam hic ab exortu, ille occafu, praefluentes, ripae Tanari dextrae iunguntur. Eft etiam paruus fluuius *Ervo*, Bormiam petens. Berfula eft deminutiuum ex *Berfa*, celer; quod nomen vetus Bormiae fuerit. Conftructio operis pofcebat, vt hi fluuii, vno alueo cum Tanaro in Padum infufi, diftincto curfu in hunc deferrentur.

fl'. Odubria. fcriptum minio pictum; Velf. Fl'. Odubria. Claudianus, fluuium miri cognominis *Vrbem*, poetico more, pro *Orbem*, vocat. Nam et hodie *Orba*, Bormiae ab exortu illapfus, nuncupatur. Veteres Dobriam, Dobram, adpellarint, vnde per metathefin Orba fit enata adpellatio. Hic aeque feorfum aliis Pado infertur.

Sunt praeterea fluuii, *Scrivia*, *Corone*, *Staffora*, *Copa*, *Bardinezza*, *Tidone*, *Trebia*, feparatim Padum petentes, quos Tabulae auctor praeteriit; nifi Ordubiam eius Trebam effe malis. Neque enim facile mihi perfuaferim,

fluuium iam Punico bello celebratum, auctori Tabulae praeteritum fuiſſe; in primis, quod regionem octauam a nona, ex inſtitutione Auguſti, dirimebat. Cluuerius, ex nomine oppidi Iriae, amnem Stafforam olim Iriam fuiſſe dictam cenſet. Trebia, Polybio *Τρεβίας ποταμὸς* audit; Plinius, *Trebiam Placentinum* vocat; Appiano, *Τριβίας*, *Tribias;* Silio et Lucano Trebia; et priori quidem paludes Trebiae, Liuio quoque, tacito amne, memoratae, dicuntur; quas circa primos apud Trebiam colles hodieque conſpici, Cluuerius perhibet; in chartis non comparent. Haec de fluuiis.

§ III

Liguriae populi.

I. PRAECIPVI hac regione populi fuerunt, Intemelii, Ingauni, Vagienni, Statielli; Plinio, citra alpes, Veneni, et Caturigibus orti Vagienni, Statyelli, Vibelli, Magelli, Euburiates, Caſmonates, Veliates, et qui ab oppidis nuncupati fuere. Ptolemaeus oppida recenſet, populi nullius praeterea meminit. In Tabula ſunt Bagitenni, Veliatae, Sengauni. Erant praeterea Hercates, Friniates, Garuli, Lapicini, Liuio noti; eos, qui Tabulae memorantur, perſequi libet.

BAGITENNI. Scriptura picta; Velſ. Bagitenni. ad initium Apennini, in alpibus. Hunc populi ſitum probat Plinius: *Padus e gremio Veſuli montis, finibus Ligurum Vagiennorum, viſendo fonte profluens.* (a) Alio loco, ex Caturigibus orti Vagienni Ligures. Caturigum erat Ebrodunum, in parte alpium gallica. In quibusdam libris *Bagienni* leguntur, ad normam Tabulae. Velleius in Vagiennis Eporediam coloniam ſtatuit; reprehenſus idcirco ab Cluuerio. Silius: Tum pernix Ligus, et ſparſi per ſaxa *Vagenni;* media vocali exmiſſa. Ptolemaeo *Αὐγόυστα Βαγιεννῶν*, *Auguſta Bagiennorum*, Eraſmi editio *Βατιενῶν*, *Batienorum*, ſic Schotti quoque. Auguſtam hanc Cluuerius circa Carmaniolam fuiſſe putat, Danuille auſtralius; quare Vagiennos ad ſupremam Padi partem, vbi *Saluzzo* et *Foſſano* agri hodie explicantur, dextra amnis ripa, ad Sturam fluuium, habuiſſe recte adſerit Cluuerius.

II. Veliate. literis miniatis; Velſ. Veliate. Plinius, *Veliates* nuncupat, vt paullo ante vidimus. Alio loco, vbi de ſpatiis vitae longiſſimis agit: (b) Circa Placentiam, in collibus oppidum eſt Veleiacium, in quo cx annos ſex detulere, quatuor centenos vicenos, vnus cxl. M. Mucius M. F. Galeria felix.“ Cluuerius putat, Veliatium legi oportere, ſed oppido ſitum adſignare non

(a) L. III. c. 20. (b) L. VII. c. 50.

audet. Danuille, ripa Trebiae laeua, oppidum *Bobbio* cenſebat, ſignato ibi loco absque nomine; agrum quoque Bobbianum exhibent chartae. Idem Plinius, in octaua regione: (a) *Tunetani*, *Veliates*, *cognomine Vecteri*, *Regiates*, *Vrbanates.* Quam ob rem ad Trebiam, in Ligurum et Boiorum finibus, hos coluiſſe, Cluuerius putat. In Faſtis triumphalibus, ad A. V. 596. M. Fuluius Nobilior. procoſ. DE LIGVRIBVS ET ELEATIBVS. Cluuerio absque copulatiua legi debere videtur; ſed in Faſtis -- BVS ETELIATIBVS clare exprimitur, ipſomet geographo teſte. Vtrum hi Eleates ſint e Ligurum ſtirpe, non adſeuerarim; in primis, quod incertum eſt, -- BVS particula quinam ſuppleri debeat. In iisdem tamen Faſtis, ad A. V. 588. M. Claudius Marcellus, coſ. de Galleis Contrubeis et LIGVRIBVS ELEATIBVSQ. eodem anno, C. Sulpicius Galus, coſ. DE LIGVRIBVS TAP--RNEIS. forſan IAPODIBVSQ. CARNEIS. Nam ad A. V. 577. C. Claudius Pulcher, DE ISTREIS ET LIGVRIBVS triumphum habuit; vt arma ſocia tractaſſe videantur. Illud fortaſſe propius vero cenſeas, *Iluates Ligurum*, Boiis iunctos, apud Liuium, iſthuc pertinere; niſi ad Iluam Tuſciae inſulam, ferro diuitem, ſpectent. Ceterum, ſi Eleates ſunt reapſe Veliates, validum oportebat eſſe populum, ipſo etiam veteri nomine indice, qui cum Liguribus in iisdem Faſtis ſaepius occurrunt, vna in triumphum a Romanis ducti. Iunguntur nonnumquam Ligures cum Iſtris, cum Iapodibus, et Carnis; vt cognatam gentem, ſociatis viribus animisque aduerſus Romanos arma tuliſſe arbitrere. Equidem, cum iſta mentem ſubeunt, perſuadeo mihi firmiter, tam amplae his regionibus gentis non eſſe omnia prorſus veſtigia exſtincta. Si in Apulia, Dolcio teſte, integra ſunt Illyricis colonis referta oppida, non minus putem his Ligurum Liburnorumque priſcis ſedibus, eius linguae gentisque reliquias ſupereſſe. Verum haec Italis philologis indaganda lubens relinquo.

III. SENGAVNI. Velſ. SENGAVNI. Cluuerius cenſet, primam S ſpectare ad vocem praecedentem VELIATE. et pro E debere I reponi, vt ſint INGAVNI. Id quidem prima ſpecie cuiuis in oculos incidere poſſet; verum Sengauni vltra Penninum, ad Macram ponuntur. Quare, id ex ſitu eorum opinari licet, populum alpeſtrem, in maritimarum alpium clauſtris vtrobique ad terminos prouinciae cuſtodiendum fuiſſe collocatum: *Sengaunos* autem ab ora maritima, quam adcolebant, recte dici, neque vitium in vocabulo eſſe. Reliqui apud Albium Iugaunum, cuius Varro, Strabo, Mela, Plinius, Tacitus, Ptolemaeus, alii meminerunt, ſedes habebant. Vopiſco, in vita Proculi, *Albingauni*, *in alpibus Maritimis.* Oppidum eorum Albingaunum a plerisque, compoſita voce, dicitur, vti ſuo loco viſuri ſumus; hodie Albenga. Haec de populis.

(a) L. III. c. 20.

§ IV

Oppida, mansiones.

I. QVAE per oram ſunt loca, recenſebimus primum, Tabulam comitante Hodoeporico, itinere duplici, Via Aurelia, a Roma per Tuſciam et alpes Maritimas Arelatum vſque; deinde itinere maritimo, legente portus, Tabulam, pro conſueto, praemittere libet. A Varo flumine, quod in Narbonenſi poſtremum diximus, haec ſequuntur:

Cemenello. VI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Cemnelo.* VI. Suritae, *Cemenelum;* ſcriptis *Comenelo*, *Gemellino.* Plinius: Ab amne Varo Nicaea oppidum, a Maſſilienſibus conditum; fluuius Pado; alpes, populique inalpini multis nominibus, ſed maxime Capillati; oppidum Vediantiorum ciuitatis Cemelion." Ptolemaeus, *Οὐεσδιαντίων ἐν παραλίοις ἄλπεσι Κεμενέλεον*, *Veſdiantiorum in Maritimis alpibus*, *Cemeneleum.* Cluuerius *Οὐεδιαντίων*, Schottus *Οὐενδιαντίων*, legunt. Antiquae apud Sponium epigraphae, Cl. Paternus, CEMENELENSIS. aliae binae, ORDO CEMENEL. in oppido *Vence*, trans alpes, apud Cluuerium, Marti Vincio, M. Rufinus fil. Gal. IIIIII vir et incola CEMENAEI ex voto. Poſteriori aeuo, *Cemela*, *Cimella* dicebatur locus, hodie *Cimiez*, ſupra Nicaeam, in ruderibus, ſub monte Cemeno.

In alpe Maritima. VIIII. Velſ. *In Alpe Maritima.* VIIII. Hodoeporicon, *Alpe Summa.* VIIII. poſt quam, Cemenelium verſus: *Hucuſque Italia, ab hinc Gallia.* Alpibus quippe Maritimis terminari Italiam plerique crediderunt. Cluuerius de ſitu Cemenelii: Eſt tumulus ſupra Nicaeam in alpibus, in quo hodieque exigua quaedam conſpiciuntur antiqui oppidi veſtigia; vnde faciliori expeditiorique via V numerantur ad Varum flumen millia paſſuum; ab altero vero latere, verſus Albintemelium, ingens eſt alpium iugum, cuius ſummus vertex, ſiue ſummus tranſitus, VIIII circiter a praedicto tumulo diſtat millia paſſuum. Hic vertex, ſine controuerſia, eſt locus, qui Antonino vocatur *In Alpe Summa*, Tabulae vero *In Alpe Maritima.*" Danuille ab Cemenelio viam ducit ad locum maritimum Oliuam, inde, iuxta litus, Albium Intemelium; ſed iter hoc non acceſſit mare, vt e Cluuerii quoque phraſi colligas.

II. **Albentimillo.** VIIII. editio Velſeri vocem et numerum attritum exprimit. Hodoeporicon, *Lumone.* VI. *Albintimilio.* X. Cluuerius numeros Hodoeporici corruptos eſſe putat, neque Lumoni ſitum adſignare audet. Eſt vicus *Paglion*, ad laeuam cognominis fluuii, olim Paulo aut Pado nuncupati, ripam, in mediterraneis, qui iuxta numeros, quos video integros, *Lumoni* reſpondeat. Forſan id nomen erat fluuio. De vrbe Albio Intemelio Strabo, inter Albingaunum et portum Monoeci, *πόλις εὐμεγέθης Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι*, *vrbs magna Albium Intemelium, cuius incolae Intemelii.* Plinius,

oppidum *Albium Intemelium;* in quibusdam Hodoeporici exemplaribus, *Albinte milio.* Tacito, *Albintimilium;* in vetuſto Suritae, *Albintimum.* Ptolemaeo, *Αλβινιμΐνιον*, *Albiniminium*, *Αλβινιμίηον*, *Albinimieum*, *Αλβιντιμίνιον*, *Albintiminium. Intemelium* et Varroni notum. Hodoeporicon, itinere maritimo *Vintimilio.* Inſcriptio vetus, apud Sponium, M. Sabinius, Fab. ALBINTIMILI. alia, ALBINTIMILIENSIVM. Etymon Strabo ſic prodit: Pro ſigno, quo probent, alpes a Sabatis initium ducere, haec nomina ſumunt; nimirum Alpia ante dicta fuiſſe Albia; inde cum Ligurum alii ſint Ingauni, alii Intemelii; conſentaneum eſſe, eorum colonias maritimas alteram vocari Albium Intemelium, alteram conciſius aliquanto Albingaunum.“ (a) Vrbs eſt *Vintimiglia*, dextra Reiae, olim Rutubae, effluentis ripa.

Coſta Bellene. XVI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Coſta Balenae.* XVI. MSS. *Coſta Bellene.* Rauennas, *Coſta Ballenis.* Cluuerius circa oſtium Caprioli, *Coſta Ballene*, ſic ex Tabula et Hodoeporico legit, fuiſſe putat; Holſtenio, *Coſta Rainera*, chartis *C. Rainera*, ad quartum ab *Taglia* amnis effluxu lapidem. Numeri ad fluuium ducunt, cuius laeua ripa vicus *Riva* Coſtae reſpondeat, vt Danuille quoque poſuit.

Luco Boramni. absque numero; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Luco Bormani.* XVI. Simlero, *Locobormanium*, aut *Locobani;* in Regio Suritae, *Luco Bormaci;* in reliquis, *Loco Bormani.* Rauennas, *Luco Vermanis.* Weſſelingius, Bormanus, inquit, cuius hoc loco lucus fuit, Dei localis cognomentum eſt, Germanorum ſermonem redolens.“ Cluuerius inter oppidum Dianium et Ceruum vicum ſtetiſſe putat. Danuille, Lucus Bormani, ad *S. Maria*, tertio ab *Oneglia* milliari; rectius ipſi vrbi, Ortelio *Onegha*, laeua *Imperiale* amnis exeuntis ripa, adpoſueris. Vtrum autem Boramnus, Deus loci fuerit, isque originis germanicae, quod Weſſelingio videbatur, non adſeuerarim. *Lug Boramni* Liguribus eſt ſaltus pineus.

Albincauno. XV. Velſ. *Albingauno.* XV. Hodoeporicon, *Albingauno.* XV. in Regio, *Albingaulo;* reliquis Suritae *Abbingauno.* Straboni, *Αλβίγγαυνον*, *Albingaunum;* Varroni, Plinio, *Albium Ingaunum;* Tacito, *Albingaunum;* Ptolemaeo *Αλβίγαυνον*, *Albigaunum;* ſic apud Melam, et Tacitum, in vetuſtis libris habetur. Faſti ad A. V. 573. L. Aemilius Paullus, DE LIGVRIBVS INGAVNEIS. Ab his oppidum eſt nuncupatum, hodie *Albenga*, ripa Arociae exeuntis dextra.

Vadis Sobates. XXIX. inſignia vrbis liberae, ternis domunculis; Velſ. *Vadis Sabates.* XXIX. Hodoeporicon, *Pullopice.* VIII. *Vadis Sabbatis.* XII. in Longoliano, Pullopice, XIX. Simlerus, *Pollupice*, ſiue *Lollupice*, *Final.* Cluuerius, numeros Hodoeporici vitiatos queritur, X. deſiderari adſerens. Danuille

---

(a) L. IV. p. 202.

vulgatos presse sequitur; Tabula et vero interuallo contradicentibus; sunt enim ab *Albenga* ad *Savona* fere sex mill. geogr. Si Longolianum exemplar sequimur, ad XIX M. P. vrbs *Noli* occurret, Pullopici respondens; quam nescio, quibus machinis, Cluuerius Naualia Tabulae esse contendit, Straboni, *Σαββάτων Οὔαδα*, *Sabbatorum Vada;* alias *Sabbata*, absque Vadis. Plinio, in vetustis, *Portus Vadorum Sabatium;* hodie legitur, *Vadum Sabatium;* de quo Cluuerius et Cellarius longum disputant. Nobis sermo de Sabatis est, quae Ptolemaeo *Σάβατα*, Straboni *Σάββατα*, hodie *Savona.* Vada vero, ipso Strabone indice, erit occidentalius oppidum *Vag*, *Vai*, *Ve*, *Vadi*, ad VI aut VII lapidem, vt Holstenius ait; quinque forsan sufficient. Tabulae aetate locus hic euiluerit, vt nomen vtrumque ad Sabata referretur. Diuersum enim isthic locum Vada et Sabata accipi debere, quod nonnullos voluisse video, ex recentiori vocabulo *Vai*, *Ve*, arguere non licet.

III. A Vadis Sabatiis Tabula duplicem notat viam, vnam in mediterranea, ad Aquas Statiellas, inde Dertonam, et Iriam; alteram secus litus, absque Hodoeporico. Ante oram absoluere libet. Cluuerius numeros in Tabula hoc itinere corruptos queritur; an reapse ii tales sint, effectus docebit. In Tabula a Sabatis haec ponuntur:

Vico Virginis. VIIII. Vels. *Vico Virginis.* VIIII. Cluuerius ait, *Veraze*, seu *Viragine*, locum Italis dictum, in litore, huic mansioni respondere; chartis est oppidulum *Varaggio*, dextra effluentis *Teura* amnis ripa, numeris et sono vocis Vico Virginis apte respondens. Inde autem via in mediterraneum diuertit; forsan quod alpes maritimae inter *Sestri* et *Vtri*, progressum impedirent. Danuille, ad quartum a Vadis lapidem, loco absque nomine signato, in Atlante *Sauo*, vbi *Celle* oppidum est, ad tertium porro, situ Virginis, *Alba Docilia*, tum Vico Virginis, expressis, viam secus litus continuat; quae neque Hodoeporici, neque Tabulae esse potest.

Alba Docilia. X. sic Vels. Cluuerius, *Albizzuola*, chartis *Albizola*, *Arbizola*, e cognatione vocabuli, Dociliam interpretatur, oppidulum Sauonae proximum. Danuille, *Varaggio*, sed ripa *Teuro* fluuii sinistra. In boream, via hodierna, progredienti ad decimum lapidem occurrit vicus *Ciampano*, eique vicinus *Olba* ad fontes *Orbae* amnis, Bormiam petentis; quae si est Alba nostra, viam hac processisse, nullum erit dubium.

Ad naualia. XIII. Vels. *Ad Navalia.* XIII. Cluuerius, e sono vocis, vrbem *Noli*, ad oram maritimam, cui Pullopicem Hodoeporici dedimus, accipit; Danuille, Nauatia, ad XIV ab Genua lapidem, oppido *Vtri* adplicat. Numeri accedunt agrum vici *Miglia*, ad recentem *Caramagna* fluuium, qui Bormiae apud Aquas infunditur. Mansio haec insigne nauium habuerit; fortasse, quod ligna heic pro nauibus caedebantur, quae aptissima huic rei apud Ligures reperiri, Strabo docuit.

Hasta. VII. sic Vels. Cluuerius ex Hasta Segestam, et inde *Sestri* format, oppidum ad quartum a Genua lapidem; quem Danuille in Atlante sequitur; in tabella Galliae cisalpinae, missa Hasta, ad Figlinas notat. Auctor Tabulae, vbi naualium caussa in haec loca delatus est, relicta sinistrorsum via Aquas versus, in orientem flexit, vicum *Ponzone*, dextra riui Caramaniam petentis ripa situm, aditurus. *Ponzone* Italis, *Mostak* Liguribus, nomen vsu militari in Hastam forsan detortum.

Ad figlinas. XIII. sic Vels. Cluuerius, ad *Pocevra*, chartis *Ponzeura*, amnem, Genuae vicinum, quem Plinii Porciferam recte existimat, Figlinas fuisse opinatur; Danuille apud *Sestri*, vt diximus. Auctor Tabulae, traiecto monte intermedio, accessit vicum *Rossiglione*, *Rociglione*, apud flumen Orbam, vbi viae plures concurrunt, et alter vicus eiusdem nominis vicinus. Figlina, Liburnis *ciglana* dicitur; vnde *Rociglione* forsan exortum, Italis a rubeo colore, quem lateres cocti praeferunt, loca nuncupantibus. Opiniones vtique hae sunt; sed, si auctor Tabulae hac processit, habebunt verisimilis speciem.

Genua. XXVII. sic Vels. Numerus hic, plaga montana, secus amnem Porciferam procedendo, bene habet. Hoc autem Tabulae iter a Sabatis oram non tenuisse vel ex eo videas, quod in maritimo Hodoeporici itinere, Genuam inter et Vada, nullus occurrit locus portui aptus; vt id litus importuosum, et minus frequentatum arbitrere. Vrbis Genuae, hodieque florentis, meminerunt Liuius, Strabo, Plinius, Mela, Ptolemaeus, alii. Hodoeporicon, itinere maritimo, *a Genua Vadis portus. M. P.* XXX. Artemidorus, apud Stephanum, *Γενόα, πόλις Λιγυρῶν, Genoa, vrbs Ligurum.* Straboni, *Genua*, *Γένουα,* vti et Latinis omnibus. In tabella vetere aenea, apud Gruterum, ciues GENVATEIS. item FLOVIVM PROCOBERAM. quem Plinius Porciferam, ore Latino dixit; sed *Procop* fossam, alueumque notat; *perem,* lauo, est Liburnis. Liuius, in belli Punici secundi gestis meminit Genuae; vt vnam e vetustissimis vrbibus fuisse arbitrere. Etymon videtur a motu classis, vti Luca ab statione nauium, promanasse. Neque enim sanum putes, originem vrbium Ligusticarum e Latio deriuare. Iuuant significatum Naualia supra dicta, et Strabo, qui ligna pro nauibus apud Ligures optima esse dicebat. Italis Hispanisque *Genova*, ceteris *Genua,* vocatur.

IV. Hoc iter, quod vna seruauit Tabula, quae id per oram, ex operis constructione, ducere videatur, reapse autem per vicina mediterranea tendebat; vt ex numeris, et mansionum vocabulis, quae in ora a nemine adferuntur, colligere licet. Proinde nemo Cluuerii, loca et numeros pro lubito disiicientis, refingentis, factum probarit. Nefas enim id est in antiquis tabulis tractandis, nisi certum id faciendi praesto sit argumentum. Explicare, iuuareque oportet antiqua monumenta, non autem lacerare, contaminare, et, cum sint per se obscura, vsui magis inepta reddere. Apud Genuam prodit via, per loca in mediterraneis remotiora progressa, quam, absoluto litore, petemus.

Riona. VII. Velſ. *Ricina.* VII. apud Scheibium mediae ſunt extritae. Cluuerius, adfinitate vocis ductus, vicum *Recco* eſſe putat; quem ceteri ſequuntur; ſed is vicus ab Genua amplius XII M. P. abeſt. Ad ſeptimum lapidem occurrit vicus *Nervi*, laeua riui cuiuspiam exeuntis ripa, qui *Ricinae*, Liguribus validum riuum notanti, reſpondeat.

Ad ſolaria. XV. ſic Velſ. Cluuerio, mille paſſus ab Seſtrio, verſus Genuam, id eſt, ad fluuium *Granola;* qui longius a poſitione Solariorum abeſt. Menſurae vrbs *Rapallo* reſpondet, ad tertium fere a Portu Delphini, *Porto Fino*, lapidem, quem in angulo aeſtuarii ſitum Tabula declinauit, vti hodie via publica declinat. Solaria haec fuerint horologia, aut aeſtiuae habitationes, inſigne manſionis.

Ad monilia. VI. ſic Velſ. Cluuerius, oppidum *Moneglia*, ad XV M. P. in ora, e ſimilitudine vocis, eſſe putat; cuius veſtigia premunt alii. Nobis eſt *Lavagna* oppidum, laeua exeuntis fluuii cognominis ripa, menſura locum expoſcente.

In alpe pennino. XIII. Velſ. *In Alpe pennino.* XIII. Cluuerius, *In Apennino* vult legi, ſummum Apennini montis traiectum inter Monilia et Boacten amnem, interpretatus, addens: A Monilibus igitur ad Lunam per Boactae vallem ducebat olim iter Romanum; at nunc per aſperrima montium iuga, et vicos, quibus vulgaria vocabula *Pignon* et *Ricco*, oppidumque *Spetiam* itur." Hodie via per vicum *Braco*, oppidum *Matarana*, in ipſis alpibus ſitum, prope dextram *Vara* amnis ripam, ducit. Vicus *Pignone* abeſt a *Moneglia* ad XIII lapidem; ſed extra viam, et longius in exortum remotus; qui Tabulae Pennini veſtigia ſeruet, ſed pro manſione veteri accipi nequeat.

Boron. II. ſic Velſ. Cluuerius, vocabulum hoc cum Hodoeporici *Boaceas* ad XII a Luna milliare, adfinitatem habere putat; nos, Tabula duce, peruenimus ad *Matarana* oppidum, et flumen *Vara*, a quo manſioni, et hac parte Liguriae termino, cognomen erat. Paullo inferius, ad quintum lapidem, laeua Varae ripa, eſt oppidum *Brugneto*, vbi Danuille Briniates populum, Liuio memoratum, Cluuerium ſecutus, cum oppido cognomine ſtatuit. Ea vox montium adcolas Liguribus notat. Inde auctor Tabulae, ripa Varae, tum Mairae laeua, Lunam petierit; quae via hodie quoque in vſu eſt, ab Danuilleo rite ſignata. Numerus XXV. qui diſtantiam oſtenderet, in Tabula deſideratur. Hodoeporicon diuerſam tenebat viam, litus ſecutum. Luna, Etruriae ciuitas, ſuo dicetur loco. Addit Plinius: *Haec regio ex deſcriptione Auguſti nona eſt; patet ora Liguriae inter amnes Varum et Macram* CCXI M. P. oram ſcilicet legendo; nam, ſi cum Danuilleo procedas, angulis praeteritis, ſunt CLXV M. P. Nunc ad mediterranea procedere libet.

V. A Vadis Sabatiis progreditur auctor Tabulae cum Hodoeporico, cum quo in ora, niſi apud Genuam, nuspiam conuenerat; idcirco iter eius

partim neglectum incultumque, partim misere deformatum, sortem feliciorem praestolabatur. Haec autem via sic in Tabula habet:

Calanico. XII. sic Vels. Hodoeporicon, *Canalico*. XII. Simlerus nunc *Caralupo*, inquit; Cluuerius, oppidum *Cairo*, laeua Bormiae amnis ripa, in concursu plurium viarum, recte interpretatur. Danuille in dextra posuit; expressio Tabulae, *Calanicum* viam currulem Liguribus designat.

Crixia. XX. Vels. *Orixia*. XX. Cluuerius tamen *Crixia* e Tabula legit. Hodoeporicon, *Crixia*. X. Simlero, *Crosera;* Cluuerio *Cortemiglia* oppidum; laeua Bormiae occidentalis ripa. Est etiam via secus Bormidam orientalem, eaque breuior, quam Danuille expressit; sed numeri longiorem poscunt. Ad Cortemiliam vsque sunt fere quatuor mill. geogr. numeris Tabulae, quam Hodoeporici, interuallo adcuratius respondentibus. Danuille *Spigno* elegit, ad nonum a priore lapidem.

Aquis. Tatelis. XXII. insigne aquarum, aedes minus splendida; sic Vels. Hodoeporicon, *Aquis*. XX. Liuius, agrum Statiellatem in Liguribus memorat; incolas *Statiellates*, *Statiellos;* (a) qui sunt Ciceroni *Statiellenses*. (b) Plinio, *Aquae Statiellorum;* (c) loco alio, *Statiellas* in Liguria vocat. (d) Inscriptio vetus, AQVENS. STATIEL. Straboni, *Ἀκουδιστάτελλα*, *Acudistatella*, item *Διάκουστα καὶ ἰέλλεια*, *Diacusta et Iellia*, quae Cluuerius, *Ἀκούαι Στατιέλλαι* scribi oportuisse censet. Serius, *Aquae* modo, epitheton *Aquensis*, obtinuit vsum. Tabula vulgarem exprimendi rationem secuta, qualis fere apud Strabonem legitur, Aquas *Tatelas*, tamquam patrias, nuncupat. Hodie *Acqui*, incolis *Aich*, laeua *Baionae*, Bormiam influentis ripa.

Dertona. XXVII. sic Vels. Hodoeporicon, *Dertona*. XXVIII. Est in eodem, iter ab Arimino Dertonam. Straboni, *Δερθὼν*, *Derthon*, medio Placentiam inter et Genuam spatio, vtrimque cccc stadiis; Ptolemaeo, *Δερτῶνα*, *Dertona;* Stephano, *Δερτὼν*, *πόλις Λιγυρῶν*, *Derton*, *vrbs Ligurum*, ex Artemidoro. Latinis, Ciceroni, Velleio, Plinio, *Dertona*. In veteri lapide, oriund. ex ITAL. IVL. DERTONA. Paterculus et Plinius coloniam vocant. Tiberii numus, apud Harduinum, C. I. A. D. *Colonia Iulia Augusta Dertona*. vt is legi vult, videtur spuriam redolere mercem; si est sincerus, alio spectet. In Tabula nullum insigne vrbis promitur. Strabo refert, Scaurum viam Aemiliam, a Sabatis per Dertonam instituisse; quae sit haec in Tabula expressa. Quamquam ab Scauri aetate ad Antoninos viae multas vices experiri poterant. Hodie *Tortona* vrbs, dextra *Scriviae*, Padum petentis, ripa, vt rite signauit Danuille.

Ad ertona. iria. absque numero; Vels. *Adertona-iria*. Hodoeporicon, itinere ab Arimino Dertonam, *Iria*. X. Apud Dertonam concurrebant viae a

---

(a) L. XLII. c. 7. sq. (b) L. XI. epist. 11. (c) L. III. c. 7. (d) L. XXXI. c. 2.

Pollentia, Placentia, Genua, in Tabula omnes expreſſae; Hodoeporicon poſtremas duas habet. Plinio, *Iria;* Ptolemaeo, in Taurinis, *Εἴρια*, Schotto *Ιρία*, *Iria.* Cluuerius, ab Tortona Placentiam verſus, inquit, transitur ad v milliare vicus *Ponte Corone;* et inde iv milliaribus oppidum *Voghiera*, laeua Staſſorae amnis, Padum petentis ripa. Cellarius, longa oratione, vult Iriam oppidum et fluuium finem Boiorum et Ligurum facere, vt Cluuerius adcurate oſtendit; ſed olim Boii partim caeſi, partim pulſi, his agris eſſe deſierunt; Ligures patriis ſedibus reſtitere. Cluuerius *Voghiera* Vicum Iriae interpretatur, ſed ad flumen *Iram*, vt Iornandes vocat; quae probabilia videantur.

Abiria. Cameliomagus Milia. XVI. Comeli. magus. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Comillomago.* XVI. Simlerus, *Cumillo Magno*, alias *Cumilo Mago*, vel *Cumillum;* in Regio, *Comillomago;* in aliis *Cum illo mago*, vt Neapolitano, cum M. P. XXV. apud Weſſelingium, *Cumillomago*, *Conullomago*, *Cumilliomago.* Cluuerius, ex particula *magus*, quae Celtis veteribus traiectum notarit, putat, manſionem Padi ripae adpoſitam fuiſſe, locum non indicans. Numeri ducunt ad vicum *Cigognolo*, ad *Schirpazo* amnis, poſt VI M. P. in Padum decidentis, exortum. Danuilleo, ad quintum ab Iria milliare, *Claſtidium*, inde ad vndecimum *Cameliomagus*, ſitu fere a nobis deſcripto. *Claſtidium* ſit *Caſtellazzo*, aut *Caſtagnola*, extra viam.

Placentia. absque nota numerali, et viae ductu; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Placentia.* XXV. in Regio et Neapolitano, XXVI. Danuille XVII M. P. remouet; ſed eo quidem ſpatio intercedunt mill. geogr. quinque; vt in Tabula quoque numerum XXV. deſiderari putes. De Placentia, quae extra fines Liguriae cadit, ſectione ſequenti agemus.

VI. Supereſt via mediterranea, ab Alba Pompeia, et Auguſta Taurinorum, per Dertonam, Genuam vſque. Olim pars viae huius, ab Sabatis per Canalicum, Auguſtam Vagiennorum, Pollentiam, Albam Pompeiam proceſſiſſe videtur, ductu viae, iniuria temporum intermiſſo; fortaſſe, quod via poſteriore tempore neglecta erat. Auguſtam Vagiennorum, Cluuerius Cellariusque, apud Carmaniolam, prope Padum recentem, fuiſſe putant, ex eo, quod Vagienni eam plagam coluiſſe legantur. Danuille, ripa Elori dextra, prope effluxum in Tanarum, *Mondovi* vrbem interpretatur, quibus ductus rationibus, neſcimus; neque diſpicere libet, cum ea vrbs in Tabula non compareat. Ad octauum in boream lapidem, ripa Tanari laeua, eſt oppidum *Carru*, quod Plinii Carreae Danuille, Cluuerio duce, reſpondere putat. In Tabula, via illa acciſa, Alba Pompeia praeponitur Pollentiae; ſed poſtponi oportere, certi fere ſumus; etſi Plinii quoque phraſis difficultatem patitur. Itaque principium viae ducemus a Pollentia.

Polentia. absque numero; Velſ. *Polentia.* Velſeri ſcriba ternos tractus ad Aquas Tatelis fecit, qui apud Scheibium non comparent, vbi ductus extremus Padum verſus dirigitur; olim autem Calanicum proceſſiſſe viam, e ſitu

opinari licet. Plinius: *Induſtria*, *Pollentia Carrea*, *quod Potentia cognominatur.* (a) Cluuerius Pollentiam ab Carrea vult ſeiungi, tamquam loca diuerſa. Danuille in Atlante, *Carrea Potentia*, in tabella Galliae cisalpinae ſolum *Carrea;* ſi loca, quae hodie ſuperant, ſpectas, rectius. Videtur quippe ſcripſiſſe Plinius, *Carrea Pollentia*, *quod Potentia cognominatur.* Sane, Potentiae huius, quae Pollentia dicebatur, alias non occurrit mentio, niſi in chartis recentioribus, ſupra Sturae cum Tanaro confluxum, *Potenza*, vbi Danuille quoque Pollentiam ſignat. Vicina huic vico eſt, intra confluxum, vrbs *Cheraſco*, quae ex ruderibus Pollentiae ſurrexerit. Nota eſt vrbs Bruto, apud Ciceronem; Ptolemaeo, *Πολεντία*, *Polentia;* Claudiano, *Pollentia;* Suetonio, *plebs Pollentina;* Statio, *Pollentini* ſaltus; Plinio, lana *Pollentina.* *Polenza* et *Polenzo*, Cluueri et Harduini Cellariique, chartae *Potenza* exprimunt; quae ſi expreſſio propria loci eſt, Plinii Potentia, interpunctione facta, ad Carrea non ſpectabit. Si ab Calanico via ducebat Carream, XXI M. P. inde Pollentiam X. ſecundum Danuillei rationes numerabantur. Et denarius quidem numerus in Tabula, ad Aquas Tatelis, poſitus, e via hac, ſuperius poſita, eo irrepſerit; vt ſcriba Velſeri viam ab Alba Pompeii eo tetendiſſe putaret. Sed is numerus ibi otioſus eſt, aut certe iterandus, et ab Aquis ad Albam Pompeii ſunt omnino XXIII M. P. iuxta Danuilleum.

Alba pompeia. x. Velſ. *Alba Pompeia.* Numerum denarium, ad Aquas conſpicuum, iſthuc etiam referri debere, adiuncta ſuadent. Eſt fluuiolus *Claraſca*, ab exortu Tanarum petens, cuius laeua exeuntis vrbs *Alba*, veteri nomine, ſedet. Plinio, *Alba Pompeia;* Ptolemaeo, *Ἄλβα Πομπηΐα*, *Alba Pompeia;* patria Pertinacis Auguſti, qui, teſte Dione, fuit *Λίγυς ἐξ Ἄλβης Πομπηΐας*, *Ligus ex Alba Pompeia.* In lapide, apud Sponium, P. Cornelio, P. F. L. N. Africano, et Cn. Pompeio Magno, Cn. F. Sex. N. ALBAE INSTAVRAT. S. P. Q. CERIALIS D. quibus addit Cellarius, *Ceriale* vel *Cereale* nunc, oppidum territorii Albenſis, vbi hic lapis viſitur. Forſan *Chieraſco*, ad confluxum Sturae et Tanari, prope Pollentiam veterem. In alio, Auguſtae Taurinorum, praef. coh. Breucor. municipi ſuo ALBA POMPEIA. patrono coloniarum municipiorum ALBAE POMPEIAE AVG. BAGIENNORVM. quae inſcriptio mihi ſuppoſititia, aut interpolata videtur; ſincera vero illa Romana, quam apud Noricos dedimus, T. Venonio Abutiano, patrono et municipi COL. AVG. LAVR. CVR. R. P. ALB. POMPEIANORVM. Queis addit Cluuerius: Heic etiam *municipium* adpellatur ea vrbs; quae vox in lapide expreſſa non eſt; quamquam municipia ſaepe reipublicae nomine veniebant; vt in epigraphica frequenter diximus.

Inde via duplex in Tabula eſt, vna Auguſtam Taurinorum, altera Haſtam, ducens; Danuille vtramque neglexit, inter Albam et Auguſtam Tauri-

---

(a) L. III. c. 7.

norum XXII M. P. interponens; cum Tabula XXXV recte numeret. Sunt enim per vicos *Pralorme*, *Taglia*, procedenti, omnino ſeptem mill. geogr. in chartis recentibus. Pollentiam hic loci pro Alba poni, ſupra monuimus. Altera via ſic habet:

Haſta. XVI. ſic Velſ. pro *Haſta* procul dubio. Plinius, Alba Pompeia, *Aſta*. Ptolemaeus, Ἄστα κολώνια, *Aſta colonia*. Hirtio, bello Hiſpanienſi, *Aſtenſes;* Paullo Diacono, *Aſtenſis ciuitas*. Eſt vrbs *Aſti*, laeua *Borbae* ab occaſu in Tanarum incidentis ripá.

foro fului. XXII. Velſ. *Foro fului*. XXII. Plinius, *Forofului*, *quod Valentinum*. Notitia, praefectus Sarmatarum gentilium, *Forofuluenſi*. Danuille, *For. Fuluii Valentin.* ad XXIV ab Haſta lapidem, ſitu vrbis *Valenza*, dextra Padi ripa, ad XIII lapidem, eſt oppidum *Caſal*, quod Plinii *Induſtriam*, vetuſto nomine *Bodincomagum*, eſſe volunt, cuius etiam lapides meminerunt; quod heic *Bodenci* gratia, quo Ligures vocabulo Padum adſiciebant, proferre volui. Danuille, apud Tanarum, paullo ſupra effluxum Bormiae, ſitu vrbis Alexandriae, notat locum absque nomine. Plinius, Dertonam inter et Induſtriam *Barderate* nouit; cui Cluuerius ſitum non adſignat; nam vicus *Pancorana* longius in exortum abeſt, quam vt huc facere queat. Eſt vicinus Alexandriae vicus *Preda*, qui Barderatis veſtigia ſeruet. Sed perſequamur iter. A Foro Fuluii habet Tabula,

VII. Dertona. X. ſic Velſ. Numerus denarius aut vitio, aut ingenio ſcribae, ad Aquas Tatelis, in concurſu viarum, ſemel poſitus, iſthuc quoque referri debet; quod omni ſpatio intercepto non ſunt plura, quam XIII M. P. a Foro Fuluii Dertonam. Danuille hanc Tabulae viam, inde a Pollentia Dertonam, ducere neglexit. Ab Dertona, Genuam verſus, Hodoeporicon, ab Aquis progreſſum, ſe ſe adiungit.

Libarnum. absque numero; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Libanum*. XXXV. Sigonius, *Liburna*. Plinius: ab altero Apennini latere ad Padum amnem Italiae ditiſſimum, omnia nobilibus oppidis nitent: Libarna, Dertona colonia.“ Ptolemaeo, *Λιβάρνα*, *Libarna*, *Λιβάρνον*, *Libarnum*. Inſcriptiones antiquae, apud Montfauconium, T. Billienus Dexter, LIBARNA. T. Vetuleius Primus, LIBARNA. Huc reſpexerit Sozomenus, per *Λιβερῶνα πόλιν τῆς Λιγουρίας*, *Liberonem, Liguriae vrbem*. De ſitu haec Cluuerius: Iter id a Genua ad Dertonam, per Pontem Decimum, Voltagium, et Serauallem, milliaria continet XL. per Inſulam autem et Arcuatum, paullo prolixius dextrorſum circumagitur; quod haud dubie antiquum illud eſt Romanorum iter in praedictis itinerariis deſcriptum.“ Addit, ſi ab Dertona pro XXV reponantur XV. Libarna conueniet Arcuato, vulgo *Arqua*. Danuille, ſiniſtra Scriuiae ripa progreſſus, ad XIII tum ad VII lapidem ſignat loca, ſuperne *Libarna;* in Atlante ad XVIII M. P. ſolum *Libarna*. Illud eſt *Arqua*, hoc *Iſola*, Cluuerii. Sed vnus erat *Libarna* locus, ad XV ab Genua milliare, Tabula teſte, quem hactenus geographi reperire non poterant, quod

in Velſeri editione xxvi M. P. a Genua ſcribuntur, apud Scheibium xvi. qui numerus eſt ſincerus, ad recentem Scriuiam ducens, vbi caſtrum *Borgo de Fornari*, qua et hodie via ducit, vbi Libarnam conſtitiſſe putes.

Genua. xvi. Velſ. *Genua.* xxvi. Hodoeporicon, *Genua.* xxxvi. in Regio, xxxv. Si Tabulae numerus xvi eſt ſincerus, Hodoeporici deprauatus ſit, neceſſum eſt. Sumſerit eum ſcriba ex itinere proximo, ab Aquis Statiellis Libarnam; cui interuallo cenſus is adcurate reſpondet, ſitumque Libarnae apud memoratum *Borgo de Fornari* confirmat. Nam alter, a Libarna Dertonam xxxv bene habet. Si rectam ſpectas, longe minus ſpatium adparebit; ſed montana haec plaga, et viae flexus, diſtantiam augent; vt in ſpecialibus chartis clare perſpicias. Ceterum, Libarna haec, cum Naualibus et Liburnis, nexum habere videtur. Liburnos a longis citisque nauigiis fuiſſe nuncupatos, alias docuimus; plurima heic tenuiſſe olim, Plinius docet, vt mox videbimus. Manſio Naualia ad Orbam, Libarna ad Scriuiam, oſtendit, liburnas, heic fabricatas, ſecundis amnibus in Padum, inde in Adriam, deductas, quo Liburni dominabantur. Adde Strabonem, qui ligna pro nauibus fabricandis aptiſſima apud Ligures fuiſſe perhibet. (a) Et hactenus quidem de Liguribus dictum eſto.

SECTIO IV

CISPADANA

§ I

Nuncupatio, fines.

I. OMNEM regionem, quam Padus vtrimque adluit, circumpadanam veteres dixiſſe, monuimus alias. Liuius de Hannibale: *Italiam oſtentat, ſubiectosque alpinis montibus circumpadanos campos.* (b) Diuidebatur in transpadanam, cuius mentio frequens, et cispadanam, quae apud veteres vſum non obtinuit. Ante Gallorum in haec loca aduentum, Tuſci cum indigenis regionem colebant, Plinio teſte, cuius haec ſunt: (c) Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatae Galliae cognomine. Siculi et Liburni plurima eius tractus tenuere, in primis Palmenſem, Praetutianum, Adrianumque agrum. Vmbri eos expulere,

(a) L. IV. p. 202. (b) L. XXI. c. 35. (c) L. III. c. 19.

hos Etruria, hanc Galli.“ Vmbri Padum adcoluiſſe non leguntur; Tuſcorum ſola ſupererat Adria, ad Padum, et Mantua trans flumen; vt horum vocabulo, cum plurima circa ripas amnis habuiſſe dicuntur, indigenae quoque ſumti videantur. Polybius hanc regionem vocat, *πέραν τοῦ Πάδου, trans Padum*, in qua circa Apenninum primi *Ἄνανες, Ananes*, deinde *Βοιοὶ, Boii*, poſt hos verſus Adriam *Αἴγωνες, Aegones;* poſtremi omnium ad mare *Σήνωνες, Senones.* (a) Cluuerius, *Λίγγωνες, Lingones*, Liuium ſecutus, reddit; ſed Polybius paullo ante dicebat, ab altera alpium parte, *Ταυρίσκοι, καὶ Ἀγῶνες, καὶ πλείω γένη βαρβάρων ἕτερα, Tauriſci, et Agones, et aliae gentes barbarae*, habent. Tauriſcis autem Lingones numquam erant vicini. Nam, quod Cluuerius Tauriſcos cum Taurinis, duce Stephano, committit, rationes geographicae improbant. Proinde hi *Agones, Aegones*, Venetis vicini, erunt *Euganei*, populus apud ſinum Adriae vetuſtiſſimus. Ananes, quos Cluuerius ſe ignorare fatetur, erunt pars Euganeorum, a Ptolemaei *Anonio* dicti, populus ſubalpinus. Vtrique trans Padum reapſe fuerunt; vt aut Polybium humani quidpiam paſſum reputes, cum cispadanos cum transpadanis committit; aut pars eorum olim eis Padum quoque agros tenuere. Trans Padum, citra Ticinum, Laeui Ligures, antiqua gens, Liuio teſte, (b) ante Gallorum aduentum, habebant; forſan Adduam vſque, Euganeis contermini. Nam reliqua, alpes vſque Rhaeticas, Penninas, Graias, Cottias, Ligurum fuiſſe, hactenus dictum.

II. Itaque hac regione, quam Auguſtus octauam eſſe voluit, ante Tuſcos, populum Italicum, indigenas, Venetis cognatos, fuiſſe oportebat, qui erant Liburni, Plinio, vt vidimus, teſte. Sed Cluuerius Euganeos Celtici generis, vti Ligures, eſſe dixit. Sane quidem; verum, vt Liburni, quos ipſe heic agnoſcere non vult, Celtae a nemine veterum ſunt dicti; ſic ante Tuſcos omnem plagam hanc oportet mortalibus fuiſſe vacuam. Neque enim Cluuerius indicat, quinam autochthones huius terrae coloni fuerint. Strabo docet, Tuſcos et Vmbros diu bella cum barbaris hos agros tenentibus geſſiſſe, donec partem quampiam obtinere potuerint; non nominat barbaros illos, quia non nouit; ſed Gallis excifis, Tuſcos et Ligures ibi comparuiſſe, praeter colonias Romanas, perhibet. Turbis Gallicis, qui Liburnorum veterum ſupererant, pars ad Ligures, in occaſum, pars ad vicinos Venetos, alioſque conceſſerint; exceptis iis, quos patriae amor mala tolerare fecit; qui coloniis Italicis mixti, in vnam abiere gentem, vt lingua monſtrat. Boiis quippe, qui regionis huius mediterranea tenebant, et Senonibus, qui oram occuparant, excifis, veterem faciem, quae Tuſcis dominantibus erat, reſumſit patria. Plinius, de octaua regione locutus: *In hoc tractu*, inquit, *interierunt Boii, quorum tribus* CXII. *fuiſſe auctor eſt Cato; item Senones, qui ceperant Romam.* Idem de ceteris Gallicae ſtirpis

(a) L. II. c. 17. (b) L. V. c. 35.

populis, vt Lingonibus, intelligito. Vniuerſi enim Galli, teſte Polybio, aut cladibus variis caeſi, aut agris pulſi fuere.

III. Fines ita paucis deſcribit Plinius: *Octaua regio terminatur Arimino, Pado, Apennino;* in qua cum Padi oſtia cenſeat, boreali, eoque maximo fluminis oſtio alueoque a Venetis diremtam hanc partem eſſe voluit. Cluuerius oſtia Padi vniuerſa Venetis tribuit, quem ſequi non libet. Fines proinde regioni ſtatuimus, ab occaſu Trebiam fluuium, a ſeptemtrione Padum, ab occaſu oram Adriae a boreali oſtio Padi ad Rubiconem, ab auſtro iuga Apennini a fontibus Arimini fluuii ad exortum Trebiae, inter fontes amnium hinc Padum, inde mare Tuſcum et Liguſticum petentium procurrentia; vt fere iuniores geographi notant. Neque enim omnibus, etiam antiquis, quoad terminos, ab auſtro in primis, eadem inſidet opinio. Tabula Italiam proprie dictam hac regione ducit, ex qua voce maiori caractere veteri ſcripta, L litera apud Rauennam pingitur; nihil prouinciae, nihil populorum praeterea; niſi, quod ex aduerſo, REGIO TRASPAD. ſignatur, vt ſuo diximus loco; vnde arguere liceat, hanc CIS PADVM fuiſſe nuncupatam. Cuius tamen phraſeos indicia apud veteres, ad hanc aetatem, non reperiuntur. Serius Aemiliae et Flaminiae nomen obtinuit. Sic accepta regio procurrit ab gradu longit. 27 ad 30. latit. 43 min. 52 ad 45 min. 8. Longitudo maxima ab exitu Trebiae ad oſtium Rubiconis M. P. CLXV. latitudo, a fonte Arimini ad alueum Padi borealem, prope oſtium, XCV M. P.

§ II

Fluuii, inſulae, foſſae.

I. OSTIA Padi recenſebimus primum, quorum in Tabula comparent bina, prope Rauennam, vnum longius in boream abſcedens, ad manſionem *ſeptem maria* dictam, XXXVIII M. P. ab oſtio auſtrali remotam. Apollonius, in Argonauticis, ſeptem oſtiis Eridanum emitti refert: *Ἑπτα διὰ στομάτων ἱεὶς ῥόον.* (a) Vnde *ſeptem maria* Plinio, interiectae oſtiis paludes; quo nemo diſtinctius adcuratiusque ea recenſuit. Polybius, duo tradit: vbi ad Trigabolos peruenit, *σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη· τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα, τὸ δ' ἕτερον Ὄλανα, in duo ſcinditur oſtia, quorum alteri nomen Padoa, alteri Olana.* Nouit Plinius vtrumque, cui hoc *Olana* ſeu *Volana*, illud *Paduſa;* hodie, Cluuerio teſte, *il Po di Volana*, oſtium *il Porto di Volana;* alter alueus, *il Po d' Argenta*, oſtium *il Porto Primaro.* Duo integra capita hic vir, de Italia veteri optime meritus, Pado illuſtrando conſecrauit; (b).

(a) L. IV. v. 634. (b) L. I. Ital. Ant. c. 34. ſq.

docens, ſciſſionem eam fieri apud Feraram, eſſeque oſtium boreale Olanam, auſtrale Paduſam; reliqua poſtea addita, quale tertium in Tabula eſt, ad VII Maria, cum inſcriptione fl. Brintesia. quem huc minime ſpectare, in Venetis diximus. Tamen Plinius poſt Volanam *oſtia plena* eſſe ait; vt illud boreale, quod hodie quoque praecipuum eſt, olim item maxime inſigne, Tuſcos a Venetis dirimens fuiſſe videatur. In Tabula Padi oſtia inſcriptionem, vt Danubius apud Euxinum, non habet, ſed ab Hoſtilia per padum nauigationem vſque Rauennam.

Eſt in Tabula, iuxta oſtia *Sacis ad Padum;* Plinio, oſtium Sagis, dein Volane. Fuerit circiter *Porto di Magnavacca*, vbi hodie paludes pro fluuio viſuntur, qualem Danuille notauit. Opinioni accedit Cluuerius, qui oſtium Capraſiarum, *Bocca di bell' Occhio* interpretatur. In eadem Tabula, ad VI a ſeptem maribus lapidem, *Radriani*, pro *Hadriani*, ad brachium Padi, quod Ptolemaeo *Ἀτριανὸς*, *Atrianus;* hodie *Po d' Adriano* vocatur, cuius oſtium *Porto di Goro.*

II. Ab amne Odubria, Plinii Trebiam quem eſſe putabamus, vndecim ex Apennino in Padum influentes, Rubiconem vſque cenſentur, nominibus non vbique expreſſis. Hoc autem ordine ſe ſe conſequuntur:

fl'. Hadra. literis pictis; Velſ. Fl'. Hadra. Cluuerius putat, amnem *l' Arda*, vulgo *Larda*, infra Cremonam; praecedit *Nura*, ſequitur *Tarus*, ambo Arda nobiliores. Hos omnes vno alueo, nomine intermedii adſumto, auctor Tabulae exprimi voluerit. In Burdigalenſi, ad Tarum, pro Turum.

fl'. nigella. Velſ. Fl'. Nigella. ſcriptura picta. Cluuerius, cum aliis, putat, Plinii flumen Niciam indicari, vulgo *l' Henza*, chartis *Lenza*, occiduo Brixelli, *Borſello*, vrbis latere Pado mixtum; quae ſana putes. De *Paala*, quod Cluuerio videtur, Parmam, qui vrbem cognominem praefluit, cenſenti, eſt, quod dubites; longius enim is in exortum inde remouetur; et in Tabula Parma ad XV a Fidentia lapidem, exerte ſcribitur. Alterum, Nigellae vicinum, et fere in exitu confluentem, exhibet Tabula, qui *Croſtolo* videatur; ſed Parmam indicari malim, quem Danuille cum Nicia apud Brixellum confluentem facit. *Secchia* fluuius, ex aduerſo Mincii Pado incidens, Burdigalenſi *Secies*, Plinii Gabellum interpretantur geographi; Tabula fluxum exprimit, absque nomine.

fl'. Rigonũ. ſic Velſ. Cluuerius Plinii Rhenum eſſe ait, vulgo *Reno*, qui Bononiam ab occaſu praefluit; Silius, paruum Rhenum adpellat, vt eum ab Germanico diſtingueret, Harduinus inquit. Forſan duo heic fluuii cognomines erant, alter Rhenus, alter Rigonus, vulgo *Panaro* et *Reno.* Eſt etiam *Quadreno* amnis, iuxta Idicem. Auctor Tabulae etiam *Scultennam*, cum Gabello confluentem, accipi voluerit; ſed *Paala* eius, procul dubio, *Panaro* ſeu *Panara*, Mutinam praefluens, erit.

fl'. paala. ſic Velſ. Cluuerius Parmam indicari putabat; ſed in Tabula oppidum *Parma* vocatur, amnibus quidem interpoſitum, ſed qui alia ibi nomina gerant. *Secchia*, *Panaro*, *Scultenna*, miſcentur; et *Panaro* quidem infra Mutinam Scultennae infuſus, nomen amittit. Auctor Tabulae Scultennam exprimi voluerit, nomine ignobilioris prodito, et Rigono ſeu Rheno non bene praemiſſo.

III. fl'. Saternum. literis, pro more, pictis; ſic Velſ. Plinio et Martiali, Vatrenus, Forum Cornelii, vulgo Imolam, ab exortu praefluens, hodie *Santerno;* ſed qui Idici poſtponi debeat. Frequentes ſunt heic fluuii, qui ſcribas perplexos fecerint.

fl'. Anemo. ſic Velſ. Plinio, *Anemo*, cum Sapi et Vti in Adriam deductus; ad quae Cluuerius: Haec ſane paullo incurioſius a Plinio conſignata; quum Anemo non in mare Hadriaticum, inter Ariminum et Rauennam, vt reliqua flumina, ſed vltra Rauennam in Padum defluat." Danuille in mare, prope oſtium Padi auſtrale, deducit, vt chartae quoque recentiores. Tabulae auctor in Padum deriuat, binis ſequentibus erronee praepoſitum; hodie *Anemone.* Silarum inter et Idicem eſt fluuius *Quaderno*, quem duplici fonte exprimit Tabula, nomine exmiſſo; alueus Rhenum exhibet. Antiquam fluuii nuncupationem ignorare cogimur; niſi *Claterna* a vicino oppido erat.

fl'. Isex. literae pictae; repetitur in via, Isex. fl'. Velſ. Fl'. Ilex. et in itinere *Iſex fl.* Vetus epigraphe, in curia Bononienſi, *Idicem* vocat; hodie *l' Idice*, ad quintum a Bononia in exortum lapidem; qui proinde Saterno et Anemoni praemitti debebat. Si tamen hac ſerie olim quoque hi amnes ſe ſe excipiebant.

fl'. Silarvm. voce in via repetita; Velſ. Fl'. Silarum. Eſt amnis *Sillaro*, *Silero*, inter *Quaderno* et *Santerno;* proinde Saterno praeponi debuit; nemo praeterea veterum meminit fluuii.

Sinnium. fl'. Velſ. *Sinnum fl.* in via, tertio a Fauentia milliari, Vatrenum inter et Anemonem; vulgo *Senno*, *Senio*, *Seno*, Padum petens, ante dictis perperam poſtpoſitus, demto Anemone, qui eum excipit. Danuille, duce Cluuerio, ex editione Velſeri, *Sinnum* vocat; *Sinnius* adpellari debet. Hi erant fluuii, quos Tabula in Padum deriuauit.

fl'. Rubicū. literis pictis; in via, Rubico. fl. ſic Velſ. Straboni, Ptolemaeo, Appiano, *Ρουβίκωνος*, *Rubiconis* vocabulo notus; Latini Rubiconem adpellant. Plinius, poſt Apruſam: *Fluuius hinc Rubico, quondam finis Italiae;* nimirum ante diuiſionem ab Auguſto inſtitutam, cum Italiae nomen ad Arſiam prolatum eſt; vulgo *Rigone*, *Rugone*, nonnullis *Vrgone*, triplici riuo, qui in vnum redacti alueum *Fiumecino* dictum efficiunt amnem. Villanius, apud Harduinum, *Luſo* fluuium dici ait, quod Cluuerius negat. Ad XI. a Rauenna lapidem, *Sabis* locus; Plinio, Silio, Lucano, *Sapis;* Straboni *Ἰσάπις*, *Iſapis*, fluuius; Danuilleo *Sapis;* hodie *Savio.*

IV. Insularum vna, ostiis Padi obiecta, est *Sepomaia*, cuius apud Istros, quo ab geographis referri solet, fecimus mentionem. Ea sic in Tabula signata est, vt tam Istriae quam Padi regioni, adscribi queat; sed isthuc potius illam spectare, cum insulae ipsum vocabulum, ex *septem maria* vsu militari deminutum, tum mansio Tabulae, ad ostium boreale, VII *Maria*, cui opposita est, non obscure innuunt. Plinius de Pado, qua largius vomit, *septem maria* dictus facere; et paullo inferius, Atrianorum paludes, quae *septem maria* adpellantur. (a) Cluuerius, paludes alueis interiectas, Danuille ostia, eo vocabulo accipiunt; auctor Tabulae vtrumque forsan, sed in primis insulas ostiis interpositas.

Fossae erant Neronia et Augusta, quarum Tabula intra ostia facit mentionem; alii plures adferunt. Plinius, Volanes ostio relato: Omnia ea flumina, fossasque, primi a Sagi fecere Tusci; egesto amnis impetu per transuersum in Atrianorum paludes, quae septem maria adpellantur, nobili portu oppidi Tuscorum Atriae, a qua Atriaticum mare ante adpellabatur, quod nunc Adriaticum.“ In Tabula,

Neronia. Vels. *Neronia.* Cluuerius, *Neroma* legit, vti fere in Scheibio est, addens, Neronia siue Neroniana forte Fossa intelligenda sit ea, quae transuersa inter Volanam et Carbonariam, hodieque nauigatur ab Hadriano ad vicum, cui vulgaris adpellatio *Capo di Goro*, siue, vt incolae loquuntur, *Co di Goro;* qui communem olim cum ipsa fossa adpellationem habuerit, vt vicus ille ad Augustam fossam.“ Danuille, in Atlante, *Neronia,* supra Volanae alueum; in tabella Galliae cisalpinae, supra Sagin, signat locum absque nomine.

Augusta. sic Vels. Plinius de Pado: Vrgetur aquarum mole, et in profundum agitur, grauis terrae, quamquam deductus in flumina et fossas inter Rauennam Altinumque per CXX M. pass. tamen qua largius vomit, septem maria dictus facere. Augusta fossa Rauennam trahitur, vbi Padusa vocatur, quondam Messanicus adpellatus.“ Iornandes, vrbis vicinae antistes: A septemtrionali plaga ramus illi ex Pado est, qui Fossa vocatur Asconis; a meridie idem ipse Padus, cognomento Eridanus, ab Augusto Imperatore altissima fossa demissus, qui septima aluei sui parte mediam influit ciuitatem, ad ostia sua amoenissimum portum praebens.“ Cluuerius emendans scriptorem, ait, *Augusta fossa Rauennam trahitur*, olim in Plinio scriptum fuisse; vicum *Aosta*, in Comaclensibus stagnis, seruare vestigia Fossae Augustae, quam Danuille, Cluuerium secutus, ab ostio Spinetico ad Vtin amnem ducit, loco Tabulae ripa Anemonis laeua signato.

(a) L. III. c. 20.

§ III

Oppida, mansiones.

I. ORAM, quae Ostia Padi comprehendit, Cluuerius Venetis tribuit; Plinius in octaua regione censet, adscribens Tuscis, qui trans Padum, eius aetate, praeter Mantuam, nihil habuere; vt is fluuius communis Venetorum Tuscorumque, hac parte, olim terminus fuisse videatur. Plinii doctrinam sequitur Danuille, Koehlerus, aliique geographi recentiores; quorum et nobis heic vestigia premere libet. Tabula a VII Maribus, quae cum Danuilleo, dextra aluei Padi maxime borealis ripa, posuimus, haec habet:

Radriani. VI. Vels. *Radriani.* VI. Cluuerius, vocabulum *Radriani* corruptum esse inquit, ex nomine oppidi, quod erat *Hadrianum*, hodieque vulgo vocatur *Ariano.* Sed minus recte ad Fossam Carbonariam, quod et Danuille facit; cum hic alueus *Po d' Adriano* hodie quoque dicatur; vt olim Hadrianum, seu *Atrianum* fuisse nuncupatum censeas. Profecto vocabula cum situ concordant. Recentiores chartae alueum Padi validum, eiusque ripa laeua vicum *Ariano* signant. Hic erit Ptolemaei *Ἀτριανὸς*, *Atrianus* fluuius, haec eiusdem vrbs *Ἄτρια*, *Atria;* perperam cum amne ad Venetos translata, contra perspicuum Plinii testimonium, qui Atriam Tuscis adsignat, inter Volanam et plena Padi ostia, heic prorsus ad Atrianum Padi alueum; cum a Pado Venetiam incoans, post plena ostia, Tartarum nominet, quem Tacitus quoque nouit. Vrbem cum amne memorat Hecataeus, apud Stephanum, *Ἀδρία πόλις, καὶ παρ' αὐτὴν κόλπος Ἀδρίας, καὶ ποταμὸς ὁμοίως*, *Adria vrbs, et iuxta vrbem sinus maris Adriatici, et fluuius.* Loco alio, *Ἀτρίαν*, *Atriam*, *Tyrrheniae* vrbem, et aliam Boiorum esse refert. Strabo, *Ἀτρίαν ἐπιφανῆ γενέσθαι πόλιν φασὶν*, *Atriam ferunt illustrem fuisse vrbem*, a qua et sinui Adriae nomen factum. Sed quemadmodum Atriaticum mare et Adriaticum dicebatur, Plinio teste, sic vrbem quoque hanc Atriam, et Adriam, alueum cum portu Atrianum et Adrianum, fuisse nuncupatum, ex Plinio, Ptolemaeo, Stephano, Tabula colligere licet. Quidquid igitur veteres de Atria seu Adria, Tuscorum ad Padum colonia, tradidere, vniuersum id huc omnino referri debet. Alia fuit Hadria Piceni, de qua suo loco dicturi sumus. In Tabula scriptum fuerit *Hadriani;* nisi vulgari vsu *Radriani* reapse dicebatur.

Corniculani. VI. sic Vels. Cluuerius, a *Capo di Goro*, hinc Corniculanum, inter Hadrianum et Neronianae fossae initium, vicus nunc fuerit vulgari adpellatione *Mezo Goro*, mediae ferme fossae Neronianae impositus. Danuille, in tabula Galliae, *Corniculanum*, absque fossa; in Atlante *Neronia;* chartis, *Meno Goro*, et *Mezzo Goro*, ortiuo fossae latere, vt Cluuerius signauit.

Neronia. absque numero; sic Vesl. Cluuerius, *Capo di Goro* interpretatur, loco in tabula non signato. Danuille, in Atlante, *Neronia*, situ vici memorati; in Gallia cisalpina, viam admouet litori, ad VIII a priore lapidem, paullo infra alueum Volanam, eiusdem vocabulo locum signat, qui, ex numeris sequentibus, Neroniae adcurate respondet; siquidem via, quae hodie hac ducit, quamque Danuille sequitur olim eadem tendebat. Proinde voci *Volana*, cuius veteres non meminerunt, Neroniam, ex interuallis, substituere licebit; at si Neronia Fossa inter Volanam et Atrianum erat, vt signatur hodie *Capo di Goro*, aliis *Gero*, mansioni aptius congruet. Abest vicus hic a priore VIII M. P. qui numerus in Tabula desideretur.

Sacis. ad padum. IIII. sic Vesl. Cluuerius, de Caprasiis et Sagi locutus: Horum inuestigatio paullo obscurior est, cum facies horum locorum vehementer hodie immutata sit, stagnis Comaclensibus pleraque occupantibus. Ostia tamen duo etiam nunc in hoc litore exstant, quorum alterum minus, prope Padusae ostium, vulgo vocatur *Bocca di bell. Occhio;* alterum maius, medio situ inter Padusam et Volanam dicitur *Porto Magno*, et *Porto di Magnavacca*, a diuersorio publico iuxta sito. - Hoc ostium, ex situ, Sagin esse arbitror.“ Et quibusdam interiectis: Iter istud Tabulae ab Rauenna per Augustam fossam tendebat ad diuertigium Sagis a Volana; quod erat apud vicum *Marozzo*, XII iusta millia a vico Augusta distantem; vbi hodieque exstat fossa, a Volana in Comaclensia stagna versus fossam Magnavaccae portensa. Fossam autem Magnavaccae adpello eam, quae oppido Comaclo in speciem semicirculi obducitur, ab occidente trium, a meridie quinque fere millium interuallo; tandemque in praedictum Magnavaccae portum exit. Ad hanc fossam vicus conspicitur, vulgari vocabulo *Fossagge*, et variante dialecto, *Fossegge*, quod et ipsum antiquum Sagis nomen referre videtur, quasi *Fossa Sagis*.“ Haec diligentissimus indagator Cluuerius. Plinius, a Spinetico ostio, *Proximum inde ostium Caprasiae*, *dein Sagis*, *dein Volane*. Danuille, Cluuerium secutus, tenuem alueum ex Padusa per stagnum deducit infra *Comacchio* oppidum, ad ostium *Magna vacca;* vbi *Sagis Ostium*, eique adsitum locum notat. In Atlante abit in mediterranea, situ vici *Varcoli*, ad flexum Volanae australem, *Sagis* locum statuit; quae sunt diuersa. Nobis Tabulae *Sacis*, Plinii *Sagis*, est alueus apud Ferraram a Padusa diuulsus, media regione, Volanam inter et Padusam progressus, vrbem *Comacchio* ab austro praefluens, et apud *Porto di Magna vacca* in mare delapsus; locus autem in Tabula *Sacis*, alueo cognominis, est ipsa vrbs *Comacchio*, quam Cluuerius latine Comaclum vocare solet. Danuille quoque situ Comacli quempiam locum notat, absque nomine; Sagin, haud dubitem, Tabula duce. *Ad Padum* particula, quam Cluuerius ab Sagi diuellit, vult indicare, locum non ad ostium, quod aeque Sagis vocabatur, sed in mediterraneis, ad alueum Padi, nomine Sagin exstitisse.

II. Augusta. XII. sic Vesl. Cluuerius, intra stagnum, vbi hodie locus Augusta visitur, id nominis oppidum exprimit; Danuille, inter Padusam et

Anemonem, fere vbi S. Petri hodie, et in laeua Padusae *Hosta* vicus; numeris ab Comacchio rite respondentibus. De Fossa Augusta dictum superius. Cluuerius, particulam *Ad Padum*, Sagi in Tabula iunctam, remouet, ad x ab Augusta lapidem, Rauennam versus, statuens; vbi iam ei locus non est. Ab Comacchio quippe ad XII M. P. Padusa, australe ostium Padi, relinquitur; via secus fossam Augustam, vt Danuille signat, Rauennam vsque procedente.

Butrio. VI. sic Vels. Strabo, *Βούτριον*, *τῆς Ῥαουέννης πόλισμα*, *Butrium, Rauennae oppidulum*, inter Altinum et Rauennam. Si prope Rauennam dixisset, rectius haberet; Altinum quippe longius inde recedit quam vt positioni Butrii terminandae seruire queat. Magis exerrat Ptolemaeus, qui *Βούτριον*, *Butrium*, cum Verona, Mantua, Tridente, in Cenomanis recenset. Propius ad rem Plinius: *Nec procul a mari Vmbrorum Butrium.* Stephano, *Βούτριον*, *τῆς Ἰταλίας πόλις*, *Butrion Italiae vrbs.* Danuille, *Butrium* orientali fossae Augustae latere, ad alueum Anemonis australem, prope ostium, vbi hodie stagnum *valle di Savarna*, et ostium *Bocca di Pirotole*, rite signauit, loco vrbis desolato. In Atlante, Butrium Augustae situm, inter Padusam et Anemonem, perperam tenet. *Budrio*, apud Idicem fluuium, isthuc facere nequit, vt opportune aduertit Cluuerius. In tanta opinionum varietate, apud veteres etiam, nemo litem dirimere aptius potuit, quam Tabula.

RAVENNA. VI. insignia vrbis, muris turribusque munitae. Vels. *Rauenna.* VI. Hodoeporicon, itinere Roma Constantinopolim, *Rauenna.* Strabo: Vrbium in paludibus sitarum, *μεγίστη μὲν ἐστι Ῥαβέννα*, *maxima est Rauenna*, tota ligneis constans aedificiis, aquis perflua; quare pontibus et lembis viae expediuntur." Ab Thessalis conditam, proditum esse, ait; qui cum Tuscorum iniurias non ferrent, Vmbris in vrbem admissis, patriam repetierint. Plinius tamen: *Rauenna Sabinorum oppidum, cum amne Bedese.* Et videtur *Sabis*, ad XI inde lapidem, gentis memoriam seruare. Notior Italia Plinio, quam Graecis. Sabini heic aduenae fuerunt; Rauenna, ab situ plano adpellata, originem Liburnicam arguit, qui huius patriae autochthones fuerunt. In epigraphica frequens est classis Rauennatis mentio, in qua florente republica, Dalmatae, Pannonii, cum vicinis, potissimum militarint; vt patria militum ex classe Rauennate indicat. Seruat nomen et vrbis dignitatem.

Sabis. XI. sic Vels. *Sapis* fluuius, Plinio, Silio, Lucano, memoratur, Straboni *Ἰσάπις*, Isapis; locus cognominis vni Tabulae. A vico, Rauennae proximo, *Classis* nuncupato, ad oppidum *Cervia*, dextrae *Savio* amnis vicinum, sunt omnino M. P. XI. qui locus e ruinis antiqui oppidi surrexerit, Agnello, in vita S. Felicis, notus, cum portu *Sapis.* Cluuerio, ex medii aeui scriptoribus, *Ficoclae* heic ponuntur; alias *Phycocle vrbs peruetusta*, vt in vita S. Bassiani legitur. Vetus epigraphe Sassinas, INTER PONTEM SAPIS. qui in mediterraneo fuerit. Vox Liburnica fanum significat; vestigia nominis vetusti *Sauio* fluuius seruat.

Ad nouas. xi. sic Velf. Agnello, in vita S. Felicis, *ad Nonas*, in Martini, *ad Nouas*, vbi olim fuit ciuitas, nunc dirupta. Interuallo xi M. P. est vicus *Porto Cesenatico*. Cluuerius, in tabula Vmbriae, *Nauas* signauit; in commentariis eum portum interpretatus. Danuille, in Atlante, *ad Nouas*, Cluuerio duce, recte posuit.

Rubico fl. iii. sic Velf. *Fiumicino* hodie, de quo in amnibus dictum. Plinius, *Rubico, quondam finis Italiae.* Solitarius est, nullum habens locum vicinum, praeter quam portum Cesenatem, paullo ante memoratum. Et hactenus quidem oram cispadanae regionis persecuti sumus.

III. Itinera mediterranea sunt bina; vnum ab Hostilia Rauennam, alterum a Placentia Ariminum, quae Straboni via Aemilia dicitur. Liuius: Aemilius viam a Placentia, vt Flaminiae committeret, Ariminum perduxit. (a) Hodoeporicon vtrumque posterius iter exequuntur; prius illud sola Tabula nouit. Est in Antoniniano iter a Verona per Hostiliam Bononiam, quod in Tabula desideratur; in qua haec legas:

Ad hostilia. per padum. absque numero; Velf. *Ab Hostilia per Padum.* Viae ductus Rauennam petit; forsan per agrum Ferrarae, laeua Padusae ripa, vt hodie; nisi nauigationem per Padum intelligas, quod numerus in Tabula deest. Rauenna ab Hostilia, secundum Danuillei rationes, abscedit M. P. lxx. idque ductu recto. Altera initium capit ab vrbe,

Placentia. xx. insigne coloniae; sic Velf. Hodoeporicon, *Placentia ciuitas*, itinere a Mediolano ad Columnam, item alio a Roma Constantinopolim; ab Arimino Dertonam, *Placentia.* Burdigalense, *ciuitas Placentia.* Polybius, *Πλακεντίαν*, *Placentiam*, metu Punici belli a Romanis conditam refert. Epitome Liuii: Coloniae deductae in agro de Gallis capto Placentia et Cremona;" idem prodit Velleius. Cicero municipii Placentini meminit. Tacitus coloniam virium et opum validam vocat; Procopius, vrbem Aemiliae principem. Ptolemaeo, in Gallia Togata, *Πλακεντία*, *Placentia.* Nomen ipsum conditores ostendit. Vrbs *Piacenza*, Pado adsita, prope dextram exeuntis Trebiae ripam. De numeris, qui praecedunt, alias dictum.

Florentia. xv. Velf. *Florentia.* xv. Hodoeporicon, *Florentia.* xv. itinere ab Arimino Dertonam. Rauennas, *Florentiola.* Burdigalense, *mutatio ad Fonteclos.* xiii. Luitprandus: Duodecim longe a Placentia milliariis, iuxta Florentiolam bellum parant." Fonteclos Wesselingius Fonticulos reddit, Cluuerio duce, vicum *Fontana* interpretatus. Oppidum *Fiorenzuola*, dextra fluuii *l'Arda* ripa, nomen vetus retinet.

Fidentia. x. Velserus *Fidentia.* x. Hodoeporicon, *Fidentiola vicus.* xxiiii. a Placentia; itinere Ariminensi, *Fidentia.* x. a Florentia. Burdigalense,

(a) L. XXXIX. c. 2.

mansio Fidentiae. VIII. Liuio, Velleio, Fidentia; Ptolemaeo, in Gallia Togata, Φιδεντία, *Fidentia.* Plinio, inter oppida regionis octauae, Fidentini. Wesselingius putat, Hodoeporici Fidentiolam a Fidentia distingui oportere; sed vnus erat idemque locus, Cluuerio, Cellario, aliis recte existimantibus. Danuille, *Iulia Fidentia*, ex eo fortasse, quod S. Domninus *apud Iuliam in territorio Parmensi* passus dicitur. Est oppidum *Borgo S. Donino*, dextra *Strone* amnis, Tarum petentis, ripa; aliis *S. Donine*, *S. Domino*, in via, quam Strabo Aemiliam nuncupauit.

Parna. XV. Vess. *Parna.* XV. Hodoeporicon, *Parma ciuitas.* XV. quidam MSS. *Parme ciuitas:* itinere Vrbano, XX. Ariminensi, Parma. XV. Burdigalense, *mutatio ad Turum.* VIII. *ciuitas Parmae.* VII. Cluuerius, *ad Turum*, amnem scilicet, legi oportere putat, interuallo quoque id poscente. Nunc ibi est oppidum *C. Guerfo*, in Rigii et Tori confluente. Liuius eodem, quo Aquileia, anno, Mutina et Parma coloniae Romanorum ciuium sunt deductae. (a) In veteri, apud Gruterum lapide, COL. IVL. AVG. PARM. Straboni, Ptolemaeo, Πάρμα, *Parma.* Martiali, velleribus fecundis *Parma* nobilis. Ciues optimos homines et honestissimos, adpellat Cicero. (b) Cellarius, a fluuio *Parma*, qui in Tabula *Fl. Paala* sit, vrbem nuncupatam, duce Cluuerio, perhibet. Paalam Tabulae alio spectare diximus, *Parma* autem heic exprimitur; quae vox Carnis horreum significat; loco magis, quam Latina, conueniens. Vrbes hae, ante quam colonias Romani huc mitterent, exstabant. Vrbs *Parma*, in concursu *Braganza* et *Parma* fluminum nomen vetus retinet.

Tannetum. II. sic Vess. Hodoeporicon, itinere Dertonensi, *Tanneto.* IX. in quibusdam *Taneto.* Burdigalense, *mutatio Canneto.* VIII. Vocem in Tabula rectius habere, auctoritas veterum ostendit. Meminerunt Tanneti, Polybius, Liuius, Phlegon Trallianus, Ptolemaeus; prior, τὴν Τάνητος κώμην, *Tanetis vicum* nuncupat; Cluuerius Τάνητον legi oportere censet, vt Ptolemaeo effertur. Liuius, *Tannetum vicum, propinquum Pado*, vocat. Phlegon refert, M. Pomponium Seuerum, πόλεως Ταννητάνης, *ex oppido Tannetano*, CV annos vixisse; *Tanèto*, *Tanèdo*, vulgo dici, Cluuerius ait; in chartis eo interuallo est oppidum *S. Ilario*, dextra Lenzae ripa. Vtrum Gallicae an Liburnicae originis ea vox sit, non facile decreueris. Planities siluestris, eaque glandifera, viae olim arctae et impeditae; vnde forsan loco nomen. In Tabula V numerus II vnitatibus praeponendus, scribae incuria exmissus est, vt VII M. P. censerentur.

Lepidoregio. XI. Vess. *Lepidoregio.* XI. Hodoeporicon, *Regio.* X. itinere Vrbano, *Regio ciuitas.* XVIII. a Parma; itinere alio, XVIIII. Burdigalense, *ciuitas Regio.* X. Vrbis meminerunt, Cicero, Strabo, Plinius, Tacitus, Ptolemaeus, alii. Cicero, *Regium*, absque addito; Strabo, Ῥήγιον Λέπιδον, *Regium Lepidum;* sic etiam Ptolemaeus, vocant. Plinio, *Regienses a Lepido;* Festo,

(a) L. XXXIX. c. 55. (b) Philipp. XIV. c. 3.

Forum Lepidi, quod nunc *Regium.* Vnde Cluuerius putat, a M. Aemilio Lepido, cum viam Aemiliam a Placentia ad Ariminum A. V. 565 duceret, vrbem nomine *Forum Lepidi* exſtructam eſſe, quae poſtea *Regium* ſit adpellata. Forſan haec vetuſtior vrbis nuncupatio eſt; Phlegonti Tralliano, *πόλις Βασίλεια*, *πόλις Ρήγιον*, *vrbs Baſilea*, *vrbs Regium;* alterum graece, latine alterum expreſſum. Vtrum etiam incolis hoc pacto fuerit dicta, quis decernat? Hodie *Reggio*, *Regio*, *Rezo*, in *Croſtolo* et *Traſinana* amnium confluxu.

IV. **Mutina.** XVII. inſignia coloniae; Veſſ. *Mutina.* XVII. Hodoeporicon, *Mutina ciuitas.* XVII. alias XVIII. vt ex Tabula quoque Weſſelingius legit. Burdigalenſe, *mutatio Ponte Secies.* VIII. *ciuitas Mutena.* V. Secia fluuius, hodie *Secchi*, alias Gabellus antiquis, cuius ripa dextra oppidulum *Marzaia*, *Marzaglia*, manſioni reſpondeat. Mutinam norunt, Polybius, Cicero, Liuius, Paterculus, Suetonius, Plutarchus, Ptolemaeus, alii. Graecis, *Μουτίνη*, *Mutine*, Polybio *Μοτίνη*, *Motine*, Ptolemaeo *Μόυτινα*, vt Latinis *Mutina.* Liuius ad A. V. 573. Eodem anno, Mutina et Parma coloniae Romanorum ciuium ſunt deductae; bina millia hominum in agro, qui proxime Boiorum, ante Tuſcorum fuerat, octona iugera Parmae, quina Mutinae acceperunt." Hodie *Modena*, ad amnem *Panara*, quem Tabulae auctor *Paala* nuncupaſſe videtur. Hoc nomen a cladibus heic datis acceptisque, illud ab aqua turbida, manarit; quod antiquiſſimum amnis et loci vocabulum eſſe putes. Ceterum hi fluuii, *Secchia*, *Panaro*, *Scultena*, confluunt; vt recte primo ſororis, alteri cognatae, nomen dederint veteres; Palta quippe Carniolis cognatio eſt; poſtremum ob algorem ſic adpellarint. Fluuii ante extiterunt, quam vrbes, quarum pleraeque ab iis cognomina ſunt mutuatae.

Foro Gallorum. VIII. Veſſ. *Foro Gallorum.* VIII. Burdigalenſe, *mutatio Victuriolas.* III. *mutatio ad Medias.* X. Diuerſa procedere via auctores itinerum, vocabula manſionum, et numeri oſtendunt. Victoriolae ad Panari amnis ripam, circiter vicum *Ponte di Novicello*, fuerint. Medias, *Ponte della Samoggia*, ad fluuium cognominem, cui Lauinius miſcetur, medio Bononiam inter Mutinamque itinere, Cluuerius fuiſſe putat. Forum autem Gallorum Tabulae, *Caſtel Franco*, ad ortiuum Scultennae alueum, ex ſono vocis, interpretatur; niſi citerius, *Caſtel Vrbano* malis. Fori Gallorum meminerunt Sergius Galba, apud Ciceronem, Frontinus, Appianus, quorum ſententias, pro conſueto, adfert Cluuerius. Danuille, dextra Scultennae ripa, ad nonum fere a Mutina lapidem, ſitu caſtelli Franci, Forum Gallorum ſtatuit.

Bononia. XVII. inſignia coloniae; ſic Veſſ. Hodoeporicon, *Bononia ciuitas.* XXV. a Mutina. Burdigalenſe, *ciuitas Bononia.* XV. Vetus Tuſcorum ciuitas, de qua Plinius: *Bononia, Felſina vocitata, cum princeps Etruriae eſſet.* Sic et Liuio dicitur, ante quam C. Valerio Flacco et M. Atilio Serano, et L. Valerio Toppo III viris S. C. Latina colonia Bononiam deducta eſſet, Cn. Manlio Volſone, M. Fuluio Nobiliore. coſſ. cuius rei idem, Velleiusque, teſtes ſunt.

Nota vrbs praeterea Ciceroni, Straboni, Melae, Plinio, Silio, Martiali, Tacito, Appiano, Ptolemaeo, aliis. Graeci *Βονωνίαν*, Latini Bononiam, ciues Bononienses, dicunt; perperam Stephano, *Βοβώνεια*, *Bobonia*, *Boboniates*, *Βοβωνιάτης*. Vtrum porro ab Tuscis Felsina sit nuncupata, aut Liburnis potius, non facile decreueris. Videtur vox originis Liburnicae, qui vrbem Italis habitatam sic adpellarint; forsan et amnem, ab exortu eam praefluentem, cuius nomen vetus ignoratur, sic nuncuparant. Vrbs hodie *Bologna*, *Bologne*, dialecto Italica, vocatur.

Isex fl'. IIII. Vels. *Isex fl'*. Amni quidem hodie *l' Idice*, mansioni autem, quae ab eo olim fuerit compellata, *Forneto*, laeua eius ripa, nomen. Vtrum autem in Tabula *Idex* scribi debeat, quod Cluuerius ex antiqua epigraphe, et vulgari nuncupatione hodierna, praetendit, haud continuo adseueraris. Poterat enim vsu militari Isex dici, vt pleraque auctori Tabulae exprimi solent.

V. Claterna. VI. Vels. *Claterna*. VI. Hodoeporicon, *Claterna*. X. Schotto, *Glacerina;* aliis, *Clacerina*, *Calcerina*. Burdigalense, *ciuitas Claterno*. X. Olim clarus fuerit locus, quem Cicero, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, norunt. Graecis *Κλατέρνα*, Latinis *Claterna*. Tenue oppidi vestigium in *Quaderna* vico, laeua amnis homonymi ripa, qui Claterna itidem nuncupatus fuerit, vt in fluuiis censebamus. Ea vox Carniolis subtristem, melancholicum, notat.

Silarum fl'. VII. Vels. *Silarum fl*. VII. Amni hodie *Silero* nomen, cuius ripa laeua oppidum *Castel S. Pietro* Silari veteris locum obtineat. Danuilleo, *Idex* et *Silarus* fluuii, absque locis, Claterna absque fluuio.

Foro corneli. VII. Vels. *Foro corneli*. VII. Hodoeporicon, *Foro Corneli ciuitas*. XXIIII. itinere Vrbano, *Foro Cornelii ciuitas*. XXIIII. Dertonensi, *Foro Corneli*. XIII. ab Claterna. Burdigalense, *ciuitas Forocorneli*. XIII. Norunt vrbem Cicero, Strabo, Plinius, Ptolemaeus; cui *Φόρος Κορνηλίου*, *Foros Cornelii;* Procopio, *Φόρον Κορνηλίου*, in vulgatis, *Φοροκόρνηλις*, *Forocornelis*. In martyrologiis, *Forum Syllae;* vnde Cluuerius putat, ab Cornelio Sylla nomen loco inditum. Epigraphae, VI vir FORO CORNELI. incolae, FOROCORNELIENSES. apud Holstenium. Est oppidum *Imola*, ripa Saterni laeua; quidam insulae imponunt.

Sinnium fl'. VI. Vels. *Sinnum fl*. VI. Amnis *Seno*, cuius ripa laeua *Castel Bolognese* oppidum, antiquae mansioni respondeat. Danuilleo, *Sinnus* fluuius, absque loco, quod ante Cluuerius fecit. Vmbram id vocabuli notat Liburnis.

Fauentia. III. Hodoeporicon, *Fauentia ciuitas*. X. a Foro Cornelii. Burdigalense, *ciuitas Fauentia*. X. Norunt oppidum, Velleius, Strabo, Plinius, Silius, Appianus, Phlegon Trallianus, Ptolemaeus, alii. Graecis, *Φαουεντία*, Appiano *Φαυεντία*, Stephano *Φαβεντία*. Procopius, Fauentiam Aemiliae vrbem a Rauenna Flaminiae stadiis CXX remotam perhibet. Danuille XIX M. P. computat. Est oppidum *Faenza*, ripa Anemonis laeua; nonnulli insulam formant.

Forolium. x. Vess. *Foro Liui.* x. Hodoeporicon, *Foro Liui.* x. itinere Dertonensi; Cusani MSS. *Foro Iulii.* Burdigalense, *ciuitas Foroliui.* v. Plinius, Forum Clodii, *Liuii*, Popilii. Iornandes, in Foro Liuii, Aemiliae ciuitate, Placidiam Athaulfo nuptam refert. Agnello, in vita S. Felicis, *Lienses* incolae. Est oppidum *Forli*, dextra Vtentis seu Montonis ripa.

Foro populi. vii. Vess. *Foro populi.* vii. Cluuerius ex Tabula, *Foro populi* legit. Burdigalense, *ciuitas Foropopuli.* vi. Ex hodierno vocabulo, *Forlimpopoli*, aut *Forli piccolo*, putat Cluuerius, *Forum Popilii*, cuius meminit Plinius, loco fuisse nomen. Est prope dextram Bodesis, vulgo *Bodeso*, superius *Ronco* nuncupati amnis ripam, qui australi Rauennae ora mare influit.

Curua cesena. vii. insignia municipii; sic Vess. Hodoeporicon, *Caesena ciuitas.* xxiiii. a Fauentia; itinere Dertonensi, *Curua Caesena.* xiii. a Foro Liuii; in Regio, *Curua Cuesena;* Neapolitano, *Caraa Caesena;* Longoliano, *Curua Cesena.* Vrbem Strabo, Procopius, Agathias norunt. Illi, *Καισῆνα πρὸς τῷ Ἰσάπει ποταμῷ καὶ τῷ Ρουβίκονι*, *Caesena apud Isapin et Rubiconem fluuios.* Procopius, *Κισίναν τὸ φρούριον*, *Cisinam castellum;* Agathias *Κισσήνην τὴν πόλιν*, *Cissenam oppidum*, vocant. Ptolemaeo, *Καισῆνα*, *Caesena*, more Latinorum. Ciues Plinio Caesenates. De epitheto *Curua* disputat Wesselingius. Gudii lapidem, in quo RAVENNATI CAEREVIANI CAESENATI. Traiano Imp. quidpiam dedicasse feruntur, merito suspectum Wesselingius habet. Hodie *Cesena* oppidum, dextra *Savio* amnis, Plinio *Sapis*, ripa. Inde via hodie ad Ceruiam praeterea ducit, quacum epitheton *Curua* nexum habeat. Ceruiae Agnellus in vita S. Felicis meminit.

Ad confluentes. viii. sic Vess. Cluuerius, qui agrum hunc diligenter lustrauit, Rubiconem e tribus alueis consistere ait, occiduo *Rugone*, *Rigone*, ortiuo *Borco*, medio *Pisatello.* Primum ab Caesena ii M. P. ab hoc alterum iii. totidem ab isto tertium abesse; veterem viam declinasse mare versus; quod hodierna Caesenam inter et Ariminum nonnisi xvi M. P. intercedunt. Locum *ad Confluentes* apud trium alueorum concursum fuisse, qui, secundum rationes Danuillei, ad iv a mari lapidem abest; quem ipse cum alueis signare neglexit; Cluuerius alueos adcurate notauit. Eo situ nullus hodie comparet locus. Heic Rubiconis traiectus etiam in Tabula visitur, sed vno deducti alueo, quem ab Confluentibus Fiumicino vocant.

Arimino. xii. Vess. *Arimino.* xii. Burdigalense, *mutatio Conpetu.* vi. *Ariminum.* xii. Wesselingius, duce Cluuerio, Compitum vel Compita; incurrit hoc loco in viam Aemiliam aliud iter, a Rauenna Ariminum ferens, inquit; sed hunc incursum Cluuerius post Confluentes Tabulae fuisse perhibet; quod numeri non admittunt. Eadem via vtrumque Itinerarii auctorem processisse, xii M. P. vtrobique Ariminum vsque addita, manifesto declarant. Quare *Conpetu* erit aut vitio scribarum, aut vsu vulgi, ex *Confluxu* detortum; nisi locus ante Confluentes, postea *Compitum*, nuncupabatur. De vrbe Arimino in Vmbria dicemus.

SECTIO V

TVSCIA

§ I

Nuncupatio, fines.

I. QVI Latinis Tuſci Etruſcique dicuntur, eos Graeci Τυῤῥηνούς, *Tyrrhenos* adpellant, multa de origine gentis, pleraque fabuloſa, in medium proferentes. Patrios audire libet. Liuius: Tuſcorum ante Romanorum imperium late terra marique opes patuere; mari ſupero inferoque, quibus Italia inſulae modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento, quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare ab Adria Tuſcorum colonia vocauere Italicae gentes. Graeci eadem Tyrrhenum atque Adriaticum vocant. Ii in vtrumque mare vergentes, incoluere vrbibus duodenis terras, prius cis Apenninum, ad inferum mare; poſtea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant, coloniis miſſis; quae trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, vſque ad alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo eſt, maxime Rhaetis; quos loca ipſa efferarunt, ne quid ex antiquo, praeter ſonum linguae, nec eum incorruptum retinerent." (a) Haec Liuius. Audiamus et Plinium: Adnectitur ſeptimae, in qua Etruria eſt, ab amne Macra, ipſa mutatis ſaepe nominibus. Vmbros inde exegere antiquitus Pelaſgi, hos Lydi, a quorum rege Tyrrheni; mox a ſacriſico ritu, lingua Graecorum, Tuſci ſunt cognominati." (b) Vt ea, quae de Tyrrheno rege narrantur, ſunt fabuloſa; ſic, quae Liuius de ſedibus Tuſcorum trans Apenninum prodit, exaggerata. Ex Plinio quippe vidimus, Liburnos et Siculos, ante Tuſcos Vmbroſque, eas coluiſſe terras. Proinde Tuſci ea in regione fuerunt aduenae, qui indigenis numero praeualere non poterant. Vnde ad poſterorum memoriam ſola Adria et Mantua vrbes Tuſcorum reliquae fuiſſe dicuntur. Dionyſius Halicarnaſſenſis, Tuſcos lingua ab omnibus vicinis diuerſos fuiſſe tradit; quae, ſi monumenta eorum ſpectamus, inter mortuas referri debere videtur. Adeo, vti Punica vetus, ex iis, quae ſuperant,

---

(a) L. V. c. 33. (b) L. III. c. 8.

explicari nequit. Quare, aduenam gentem Tyrrhenos in Italia fuiſſe, antiquis non aegre conceſſeris, Tuſcos patriam; quod ex literatura quoque collegeris: Italicae gentes ſero literas arripuerunt, cum Graeci hinc, inde Tyrrheni Siculique, antiquiſſimis temporibus, vt numi elegantiſſimae fabricae teſtantur, eas coluerint. Verum haec alterius loci argumentique eſſe volumus.

II. In Tabula noſtra vtrique comparent, TVSCI literis ſemiuncialibus Latinis vetuſtis, ETRVRI caractere in monaſticum deſinente, vtrobique miniato; ibi TVSCIA heic ETRVRIA ſcriptum fuiſſe putes; niſi reapſe Tuſci, tamquam prouinciae Etruriae coloni, ita ſcripti fuere. Cum enim Etruriam apud veteres quoque legamus, Tuſciam non niſi declinante imperio deprehendimus. Faſti triumphales, DE TVSCEIS triumphos referunt. In marmore Praeneſtino, TVSCVS ARATOR. in Florentino, SABINORVM ET TVSCORVM. in Romano, Vettius Agorius, corrector TVSCIAE ET VMBRIAE. Vbi recte obſeruat Cellarius, munus correctoris, vti *Tuſciae ſuburbicariae* cognomen, (a) aeui poſterioris eſſe. Apud Ammianum, *Tuſciam annonariam*, et ſimpliciter Tuſciam legas. (b) Qui geographiam veterem tractant, Tuſciam et Etruriam pariter ſcribunt. Tabula terminat quidem Liguriam apud Macram fluuium et Penninum montem; ſed non niſi a Volaterris Tuſcos incoat, ad Martam fluuium deductos; inde Etruriam ad Tiberim promouet. Forſan vacuum ad Volaterras vſque ſpatium reliquit eo, quod id Liguſtici populi, quales Sengauni, liberi, pro finibus cuſtodiendis poſiti, coluere. Profecto Ligures, teſtimonio veterum, ad Arnum vſque colebant; quos nemo exſtinctos putarit, ex eo, quod Tuſciae nomen in agros ipſorum, adiunctis ita poſcentibus, eſt prorogatum. Sic Iapodes hinc Pannoniis, inde Liburnis; potior pars Illyriorum, a Drilone ad Ceraunios, Macedoniae, accenſi fuere; ſtirpe veteri in nouis prouinciis vltro perſiſtente. Hanc in rem Plinius: Nec ſitus originesque perſequi facile eſt, Ingaunis Liguribus (vt ceteri omittantur) agro tricies dato.“ (c)

III. De nomine diſputant veteres; Tyrrhenos quidem a rege; Tuſcos ab *θύειν*, frequenti ſacrificio, Halicarnaſſenſis, aliique nuncupatos aiunt. Sed ipſe hic ſcriptor, vbi longum de gentis incunabulis diſſeruit, ab duce quodam *Ρασένα*, *Raſena*, Tuſcos ſe ſe mutuo adpellare perhibet. (d) Vnde *Raſenas* vocat Cluuerius, origine vocis non indicata; quae ſi cognatum, vt videtur ſignificat, nae hi veteres Tuſci ſiue Etruſci, homines ſtirpis Liburnicae erunt; vt ea, quae de potentia eorum circa Padum diſſerunt antiqui, clarius intelligi queant. Neque profecto alia ratio adferri poteſt, cur Italicum idioma tot Slauicae linguae vocabula contineat, in primis apud incolas Padi, quam quod antiquiſſimis temporibus communem cum iis egere vitam. Et Ligures olim ad Arnum vſque coluiſſe, ſupra oſtendimus, quae eſt non mediocris Tuſciae portio.

(a) Leg. XII. Cod. Theod. de Indulg. debit. (b) L. XXVII. c. 4. XXVIII. init.
(c) L. III. c. 6. (d) L. I. c. 30.

IV. Quod amplitudinem Etruriae ſpectat, continetur grad. longit. 27 min. 30. et grad. 30 min. 20. latit. grad. 41 min. 48. et grad. 44. min. 20. Longitudo regionis maxima, quae, caeli reſpectu, latitudo potius dicenda eſt, M. P. ccxxv. ab exortu Auſeris ad oſtium Tiberis; latitudo ab occaſu in exortum, ab oſtio Arni ad fontem Tiberis, M. P. C. Hodie a Macra ad Arnum partim Genuenſes, partim Lucenſes habent; inde ad Floram ducatus Etruriae; reliquum ſtatus eccleſiaſticus, ſeu patrimonium S. Petri.

§ II

Montes, fluuii, inſulae, portus, foſſae, lacus.

I. IN Tabula montium vnus exprimitur Apenninus, de quo apud Ligures, et alias dictum; vti de Pennino quoque, qui cum Macra, Tuſcos a Liguribus dirimebat. Alius montis tractus, tres vncias longus, comparet, media regione procurrens, ex quo Marta amnis, emergit. Hic quidem ex lacu Vulſinienſi, *lago di Bolſena*, principe alueo, deriuatur; ſed rami eius, e vicinis montibus, a Viterbio lacum verſus protentis, deſcendunt; quales ſunt *Monte Fiaſcone*, *Monteliano*, *Razzaneſe*. In poſtremo veſtigia gentis *Raſena*, vt olim ipſa ſe nuncupabat, veſtigia ſuperare videntur. Tabula,

Lacus. et Mons ciminus. Velſ. *Lacus et mons Cimunis.* Cluuerio, CIMINVS. vt in hac editione ſcalptor errarit. Epigraphe a monte non nihil remouetur, ad eum tamen, citra controuerſiam, ſpectat. Cimini montis mentionem faciunt, Liuius, Plinius, Fronto; lacus et montis Virgilius. Liuio: Silua erat Ciminia magis tum inuia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici ſaltus; nulli ad eam diem, ne mercatorum quidem adita.“ (a) Cluuerius, locis e Liuio relatis, at heic montis iugum nullum eſt, inquit, niſi quod admodum excelſum, ac longe lateque conſpicuum, vulgo nunc a proxima vrbe cognominatur *Monte di Viterbio;* vltra quod verſus ſeptemtriones lati ſternuntur campi.“ Haec ipſe. Danuilleo, *Mons Ciminus*, et *ſaltus Ciminius*, ſupra lacum, iugis montium, a lacu Sabatino, *lago di Bracciano*, ad Tiberis ripam, regione Ortae vrbis, productis. Orientalis Martae alueus, ex lateralibus maxime praecipuus, Viterbium praefluens, ex Cimino capit originem.

Tractus praeterea montis ſesqui vnciam patens, exprimitur, ex quo Albinia fluuius, non magnus, emergit; hodie *Monte Albegna;* cum vico ad fontem amnis homonymo. Cimini cum monte lacum nouit Virgilius; Straboni, *ἡ Κιμίνα λίμνη*, *Ciminus lacus*, vt Cluuerius legit; nam in Strabone *Κιμινία*

(a) L. IX. c. 36.

habetur. Istud quidem rectius ab Cluuerio dictum, quam illud: *Neque Cimino, neque Trasimeno vllum emitti flumen.* Nam lacus Cimini, *laco di Vico*, emittit reapse amnem, oppidum *Roziglione* praefluentem, et Tiberi iunctum; vt ipse Cluuerius in tabella Etruriae signauit. Columella, *Vulsiniensis et Ciminus lupos auratasque procreauerunt.* Socioni, *Κίμινος λάκκος*, *Ciminus lacus;* Statius quoque, Sabatia stagna, *Ciminique lacum* memorat.

Inter Aquas Volaternas et Populonias, exprimitur lacus absque nomine, Cluuerio, *le Caldane*, paludes, quae aquas calidas emittant, optimis piscibus refertae, per quas *Cornia* fluuius transiens, infra *Piombino* oppidum mare petat. Is lacus in chartis vulgaribus amnem memoratum effundit.

II. Fluuii, a Macra, censentur, Auentia, Frigidus, Vesidia, Arnus, Vmbro, Albinia, Pallia, Armenita, Marta, Minio. Bini ante Macram signantur, absque nomine; quos Macrae infundi, apud Ligures censebamus. Sed, si subsequentium ratio habeatur, erunt parui duo, Macram excipientes, Auentia et Vesidia, inscriptione amnium praue transposita; vt apud Pisam Arnumque dicemus. In Tabula hi amnes hoc pacto se se consequuntur:

fl'. Auentia. Vels. Fl'. Auentia. Cluuerio, *Lavenza*, seu *l' Avenza*, modicus amnis, ab Cararia oppido defluens. In Tabula, longo tractu ex Apennino descendit, ob constructionem operis; cum omni suo decursu sesqui mill. geogr. non superet; apud Danuille ne profluit quidem, stagno ad oram signato. Inscriptio videtur ad priores alueos spectare, vt apud Arnum dicemus

Ad quartum inde lapidem est amnis *Frigido*, cum vico cognomine; cui Taberna *Frigida*, quae hoc loco in Tabula notatur, respondeat. Amnis a Massa oppido defluens, olim Frigidus fuerit nuncupatus, Cluuerio *Frigida*.

fl'. Vesidia. Vels. Fl'. Vesidia. Fluuius tenuis, vt priores, gemino fonte ortus, agrum ditionis Tusciae percurrens, apud vicum *Mastrone* ab oriente pelago immittitur; hodie *Versiglia*, teste Cluuerio. Neque enim in chartis, quibus vtor, nomen fluuii exprimitur. Danuille stagnum et isthic notat, Cluuerium sequi renuens, qui hos amnes rite signauit; sequitur tamen in tabella Galliae cisalpinae.

Arnvm. fl'. Vels. *Arnum fl.* in via. Velserus alueum a priore distinctum exprimit, cum inscriptione praecedentis; Scheibius hunc alueum non habet. (a) Arni fluminis meminerunt, Strabo, Plinius, Tacitus, Ptolemaeus, cui *Ἄρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Arni fluuii ostia*, post Herculis fanum. Strabo de Pisa: Sita est vrbs inter duorum amnium Arni Ausarisque confluentes; quorum alter ab Aretio copiosior huc delabitur, sed non omnis, verum in tres scissus alueos; alter a montibus Apenninis defertur." Plinius: Pisa inter amnes Auserem et Arnum. Hodie Auser ab Arno diuulsus, proprio ostio mare petit, *Serchio* nun-

(a) In exemplari nostro habet.

cupatus. Sunt tamen veſtigia aluei antiqui in paluſtri fluuio *Oſari*, qui medio fere Serchium inter et Arnum ſpatio in mare defertur. In Tabula Arni alueus non ſignatur, neque fluuius, niſi in via. Videtur is alueus maior, cui inſcribitur *fl. Aaeutia*, Piſae proximus, iſthuc omnino ſpectare; lemmatibus, ſcribarum incuria, loco motis. Danuille, in tabella Galliae cisalpinae, Auſerem diſtincto deducit alueo, Hodoeporicon ſecutus, in quo *Piſis* fluuius dicitur.

Saleborna. in via, prope Vmbronem; ſic Velſ. Eſt amnis non magnus, trium alueorum, *Brone*, *Brune*, *Bruno*, teſte Cluuerio, nuncupatus, qui lacum *Caſtiglione* influit, qui ſit Hodoeporici Prilis, opinione Cluuerii. Prope oſtium fluuii eſt oppidum *Buriana*, cui locus Tabulae et Hodoeporici reſpondeat. Forſan et amnis *Salebro* dicebatur, a quo loco nomen. Plinio amnis Prille dicitur.

Vmbro. fl'. ad oſtium, fl'. Vmbro. ad fontem. Binis praeterea viis idem vocabulum occurrit. Amnis tractu prolixo, eoque recuruo, ex Apennino deriuatur; ſed Apennini iuga longius in exortum abſunt. Cluuerius, haud ita procul Arno, exortum ait. Surgit fluuius Vmbro, hodie *Ombro*, in monte *Aperto*, prope fontem Ambiae, qui xxx M. P. decurſu facto, Arnum ingreditur. Plinius, *Vmbro*, *nauigiorum capax*. Stephano, Ὄμβρος, ποταμὸς Ἰταλίας, *Ombrus*, *fluuius Italiae*. Rutilius, in Itinerario: *Tangimus Vmbronem*, *non eſt ignobilis amnis*. Putat Cluuerius, Vmbros ab hoc amne, qui mediam ſecat Etruriam, eſſe nuncupatos. Nomina quidem non abhorrent, ſedes populorum repugnant. Illud fortaſſe rectius, itinere a Florentia Arretium, Vmbro fl'. *Ambra* ſeu *Ambia* amnem, qui Danuilleo eſt *Ombro*, ſignificare; quod is ſitus ad Vmbronem hunc, mare petentem, referri nequit.

Eſt amnis minutus *Oſa*, ad Telamonem pelago infuſus, Ptolemaeo Ὄσσα, *Oſſa;* cuius veſtigia ſint in loco Tabulae *Haſta;* cui Cluuerius ſitum dare nequiuit. Diſpiciemus, cum eo ventum fuerit.

Albinia. fl'. in via; Velſ. Fl'. Albinia. ſecus alueum. *Albegna*, fluuius mediocris, oritur in monte cognomine, vbi et vicus vocabuli eiusdem ingreditur mare infra Telamonem. Hunc prae priore Ptolemaeus nominare debebat.

Armenita. fl'. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere maritimo, *Armine*. Cluuerius *Armeniam* facit, amnem *la Fiore*, Ortelio *Fire*, interpretatus. Forſan *Artemita*, ab inſula vicina, Stephano Ἀρτέμιτα, *Artemita*, fluuius dicebatur, heic per metatheſin, vſu vulgari, expreſſus. Oritur in monte *Latrone*, vico cognomine, praefluit oppidum *Monte Alto*, ad *Caſcina* vicum mari immerſus. Danuilleo *Arminia*, vt etiam Cluuerius in tabula expreſſit. Nuspiam legitur alias.

fl'. pallia. et in via, *Pallia fl.* ſic Velſ. Cluuerius, in itinere, *Pallia fl.* legit; niſi mendum typi cenſeas. Vitruuio, lapicidinae *Pallienſes*, molles. *Paglia* vulgo, in Clanem *Chiane*, apud *Orvieto* oppidum, influit. Tabula

eumdem cum Armenita facit; et ſane riuus, ab exortu Palliam influens, Flori vicinus oritur. Eodem quoque alueo Tiberim Clanemque auctor Tabulae deducit.

Marta. fl'. eadem vox alio itinere occurrit, absque fluminis indicio. Velſerus vocabula notat, alueo amnis exmiſſo, vna cum monte, ex quo deriuatur. Praecipuus amnis alueus e lacu Vulſinienſi emergit, tribus aliis, ab exortu defluentibus, auctus. Cellario, *Marta*, ex Hodoeporico; in quo eſt manſio id nominis, ſine fluuii nota; aliis *Martha*. Seruat nomen amnis, infra *Corneto* vicum pelago immerſus; Ortelio *Marza*. Putat Cluuerius, *Maltano*, itineris maritimi locum, ad oſtium Martae fuiſſe, *Martanum* adpellandum; quod Weſſelingius repetit. Danuilleo, in Latii tabella, *Marta* vel *Lartes*.

Mindo. fl'. in via, absque alueo; ſic Velſ. *Minionem* vocant Maro, Mela, Seruius, Vibius Sequeſter, cui etiam *Munio*. Seruius: *Minio* fluuius eſt Thuſciae, vltra Centumcellas. Vulgo *Mignone*, *Mognone;* oritur lacui Cimino vicinus, decidit in mare ſupra *Civita vecchia* vrbem. Haec de fluuiis; Tiberim alio dicemus loco.

III. Inſulae, Tuſco litori obiectae, Gorgon, Capraſia, Ilua, Igilium, Artemiſia, Maenaria, Columbaria, Venaria, Planaſia; Oglaſa, in Tabula ſunt, Aſice Sardinia, Corſica, Pauaſta, Monſis, Iouis, Herculis, Poraus, Siranna; quas ordine, quo in Tabula comparent, perſequemur.

ASICE | cic: HSIA. Velſ. *Aſice Sardinia.* Cluuerius, in recenſione inſularum hoc loco Tabulam non attigit. Vtrum autem haec apud Velſerum epigraphe ſit integra, cum iam olim attrita videatur, nihil adſeuerarim. Sardinia inſula ſuam habet inſcriptionem; in *Aſice* lateat *Αἰγοῦσα*, *Αἰγίλα*, *Αἴγιλον*, *Aegila*, ſeu Capraſia, aut Capraria, quam Graeci ἀπὸ τῶν αἰγῶν, a capris *Aegilam* vel *Aegilum* nuncuparint, Plinio et Solino teſtibus. Eſt apud Plinium *Oglaſa* inſula, quae harum cuipiam ante, quam ſcopulo *Monte Chriſto*, conueniat. Hodie *Capraia*, Ortelio *Caprara.* Forſan erunt *Foſſae Sardiniae;* vt eo dicemus loco, aut *Ὄσιγκον*, *Oſincum*, Corſicae.

Hs. Corſica. Velſ. *Inſ. Corſica.* Scriptum fuerit *Gorgon;* nam Corſica ſeorſim cum epigrapha comparet. Apud Melam, Plinium, Capellam, *Vrgo;* Rutilium *Gorgon.* Stephanus, Ὀργών, νῆσος πλησίον Τυῤῥηνίας, *Orgon, inſula prope Etruriam;* gentile *Orgonius;* hodie *Gorgona.*

Hs. Pavasta. Velſ. *Inſ. Pauaſta.* Planaſiam ex eo eſſe putem, quod Varro ſcribit: *Pauonum agreſtes eſſe dicuntur in Planaſia inſula.* Meminerunt eius praeterea, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Solinus, Hodoeporicon itinere inſulari; norunt eam Tacitus et Dio Caſſius; vulgo *Pianoſa*, Ortelio *Planoſa*, Iluae proxima.

Hs. Fl - - - -. Velſ. *Inſ. Monſis.* Vtrum ſcriba Velſeri recte nuncuparit inſulam, cum ea olim attrita videatur, decernere non licet. Plinii *Mae-*

naria ſeu *Menaria* ſit cum Columbaria et Venaria, paruis adcenſa. Hodie *Melora*, Ortelio *Meloria*, vrbi Liburno obiecta.

IV. Ɏſs. Ir - - - - -. Velſ. *Inſ. Iouis.* cum fano, oſtio Vmbronis oppoſita. Et haec inſcriptio olim vitiata fuerit, quam rectene Velſerus expreſſerit, ex eo dubites, quod inſulae Iouis nemo meminit. Forſan *Iluam* deſignari volebat auctor Tabulae, fano non recte in ea poſito. Sane haud facile credas, praecipuam Tuſco mari inſulam heic praeteritam eſſe. Ptolemaeo, qui eadem aetate geographiam contexebat, qua Tabula eſt conſcripta, hoc litore, *Λοῦκος Φοιρωνίας*, *Lucus Foeroniae*, et *Ηρακλέους ἱερὸν*, *Herculis fanum*; atque hoc poſterius medio fere itinere inter Petram ſanctam et Lucam. In Tabula ſeorſim legitur.

Ɏſe. Herculis. Velſ. *Inſ. Herculis.* quarum tres ſignat, vt Scheibius, Qui ſi recte habet, inſcriptio haec ad inſulam praecedentem ſpectabit. Cluuerius cenſet, fanum Herculis, cuius e Ptolemaeo meminimus, in litore eſſe non potuiſſe, quod id hoc tractu paluſtre eſt; verum id ipſum ſuſpicionem mouet, olim inſulam eo loci fuiſſe. Profecto fanum Herculis portui eiusdem vicinum fuerit. Habet hoc agro Hodoeporicon, *Ad Herculem*, et Cicero portum *Labronis*, quem *Livorno* paſſim interpretantur. Vnde nonnullis, *Fanum et portum Herculis Labronis* nuncupare placet; qua de phraſi nihil obſeruat Cluuerius; portum tamen Labronis huc ſpectare cenſet, addens: Ac forte fuit initio *portus Herculis Labronis.* Si Tabulam reſpexiſſet, minus dubitaturus erat. Quamquam de vocabulo Labronis Weſſelingius dubitat. Vicinus eſt vrbi *Livorno* a ſeptemtrione euripus, peninſulam efficiens, in qua Herculis fanum ſteterit. Auctor Tabulae, pro more, qui ſpatium amplius habebat, in pelago inſulam formauit. Verum ſitus inſulae noſtrae magis in auſtrum remoueri poſcit. Eſt apud Coſam veterem peninſula capacior, cum promontorio et portu, qui ab Hercule nomen vſque hodie gerit, *Porto Hercole* dictus. Huc inſulam Tabulae, ſeorſim cum fano ſcriptam, pertinere putes. Forſan et fanum huc ſpectabit; multa enim apud Ptolemaeum ſunt turbata, et loco alieno poſita.

Inſ. Poraus. Velſ. apud Scheibium vniuerſa epigraphe euanuit. Sunt binae inſulae paruae, ſupra dictae Coſanae peninſulae vicinae, quas auctor Tabulae reſpexerit; niſi Igilium, *Giglio*, intelligi voluerit; cui inſula quidem reſpondet, inſcriptio ad Portum ſpectare videtur, ſiquidem eſt recte a Velſero notata.

Alia comparet inſula cum fano, absque inſcriptione, ex aduerſo exitus Martae, quae ſit *Gianuti* vulgo nuncupata, olim Artemiſia, Latinis Dianium. Nota Plinio, Melae, Martiano Capellae; Plinius: Dianium, quam Artemiſiam Graeci dixere. Stephano, *Ἀρτέμιτα*, *νῆσος Τυῤῥηνική*, *Artemita*, *inſula Etruſca.* Inde fluuius quoque in Tabula per metatheſin *Armenita* dictus, nomen acceperit. Sirannam, oſtio Tiberis adpoſitam, alias dicemus. E portubus eſt vnus,

V. Port. Hercul': Velſ. *Port. Hercul'.* Strabo, de Coſa vrbe locutus: Eſt in ſinu collis ſublimis, inquit, in quo vrbs condita; *ὑπόκειται δ' Ἡρακλέου λιμὴν*, *ſubiacet ei Herculis portus*, et huic propinquum ſtagnum marinum; et ad promontorium, quod ſinui imminet, ſpecula ad captandos thynnos erecta." Haec eleganti carmine deſcribit Rutilius. Hodie quoque nomen ſeruat, *Porto Hercole*, Ortelio *Hercolo*, nuncupatus. Foſſarum vna comparet,

Foſſis. papirianis. Velſ. *Foſſis Papirianis.* Hodoeporicon, ad xi a Piſa lapidem, *Papiriana.* Ptolemaeo, *Φόσσαι Παπιριάναι*, *Foſſae Papirianae*, ſupra Lunam. Cluuerius: Eſt hodie, inquit, xiv circiter mill. paſſ. a Piſis vicus in litore, *Viareggio*, et paullo ſupra hunc caſtellum vetuſtioris operis ſemirutum; hoc ego, ex ſitu, *Foſſas Papirianas* eſſe iudico. Acta fuerit haec foſſa ad excipienda ſtagnantia vada, agrosque circumiectos ſiccandos." Lacum Ciminum in montibus memorauimus.

§ III

Oppida, manſiones

I. IN ora, quam primum luſtrare libet, prima eſt Luna vrbs, laeua exeuntis Macrae amnis ripa; quam iſthuc ſpectare, apud Ligures monebamus. Ab ea duae ſunt viae, quarum altera in mediterranea tendit, Lucam verſus; altera litus perſequitur. In Tabula, ſecus flumen Macram, occurrit,

Lune. absque numero, inſignia municipii; Velſ. *Lunę.* Hodoeporicon, *Lunae.* x. a Boaceis; Cuſani ſchedae, *Tune.* Strabo, *ἡ μὲν Λόυνα πολις ἐστὶ καὶ λιμὴν*, *Luna et vrbs eſt et portus.* Plinius: Primum Etruriae oppidum Luna, portu nobile." Ptolemaeus, a Macra: *Τόυσκων δὲ παρὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος*, *Λόυνα*, *Tuſcorum, ad mare Tuſcum*, *Luna*, *Σελήνης ἄκρον*, *Selenes promontorium;* quo nomine vrbem Graeci nuncupauere, Strabone, et ex eo Stephano, teſtibus; ille, *Καλοῦσι δ' οἱ Ἕλληνες Σελήνης λιμένα καὶ πόλιν*, *Graeci vocant Selenes portum et oppidum.* Hodoeporicon, itinere maritimo, *a Piſis Luna, fluuius Macra.* xxx. *a Luna Segeſta poſitio.* xxx. Situm vrbis cum portu deſcribit Blondus, quem corrigit Cluuerius, addens, a Strabone et Ptolemaeo Lunam dextra Macrae ripa ſtatui, vbi *Lerici* oppidum, ad ſinum *Spezza.* Sed neuter geographorum id adſeruit. Danuille ſiniſtra collocauit, poſcente interuallo. Abeſt a mari bis mille paſſus, chartis oppidum *Lune diſtrutta.* Binas inde vias eſſe, diximus; heic oram ſequemur.

Ad taberna frigida. x. aedes quadra; ſic Velſ. Cluuerius tabernam hanc ad amnem Frigidum, incolis *Frigido*, cum vico cognomine, recte ſtatuit; ſed cum inde ad oppidum *Lerice*, ſinui Lunenſi adſitum, x M. P. cenſeri ait, fallitur. Sunt enim eo interuallo M. P. omnino xii. ad rudera Lunae hodierna x.

Proinde longa eius oratio tantum momenti non habet, vt, contra communem geographorum sententiam, vrbem Lunam loco mouere cogamur. Danuilleo, Erix, situ oppidi *Lérice* notatur; Taberna Frigida, laeuo amnis latere, situ vici *Frigido.*

Fossis. papirianis. XII. Vels. *Fossis papirianis.* XII. Hodoeporicon, *Papiriana.* XII. a Luna; Cusani schedae, XXVII. Ptolemaeo, *Φόσσαι Παπιριάναι*, *Fossae Papirianae*, in mediterraneo. Cluuerius ad litus fuisse putat, vt iter Tabulae exposcit; in mappa tamen Ptolemaeum sequitur. Danuille, inter vicos *Selice* et *Castiglione*, ad stagnum maritimum, *Fossae Papirianae*, ducta proxime litori via. Hodie mediterranea modo est in vsu.

Pisis. XI. insignia coloniae; Vels. *Pisis.* XV. Hodoeporicon, *Pisae.* XI. in Regio, LI. quibusdam XII. Longoliano. XI. qui numerus ei spatio sufficit. Itinere maritimo, *a portu Pisano Pisis fluuius.* IX. Si Auser hic est, vt Simlerus autumat, distincto alueo tum iam petebat mare. Vrbis meminerunt, Lycophron, Liuius, Maro, Halicarnasseus, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Lucanus, Iustinus, Rutilius, Seruius, alii. Strabo, *Πίσα, κτίσμα ἐστὶ τῶν ἐν τῇ πελοποννήσῳ Πισατῶν*, *Pisa est opus Pisanorum, qui sunt in Peloponneso.* Lycophroni, *Πίσσα*, *Pissa;* Ptolemaeo, *Πίσσαι κολώνια*, *Pissae colonia.* Polybio, *Πίσσῃ* et *Πίσσαι*, *Pisse* et *Pissae.* Latinis *Pisae*, pluratiue. In cenotaphiis Lucii et Caii Caesarum, de quibus Norisius est praeclare meritus, PISIS IN FORO. item COLONIS IVLIENSIBVS COLONIAE OPSEQVENTI IVLIAE PISANAE. Plinius, Graecorum traditionem secutus: Colonia Luca a mari recedens, propiorque Pisae inter amnes Auserem et Arnum, ortae a Pelope Pisisque, siue a Teutanis, Graeca gente.“ Tamen eius non meminit Scylax; nam ex ea scriptoris phrasi, apud Padum, *ἀπὸ πόλεων πόλεως*, refingere cum Cluuerio, *ἀπὸ πόλεως Πίσης μέχρι Σπίνης πόλεως*, est subire aleam periculi plenam; quod Scylax neutrius meminit vrbis. Et sane opportunior locus Pisam nominandi erat ad mare Tuscum, quam Adriaticum. Tusci oram Adriae dumtaxat quibusdam tenuere locis, commercii gratia; mediterranea aliis populis autochthonis occupantibus; quod vel ex Polybio collegeris. Inter alia perhibet Seruius, ad Virgilium: *Pisas Lydi lingua sua Lunarem portum significare* dicebant. Et sane *Luka* hodie vsque portum Illyriis significat, vt postea videbimus. Conseruat nomen vetus *Pisa*, regionis homonymae caput.

II. Duplex inde via est, in mediterranea Florentiam, et per oram maritimam ad Aquas Volaternas; vtramque etiam Hodoeporicon exhibet, cum variatione quadam. In Tabula a Pisis, iuxta litus, haec occurrunt:

Turrita. VIIII. Vels. *Turrita.* VIIII. Numerus quidem in via hac non comparet, sed superne, Lucam versus, notatur; quem isthuc spectare, Cluuerius quoque obseruat. Quamquam ipse non satis sibi constat, cum Turritam hanc, quae Rutilii *Triturrita* sit, in peninsula, vrbi proxima, statuit; oblitus, VIII M. P. ab se eo interuallo censeri. Praeter hunc numerum, quem ipse tamen

non obſeruat, omnes in Tabula ſequentes corruptos ait. Danuille producit oram ſecundum numeros Itinerariorum, ad VII a Piſis lapidem *Triturrita*, inde ad V *Portus Herculis Labronis*, conſtituens. Hodoeporicon, a Piſis, *ad Herculem*. XII. itinere maritimo, *a Portu Piſano Piſis fluuius*. IX. Chartae recentiores a Piſis ad oppidum *Livorno* duo mill. geogr. numerant. Quare Portum Piſanum, prope manſionem *ad Herculem*, ſtatui oporteat, quae Tabulae aetate Turrita fuerit nuncupata; ſiquidem ea oram tenebat; quidquid cum Labronis vocabulo, quod Weſſelingius alio pertinere putat, fieri velis. Hoc ſitu *Fanum Herculis* habet Ptolemaeus; de quo in recenſione inſularum diximus.

Piſcinas. XVI. Velſ. *Piſcinas*. XVI. Hodoeporicon ad XVIII a priore lapidem, *Vadis Volaterris*. in Neapolitano M. P. XI. quae Tabula in auſtrum longius reiicit. Cluuerius, inter Liburnum et Piſas, lacum *lo Stagno*, accipi vult, menſura vtique neglecta. Danuille, Piſcinis praeteritis, ad XIII M. P. *Fines* ponit. Hos igitur ſequi nequimus. In chartis recentioribus, interuallo Tabulae occurrit *la Fina*, aliis *Macchia* fluuius, cum vico cognomine, qui Piſcinarum obtineat locum. Vox *Fina* congrueret cum manſione Tabulae *ad Fines*; verum hoc argumenti genus ſaepe numero fallit; vt heic clare perſpecturi ſumus.

Ad fines. VIII. ſic Velſ. Cluuerius *Torre di Saracone* ſpeculam interpretatur; Danuille *la Fina* reſpexerit, ad fluuium cognominem. Silua heic occurrit media, in qua manſio ad fines fuerit, quae hodie non comparet.

Velinis. XIII. inſignia municipii; ſic Velſ. Hoc interuallo in chartis occurrit vicus *Vada*, *Veda*, dextra Cecinae, Ceccinae, exeuntis ripa; qui locus cum ſono vocis cum Vadis Volaterranis Tabulae et Hodoeporici congruat, heic illa, poſt Cluuerium, ab geographis ſtatuuntur. Quippe Cluuerius, qui haec loca viderit, cum vocabulum Velinis, inquit, cum X millium numero, quae Finibus et Vadis interponuntur, nullo modo heic ſubſiſtere queant, recte ac probe ſequens numerus XIII millium ſpatio inter Vada et praedictam ſpeculam congruit." Idem apud Vetulonios: Quum inter Piſas, inquit, atque Vada XXX circiter ſint millia paſſuum; inter haec autem et Populonium XXV. numeros hoc itinere in Tabula eſſe corruptos, certum eſt. *Velinis* iſtis pictura inſignioris vrbis adpoſita eſt; at inter Vada et Piſas nullum vmquam memoratum fuit oppidum, nedum vrbs maioris paullo notae et nominis. Quapropter vitiatam conturbatamque hoc loco eſſe Tabulam, ſatis lucide ex duobus hisce documentis perſpicitur. Nec dubitandum, quin inter Vada Volaterrana et Populonium ſcripta fuerit vox *Vetulonis*, hoc modo: Piſis Turrita. VIII. Piſcinas. VI. Ad Fines. VIII. Vadis Volaterranis. XIII. Vetulonis. XX. Populonio. X." Haec ipſe. Danuille tamen Vetulonios non ad Corniam, poſt Populonium, ſed medio fere hoc inter et Vada ſpatio, circiter vicum *Tora S. Vincenzo*, in ipſo litore ponit. Quae cum inter ſe minime cohaerentia ſint, non video, cur Tabulae ſeriem pro lubito interuerti ſinam. Proinde *Velini* interea ad Cecinam con-

ſiſtant, dum cetera expediamus. *Οὐετουλώνιον*, *Vetulonium*, Ptolemaeus in mediterraneis ſtatuit; quare, ſi Velini ad litus erant, perperam cum Vetulonio committuntur.

Vadis Volateris. inſignia municipii; Velſ. *Vadis Volateris.* x. Hodoeporicon, *Vadis Volaterris.* xviii. a manſione ad Herculem; in Neapolitano xi. Cuſani MS. tantumdem; editiones antiquae xvi. iter maritimum, *a Populonio Vadis portus.* xxx. *a Vadis portu Piſano.* xviii. Norunt praeterea Vada Volaterrana Cicero et Rutilius. De ſitu loci ſuperius dictum. Omnes, vocabuli ſono abrepti, ad Cecinam poſuere, vico *Vada*, *Veda*, nuncupato; vbi, Tabula duce, Velinos conſtituimus. Quare, cum nullum adpareat monumentum, cur ſeries locorum in Tabula occurrens turbari debeat, Vada haec Volaterrana eo loco, quo Danuille Vetulonios conlocauit, circiter vicum *Tora*, ſecure pone. Olim tamen videntur etiam Volaterrae heic poſitae fuiſſe, vt in mediterraneis dicemus. In Atlante mutauit ſententiam Danuille, Vetulonio propius Populonium poſito; cauſſam ignoramus; videtur Cluuerii phraſin reſpexiſſe.

III. A Vadis duplicem habet Tabula viam, ad Aquas Volaterranas, et Populonium; nos heic oram perſequemur, Aquas reuiſuri poſtmodum. Itaque a Vadis Volaterranis in Tabula ſequitur,

Populonio. x. Velſ. *Populonio.* x. Hodoeporicon, *Populonio.* xxv. Schotto, xxii. itinere maritimo, *a Populonio Vadis portus.* xxx. Haec fecerunt, vt de Tabulae ſerie dubitaretur; ſed heic quoque in numeris variari videmus. Certe a Populonio ad Cecinam non ſunt, niſi quatuor mill. geogr. cum duabus quintis. Quid ſi olim ſcriptum erat, *Velinis portus?* Ad Vada quippe, qualia Cluuerius deſcribit, ſtatio nauium non bene habet. Inſuper, ab hodierno locorum ſitu, niſi validum praeſto ſit momentum, de poſitione veteri non ſemper cenſere licet. Nota vrbs Ariſtoteli, Straboni, Plinio, Ptolemaeo, Stephano, praeter alios; Graecis *Ποπλώνιον*, *Poplonium*, Latinis *Populonium;* Virgilio et Plinio, *Populonia.* Hodie vicus, *Populonia diſtrutta*, in angulo peninſulae boreali, *Piombino* vrbi oppoſito, ad tertium ab ea lapidem.

Manliana. xii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Manliana.* xii. Rauennati, *Malliana.* Ptolemaeo, *Μανλίανα*, *Manliana*, in mediterraneis; quam huc pertinere Cluuerius negat. Qui praeterea, vt *Scarlino* oppidum ex Maniliana faciat, vult pro xii M. P. ſcribi xvii. Danuille, ſeruatis interuallis, latere ſinus Plumbini boreali, ex aduerſo Scarlini, Manlianam ſtatuit, Aquis Populonii vicinam; qui ager hodie locis eſt vacuus. A Manliana biuium notatur, parte in mediterranea procedente, parte vero litus tenente. Ad oram, quam perſequi libet, a Manliana in Tabula comparet,

Saleborna. viiii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Salebrone.* viiii. Simlero, *Saleprone*, vel *Salumbronis;* in Regio, *Salebronem;* in Blandiniano, *Sale prone.* Rauennas, *Salembro.* Cluuerius, oppidum *Buriano*, ad exitum *Brone* fluuii, in ſinum Caſtilionis, *lago di Caſtiglione*, recte cenſet, firmante ſententiam

Danuilleo. Vtrum autem fluuius Salebro ſit olim dictus, qui hodie *Brone*, *Brune*, *Bruno*, poſtremis ſyllabis effertur, ipſemet ambigit. Quare non recte a Weſſelingio reprehenditur, quaſi Salebronem fluuium fecerit, qui nuſpiam ſit. *Brone* quippe ex *Salebrone* promanaſſe videtur.

Vmbro. fl'. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Ad lacum Aprilem.* XII. Iter maritimum lacum Aprilem non nouit. Ciceroni eſt lacus *Prelius;* Plinio amnis *Prille;* forſan lacus, vt credit Weſſelingius. Manſio ad Aprilem fuerit circiter oppidum *Groſſeto*, vt Cluuerius quoque notauit; Vmbro locus ad flumen homonymon, ripa exeuntis dextra, vbi vicus *Ombrone*, Ortelio *Albareſe;* cuius ſitu *Vmbro* Danuillei. Videntur tamen vna proceſſiſſe, Hodoeporico lacum, Tabula fluuium, pro manſione eligentibus, memorato oppido vtrique vicino. Vmbronis fluuii meminimus alias.

Haſta. VIIII. ſic Velſ. Cluuerius, inter Telamonem portum et Vmbronem amnem quum milliaria ſint hodie haud amplius VIIII. numeros in Tabula itineraria eo interuallo vehementer eſſe vitiatos, certum eſt; ac proinde *Haſta* oppidum certo alicui loco dari nequit, niſi fere medio itinere fuiſſe concedas." Sed is haec loca non recte dimenſus eſt; nam ad Telamonis portum ſunt omnino mill. geogr. tria cum duabus quintis. Haſtae reſpondet vicus *Cala di Forma*, vt Danuille quoque ſignauit.

Telamone. VIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere maritimo, *a portu Telamonis Vmbronis fluuius.* XII. Loci meminerunt Polybius, Diodorus, Mela, Plinius, Plutarchus, Stephanus, alii; huic *Τελαμὼν*, *πόλις Τυῤῥηνίας*, *Telamon, oppidum Etruriae.* Diodorus, ab Telamone, vno ex Argonautis, nuncupatum ait. Cluuerius a Pelaſgis Tyrrhenis conditum putat. Hodie vicus *Telamone vecchio*, ad quintum ab cognomine alio vico lapidem, laeua Oſae amnis exeuntis ripa. Ptolemaeus, *Τελαμὼν ἄκρον*, *Ὄσσα ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Telamon promontorium*, *Oſſae amnis oſtia.* Danuille in boreali vico Telamonium ſignauit, cum in auſtrali facere debuiſſet.

Almina. fl'. IIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere maritimo, *Almina fluuius habet poſitionem; ab Almina portus Telamonis. M. P.* numero exmiſſo. Interuallum Tabulae ab Telamone veteri bene habet. Amnem Cluuerius et Danuille ſignant, absque loco; neque hodie comparet vllus. Ortelio, *Saline*, laeua exeuntis.

Coſa. VIIII. inſignia coloniae, ſic Velſ. Hodoeporicon, *Coſam.* XXII. a lacu Aprile. Vrbis meminerunt, Liuius, Virgilius, Paterculus, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Macrobius, Seruius, Rutilius, alii. Strabo, poſt Populonium, *Κόσσαι*, *Coſſae*, vrbs eſt, paullum a mari recedens; eſt autem in ſinu collis ſublimis, in quo vrbs, promontorium, quod ſinui imminet, ſpecula ad captandos thynnos erecta." Haec Rutilius carmine depingit. Hodie vicus *Coſa diruta*, inter *Orbitello* oppidum a borea, et portum Herculis ab auſtro. Eſt

vrbs numiſmatica, in cuius pecunia aenea COZA. et COSA. cum capite Martis aut Palladis.

IV. Ab vrbe Coſa duae ſunt viae, vna in mediterranea tendit, Saturniam et Tuſcanam verſus, altera ad portum Herculis, vbi tractus quidem viae terminatur, ſed continuari debere intelligitur. De portu hoc dictum ſuperius. Via prior ad xx in exortum aeſtiuum lapidem progreſſa ſcinditur bifariam, parte vna ad Saturniam diuertente, altera ad oram maritimam deflexa; illam Danuille notare neglexit; Cluuerius numeros corruptos turbatosque conqueritur; neuter naturam viarum expendit. Ad ſecundum ac viceſimum ab diuortio lapidem, qui numerus exerte ponitur, in Tabula haec legas:

Ad nonas. xxii. ſic Velſ. Cluuerius rite obſeruat, *Ad Nouas*, forte tabernas, ſcribi oportuiſſe, addens: Quo ſitu hic locus fuerit, incertum eſt; quando toto eo itinere a Centumcellis ad Coſam numeri millium, corrupti ſunt. Nam ab Arminia amne ad Coſae regionem xxv ferme ſunt millia paſſuum; quae Antoninus inter Forum Aurelii et Coſam habet.“ In mappa Etruriae, inter Coſam et Forum Aurelii medio fere ſpatio, in mediterraneis, ponit; quem Danuille ſequitur. Numerus xx ad portum Herculis poſitus, ſpectat ad Succoſam, et ab ea ad Nouas, quae prope litus fuerint, repeti debet; idcirco, ſeu errore, ſiue ingenio ſcribae, ad latus poſitus. Quamquam, ſi tractus fuiſſet continuatus, vt ſubintelligi videtur, tam longe in exortum aeſtiuum deflectere non oportebat. Eo ſitu in chartis, quibus vtor, nullus comparet locus.

Armenita fl'. iii. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere maritimo, *Armine fluuius habet poſitionem; ab Armine portum Herculis.* xxv. Eſt *la Fiore*, Ortelio *Fiere*, vt alias dicebamus; latere exeuntis laeuo vicus *Caſcina* manſioni priſcae respondeat. Fluuium Artemitam, non Arminiam cum Cluuerio, dici debere, ab Tabulae auctore per metatheſin expreſſum, in fluuiis monebamus.

Foro Aureli. iiii. Velſ. *Foro Aureli.* iiii. Hodoeporicon, *Forum Aureli.* xxv. Cluuerius, *Monte alto* oppidum, laeua Floris ripa, ad quintum a mari lapidem, exiſtimat; quod inſcriptiones ibi reperiſſet, et in itinere nulla Fori Aurelii mentio eſſet. At vero neque Coſa in eo itinere legitur, mari proxima, et Tabula oppidum ab amne Artemita ad quartum milliare vult remoueri. Hodoeporici *Regas*, itinere maritimo, ſitu conuenit; Straboni eſt *Ῥηγισουΐλλα*, *Regis villa;* quam Danuille ſupra exitum fluuii, in aqua, inſtar inſulae, ponit. Eſt hoc interuallo amnis quispiam, et ad eius dextram vicus *Caſtellaci*, cum addito, *le Murelle;* vt veſtigia vrbis antiquae ſupereſſe intelligamus. Epigraphae illae, oppido iniuria temporum deſolato, eo ablatae fuerint. Forum hoc ab eodem forſan e familia Aurelia viro dictum, a quo via haec ipſa Aurelia nuncupata erat. Cluuerius ſe ignorare ait, a quo Aurelio id nominis via Forumque acceperit; ego Aurelium Cottam, A. V. 512 cenſorem, apud Ciceronem lego; vt ſuo loco ſum dicturus.

Marta. fl'. III. Velf. *Marta. fl.* III. Hodoeporicon, *Martha.* XIIII. in nonnullis XIII. *Marta* et hodie fluuio nomen, ad cuius exitum forfan locus quispiam erat, qui hodie non comparet; vicinus ab exortu, laeua amnis ripa, eft vicus *Corneto.* Danuille, aduerfa exeuntis ripa, *Quintianum*, ex Hodoeporico, itinere maritimo, in quo, *a Maltano Quintiano pofitio.* III. *a Quintiano Regas pofitio.* VI. *a Regas Armine fluuius habet pofitionem.* III.

Tabellaria. II. fic Velf. Cluuerius Martam inter et Forum Aurelii vult Tabellariam poni; in tabella tamen exmifit. Danuille, hoc a flumine interuallo, *Martanum* habet, Cluuerium fecutus, qui ex Maltano Hodoeporici Martanum fecit. Litus hoc iam Rutilii tempore defolatum erat, vt hodie.

Grauifca. v. co. infignia praetorii, aedes quadra; fic Velf. Hodoeporicon, itinere maritimo, *a Grauifcis Maltano pofitio.* III. Numeri Tabulae a Marta ad Minionem VII M. P. bene habent; neque erat, cur ab Cluuerio turbarentur. Velleio, *Grauifca;* Virgilio, Liuio, Straboni, Melae, Plinio, Silio, Ptolemaeo, Seruio, Rutilio, *Grauifcae.* Strabo tamen in vulgatis Γραουΐσκους, *Grauifcos* habet. Ptolemaeo Γραουΐσκαι, *Grauifcae*, vt Latinis. Cluuerius coloniam infcribit, cuius non nifi in Digeftis occurrit mentio; vultque ad fecundum a laeua Martae fluminis ripa Grauifcas exftitiffe, omnia Itineraria corruptelae arguens. Danuille, faniora confilia fecutus, dextrae Minionis ripae Grauifcas adpofuit, Tabula duce, in qua co. particula, vt alias, confluentem notat. Quare ad Mindum fluuium nullus comparet numerus; in Atlante Cluuerii veftigia expreffit. Rutilius Cofam et Grauifcas defolatas refert; quale et nunc id litus comparet. Ortelius eo fitu oppidum fignat, cum infcriptione, *Ceritus et Minius fl.* quorum hic ad Magnonem fpectet, Ceritus aliorfum

Centū cellis. absque numero, infignia praefidii; fic Velf. Hodoeporicon, *Centum cellis.* x. a Martha. Eft etiam iter a Roma per Portum Centum cellis; itinere maritimo, *a Centum cellis Algas pofitio.* III. *ab Algis Rapinio pofitio.* III. *a Rapinio Grauifcas pofitio.* VI. In Tabula, tractus viae cum numero v. incuria aut ingenio fcribae, defideratur. Danuilleo *Centum Cellae*, ad VI a Minione lapidem. Opus eft Traiani Imp. qui portum infignem, Plinio iuniore tefte, conftruxit; ante villa erat, *Centum Cellae* nuncupata, cuius praeterea vocabuli Lampridius, Seruius, Procopius, Paullinus, Agathias meminerunt. Ptolemaeo, Τραϊανὸς λιμὴν, *Traianus portus;* pofterioribus, Κεντουκέλλαι, *Centucellae*, vt in Tabula. Hodie *Cincelle*, vulgo tamen *Ciuità vecchia.* De numeris quod queratur Cluuerius, non habebat; nam a Magnone ad *Ciuità vecchia*, omni fpatio intercepto, eft mill. geogr. vnum cum duabus quintis. Hodoeporicon, vicis non adcenfis, x M. P. a Marta recte computat; maritimum iter, omnibus litoris angulis excuffis, amplius numerauit; tamen XII M. P. cenfus ab Grauifcis ad Centum Cellas eft nimius.

V. Caftro nouo. IIII. infignia municipii. Velf. *Caftro nouo.* III. Hodoeporicon, *Caftro nouo.* v. itinere Portuenfi, VIII. maritimo, *a Caftro nouo Cen-*

tum cellis positio. v. Cluuerius, millia a Centum cellis IIII versus Tiberim progressis occurrunt ingentia hodieque antiqui castelli vestigia, fluctibus marinis tota obruta, ita, vti non nisi tranquillo mari conspiciantur." Castri noui meminerunt Liuius, Mela, Plinius, Ptolemaeus, cui *Κάστρον νέον*, *Castrum nouum.* Liuius coloniis adcenset. Desolatum esse locum, e Cluuerio intellexeris.

Ab Castro nouo Tabulae auctor diuertit ad Aquas Apollinares, oblitus tractum viae secus oram notare, quem scriba Velseri expressit quidem, sed altero, Aquas versus, misso. Sequitur ad litus,

Punicum. absque nota numerali; Vels. *Punicum.* sic Rauennas. Hodoeporicon, itinere maritimo, *a Panapione Castro nouo positio.* VII. Cluuerius putat, in Tabula numerum III desiderari, cum ipse II M. P. cum D pass. numerarit. Danuille sesqui milliari loca dirimit; milliare autem vnum in Tabula notari non solet; quingentorum autem passuum nusquam in itineribus Romanis habita fuit ratio. Nunc eo loci oppidulum *S. Marinella* esse, Cluuerius ait; quamquam hic locus in chartis vulgaribus iusto propior Centum cellis ponitur.

Pyrgos. v. Velserus, *Pyrgos.* VI. Hodoeporicon, *Pyrgos.* VIII. ab Castro nouo; itinere maritimo, *a Pyrgis Panapione positio.* III. Rauennati, *Pyrgos.* Meminerunt oppidi ex antiquis, Cicero, Liuius, Virgilius, Diodorus, Strabo, Mela, Plinius, Martialis, Ptolemaeus, alii. Graecis *Πύργοι*, *Pyrgi.* Strabo: *Ἀπὸ δὲ Γραουΐσκων εἰς Πύργους στάδιοι μικρὸν ἐλάττους τῶν ρπ΄. A Grauiscis ad Pyrgos stadia sunt paullo minus* CLXXX. Oppidi vestigia reperit Cluuerius apud *Santa Seuera*, VI M. P. a Punico. Danuille, *Pyrgos*, non integris V M. P. quem numerum, in Tabula signatum, censeo esse sincerum.

Alsium. x. Vels. *Alsium.* x. Hodoeporicon, itinere Portuensi, *ad Turres.* XII. *Alsio.* IIII. Via Aurelia, *ad Turres.* XII. *Loria.* x. Alsium norunt Cicero, Liuius, Dionysius Halicarnassensis, Paterculus, Strabo, Plinius, Silius, Ptolemaeus. Graecis, *Ἄλσιον*, *Alsium.* Strabo in oppidis modicis numerat. Lapidis fragmentum, ad villam Farnesianam *Palo*, exhibet DECVR. COLON. ALSIENSIS. Danuille, *Alsium*, a Palo sesqui milliari in exortum remouet, dextra fluuii, *Sanguinaria* Ortelio nuncupati, ripa statuens.

Ab Alsio abit via bifariam, pars Romam, in exortum, pars portum Ostiensem, in austrum declinans, petit. Nos hanc, secus oram progredientem, persequemur, deinde reliquas, quae in mediterraneis sunt, visuri.

Numerus VIIII. absque inscriptione. Portus, figura hemicycli, duas fere vncias longus, vnam latus, trigeminus, cum Pharo, structura eleganti et pictura. Hodoeporicon, itinere maritimo, *a portu Augusti Pyrgos positio.* XXXVIII. Portuensi vero, *Fregenas.* IX. *in Portum.* IX. Suetonius de Claudio: Portum Ostiae exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, et ad introitum profundo iam salo mole obiecta; quam quo stabilius fundaret, nauem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat aduectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, vt ad nocturnos

ignes curſum nauigia dirigerent.“ (a) Iuuenalis *portum Phari* vocat; quem ſcholiaſtes vetus, *portum Auguſti*, *ſiue Traiani*, interpretatur. Philoſtorgius, de Alaricho: portum occupat, *μέγιστον δὲ ὄντος νεώριον Ῥώμης, λιμέσι τρισὶ περιγραφόμενος*, *maximum illud vrbis Romae nauale eſt*, *tribus portubus circumſeptum*. (b) Meminerunt inſuper portus, Procopius, Zoſimus, Paullinus, Leges Theodoſianae. Procopius refert, oppidum portui additum idem habuiſſe nomen. Hodie *Porto*, ad Tiberis oſtium boreale. Quantum ad numeros, Cluuerius ait, a Portu ad Alſium XVIII M. P. cenſeri. Chartae recentiores variant; aliae tria mill. geogr. aliae duo cum ſemiſſe; Danuille in ſpeciali tabella ditionum Romanarum, X M. P. numerat; qui cenſus Tabulae rationes ſtabilit. Proinde Cluuerii, Tabulae manſiones et numeros pro lubito disponentis, augentis, minuentis, diligentia eſt ſuperuacanea. Heic finis Etruriae, ad oram maritimam; mediterranea luſtremus.

VI. In his principium ducemus a borea, vnde incoauimus deſcriptionem orae. Eſt iter a Luna Lucam, inde Florentiam, Arretium; quod etiam Hodoeporicon habet, ſed manſionum numero parcius. In Tabula hoc ordine procedit via:

Foro Clodi. XVI. Velſ. *Foro Clodi*. XVI. editio operum Velſeri numero caret. Cluuerius, ex interuallo et viae ductu, oppidum *Pietra Santa*, laeua Verſiliae ripa, recte quidem, e ſententia noſtra et geographorum, cenſet, non item e ſua, Lunam oppidum *Lerici* interpretatus; quod a ruderibus Lunae prope V M. P. in occaſum abeſt. Cellarius non expenderit Tabulam, cum in ea *Forum Clodii* turbato ordine eſſe ait.

Luca. absque numero; inſignia municipii, ternae domunculae; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Luca*, itinere duplici, a Fauentia Lucam, et a Luca Romam; a Luna Lucam ſeorſim, *Iter a Luca Lunae* M. P. XXXIII. Cuſani MSS. *Lune*. Neapolitano XXIII. Eſt etiam *iter a Parma Lucam* M. P. C. Tabulae auctorem numerum XVI iterare pigebat; nam Forum Clodii Lucam inter et Lunam medium occupat. Norunt vrbem Cicero, Liuius, Velleius, Strabo, Plinius, Suetonius, Frontinus, Plutarchus, Ptolemaeus. Straboni, *Λοῦκα πρὸς τοῖς ὄρεσι*, *Luca ad montes*. Plinio, *colonia Luca*, *a mari recedens*, *propiorque Piſa*. Liuius coloniam A. V. 576 conditam refert. Hodie *Lucca*, Serchii amnis ripa laeua.

Eſt in Tabula Piſas inter et Lucam numerus VIIII. quem Cluuerius ad viam litoralem, a Piſis Turritam, referri oportere cenſet; quod et nos arbitrati ſumus; verum et heic inutilis non eſt. Habet quidem Hodoeporicon, *Iter Luca Piſas*. M. P. XII. vt Danuille quoque ſignauit; ſed amplitudine vtriusque vrbis ſumta, VIIII M. P. ſufficiunt, ductu modo viae deſiderato. Pergit Tabula,

---

(a) Cap. 20. (b) L. XII. c. 3.

Ad martis. XII. Velſ. *Ad Martis.* XII. Cluuerius, oppidum *Peſcia*, laeua cognominis fluuii ripa, Fanum Martis ſtatuit; ſed XII numero (is XIII legit) in VIII conuerſo. Danuille, *ad Martis.* XI M. P. interuallo, dextra amnis ripa. Eſt illud ſpatium duorum mill. geogr. cum ſemiſſe, vt chartae recentiores produnt. Non Tabula locis, quae hodie ſunt, ſed loca Tabulae adcommodari debent.

Piſtoris. VIII. Velſ. *Piſtoris.* VIII. Hodoeporicon, *Piſtoris.* XXV. a Luca. Plinio, *Piſtorium;* Ptolemaeo, *Πιστωρία*, *Piſtoria;* vetus marmor, apud Montfauconium, C. Vibius Verus, PISTORIO. in decreto Ludouici Auguſti, Piſa, Luca, Piſtoris, Lunis. Ciues Plauto *Piſtorienſes;* Salluſtio, ager *Piſtorienſis.* Danuille, *Piſtoria,* interuallo M. P. XIV. In chartis recentibus, ab amne Peſcia ad Stellam, cuius laeuam occupat Piſtoria, vulgo *Piſtoia*, oppidum, mill. geogr. duo cenſentur; in charta Europae, a Luca Piſtoiam quatuor mill. geogr. cum vna quinta. Proinde vbicumque ad Martis poni velis, numeros Tabulae turbari non ſino.

Hellana. VI. ſic Velſ. Cluuerius, ex interuallo, putat *Monte Murlo,* vicum in colle ſitum; non longe inde oppidum *Prato* abeſt, medio inter hanc et ſequentem manſionem loco, quod ſerius ſurrexerit.

Ad ſolaria. VIIII. ſic Velſ. Cluuerius, caſtellum *Campi*, apud Biſentii Marinaeque confluentes, numeris poſcentibus, recte interpretatur; apud Danuille, in Atlante, ad Arni ripam collocatur; qua in aliis, apud eumdem, via non procedit.

Florentia Tuſcorum. VIIII. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Florentia.* XXV. vtroque itinere, a Fauentia Lucam, et a Luca Romam. Vrbis meminerunt Tacitus, Frontinus, epigraphae, Ptolemaeus, Procopius, Agathias: Plinio, *Fluentini praefluente Arno appoſiti.* Floro, *Fluentia;* in decreto Deſiderii regis Italiae, *Fluentini.* Frontinus in coloniis cenſet Florentiam. Hodie *Fiorenza*, *Firenze*, Etruriae caput, dextra Arni ripa; Danuille impoſuit laeuae; quamquam vtramque tenet, ſi chartis fides. Recte autem Tabula Florentiam Tuſcorum vocat, ad diſtinctionem Florentiae alterius, in regione octaua, quam cispadanam diximus. Apud Florentiam exit via a Piſis ducens, quam deinde luſtraturi ſumus.

VII. **Ad aquileia.** absque numero; ſic Velſ. Hodoeporicon, *ad Fines ſiue caſas Caeſarianas.* XXV. Cluuerius, certum, inquit, ſitum neque Aquilae huic, neque Biturgiae tribuere ſciuerim; niſi quod haec ſupra fontem Vmbronis fuerit, haud ita procul ab Arno amne; qua alterum illud iter ab Arretio iunctum fuit huic itineri, a Nouis Florentiam ferenti.“ In charta Etruriae, ſitu vici *Ancisa,* prope laeuam Arni ripam, ſtatuit. Danuille, in Atlante, veſtigia Cluuerii ſecutus, *Aquileia* ad XVI a Florentia lapidem collocat; in tabella, ad commentarios Rollini, a Florentia procedit in auſtrum, verſus *Greve* pagum, vbi *Fines* Hodoeporici, in montis iugo, ponit. Via hodie laeuo Arni latere pro-

cedit; quare, si Danuillei et Cluuerii exemplo hac proficiscamur, consideratis, quae sequuntur, ad XVI lapidem vicus *Figline* respondebit Aquileiae. Cluuerius, vult *Ad Aquilam* legi, quod Ptolemaei Ἄκουλα, *Acula*, seu, vt in Vaticano est, Ἀκουλία, *Aculia*, Schotti edito Ἄκουουλα, *Aquula*, in haec incidit loca; vbi Ἀκουΐλα scriptum fuisse putat. Hae sunt opiniones, qualium plures adferri possent. Ptolemaei *Aculia* cum Aquileià congruit; neque recentius vocabulum discordat. Ad quintum inde milliare est S. Ioannis, *S. Giovanni*, nobile oppidum, cui Holstenius, ad Cluuerium, Fines Hodoeporici conuenire, ex interuallis, recte arbitratur; vbi hodie quoque Arretini et Faesulani episcoporum confinium. Danuille, Fines ab Aquileia remouet X M. P. quia Aquileiam paullo supra *Figline*, in vico *Ancisa* posuerat. *S. Giovanni* est riui cuiuspiam, Arni laeuam petentis ripa dextra. In Tabula numerus XV. qui huc pertineat, a scriba ad viam inferius, ab Aquis Populoniis Senam ducentem, translatus est, vbi VI requiruntur.

Bituriha. XIIII. insignia municipii; Velf. *Bituriha.* XIIII. Cluuerius, in tabella, situ vici *Bucine*, dextra Ambiae fluuii ripa, prope exitum, *Biturgia;* Danuille, paullo superius, in via, ripa exeuntis laeua, ad vicum *Levana*, idem oppidum statuit; quem situm et Cluuerius in commentariis probat, addens, ruinas veteris oppidi eo loco spectari. Videtur secus viam fuisse, quod ab Hodoeporico praeteritum est. Recte autem idem Cluuerius, de fluuiis agens, heic Tabulae Vmbronem Ambram, vulgo *Ambia*, amnem sumi debere ait; tametsi alueus Vmbronis eo exhibetur tractu. Fontes *Bozane* fluuii, qui Ombronem petit, et Ambiae, apud vicum *Brolio*, sunt vicini. Meminit oppidi Ptolemaeus, cui Βιτουργία, *Biturgia*, vt Cluuerius et Danuille expresserunt. Cum id oppidum olim clarum fuerit, situm eius, hac peripheria, ex vestigiis nosse liceret, qualia in vico *Levana* superesse Cluuerius dicebat.

Vmbro fl'. absque numero; Velf. *Vmbro fl'.* Cluuerius putat, scriptum fuisse hoc itinere ab auctore Tabulae *Ambra fl.* qui inter Arretium et Florentiam in finistram Arni confluit ripam. Exscriptor Tabulae, inquit, parum curiosus, id vocabulum vertit in *Vmbro fl.* quia hoc nomen quater in eadem Tabula perscriptum viderat; bis apud ostium amnis, semel ad fontem; atque iterum in suprascripto itinere inter Nouas et Senam. Certe saltem tertium illud iter ab Arretio versus Florentiam numquam in tantum versus meridiem a recto cursu deflexisse potuit, vti Vmbronem attigerit. In Tabula igitur, quia nullus millium numerus Ambrae fluuio et Biturgiae interpositus est; in ipsa laeua Ambrae ripa fuisse id oppidum coniicio.“ Quae sunt omnino sana. De situ Biturgiae oppidi paullo ante dictum.

A Biturgia binae sunt viae, vna in exortum, Arretium versus, tendit, altera in austrum, Clusium abit; ambae apud Nouas, ante Clusium, conueniunt. Arretium inuisemus ante, tum cetera exploraturi.

Adretio. xv. insignia coloniae; Vess. *Adretio.* absque numero. Antiqua vrbs, Arretium, quam Polybius, Caesar, Cicero, Liuius, Strabo, Silius, Ptolemaeus, Stephanus, norunt. Hodoeporicon, *Arretio.* xxv. a Finibus; in Regio, *Adretio*, vt in Tabula. Graecis Ἀῤῥήτιον, Latinis plerisque *Aretium*, simplice consona. Strabo, "Ἄρνος, ποταμὸς ἐξ Ἀῤῥήτιου φέρεται, *Arnus amnis ex Arretio defertur.* Plinius, Tiberis e media fere longitudine Apennini, finibus Aretinorum, profluit." Vrbs *Arezzo*, inter amnes posita, ab occasu Clanem, *Chiane*, ad secundum, a borea Arnum ad quartum, ab exortu australem Tiberis alueum itidem ad quartum lapidem habens, recte a veteribus incolis amnica est nuncupata. *Reka* quippe Liguribus est fluuius, *Recina*, *Recsina*, grandior amnis. Cluuerius ait, Arretium ante Troiana bella cum reliquis principibus Etruriae vrbibus, siue a primis huius regionis cultoribus Vmbris, siue postea a Pelasgis, conditum esse. Sed hanc regionem Liguribus olim cultam fuisse, nomen vrbis et Arni vicinia, ostendunt.

Ad nouas. xxiiii. Vess. *Ad novas.* xxiiii. Hodoeporicon, *ad Statuas.* xxv. Cluuerius, e viae ductu, et interuallis, putat locum, *Ad Statuas nouas* nuncupatum, oppido episcopali *Monte Pulciano*, ad alterum a dextra Clanis ripa lapidem, conuenire. Holstenius addit, eo Statuas loco stetisse, vbi via, quae Sena Perusium ducit, Cassiam, seu Clodiam potius intersecat. Danuille hanc partem viae, a Biturgia, per Arretium, signare neglexit. Heic exibat alia a Biturgia oppido, et Ambra fluuio, directe progressa, hoc pacto:

VIII. Ad ioglandem. x. Vess. *Ad Ioglandem.* x. Cluuerius, duobus locis, ait, quibus nomina *Ad Graecos* et *Ad Iuglandem*, certus situs tribui nequit; quando hodie inter montem Pulcianum, et Leuanam, siue Ambrae confluentem xxv tantum numerantur millia; Tabula vero eo spatio habet xxxi." Danuille, Iuglandem praeterit, Graecos Clanis ripae admouet. Nobis via secus Ambram processisse videtur, ad flexum vsque, prope quem, ab exortu est vicus montanus *Palàzzuolo*, qui ex interuallo mansioni Ioglandi respondeat.

Ad grecos. xii. sic Vess. Est riuus prope vicum *Palazzuolo* ortus, pone quem procedenti, hoc interuallo, occurrit vicus *Fametelo*, ripa dextra. Danuille ripae Clanis admouet, vico *M. Sansavino*, ad xviii a Biturgia lapidem, *ad Graecos* statuens; verum inde ad *M. Pulciano* sunt M. P. xiv.

Ad nouas. viii. sic Vess. A memorato *Fametelo* vico secus riuum proficiscenti vsque *M. Pulciano*, numeri bene respondent. Vtrum hac reapse via processerit, ex vestigiis colligere oporteret; quod nisi αὐτόπτης praestare nemo poterit. Numeri porro, contra quam Cluuerius censebat, absque vlla violentia disponi poterant. De Nouis dictum superius; sequitur,

Clusio. viiii. insignia municipii; sic Vess. Hodoeporicon, *Clusio.* xii. a Statuis. Meminerunt Clusii Polybius, Virgilius, Liuius, Diodorus, Strabo, Velleius, Plinius, Plutarchus, Appianus, Florus, Ptolemaeus, Seruius,

Procopius, alii. Graecis *Κλούσιον*, *Clusium*, ciues *Κλουσινοι*, *Clusini;* vetus epigraphe, Imp. Septimio Seuero ORDO CLVS. Nomen antiquum *Camers* vel *Camars*, vnde Camertes fuisse Liuius perhibet. Cluuerius ante bellum Troianum, vrbem ab Vmbris conditam putat, a Pelasgis, qui Vmbros expulerint, Clusium nuncupatam. Vtrum Pelasgi (siquidem aduenae sint) haec loca vmquam viderint, vehementer dubito. Clusium Liguribus *clauem* significat, *kam*, *kamen*, lapidem. Labyrinthum admiratione dignum, Porsenae regis, apud Clusium, e fabulis Varro apud Plinium refert; (a) cui eae Ligusticae voces adprime respondent. Quare, si Pelasgi haec vmquam tenuere loca, nae ii generis Liburnici populus erant. *Chiusi* oppidum, dextra Clanis ripa, ex aduerso amnis e lacu *Peruggia* effluentis.

Binae sunt ab Clusio viae, altera Tuder versus, in exortum, altera Vulsinios, in austrum, tendens; illam ante, vtpote borealem, dispicere libet, quam vna seruauit Tabula, in qua ab Clusinis haec notantur:

Pirusio. absque numero; sic Vels. Danuille XXIV M. P. interponit; suffectura videntur XXII. quae in Tabula exciderunt. Vrbs olim coloniae et municipii iure gauisa, nulla insignia apud auctorem Tabulae meruit. Norunt eam Liuius, Strabo, Velleius, Plinius, Suetonius, Appianus, Ptolemaeus, Florus, Dio, Seruius, Procopius, Eutropius, Stephanus, alii. Huic est *Περουσία*, *πόλις Τυῤῥηνῶν*, *Perusia*, *vrbs Tuscorum;* ciuis *Περουσῖνος*, *Perusinus;* alio loco *Πεῤῥαίσιον*, *Perraesium*, vna ex duodecim Etruscorum vrbibus, quae principes dictae sunt. Liuius, Perusiam, Cortonam, Arretium, capita Etruriae, circiter A. V. 445 fuisse ait. In portis vrbanis, COLONIA VIBIA. item AVGVSTA PERVSIA. Cluuerius etiam hanc Vmbris, quos Pelasgi pepulerint, auctoribus tribuit. Forsan rectius a Ligurum cataractis, quam Tuscorum piretis, etymon deriuaris. Hodie *Perugia*, ab exortu Tiberim, ab occasu amnem quempiam recentem, Tiberi postea immixtum, vicinos habens.

IX. **Vetona.** XIIII. sic Vels. Mansio haec cum sequentibus, Tudere et Ameria, trans Tiberim incidunt, in censu Vmbriae, quas suo dicemus tempore. Tabula traiectum amnis adcurate signat; sed mox a Vetona in dextram transit, quam porro ad vrbem vsque Romam tenet. Castellum Amerinum, ad nonum ab Ameria lapidem, dextro Tiberis latere consistit, vti reliqua ad Vrbem vsque loca; quae sic habent:

Castello. amerino. VIIII. Vels. *Castello amerino.* absque numero. Cluuerius habet VIIII. addens, ex numeris milliarium vtrimque adpositis id dispicitur esse oppidum, quod haud perinde procul Tiberis dextra ripa, in edita rupe, ex aduerso atque in conspectu Ameriae positum, vulgo nunc vocatur incolis *Bassano.*" Vadimonis deinde lacum, huic oppido vicinum, e Plinio iuniore

(a) L. XXXVI. c. 19.

describit, qui Amerina praedia prosoceri sui adpellat. (a) Oppositum ei erat orientali lacus parte Hortanum.

Faleros. XII. Vels. *Faleros.* XII. Romani vrbem Falerios, populum Faliscos, et frequentius quidem, nuncupabant; Graeci nunc hoc, nunc illo, nunc vtroque vocabulo vtuntur. Ptolemaeus *Φαλέριον*, *Falerium;* Stephanus *Φαλίσκος, πόλις Ιταλίας, ἄποικος Ἀργείων. καὶ Φαλίσκοι οἱ οἰκήτορες, Faliscus, oppidum Itaaliae, Argiuorum colonia, et Falisci incolae.* Strabo: Quidam negant, Falerios esse Etruscos; sed Faliscos peculiarem esse gentem, peculiari vtentem lingua; vrbemque eorum *Φαλερίους*, *Falerios*, quam nonnulli *Αἰκουμφαλίσκουμ*, *Aequum Faliscum* vocant." Sic Cluuerius, pro *οἰακοῦ συμβαλίσκον*, legi oportere censet. Virgilio, *Aequi Falisci;* Tabula Aequum Faliscum distinguit. Liuio, *Falerii* et *Falisci.* Meminerunt praeterea vrbis populique, Dionysius Halicarnassensis, Naso, Diodorus, Plutarchus, Polyaenus, Valerius Maximus, alii. Ritus eorum, Argiuis similes, describit Dionysius. De situ vrbis non conuenit inter eruditos. Cluuerius veteres et nouos Falerios distinguit; illos in arduo monte sitos, via Flaminia, prope Tiberim, vbi *Cività Castellana;* hos in occasum remotius, in planitie, vbi *Falari* vicus. Sed cum Falerios inter et Nepe, in Tabula, X pro V legi vult, a via Tabulae, et vrbis antiquae situ aberrat. Danuille, in via Amerina, recta in austrum ab Castello Amerino, secundum Tabulae numeros, *Falerii*, in colle, loco natura munito, vbi *Faleri*, Ortelio *Valeraro*, statuit adcurate.

Nepe. V. Vels. *Nepe.* V. Liuius, inter colonias, Ardea, *Nepet*, Sutrium. Plinius, Herbanum, *Nepet*, Nouem pagi. Velleius *Nepe* dixit, Ptolemaeus *Nepeta*, *Νέπετα*, Strabo *Νέπιτα*, *Nepita*, Procopius *Νέπα*, *Nepa;* vetus inscriptio, M. Apistius Sabinus, IV vir NEPETE. Liuio, ager *Nepesinus;* Frontino, colonia *Nepensis;* apud Gruterum, MVNICIPIBVS NEPENSIBVS. Danuilleo *Nepet*, ad quintum et semis a Falerio lapidem; hodie *Nepi* oppidum, laeua amnis *Pozzolo* ripa; Ortelius dextra ponit. Quare non habet Cluuerius, cur ex V numero denarium refingat.

Vacanas. VIIII. insigne vrbis, aedes tetragona, quali tabernae secus notantur. Vels. aedificium exprimit, tacito nomine. Hodoeporicon, itinere a Luca Romam, per Clodiam, *Baccanas.* Simlero *Tacanas*, vel *Pacanas;* Cusani schedae, *Dacanas;* Cluuerius legit *Daccanas*, vultque in Hodoeporico pro XXI a Roma scribi XVI M. P. quare ab Wesselingio reprehenditur, quod is numerus Tabulae probatus, et ab Holstenio defensus esset. Vnde viros doctos putes opinatos fuisse, id aedificium phrasi Hodoeporici inscriptum. Cluuerius, cum loci nomen abesset, insignia ad Veios traxit, numerum VIIII ibi redundare, et haud dubie ex superiori itinere, quod a Rubris et vicesimo Inter-

---

L. VIII. epist. 20.

amnium verſus ducit, a male diligenti exſcriptore perperam eo transpoſita, exiſtimabat. Danuilleo ad VIII a Nepte milliare, *Baccanae;* vbi hodie quoque, laeuo exorientis Cremerae amnis latere, vicus *Baccano*, cum ſilua cognomine, per quam via Caſſia, quae paullo ſuperius Amerinam excepit, Veios tendit.

Veios. VIIII. ſic Velſ. Antiqua et potens ciuitas, cuius tamen inſignia Tabulae auctor exmiſit; forſan Roma creſcente, ipſa decreuit; certe Ptolemaeo ignoratur. Dionyſius Halicarnaſſenſis et Liuius, Veiorum frequentes meminerunt. Priori, πόλις Οὐήϊοι, *vrbs Veii*, populus Οὐεϊεντανοὶ, *Veientani*. Ciceroni *Veientes;* Liuio *Veienti* bello, ager *Veientanus*. Naſo, *Veientibus* aruis; Plinius, *Veientanos*, dixerunt. Cluuerius, cum ab Nepete Romam XX M. P. cenſeri vellet, ſitum antiquae vrbis non reperit; nam vicus *Scrofano* borealior eſt, quam vt iſthuc referri queat. Danuille, ad flexum Cremerae, ſeu Varcae, auſtralem, ripa laeua, ſitu *Iſolae* oppidi, Veios recte ſtatuit, menſuris vtrimque belle reſpondentibus; quamquam ad VII modo a priore lapidem Veii conſiſtunt; cum chartae recentiores fere IX cenſeant.

Ad ſextum. VI. ſic Velſ. Danuille a Veiis viam Caſſiam ducit quodam interuallo ſecus Cremerae ripam; deinde, traiecto amne, flectit in auſtrum, et ad quintum a Veiis lapidem coniungit cum Clodia; quod in Tabula ad ſextum ſit milliare. Ad ſecundum ab concurſu hoc M. P. apud Tiberis ripam, iungit Flaminiae; Tabula ad tertium; inde Tiberi, per pontem Milnium, traiecto, ad ſesqui milliare Romam petit; Tabula ad tertium. In chartis recentioribus, ab Iſola ad Vrbis meditullium, duo mill. geogr. cum duabus quintis cenſentur, ſeu M. P. XII. quot Tabula praefert. De viis et vrbe dicemus alias; heic nobis terminus eſt Tiberis.

X. Sunt quaedam loca in via Flaminia, cis Tiberim, quae, ante quam progrediamur, viciniae gratia, heic recenſebimus. Ab Ocriculo, quod trans Tiberim, in Vmbria eſt, hoc ordine manſiones illae comparent:

Aqua uiua. VI. inſigne aquarum, domuncula duplice; ſic Velſ. Burdigalenſe, *mutatio Aqua viua.* XII. Cluuerius ſitum reperire nequiuit, apud Tiberim tamen exſtitiſſe putabat. Holſtenius, ad orientale Soractis montis latus Aquam viuam, olim epiſcopale oppidum, fuiſſe refert; inter cuius rudera et veſtigia aedificiorum fons vberrimus ſcaturit, qui vulgo *la fontana de Aqua viua* audiat. Danuille, infra oppidum *Ronciglione*, quae olim Feſcennia erat, interfluente Cremera, ad XI ab Ocriculo lapidem, Aquam viuam ſignat. De interuallo VII M. P. quod heic tenue eſt, diſpiciemus alias. Videtur omnino XII fuiſſe ſcriptum, vt Burdigalenſe recte habet, numero huc ab ſequenti manſione tranſlato, qui ibi deſideratur; ſunt enim eo terrae ſpatio duo mill. geogr. cum duabus quintis.

Ad uiceſimū. absque numero; Velſ. *Ad uiceſimum.* Burdigalenſe, *mutatio ad Vicenſimum.* XII. Cluuerius *Borghetto* vicum interpretatur; Holſtenius,

Castel Nuovo; Danuille, *ad Vigesimum*, Tabulae interuallo, nimirum VII M. P. quae hinc ad praecedentem mansionem translata sunt. Quamquam chartae recentiores eo spatio duo mill. geogr. censent, cum excessu quodam.

Ad rubras. XI. sic Vess. Burdigalense, *mutatio Rubras.* XI. Martialis, *breues Rubras;* Aurelius Victor, *saxa rubra*, millia ferme IX. ab Vrbe; sic Liuius, Cicero, Spartianus, vocant. Cluuerius, Rubras petras, siue lapicidinas, seu Saxa rubra, circa Borghettum fuisse putat; iter Tabulae corruptum et conturbatum questus. Danuille, *Saxa rubra.* ad X M. P. a priore, laeua riui Tiberim petentis ripa, vbi vicus *Prima porta* in chartis notatur; vnde ad Borghettum II M. P. Cluuerius censet, alii III.

Ad ponte. iuly. VI. Vess. *Ad pontem Iulii.* VI. Danuilleo est Pons Miluius, hodie *Ponte Mollo*, Cluuerio Muluius; sed olim Iulii Pontem fuisse nuncupatum, Tabula ostendit. Vicinus Ponti huic est, dextra Tiberis ripa, vicus *Tor di Quinto.* Danuille in tabella Romae veteris, et regionum vicinarum, ad Pontis medium VI M. P. inde ad portam Flaminiam fere sesqui milliare censet; in tabella speciali Vrbis antiquae, a porta Flaminia ad milliare aureum, passus mille septingentos. Tabula III M. P. a Ponte Iulii ad Vrbem. Hodie a *Ponte Mollo* ad Vrbem vulgo duo mill. pass. Italica, non ad Vrbis medium, vt olim, computantur; quae idcirco Cluuerius perexigua vocat. Burdigalense, cum a Rubris ad Vrbem IX M. P. numerat, Tabulae respondet. Quare hic numerus hoc interuallo est omnino sincerus. Iam reliqua persequamur itinera.

XI. Ab occasu procedendo, aliud mediterraneum iter est a Pisis Florentiam, quod vna seruauit posteritati Tabula; de quo Cluuerius: Quum inter Florentiam et Pisas plus XL sint millia passuum, X amplius millia in Tabula hoc itinere, inter Florentiam et Arni traiectum interisse, certum est.“ In Tabula haec est mansionum series:

Valuata. VIII. Vess. *Valuata.* VIIII. Cluuerius, vicum *Cascina*, laeuo Arni latere, ad octauum milliare Etruscum, in confluxu canalis cum Arno, recte statuit. Danuille ad XVI lapidem, in vico *Paera*, ad exitum *Era* fluuii, conlocat, nescio, quare; Tabula certe repugnante.

In portu. XVII. sic Vess. Cluuerius putat, portum hunc oppido *Empoli*, tamquam Emporium dicas, conuenire; quo et Danuille respexerit, ad XX M. P. a priore, notato Portu. In tabella ad commentarios Rollini, dextram Arni a Pisis tenet, ad traiectum vsque, opposita directione ei, quam in Atlante expressit. Numeri paullo vltra *S. Miniato* oppidum, ad *Elsam* amnem ducunt; a quo ad *Empoli* vicum sunt II M. P.

Arnum fl. IIII. Vess. *Arnum fl.* IIII. Cluuerius traiectum cum cognomine vico fuisse ait, ad quartum ab *Empoli* lapidem. Danuille ad X. situ vici *Signa*, dextro Arni latere, cum transitu amnis ponit. Numeri Tabulae ducunt ad

vicum *Capraia*, ripa dextra, inter *Empoli* et *M. Lupa* situm, vbi traiectus fluminis fuerit.

Florentia Tuscorum. absque numero; sic Vels. Danuille VIII M. P. interponit; in tabella ad commentarios Rollini, XX. vbi etiam a mansione *ad Arnum*, Senam vsque viam ducit, quae in Tabula non comparet. Cluuerius decem M. P. minimum desiderari dicebat, in tabella mansione ad Arnum situ fere Capraiae collocata. Sunt autem ab Capraia Florentiam omnino mill. geogr. tria; proinde XV M. P. iniuria temporum in Tabula exciderunt. De vrbe Florentia, itinere mediterraneo priore dictum, prout etiam de via, quae a Florentia Arretium, et porro ducit.

XII. Est in Tabula iter a Vadis Volaterranis ad Senam, sed interruptum, seu vitio scribarum, siue, quod reapse continuatum non erat, quia numeri quoque desiderantur. A Vadis igitur haec scribi videas:

Aquas volaternas. absque numero, aedes quadra amplior; sic Vels. Cluuerius, Aquas has apud *Monte Cerberi* oppidum, XVI M. P. ab vrbe Volaterris, vulgo *i Bagni al morbo* nuncupatas, esse refert, cum hac obseruatione: Prope has lacus quidam sunt exigui, in immensum profundi, vulgo *Lagoni* dicti, aquarum scaturigine semper ebullientes; vnde odor sulphuris tam prauus exit, vti nonnumquam volucres superuolitantes illico mortuae decidant. Aquae voraginibus veluti subiecto igni perpetuo aestuantibus ad VIIII pedes, cum strepitu ingenti, ac fragore horrendo, in altum egeruntur, rursumque in se se recidunt. Feruor tantus est, vt iniecta animalia statim decoquantur, ossaque carnibus nudata emergant." Danuilleo, *Aquae Volaterranae*, X M. P. a Volaterris in austrum, fere situ vici *Libiano*, prope *Monte Cero* Ortelii. Situs hic Aquarum in chartis recentioribus, a litore, in quo Vada posuimus, abest duobus mill. geogr. seu X M. P. Danuille septem addit. Numerus X inter Vada et Populonium scriptus, procul dubio, huc etiam referri debet, quem auctor Tabulae iterare noluit, vt alias non raro facit.

Volateris. X. insignia coloniae. Vox haec coniuncta est cum Vadis, de quibus itinere litorali actum; sed insignia vrbis ipsas Volaterras arguunt. Videtur olim iter hoc a Velinis ad Vada, a Vadis ad Populonium processisse, colonia Volaterrarum et Aquis in mediterraneo positis; vt numerum X vna occurrentem vice, isthuc etiam referri oportere censeas. Sed haec opinionis limites egredi nolim; multa enim hoc in genere adferri possent, si veteres tabulas pro lubito tractare liceret.

Aquę populanię. VII. quadrum aedificium grandius; Vels. *Aquę Populonię.* VII. cum tractu viae ad Maniliana, quam cum Danuilleo, posuimus ad boreale intimi sinus Plumbini latus, supra Caldani lacum, ad quem Cluuerius Vetulonium vrbem, circiter *Campiglia* vicum, exstitisse putat; vt Aquae Vetuloniae potius, quam Populoniae, dici debere videantur. Danuille situ variat, nunc apud *Scarlino*, Ortelii *Scarino*, latere sinus memorati australi, nunc paullo

ſuperius, apud Ortelium *Gaboano*, prope exitum amnis, a Maſſa in ſinum defluì, Aquis collocatis. Si ratio numerorum habeatur, ad VII a Maniliana lapidem, ſecundum Danuille, vicus *Gioancaria* viſitur, qui ſorſan eſt Ortelii *Gaboano*.

Ad ſextum. XXXIII. ſic Velſ. Cluuerius, locum *Roſia* dictum, ex interuallo et viae ductu, Sexto huic lapidi reſpondere cenſet; quem Ortelius ad Merſae ortum ſtatuit, vix ad XV milliare a priori remotum, alias longe propiorem Senae facit, vt in tabula ditionis Senenſis. Prope Sorae fontem eſt vicus *Filetta*, qui id ſpatium metiri videatur.

Sena Iulia. XVI. inſignia coloniae; ſic Velſ. Recte quidem heic obſeruat Cluuerius, pro numero XVI eſſe debere VI. ſed tamen *Roſia* ad viceſimum fere lapidem abeſt; quamquam chartis non omni ex parte fido; et XVI numerus ex via ſuperiore, a Florentia Biturgiam, ſcribae oſcitantia, huc eſt procul dubio translatus. Sextum porro milliare, cum ipſa vox ad Sextum, tum reliqui ab Manliana, et Aquis Populonii numeri, omnino expoſcunt. Danuille nouem fere M. P. hoc interuallo comprehendit. Plinio, colonia *Senenſis;* Tacito, *Senenſium* plebs; Ptolemaeo, *Σαίνα*, *Saena*, cum diphthongo. Eſt vrbs *Siena*, ad *Bozane* fluuii, vmbronem petentis, vbi recens eſt, ripam dextram. Danuille huc viam ab Arno, ſecus Elſae dextram, deducit, quae in Tabula non habetur.

XIII. Vmbro. fl. VI. Velſ. *Vmbro fl.* absque nota numerali; Cluuerius habet VI. vt in hac editione operum Velſeri ſculptores erraſſe videantur. De hac via, quae apud Nouas alteri, ab Arretio et Florentia procedenti, iungitur, haec Cluuerius: Inter Montem Pulcianum et Senam quum hodie aeque XXVI milliaria colligi poſſint, omnes numeros hoc itinere in Tabula itineraria vehementer eſſe corruptos, certum eſt.“ Poſtea, ripam Vmbronis proximam ad XII lapidem eſſe ait. Danuille tamen, *Vmbro* locum, dextra fluuii cognominis ripa, interuallo VI M. P. ſtatuit. In chartis recentioribus, laeua Bozanis, qui Vmbronem poſtea influit, eſt vicus *Mont Aperto*, in cuius vicinia manſio vetus fuerit.

Ad Menſulas. XVI. ſic Velſ. Cluuerius, ad decimum ab Vmbrone milliare Menſulas fuiſſe putat, loco non adſignato. Danuille, exmiſſa manſione hac cum ſuo numero, ſequentem adponit; quod eſt nodum ſecare. Via hodie ſecus Bozanem, vſque ad effluxum, progreditur, quae vetus fuiſſe videatur; qua ad XVI lapidem occurrit oppidum *Mont Alcino*, media Bozanem inter et Orcium regione.

Manliana. XVIII. ſic Velſ. Secundum Cluuerium et Danuilleum, incideret oppidum hoc, Ptolemaeo *Μανλίανα*, *Manliana*, in vicum *S. Giovanni d' Aſſo;* ſed auctor Tabulae iter proſecutus eſt, vſque ad montium iuga, et fontem Orcii amnis, vbi vicus *Contignano;* in cuius vicinia oppidum vetus conſtiterit. Ex hoc autem iter flexit in exortum, Cluſium verſus. Habuimus Manilianam manſionem in ora maritima, procul dubio ab hoc oppido diuerſam.

Clusio. VIII. ſic Velſ. Tractus quidem viae in Tabula poſt Nouas iungitur alteri, Clusium tendenti; ſed ratio itineris et manſionum ſuadent, vt directe Cluſium iſſe credamus. Plures coniecturae in contrarium adduci poſſent, verum caſſae, et absque vtili. Nobis quippe propoſitum eſt, Tabulam interpretari, non pro lubito interpolare, mutilare. De vrbe Cluſio alias commentati ſumus. Viam nunc alteram, quae Vulſinios ducit, perſequamur.

XIV. **Pallia. fl'.** VIIII. Velſ. *Pallia fl.* VIII. Vitruuio, lapicidinae *Pallienſes*, memorantur. *Paglia* fluuius hodie, cui adſitus fuerit locus homonymus, XXII M. P. ab Cluſio remotus, hodie forſan oppidum *Acqua pendente*, dextra amnis ripa, in via veteri, a Manliana huc ducente; qui numerus etiam Peruſium verſus deſideratur, olim ſcribarum incuria neglectus, numero VIIII a vicinis manſionibus huc translato, qui ad Vulſinios heic pertineat.

Volſinis. absque numero; inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Luca Romam, *Vulſinis.* XXX. ab Cluſio. Rauennas, *Bulſinis.* Meminerunt vrbis Liuius, Strabo, Plinius, Iuuenalis, Tacitus, Ptolemaeus, Val. Maximus, alii. Strabo, *Οὐολσίνιον*, *Volſinium*, etiam pluratiue, *Οὐολσινίους*, *Volſinios*, nuncupat. Liuius ad A. V. 365. *Volſinienſes* memorat; etiam Plinio *Volſinienſes* nuncupantur. Tacitus, Seianum Vulſinienſem adpellat. Hodie oppidum *Bolſena*, *Bolſeno*, lacus cognominis ora boreali.

Aquas. Paſſaris. VIIII. ſic Velſ. inſigne aquarum. Martiali, *feruidi fluctus Paſſeris.* Cluuerius IV M. P. ſupra Viterbum, laeuo Caſſiae viae, cuius heic reliquiae etiam nunc viſuntur, latere, vulgo *il Bagno della Serpa*, alias *il Bagno dei Palazzi*, eſſe ait; Ortelio *Bagnia.* Sed XIV M. P. a Volſiniis, quod Cluuerio videtur, Danuille non agnoſcit, X M. P. modo cum ſemiſſe numerans. Vici locorum ſesqui milliare rapuerint.

Foro. Caſſi. XI. Velſ. *Foro caſſi.* XI. Hodoeporicon, *Forum Caſſi.* XXVIII. a Vulſiniis. Cluuerius inter Vicum et Viterbum Forum id fuiſſe refert, cuius ruinae ſuperent; quas Holſtenius inter Vetullam et Sutrium, ad ipſam viam Caſſiam, exſtare ait; quem ſitum Foro Caſſii negabat Cluuerius; Danuille in ipſo Vetrallae agro, ab auſtro, oppidum ſtatuit, Fabrettum ſecutus, VIII M. P. ab Aquis cum ſemiſſe. At concurſus viae Caſſiae cum Ciminia, (ad hanc Aquae erant) reditusque ad Caſſiam, ſesqui milliare propoſcit; vt adcurate Tabula exhibet. Fabrettus, et chartae recentiores, ſine flexu memorato, recta eo interuallo XI M. P. numerant.

Vico. Matrini. IIII. ſic Velſ. Cluuerius ad Vicum et Ronciglionem quaerit; Fabrettus et Danuille in occaſum, via Caſſia, vbi circiter *Capranicha* Ortelii conſiſtit, ad ſemiquartum milliare, collocant. Vicus Cimini, Pomponio Sabino memoratus, ad lacum pertinet.

Sutrio. absque numero; ſic Velſ. Ex antiquis vrbem norunt Plautus, Liuius, Diodorus, Strabo, Paterculus, Plutarchus, Appianus, Ptolemaeus, Stephanus, alii. Graecis, *Σούτριον*, Latinis *Sutrium.* Velleius, poſt ſeptem annos,

quam Galli Vrbem ceperunt, Sutrium deducta colonia eſt. Plinius quoque coloniis adcenſet. Tabula ob ſpatii anguſtias, inſignia non promſit. Danuille, *Sutrium*, in concurſu riuorum, quadam peninſula, ad quintum fere a priori lapidem, ſtatuit. Auctor Tabulae, ſiue errore, ſeu ſtudio, IIII M. P. iterare neglexit. Sunt enim a Foro Caſſii Sutrium vſque adcurate VIII M. P. vt Danuille diſtantiam notauit; nam Fabrettus hoc loco variat. *Sutri* hodie.

Vacanas. XII. ſic Velſ. ſed absque nomine. Cluuerius, quia vocabulum oppidi expreſſum non erat, XII M. P. ad Veios refert; apud Danuille, ad tertium et ſemis lapidem Caſſia via excipit Ciminiam; ad quintum porro et ſemis, Amerinam; inde ad tertium Baccanas inuiſit. Reſpondet Fabrettus, niſi quod Amerinam paullo ſupra Baccanas educit. De oppido alias dictum. Eſt praeterea iter ab Coſa iſthuc ducens, quod, ante quam progrediamur, perſequi iuuat.

XV. Apud Coſam, itinere mediterraneo, diximus, eſſe biuium, cuius pars in exortum aeſtiuum, pars in hibernum procedat; numerum XX ad Portum Herculis conſpicuum, ad vtramque viam referri; quarum mediterranea ſic habet:

Succoſa. cō. XX. ſic Velſ. Cluuerius autumat, locum tamquam *Sub Coſam*, vt Submuranum, Subſabionem, Subromulam, dictum, cui poſitionem ad Peſciae fontem, circiter vicum *Caperlio*, adſignat; Danuille Succoſam praeterit. Menſura ad vicum *M. Marano*, prope confluxum riui cum *Albegna* amne, ducit, quod **cō.** ſeu **con.** particula ſignificat. Exit is riuus e lacu mediocri, qualem etiam Cluuerius in tabella Etruriae notauit; vt pro fluuio haberi queat, cui forſan Succoſa olim nomen.

Saturnia. VIII. Velſ. *Saturnia.* absque numero. Erat vetus colonia, olim deſolata, cuius meminerunt Liuius, Dionyſius Halicarnaſſenſis, Iulius Obſequens, Ptolemaeus, Feſtus, alii. Liuio, Saturnia colonia ciuium Romanorum, deducta A. V. 570. Dionyſio et Stephano, *Σατορνία*, *Satornia;* Ptolemaeo, *Σατουρνιάνα κολώνια*, *Saturniana colonia.* Danuille, via a Salebrone per Ruſellam Saturniam ducit, quo auctore, neſcio; hanc noſtram ab Coſa non habet. Seruat in ruinis nomen *Saturnia* caſtellum, in colle, prope laeuam Albiniae ripam.

Materno. XVIII. ſic Velſ. Cluuerius haeret circa Maternum ambiguus, vtrum id Sudernum, an Tudernum, aut Sudertum, interpretari debeat; quare in tabella vocem exmiſit; quod etiam Danuille fecit. iter noſtrum ab Saturnia proceſſit ad Floram amnem, quem Tabulae Artemitam eſſe diximus, et iuxta huius ripas ad oppidum *Caſtro*, principatus titulo inſigne, teſte Cluuerio, quod interuallis vtrimque adcurate reſpondet. Vtrum heic *Στατωνία*, *Statonia*, Strabonis, Varronis, Vitruuii, Plinii, Senecae, conſtiterit, quod idem vir doctus exiſtimat, non habeo, quod dicam. Veteres hanc vrbem ad lacum ponunt, qui ſi eſt *lago Mezzano*, propius illum vrbs ea exſtiterit, circiter *Pitgliano* oppidum, ſupra lacum. Materni noſtri alius non meminit. Danuille, Cluuerium

ſecutus, Statonium heic poſuit. In chartis notatur *Caſtro diruto;* vt locum olim clarum fuiſſe intelligamus.

Tuſcana. XII. Velſ. *Tuſcana.* XII. Cluuerius, Tuſcaniam legi oportere putat, quod ciues apud Plinium *Tuſcanienſes* dicuntur. Eſt oppidum *Tuſcanella,* dextro Martae amnis latere, quod Cluuerius XXX circiter millia paſſuum ab Saturnia diſſitum ait. Per Caſtrum progreſſis tot ſunt, recta XXVII. In Tabula continuo ponitur *Marta* ad fluuium cognominem, absque numero; vt Tuſcanam ſeu Tuſcaniam ei amni adſitam fuiſſe intelligamus.

Blera. VIIII. Velſ. *Olera.* VIIII. apud Scheibium B eſt pro B. ſcriba Velſeri O putabat. Meminerunt loci, Strabo, Plinius, Ptolemaeus. Graecis *Βλῆρα*, *Blera;* Plinio, incolae *Blerani;* in actis SS. Sabiniani et Zachariae, *Vlera.* Hodie vicus *Bieda*, ad fluuium *Biedano*, qui Veiam, hic Martam, influunt, apud Ortelium. Danuille interuallum hoc cum ſequente permutat; chartis, et ipſo Cluuerio repugnante.

Duplex inde via eſt, altera Forum Clodii et Sabata, in exortum aeſtiuum, altera Tarquinios in occaſum petit. Hanc Danuille in tabulis ſuis ſignare neglexit, etiam in ſpeciali regionum Romae vicinarum; neque Fabrettus apud Koelerum habet. Priorem ante luſtrabimus.

Foro clodo. XVI. Velſ. *Foro clodo.* absque numero; Cluuerius habet XVI. Hodoeporicon, *Iter a Roma Foro Clodi.* XXXII. Ptolemaeo, *Φόρος Κλωδίου*, *Forus Clodii*, item *Φόρος Κλαυδίου*, *Forus Claudii.* In lapide Ligoriano, FOROCLAVDIENSES MVNICIP. Plinio, Nouem pagi, *Praefectura Claudia Foroclodii.* Cluuerius, *praefecturae Claudiae*, legit, addens, numerum Hodoeporici eſſe corruptum, quod Roma vſque Bleram XXXV circiter M. P. numerantur. Quapropter, inquit, ſcriptum fuiſſe iudico XXVII. ita, vti Forum Clodii XII millia a Careiis, a Blera vero VIII abfuerit. Et quibusdam interiectis: Itaque in Tabula millia XVI. quae ſunt inter Forum Claudii et Bleram, inferiori lineae adſcribenda ſunt, quae a Tarquiniis Bleram ducta eſt.“ Chartae recentiores, a *Bieda* ad *Oriolo*, in ducatu Bacciani, Tabulae numerum probant. Vtrum is alio referri debeat, ſuo diſpiciemus loco.

Sabate. co. absque numero; Velſ. *Sabate. co.* Antiquis Sabate, vel Sabata erat locus. Straboni *Σάβατα λίμνη*, Sabata *lacus.* Sotionis fragmenta, *λίμνη Σάβατος*, *lacus Sabatus.* Oppidum homonymon lacui adſitum fuiſſe, quod poſtea abſorptum ſit, indidem colligitur. Frontino, lacus *Sabatinus;* Silio, ſtagna *Sabatia.* Cluuerius putat, id oppidum, *Trivignano*, *Triviglìano*, boreali lacus Bracciani ora fuiſſe; Danuillle, *Sabate*, ſesquilapidem ſupra oppidum *Brecciano*, a quo lacui nomen, duo ac dimidium M. P. a Foro Clodii in auſtrum. Cum interuallum eſſet tenue, vicis oppidorum vtrimque protentis, auctor Tabulae numerum omiſit, particula co. addita, quae *confinium* ſignet. Nam fluuiolus tenuis, cui adſtruitur Sabate, heic in conſiderationem non venerit.

Ad nouas. absque numero; Velſ. *Ad nouas.* Cluuerius, numerum in Tabula ſequentem vitioſum queſtus, Nouis locum adſignari non poſſe, ait. Raphael Fabretti, in tabella agri Romani et vicinorum, quam Danuille ſecutus eſt, *ad Nouas forte*, oppido *Bracciano* adponit; Danuille absque particula *forte*. Numerus et heic ob viciniam, ſit exmiſſus, co. particula ſubaudita. Cluuerius, viam in recta Romam proceſſiſſe putans, deceptus eſt; cui error hic vitio dari non debet, quod ſequens locus apud Velſerum absque inſcriptione erat.

Vacanas. VIII. ſic Velſ. ſed vocabulo non expreſſo. Neque Fabrettus, neque Danuille viam hanc, a Nouis ad Baccanas notant; queis eodem iure, quo Cluuerio, venia eſt danda; quod ante Scheibii editionem loci in Tabula nomen erat ignotum. Quamquam e ſequentibus numeris et manſionibus noſci potuit. De Vacanis ſeu Baccanis dictum alias. Nunc alteram ab his viam, per Careas, luſtrare libet.

XVI. Careias. VIIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Roma Coſam, *Careias.* XV. ab Vrbe; in Regio, *Caretas;* Neapolitano, *Careiar.* Suritae, *Caere;* Schotto *Ceretus*, rectius Cere. Nouit *Careas* Frontinus. De ſitu haec Cluuerius: Ex interuallo, inquit, oppidum Careiae deprehenditur fuiſſe prope ipſum lacum Sabatinum, apud Aronem flumen, qua ſiniſtrae eius ripae adpoſitum eſt molendinum, in aduerſa ripa fontem habens acidulum. Holſtenius vicum *Galera* eſſe ait, laeua Aronis, e lacu Sabatino defluentis ripa, interuallo rite reſpondente; vt Fabrettus quoque ſignauit. Danuille VI M. P. a Baccanis cenſet; quod chartae refellunt. Neuter viam a Baccanis Careias ducit; neque trium viarum apud ipſas Baccanas concurſum notant. Sed abſoluendi ſunt crimine, quod nomen loci in Tabula Velſeri expreſſum non erat.

Ad ſextum. VIIII. ſic Velſ. Danuille hunc lapidem non ſignauit, ad ſeptimum, viae Caſſiae concurſum, inde ad ſecundum Pontem Miluium notans. Fabrettus habet *ad Sextum*, in concurſu memorato, VIIII M. P. a Careiis; inde ad Tiberim III. ab hoc ad portam Vrbis III. Tabula, a loco *ad Sextum*, qui circiter vicum Ortelii *la Storta* fuerit, ad medium Vrbis, ſeu *Milliare Aureum*, vnde omnes viae proceſſerant, VI M. P. percenſet. Cluuerii *Borghetto* longius abeſt, quam vt Sexto ab Vrbe lapidi adcommodari queat. Sequitur in Tabula, ab hoc viarum concurſu,

Via clodia. III. Ad ponte ivly. ſic Velſ. Fabrettus interuallum rite ſignauit; Danuille, ad Pontem Miluium, ab concurſu praedicto, II M. P. numerat; ſed tria cenſeri debere, Tabula clare oſtendit. Vias ab Vrbe procedentes dicemus alias.

XVII. Supereſt iter a Blera ad Aquas Apollinares, ab Tarquiniis ad Aquas Tauri; vtriusque itineris ductus tam apud Fabrettum quam Danuilleum deſideratur; cum ſit in editione Velſeri ex parte conſpicuus. Prius a Blera ſic habet.

Tarquinis. absque numero, insignia municipii; sic Vess. Hodoeporicon itinere a Roma Cosam, *Tarquinios.* xv. ab Cosa; in Regio, *Tarquinius.* Norunt ciuitatem Cicero, Liuius, Dionysius Halicarnassensis, Strabo, Ptolemaeus, Frontinus, Iustinus, Stephanus, alii. Graecis *Ταρκυνία ἡ πόλις*, *Tarcynia vrbs*, Straboni, Stephano; Ptolemaeo, *Ταρκουῖναι*, *Tarquinae;* incolae *Τωρκυνῆται*, aut *Ταρκυνῖται*, *Tarcynetae*, *Tarcynitae.* Latinis vrbs *Tarquinii*, populus *Tarquinienses.* Stephano etiam *Ταρκώνιον*, *Tarconium*, *Ταρχώνιον*, *Tarchonium*, nuncupatur; Straboni *Ταρκωνία*, *Tarconia*, vt Cluuerius legit; nam paullo ante, vt in vulgatis, *Ταρκυνίαν* dixit. Situm non terminat Cluuerius, sed, vt ex eo Cellarius habet, inter Martam et Minionem, in mediterraneis, notat. Wesselingius *La Tarquinia*, siue *La Turchina*, dici perhibet. Danuille, ripa Martae laeua, ad sextum supra ostium lapidem, signat, fere vbi vicus *Ancarano* in recentioribus chartis visitur.

Ab Tarquiniis duae sunt viae, altera Aquas Apollinares, altera Aquas Tauri petit; in hac scribi videas **Lacus. et Mons ciminus.** qui ad superiora spectant, vt suo dictum loco. Inscriptio haec Sutrium inter et Vicum Matrini posita fuerit; certe ibi consistere deberet.

Aquas. tauri. xii. aedes quadra; Vess. *Aquas tauri.* xii. praecessit mons Ciminus, alio spectans. Cellarius: Tabula, vt alias thermas, insigni monimento ornauit, cuius restare dicuntur structurarum nonnullae reliquiae." Plinius: *Aquenses cognomine Taurini.* (a) Virtutem aquae et situm loci, canit Rutilius. (b) Danuilleo, *Aquae Tauri*, ii M. P. ab Centum Cellis in exortum vernum, vi cum semisse ab Aquis Apollinaribus in occasum hibernum. Numerus Tabulae est hinc ad Bleram, inde Tarquinios, ad quos proprie referri videtur, Cimino monte et lacu interiectis, qui alio pertinent. *Acquapendente*, in colle, prope fluuium Peliam, esse aiunt, quos hariolari dicit Harduinus. Sequitur in Tabula, priore via,

Aquas apollinaris. xii. sic Vess. Hodoeporicon, *Aquis Apollinaris.* xii. Cluuerius cum Caeretanis easdem facit, idcirco ab Holstenio reprehensus. Hodie *Stilianas* nuncupant, a vico *Stigliano*, ad ripam aluei Minionis australis dextram, vbi recens fluit. Danuille ad x a Tarquiniis lapidem, laeua Minionis, notat locum absque nomine; inde ad v Aquas. Et reapse ab *Ancarano* ad *Stigliano*, tria mill. geogr. in chartis notantur. Sed Tarquinii ampla vbs erat, vt vestigia eius a ripa longius deprehenderentur.

Turres. viii. Vess. numerum absque Turribus exprimit. Hodoeporicon, itinere a Roma Centum Cellis, *Ad Turres.* iiii. ab Alsio, xii a Pyrgis. Cluuerius Turres has fuisse existimat apud locum plenum ruinarum, duo mill. pass. supra oppidum *Palo*, ad oram, cui *la Statua* nomen. Fabrettus iv M. P. ab

(a) L. III. c. 8. (b) Itinerar. a. v. 249.

Alſio, VII a Pyrgis, ita, vt inter Vaciniam et Sanguinariam fluuios, prope oram, incidat; quam litoris productionem geographia recentior non agnoſcit. Itaque ad octauum ab *Stigliano* in auſtrum, ad quartum ab Alſio in boream, vt Tabula et Hodoeporicon exigunt, lapidem occurrit *Cervetero* vicus, dextra Vaciniae amnis ripa, II M. P. a mari, ad oſtium amnis III M. P. Cluuerius cognatione vocis ductus, *Caere vetus*, interpretatur *Cerveteri*, vt ab nouo *Ceri*, prope IV M. P. in exortum, laeua Sanguinariae ripa ſito, diſtinguat. Sed Tabula et Hodoeporicon Caere non adierunt; *Cerveteri* autem agrum adierunt omnino, numeris vtrimque poſcentibus. Quare, Turres heic ſtatui debere, adiuncta praecipiunt; Caere porro erit *Ceri*, vt nomina quoque oſtendunt. Danuille, Caere apud *Cerveteri* poſito, cum Turribus locum non reperiret, eas exmiſit.

Bebiana. absque numero; ab Alſio VI. ſic Velſ. Cluuerius, inſignia antiquae habitationis veſtigia circa fluuium Galeram, qui Tiberim petit, ſe deprehendiſſe perhibet; qui locus ſit ad x mill. Ital. ab Vrbe. Heic Lorium fuiſſe exiſtimat. Ad ſecundum in occaſum lapidem, via Aurelia, eſſe fanum S. Rufinae; pari interuallo, apud Aronem fluuium, Bebianam ſtatui debere adſirmat, circiter villam *Teſta di lepre*, Ortelio, *Teſta lepre*, prope dextram Aronis ripam. In tabella hoc ſitu quidem *Baebiano*, inferius autem, inter Aronem et Portum Auguſti, *Bebiana*, tamquam locum diuerſum, notat, IV M. P. in exortum hibernum remotum; cuius facti rationem in commentariis non reddidit. Fabrettus, Baebiana, ad v ab Alſio lapidem, ſitu Teſtae villae, ad ſiniſtram viae Aureliae, Danuille ad II M. P. ab Alſio, dextro viae memoratae margine. Sextus ab Alſio lapis, verſus Vrbem tendenti, eſt a Turribus x. quem eadem via poſtea occurrentem, auctor Tabulae heic notare neglexit. Incidit autem Bebiana, inter Aronem et S. Rufinae, circiter vicum *Chittola* Ortelii. Heic Tabula viae concurſum exhibet, quem neque Fabrettus, neque Danuille ſignarant, quia Turres non deprehenderunt. Quare alium viis ductum, circa Romam, dare oporteret, quam in chartis vulgaribus compareat; quamquam temporis lapſu diuerſa erat viarum ratio.

Lorio. absque numero; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Loria*. x. a Turribus. Diuerſitatis ratio ſit, quod Tabula ad Bebianam villam, in auſtrum, deflexit, Hodoeporicon recta progreſſum eſt. Cluuerius, *Loria*, pluratiue, vel *Lorium*, villam Antonini Pii Imp. fuiſſe ait, vbi is educatus et mortuus fuerit, Capitolino teſte. D. Hieronymus, in Chronico Euſebii: Antoninus Pius apud Lorium, villam ſuam, duodecimo ab Vrbe milliario, moritur.“ Eadem Eutropius narrat; Aurel. Victor, apud *Lorios* obiiſſe refert. De ſitu paullo ante monuimus. Danuille, ſecundum Cluuerii doctrinam, Lorium, cum fano Rufinae, ſignat, ad occiduum Galerae amnis ramum, ad VII ab Alſio, ad x ab Caere ſuo, ſeu *Cerveteri* lapidem; quae ſunt omnino ſana, oſtenduntque villam Bebianam Lorio proximam fuiſſe; quam ob rem auctor Tabulae nullum adpoſuit nume-

rum. Vicinus eſt, laeuo amnis latere, *Porcareccina*, Ortelio *Porcherechio* vicus; qui veſtigia vocis ſeruare videatur.

Via Aurelia. XII. ROMA. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Roma.* XII. Hoc interuallum D. Hieronymus, et Eutropius firmant. Fabrettus viam Aureliam ſic flectit, vt numerus duodenarius prodeat. Idem ſpatium notat Cluuerius, qui vulgo X M. P. ſed Italica, cenſeri ait. Danuille, flexu per arcus facto (Fabrettus in angulos redegit) IX dumtaxat M. P. eo interuallo exprimit. In chartis recentioribus, ductu recto, mill. geogr. duo cum quinta vnius, cenſentur. Et hactenus quidem de Etruria dictum eſto.

SECTIO VI

VMBRIA

§ I

Nuncupatio, fines.

I. VMBROS antiquiſſimum Italiae populum, veteres vnanimi ſenſu fatentur; qui tamen eos ante Herodotum nominaſſet, haud comperi. Is de fluuiis Iſtrum petentibus agens, ἐκ δὲ τῆς κατύπερθε χώρης Ὀμβρίκων, *ex regione*, inquit, *quae eſt ſupra Vmbricos*, Carpis, et alius ad ventum aquilonem fluuius Alpis, in Iſtrum exeunt." (a) Scylax: Poſt Dannitas, ἔθνος ἐστὶν Ὀμβρικοί, *eſt Vmbrorum gens*, et in ea vrbs Ancon. Praeternauigatio τῆς Ὀμβρικῆς, *Vmbriae* eſt duorum dierum, et vnius noctis." Hos excipiunt Tuſci ad Padum. Polybius, poſt Etruſcos, ἑκάτερον τὸ κλίμα, vtrumque Apennini latus Ὄμβροι *Vmbri* incolunt. Strabo quoque cis Apenninum Vmbros habuiſſe, Tuſcis finitimos, trans vero ab Aeſi amne ad Rauennam, perhibet. Prae ceteris Plinium, antiqua anttingentem, audire libet: (b) Iungitur his (Picentibus) ſexta regio, Vmbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit Togatae Galliae cognomine. Siculi et Liburni plurima eius tractus tenuere, in primis Palmenſem, Praetutianum, Adrianumque agrum. Vmbri eos expulere, hos Etruria, hanc Galli. Vmbrorum gens antiquiſſima Italiae

(a) L. IV. p. 150. (b) L. III. c. 19.

existimatur, vt quos Ombrios a Graecis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent. Trecenta eorum oppida Thusci debellasse reperiuntur.“ Haec ipse; alii ab Vmbrone Tuscorum fluuio nuncupatos volunt. Alpinam fuisse gentem, Tuscis vicinam, et cognatam fortasse, nomen indicare videtur, quod Liburnis montium adcolas significat. Nam e Graecia Italiae rationes petere, pudoris esse, dicebat Plinius. Pleraque tamen vocabula, cum initio alterius linguae essent, in Graecam deinde Latinamque deflexa fuerunt; quales trans Padum Veneti, Euganei, Orobii; qui ab se se, et vicinis cognatis populis, numquam sic adpellati fuerunt. Nomina tamen, ex alio regno illata, temporis decursu in geographia ciuitatem obtinuerunt.

II. Tabula neque populi, neque prouinciae vocabulum promit; Italiae nuncupatione comprehendens, quidquid ab alpibus secus Apenninum Romam vsque erat. In veteri apud Gruterum inscriptione: Quos VMBER sulcare solet, quos Tuscus arator; in quadam aetatis posterioris, Vettius Agorius, corrector Tusciae et VMBRIAE. Fines prouinciae, sub Imperatoribus, ab occasu Tiberis, a fontibus ad exitum Vici amnis e Cimino deflui; a borea Rubico, et iuga montium ad fontem Tiberis, ab exortu ora Hadriae ab ostio Rubiconis ad ostium Aesis; ab austro ipse Aesis, ad XXX a mari lapidem, dum in ramos diuidi incipiat, inde linea ad Fiscellum montem et Naris originem ducta; denique regione huius australi ad Vici amnis exitum. Procurrit ab gradu longit. 29 min. 50. ad 31 min. 6. latit. grad. 42 min. 18. ad 44 min. 10. Longitudo maxima, quae respectu caeli latitudo est, ab exitu Vici ad ostium Rubiconis, M. P. CXL. latitudo a fonte Tiberis ad ostium Aesis, M. P. LXX.

§ II

Montes, fluuii.

I. MONS Apenninus hac regione continuatur, ex quo fluuii, Rubico, Crustumius, Metaurus, Serna, Misus, deriuantur. Cluuerius montem Fiscellum in charta exprimit, quem Tabula non habet; sed neque Apennini hoc tractu meminit, vnico loco demto, itinere a Pisauro Romam, ad XXXIV a Fano Fortunae lapidem, vbi Iouis penninus cum templo signatur; quod Danuille, *T. Iov. Apennini* reddit. Apud Ligures quoque Penninum pro Apennino habuimus, quo Ligures Liburnique vocabulo alpes montesque, vt hodie *Planine*, designabant. Hodie, a boreali prouinciae ora, sunt *M. Oriolo*, *Fortino*, *Labate*, *Vittore*, qui ad iuga Apennini spectent, cum locis cognominibus; praeter collaterales in Adriam vergentes, vti sunt, *M. Pietran*, *Vechio*, *Giraldo*, *Leone*, *Carotto*, *Acuto*, alii plures. E fluminibus Rubiconem in cispadana recensuimus; reliqui sic habent:

II. fl'. Kuſtunū. ſic Velſ. Scriptum ad fontes alueo a iugis Apennini ad mare, Piſaurum inter et Ariminum, decurrente. Cruſtumium eſſe, nomen indicat; ſed auctor Tabulae vno alueo Ariminum quoque, Cruſtumio nobiliorem, accipi voluerit. Plinius: In ora fluuius *Cruſtumium*, neutro, vt Tabula; Vibius in catalogo fluminum, *Cruſtumium*, a quo oppidum, in Hadriaticum mare fluit. Eadem commentator Lucani Sulpicius, perhibet; quos de oppido cognomine redarguit Cluuerius; cui Cruſtumius, *Conca*, Ariminus *Marecchia;* chartis quibusdam *Canca* prior audit, mari apud *Conca citta profundata* immerſus. Quae inſcriptio ſi recte habet, non erant grammatici Cluuerio reprehendendi.

fl'. Helurū. Velſ. Fl'. Nelurū. Epigraphe haec ad exortum amnis Piſauri legitur, quem Plinius, Lucanus, Vibius ſequeſter, norunt; iſte, *Piſaurum cum amne;* ille, *Cruſtumiumque rapax, et iunctus Sapis Iſauro;* hic, Piſaurus, qui et Iſaurus, vt Lucanus, a quo ciuitas Piſaurum." Aggenus: In Italia Piſauro flumini latitudo adſignata eſt eatenus, quousque adluebat." Sed auctor Tabulae *Nelurum* vocat. Eſt ad quintum a priore lapidem fluuiolus quidam, a vico *M. Luro* in mare decurrens, qui *Neluri* nomen habuerit, vel potius *Luri*, addita praepoſitione veteri Itala, quae hodie quoque in vſu eſt, *in* ſignificans. *Luria* vero Italis eſt potio dulcis. Piſaurus incolis *Foglia* nuncupatur, a borea praefluens vrbem.

III. fl'. Matava. ad oſtium; in via, Matavrum. fl. Velſ. priorem vocem alueo decurrenti adponit. Metaurus amnis ingens, teſte Cluuerio, cuius e priſcis meminere, Horatius, Liuius, Strabo, Mela, Plinius, Silius, Lucanus, Val. Maximus, alii. Lucano, velox *Metaurus;* Silio, rapidosque ſonanti vortice contorquens vndas per ſaxa *Metaurus.*" Horatio, *Metaurum* flumen. In veteri epigrapha, Caeſares Conſtantius et Maximianus, PONTEM MATAVRI. Cluuerius, *Matava* Tabulae vitiatum eſſe ait; ſed haec expreſſio Liburnorum eſt, nouercam ſignificans, vt ad Mantuam diximus. Liburnos oram hanc tenuiſſe, Plinius teſtatur; Latini poſtea vocem idiomati ſuo adcommodarunt. Hodie *Metaro*, chartis *Metro*, Ortelio *Metremo*, Cellario *Marro.*

fl'. Miso. Velſ. Fl'. Miſo. in mari, Scheib ad oſtium. A Metauro Anconam vſque tres ſunt praecipui amnes, *Ceſano*, *Nigola*, *Eſino;* Cluuerius medium vult eſſe Miſum. In Tabula oſtium et alueus poſtremum, eumque ceteris maiorem, exhibent; quamquam et reliquos operis auctor accipi voluit. Non enim credas, praecipuum heic fluuium, qui Vmbros a Picentibus dirimebat, Tabulae ſcriptori eſſe praeteritum. Proinde ſeu errore fabrorum, ſeu vulgi expreſſione, *Miſus* heic dicitur amnis, qui *Aeſis* alias, Liburnis virilem ſignificans. Latinis quidem, Plinio et Silio, *Aeſis* eſt; Melae, *Eſis;* Graeci variant, Ptolemaeus, *Ἄσιον*, *Aſium;* Appianus, *Αἴσινον*, *Aeſinum*, adpellant. Floſis Tabulae, quem Cluuerius Aeſin eſſe vult, longius inde in auſtrum abeſt; et pro *Nigola;* qui Senam Gallicam praefluit, in chartis recentioribus ſcribitur *Miſa*,

qui cum noſtro ſitu et vocabulo conuenit; ſed alueus Tabulae, vti monebam, Aeſin in primis exhibet. Familiare quippe auctori Tabulae eſt, fluxu maiores et notiores exprimere amnes, inſcriptione minores, et minus notos. Danuilleo, Ceſano eſt *Seno*, Nigola *Milas*. Qui ſequuntur, ſunt in Piceno, quos alias referemus.

§ III

Oppida, manſiones.

I. EA primum, quae in ora maritima occurrunt, perſequi libet, quae hoc modico interuallo pauca cenſentur, vtroque Hodoeporico ex parte comite; in mediterraneis habebimus plura. A Rubicone, quem in cispadana reliquimus, haec in Tabula notari videas:

ARIMINO. XII. inſignia coloniae; Velſ. *Arimino.* XI. Hodoeporicon, *Ariminum ciuitas.* XX. ab Caeſena. Burdigalenſe, *Ariminum.* XII. a mutatione Conpetu. Ex antiquis meminerunt vrbis, Polybius, Caeſar, Cicero, Velleius, Strabo, Mela, Plinius, Lucianus, Plutarchus, Tacitus, Appianus, Florus, alii. Graecis, *Ἀρίμινον.* Strabo, *Ἀρίμινον Ὀμβρικῶν ἐστι κατοικία*, *Ariminum Vmbrorum eſt colonia.* Paterculus ad A. V. 486. *Ariminum miſſi coloni.* In veteri epigrapha, C. Fraeſellius Ruſio, PATR. COL. ARIM. ITEM. QVE VICANORVM VICORVM. VII. ex quibus Dianenſis, Germalus, Auentinus, Velabrum, cenſentur; vt ad normam vrbis Romae ciuitas in vicos diſtributa videatur. Hodie *Rimini*, dextra effluentis Marecchiae ripa, qui olim vrbi homonymus erat.

Piſauro. XXIII. Velſ. *Piſauro.* XXIII. Hodoeporicon, *Piſauro ciuitas.* XXIIII. itinere a Mediolano ad Columnam; altero, ab Vrbe, *Piſauro.* XXIIII. Burdigalenſe, *ciuitas Piſauro.* XXIV. Norunt praeterea vrbem, Caeſar, Cicero, Catullus, Liuius, Mela, Plinius, Plutarchus, Ptolemaeus; huic eſt *Πίσαυρον*, *Piſaurum;* Procopio *ἡ Πίσαυρος*, *Piſaurus.* Plinio, in coloniis, *Piſaurum cum amne.* In quadam inſcriptione veteri, apud Cluuerium, COLONIA IVL. FELIX PISAVRVM. in alia, CVR. RER. PVBLICARVM. PISAVR. ET FANEST. patrono COLONIARVM PISAVR. ET FANEST. Vrbs *Peſaro*, dextra exeuntis *Foglia* amnis ripa, qui Piſaurus et Iſaurus olim vocabatur.

Fano. fortune. VIII. typus fani, inſigne coloniae; Velſ. *Fano fortunae.* VIII. Hodoeporicon, itinere Vrbano, *Fano Fortunae.* VIII. Burdigalenſe, *ciuitas Fano Fortunae.* VIII. Memorant coloniam Caeſar, Vitruuius, Strabo, Mela, Plinius, Tacitus, Frontinus, Ptolemaeus, alii. Strabo: *Μέταυρος ποταμὸς, καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Τύχης*, *Metaurus amnis, et Fanum Fortunae.* Ptolemaeus, more Latinorum, *Φᾶνον Φορτοῦναι*, *Fanum Fortunae.* Colonia Faneſtris lapidibus

nuncupata, COL. IVL. FANESTRIS. item COLONIA IVLIA FANO FORTVNAE. In quodam, Q. Golius, Q. F. Pol. FANESTER. Seruat nomen *Fano*, in tenuis fluuii *Angita*, aliis *Arzilla*, Ortelio *Argilla*, effluentis insula.

II. Matavrum. fl. II. Velſ. *Mataurum fl.* II. Antiquis *Metaurus*, pluribus memoratus, vt in fluuiis dictum. In quadam inſcriptione veteri *Mataurus* nuncupatur, vt in Tabula. Vtrum locus quispiam hoc interuallo, quod ſincerum eſt, amni adſitus fuerit, incertum; hodie nullus notatur.

Ad pirum. filument. VIII. ſic Velſ. Burdigalenſe, *mutatio ad Octauum.* VIII. MS. *Ad Octauo.* Cluuerius, Pirum Tabulae apud diuerſorium *la Marotta oſteria;* Holſtenius, Octauum, ad S. Antonii diuerſorium, *della Cerqua* nuncupatum, ponunt. In chartis, Tabulae interuallo, eſt vicus *Mondolfo*, in via publica, qui Piro reſpondeat. Octauus lapis alio itinere erat. Eſt in Hodoeporico mutatio *ad Pirum*, ſed itinere alio, inter Calem et Senogalliam; niſi mancum illud iter eſt, Foro Sempronii et manſione ad Octauum exmiſſis; quod Weſſelingius non obſeruat.

Sena Galli. VII. ſic Velſ. Rauennas, *Senegalia.* Hodoeporicon, *Senogallia ciuitas.* XXVI. antiqui libri *Senegallia;* itinere ab Heluillo Anconam, *Senogallia.* VIII. a manſione ad Pirum. Ipſum nomen indicat vrbis conditores; poſtea colonia fuit Romana, quam memorant, Polybius, Liuius, Strabo, Mela, Plinius, Silius, Appianus, Frontinus, Ptolemaeus, Stephanus, alii. Plinio, *Senogallia;* Ptolemaeo, *Σῆνα Γάλλικα*, *Sena Gallica*, Cluuerio *Σῆνα.* Strabo, *Ἀρίμινον*, *Σῆναν*, *καὶ Καμαρῖνον*, *Ariminum*, *Senam*, *Camarinum*, recenſet; idem, ἔστι δὲ ὁ *Αἶσις* μεταξὺ *Ἀγκῶνος* καὶ *Σηνογαλλίας*, *Aeſis inter Anconem eſt et Senogalliam.* Senam a Senonibus Gallis conditam, communis eſt eruditorum opinio. Sed Galli heic vrbes repererunt; et Sena hoc litore Liburnico idem ſignificarit, quod orientali ſinus ora Senia, vrbs aeque Liburnorum, locum ſcilicet vmbroſum et maritimum, quem Galli numquam tenuere. Ante omnem heic Gallorum famam Liburni Adriatico potentes fuerunt; vt vel ex Plinio didiceris. Sena Gallica ab Gallis, qui ipſam occuparant, eſt dicta, ad Senae Tuſcorum, quae iuris Gallorum non erat, neque a Senonibus nuncupari potuit, diſtinctionem. Hodie *Sinigaglia*, dextra Nigolae ſeu Miſae exeuntis ripa.

Seſtias. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ab Heluillo Anconam, *ad Aeſim.* XII. Regio *Adeſim*, aliis *ad Haeſim*, *ad Heſim*, *Heſum.* Fluuium indicari, certum eſt. Cluuerius, vicum *Rocca di Fiumeſino*, laeua Aeſis exeuntis ripa, cenſet; in chartis, *M. ad. di Fiumeſino*, eſt exeuntis dextra. Via hodie a mari non nihil recedit, qua interuallo XII M. P. *Caſtel Ferreti*, dextro Eſini latere occurrit, cui, habita vtrimque numerorum ratione, Seſtiae, ſeu Sextiae, rectius conueniant. Idem ſit Hodoeporici locus, de quo Cluuerius nihil meminit. Danuille, dextra exeuntis fluuii, locum notat, absque nomine; ſitu caſtelli Ferrati *Cameratam* ſtatuit. Aeſin amnem pro Vmbriae termino poſuimus. Nunc mediterranea luſtremus.

III. Duae ſunt in Tabula per loca mediterranea viae; vna ab Caeſena Ariminum, altera a Fano Fortunae Ocriculum. In illa poſtremus erat locus *ad Confluentes*, XII M. P. ab Arimino, quem in cispadana memorauimus, apud riuorum trium in Rubiconis alueum concurſum. Eodem ſitu Burdigalenſis mutationem *Conpetu* ex interuallis ſtatui oportere cenſebamus. Altera, Ocriculum verſus a Fano Fortunae, ſic habet:

Foro Semproni. XVI. Velſ. *Foro Semproni.* absque numero; Cluuerius habet XV. Hodoeporicon, itinere Vrbano, *Foro Sempronii.* XVI. Burdigalenſe, *mutatio ad Octauum.* VIII. *ciuitas Foro Semproni.* IX. Cluuerius mutationem ad Octauum, vicum *Saltara*, extra viam; Holſtenius diuerſorium S. Antonii *della Cirqua*, eſſe volunt. In via occurrit vicus *Tavernella*, qui lapidi Octauo reſpondeat. Forum Sempronii Straboni neutro, *Φόρον Σεμπρώνιον*, *Forum Sempronium*, Ptolemaeo *Φόρος Σεμπρωνίου*, *Forus Sempronii.* Epigraphae veteri, ſacerdos diuae Plotinae, FORO SEMPRONII. apud Gudium, coloni COLONIAE FORO SEMPRONIENS. Titiani Flauiani. In martyrol. Hieron. IV Non. Febr. Foro Sempronii, via Flaminia, milliario ab Vrbe CLXXIV. Eſt oppidum *Foſſombrone*, laeua Metauri, ſeu Metri fluminis ripa.

Ad interciſa. XII. ſic Velſ. Burdigalenſe, *mutatio Interciſa.* IX. Petram pertuſam vocant alii; Aurelius Victor, Procopius, Paullus Diaconus, Freculfus; Claudianum audire libet: (a)

Laetior hinc Fano recipit Fortuna vetuſto,
Deſpiciturque vagus praerupta valle Metaurus;
Qua mons arte patens viuo ſe perforat arcu,
Admittitque viam ſectae per viſcera rupis.“

Vberius deſcribit Procopius; libet Cluuerium audire: Locus ad ſaxa Interciſa, ſiue ad Petram pertuſam, VI M. P. a Foro Sempronio, vulgo *il Furlo*, item *il Saſſo forato*, apud laeuam Metauri amnis ripam; vbi altiſſima duriſſimaque rupes, ingenti praecipitio Metaurum ſtringens, ferro perforata eſt, in longum, vt doctiſſimus comes itineris mei Italici, Luca Holſtenius Hamburgenſis, iuuenis procerus, paſſibus ſuis dimenſus eſt, ad XXXV paſſus, in latum V. totidemque in altum.“ Duas fuiſſe inſcriptiones, alteram, qua a Cale aduenientes ingrediuntur, plane eroſam; alteram, quae Forum Sempronium verſus proſpicit, ſic habere ait:

IMP. CAESAR. AVG
VESPASIANVS PONT. MAX
TRIB. POT. VII. IMP. XVII. P. P. COS. VIIII.
CENSOR. FACIVND. CVRAVIT

(a) Paneg. de VI coſ. Honorii.

Chartae recentiores, ad VIII a Foſſombrone lapidem, *M. Pietran* exhibent. Haec fuerit mutatio Burdigalenſis; Tabulae ad quartum lapidem, ad confluxum amnis cuiuspiam cum Metauro, vt numerus ſequens expoſcit. Danuille ad VIII M. P. *Interciſa.*

Ad calem. VIIII. Velſ. *Ad calcem.* VIIII. Cluuerius *Ad Calem* habet; Holſtenius *Ad Callem* legi oportere putat. Hodoeporicon, *Calle vicus.* XVIII. a Foro Sempronii; in Regio, *Cale vicus;* Neapolitano, *Galle vicus.* Itinere ab Heluillo Anconam, *Ad Calem.* VIII. a Piro, XIIII ab Heluillo. Si Pirum idem eſt cum Piro Tabulae, deerunt manſiones duae, Forum Sempronii, et ad Octauum, cum ſuis numeris; quod a nemine obſeruatum video. Cluuerius, de Cale, nunc vulgo *Cagli*, epiſcopali ſede, et antiquiſſimo viae Flaminiae ponte clarum, XVIII M. P. ab Heluillo. Eſt oppidum *Cagli*, ripa Metri recentis laeua, iuſto ab Interciſa ſpatio abſcedens.

Ad enſem. VII. ſic Velſ. Burdigalenſe, *mutatio Ad heſis.* XIIII. Cluuerius antiqui oppidi veſtigia deprehendit ad ſecuundum infra *Canthiano* vicum lapidem, loco *Ponte Riccioli* nuncupato, prope Aeſis fontem. Vtrum autem hi ſint Paulli Diaconi et Anaſtaſii Bibliothecarii *Luceoli*, dubites; quod oppidum hoc propius Peruſiam fuiſſe videtur; et ab Conſtantinorum aetate ad Romani exarchi tempora manſio noſtra nomen ſeruauit. Adde, quod *Pons Eſis* et *Riccioli* cognationem inter ſe habent; illud proprium fluuii, hoc adpellatiuum, ex veteri Liburnico in Italicum detortum; quo Luceoli ſpectare nequeant. Dubitat Weſſelingius, *Ad Enſem*, an *Ad Heſis*, rectius ſit; ego vtrumque bene habere puto, poſterius tamen, ad expreſſionem fluuii melius. Heic quidem ſunt fontes Metauri; ſed is vulgo *Eſis*, vt alter, Vmbriae terminus, hoc ſitu nuncupari potuit. Eſt etiam fons borealis fluuii Eſis vicinus.

IV. **Iouiſ penninuſ. ıde̅. agubıo.** templum dei; Velſ. *Iouis penninus idem Agubio.* Scribitur ad latus viae laeuum, quod ad dextrum fieri debebat; ſeruat enim oppidum nomen *Gubio*, Latinis Eugubium, Augubium; veteres Iguuium adpellabant, Caeſar, Cicero, Strabo, Ptolemaeus, epigraphae. Straboni, *Ἴτορον*, *Itorum;* Ptolemaeo, *Ἰσόυϊον*, *Iſuion;* Silio, infeſtum nebulis *Iguuium.* In marmore, apud Cluuerium, L. Sabinus Primigenius, ortus AB IGVVIO. Fulginii, patrono IGVVINORVM. Templum, putat Cluuerius, in vicino quopiam monte exſtitiſſe. Memoratur Straboni, *Ἰγγοῦνον ὄρος*, *Ingunus mons*, ſeu, vt in editis eſt, *Γυγγοῦνον ὄρος*, *Gyngunus mons*, trans Appenninum; in quo id templum exſtiterit, proxime vrbem, vt Tabulae inſcriptio poſcit. Danuille ad VI ab Iguuio in boream lapidem, *T. Iov. Apennini;* ab Calle autem in exortum, *Gingunum*, absque ſigno montis aut loci. Sequitur in via, poſt mutationem ad Enſem,

Haluıllo. X. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Heluillo vicus.* XXIII. ab Calle. Suritae, XXXIII. Neapolitano XXVII. itinere Anconitano, *Heluillo.* XIIII. Burdigalenſe, *manſio Herbelloni.* X. Tyro in notis *Hiluillum.* Cluuerius cenſet,

oppidum hoc Suillum fuiſſe dictum, vnde Plinio *Suillates;* hodie *Sigillo* oppidum, ad rami Chiſcii orientalis exortum. Interuallum quidem reſpondet, modo certum ſit, ea olim proceſſiſſe iter. Sequuntur, Harduinus, Weſſelingius, Danuille.

Nucerio. camellaria. xv. Velſ. *Nucerio. Camellaria.* xv. Hodoeporicon, itinere ab Vrbe Anconam, *Nuceriae.* xviii. a Meuania; in veteri charta, *Nucerie.* Burdigalenſe, *ciuitas Ptanias.* vii. *ciuitas Noceria.* viii. Cluuerius Ptanias in Caprarias et Capras conuerti vult, vicum *Capraia* interpretatus, ad alterum a vico *S. Pelegrino* in boream milliare; hoc autem poſterius Taginas Procopii et Gregorii eſſe contendit. Holſtenius, locum Hodoeporici *Taginas*, ſeu *Tadinas*, interpretatur; quae circiter vicum *Gaifana* fuerint, prope fontem Tupini, ripa laeua. Straboni *Νουκερία*, *Nuceria*, vbi lignea conficiuntur vaſa. Ptolemaeo, *Νουκερία κολώνια*, *Nuceria colonia.* Sed coloniae ſigna non adparent; vnde Cluuerius recte putat, *Καμελαρία* Ptolemaeo ſcriptum fuiſſe. Plinius, *Nucerini cognomine Fauonienſes et Camelani.* Cluuerius eumdem locum, Holſtenius diuerſa, cenſent; hic, quod Camiliani prope Nuceriam, in veteri ſcripto, mentionem reperit. Hodie *Nocera*, in via Flaminia, apud tranſitum Apennini, haud procul fonte Tiniae ſeu Tupin fluuii. Danuille, Tadinas prope fontem ſtatuit, Nuceriam non longe a laeuo recentis latere. Viae Flaminiae, per haec loca tendentis, hanc facit mentionem Strabo: (a) Ab Arimino Romam euntibus via Flaminia per Vmbriam, vſque ad Ocriculos et Tiberim, iter eſt ſtadiorum CIↃCCCL. Vrbes intra Apenninum in ea via memoratu dignae, Ocriculi, Larulum, Narnia, Carſuli, Meuania; ſunt quidem et alia quaedam oppidula, ſed magis itineris cauſſa frequentata, quam ob ciuile corpus; vt Forum Flaminium, Nuceria, Forum Sempronium.“

Foro. flamini. xii. Velſ. *Foro Flamini.* xii. Hodoeporicon, *Foro Flaminii vicus.* xxvii. ab Heluillo; in Longoliano, xix. in Regio, *Foro Flaminis vicus;* ſic in reliquis, Weſſelingius, e Fabricii libro, *Flaminii* poſuit. Burdigalenſe, *ciuitas Foro Flamini.* xii. Straboni, *Φόρον Φλαμίνιον*, *Forum Flaminium*, Cellarius *Φλαμμίνιον* legit; Ptolemaeo, *Φόρος Φλαμινίου*, *Forus Flaminii.* Plinio ciues *Foroflaminienſes.* Vetus inſcriptio, apud Sponium, FOROFLAMINIENSES. alia apud Gruterum, CIVITAT. FORO FLA. Cluuerius, numeros heic deprauatos queritur, a Meuania Nuceriam xvii. a Nuceria Heluillum xii. a Spoletio Heluillum xxxviii M. P. eſſe, adſeuerans. A Spoletio ad xviiii milliare, pontem antiqui operis, interruptum, conſpici, vulgo *Ponte Centeſimo*, ad Tiniam amnem, ad vii a Nuceria lapidem; vbi Forum Flaminii exſtitiſſe putat. Harduinus, ad Plinium, nunc eſſe caſtellum *Forſiama*, inquit, bis mille paſſus a Fulginio; ac proinde non longe infra Pontem ab Cluuerio memoratum, quo xii M. P. adcurate pertingunt.

(a) L. V. p. 227.

V. A Foro Flaminii, quod inter Fulginium et Centeſimum medio fere ſpatio erat, diuerſam tenent Itineraria viam; Hodoeporicon, itinere ab Vrbe Conſtantinopolim, Spoletium, itinere Anconitano Meuaniam, Burdigalenſe Fulginium et Spoletium, Tabula Meuaniam, inde Spoletium, petunt. In Burdigalenſi, a Foro Flaminii, *ciuitas Fulginis.* III. Cluuerius, dextra Tiniae, vulgo *Topino*, ripa, vbi hodie *Fuligno*, *Foligno* oppidum, Danuille ſiniſtra rectius; neque enim Tabula locum adiit, in qua a Foro haec habentur:

Mevanie. XVI. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ab Vrbe Anconam, Nuceriae, *Meuaniae.* XVIII. Cluuerius, haud amplius XVII. eſſe, ait. Danuille, a Nuceria Fulginium XV. inde Meuaniam XVIII M. P. cenſet. Holſtenius, apud Cellarium, in Tabula VI legi vult pro XVI. Ego puto, in Tabula olim Fulginium exſtitiſſe, absque numero; hac enim ducebat via; quo poſtea cum numero ſubſequenti VII exmiſſo, manſionum et numerorum perturbatio irrepſit. Nam XVI eſt a Fulginio Spoletium; et viae ductus inter Vemaniam ſeu Meuaniam et Spoletium nullus eſt; vt eo XII. quod Cluuerio videbatur, referri nequeat. Sunt enim Spoletium inter et Vemaniam M. P. XX. Meuaniam norunt e priſcis, Liuius, Propertius, Strabo, Columella, Plinius, Silius, Lucanus, Statius, Tacitus, alii. Columella, armentis ſublimibus inſignis *Meuania* eſt. Straboni, inter *ἀξίας λόγου πόλεις*, *Μηουανία*, *illuſtres memoratuque dignas vrbes*, *Meuania.* Silius, latis *Meuania* pratis. Hodie *Bevagna* oppidum, dextra Clitumni, *il Clitonno*, ripa, paullo infra confluxum cum Tinia amne.

A Meuania exprimitur viae tractus longior ad Narniam vſque, cuius inſignia absque nomine comparent, cum numero XII. pro XXX. Referri autem hic viae ductus in dextram debebat, qui heic ſiniſtram obtinet. Danuille viam hanc iuxta Carſulas, XXVIII M. P. interuallo, Narniam vſque, ducit. Hodoeporicon a Meuania ſic procedit: *Ad Martis.* XVI. *Narniae.* XVII. Cluuerius hos numeros mendi arguit, quod Meuaniam inter et Narniam vix XXIII M. P. eſſent. Ab Narnia, ad XIIII fere lapidem, eſſe vicum *S. Maria in Pontano*, vbi aliquot inſcriptiones antiquae ſint repertae, in queis vna habeat, VICANI VICI MARTIS TVDERTIVM. hoc *ad Martis*, *fanum Martis*, interpretatur. Holſtenius, numero Hodoeporici IV demi vult, Faneſtres opinatus; illud Weſſelingio placet, hoc iure displicere debuit. Verum enimuero in chartis recentioribus Narniam inter et Meuaniam ſunt omnino mill. geogr. ſex cum tribus quintis; in quibusdam ſeptem integra. Vt numero Hodoeporici nihil addi, nihil demi oportere putes. Haec via, vti dicebam, in Tabula expreſſa eſt, ſed ob conſtructionem operis laeuam tenet, manſionibus, iniuria temporum, abolitis, quarum prima ad XII lapidem fuerit; ſicquidem numerus eo loci bene habet. Si XVI huc referri debeat, fuit, vt in Hodoeporico, *Ad Martis;* quod ſcriba, cum itinere alio ſuperius conſpexiſſet, arbitratus locum eſſe eumdem, exmiſit. Clu-

uerius, manſionem illam huc pertinere ſuſpicatus, iter ſic conſtituit: Interamnio, *Narnia* VIII. *Ad Martis* XVIII. *Meuania.* XII.

VI. Altera via, quae dextram in Tabula tenet pro ſiniſtra, per Spoletium procedit, nexu cum Meuania interrupto; quod perplexus ſcriba idcirco fecerit, quia, dextram huic viae adſignari, putabat erroneum eſſe. Haec vero itinere illo notantur:

Spoletio. absque numero, inſignia coloniae; Velſ. *Solete.* Cluuerius, *Spoleto.* XII. Sunt in Tabula Po literae coniunctae, numerus autem via ſuperiore poſitus. Hodoeporicon, itinere Byzantino, a Foro Flaminii, *Spolitio ciuitas.* XVIII. quidam XIX. Burdigalenſe, ab Fulginio, *ciuitas Treuis.* V. *mutatio Sacraria.* IIII. *ciuitas Spolitio.* VIII. Holſtenius aliam dat menſuram, IV. II cum ſemiſſe, VII. Danuille a Fulginio Spoletium XV numerat; ego XVI Meuaniae adpoſitum huc ſpectare cenſeo. Milliaria quippe, queis Holſtenius eſt vſus, ſunt integra, et omni vbique ſpatio intercepto, eaque Italica, quae ſunt Romanis veteribus maiora. Chartae recentiores tria mill. geogr. eo interuallo cenſent. Spoletii ex antiquis meminerunt, Liuius, Paterculus, Strabo, Plinius, Appianus, Suetonius, Ptolemaeus, Florus, alii. Graecis *Σπολήτιον*, *Spoletium;* incolae *Spoletini*, ſerius *Spoletani;* epigraphe, apud Gruterum, ORDO SPOLETINORVM. Eſt vrbs *Spoleto*, in peninſula recentis Clitumni.

Fano fugitiui. V. templum; Velſ. *Fano fugitiui.* V. Burdigalenſe, *mutatio Fani Fugitiui.* VII. Cluuerius ad ſecundum ab ſequenti manſione lapidem hoc Fanum fuiſſe exiſtimat, cuius nulla ſuperent veſtigia. Holſtenius, interuallo Tabulae, reperit in iugo montis, vulgo *Summa* dicti, vbi nunc *S. Leonardi* fanum. Quisnam autem Fugitiuus heic accipi debeat, non video ab eruditis memoratum; quid mihi hoc in genere videatur, mox indicabo.

Ad tine Recine. II. Velſ. *Ad tine recine.* II. Cluuerius *Ad Fines* legit, pro *Adtine*, *recine.* cui vicum *la Strettura*, medio Narniam inter et Spoletium ſpatio, reſpondere ait. Holſtenius videtur *Sacraria* Burdigalenſis legiſſe, cum fontes Clitumni, longius ab iis remotos, memorat. Clitumnum fuiſſe deum, et lacum, veteres tradunt; inde *Fanum Fugitiui* ſupra dictum. Cluuerius fanum Iouis Clitumnii ad fontes fuiſſe putat; ſed epitheton *fugitiuus* Ioui non competit, niſi fugantem intelligi velis. Hannibalem per Spoletium transiſſe, certum eſt. Fuit Romae, ad portam Capenam, *Fanum Rediculi*, quod deo ſic nuncupato dicatum erat, quia is Hannibalem, cum eo loci veniſſet, redire, Romaque abscedere fecit; vt Feſtus, aliique perhibent. Heic autem ad extrema Apennini iuga, prope Clitumni, qui colebatur, fontem, deo Fugitiuo, ſeu potius Fuganti, ſiue is Iupiter, ſiue alius fuerit, templum ſit erectum, in memoriam fugae Hannibalis. Quod iſthic ob iter dictum velim; neque enim mythologica, hiſtoricaque hoc in argumento curae nobis eſſe volumus. Sed quid *Adtine Recine?* Aio, *Ad fines* legi debere, etſi vulgo *Ad fine* dici queat; et fines quidem

Spoletinorum intelligi, iugis Apennini, ad exortum Clitumni, descriptos. *Recinae* autem gignendi casu esse vocis Liburnicae, qua flumen grandius antiqui mortales huius linguae nuncuparint, et hodie vsque nuncupant. Sic quippe Philargyrus, in Virgilium: Clitumnus, amnis est, Vmbriam a Tuscia diuidens; et mox: Clitumnus et deus et lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt.“ (a) Quod Recinae etymon spectat, simile quid apud Arretium, Tabulae *Adretio*, diximus. Quae si a verosimili non prorsus abludunt, nae antiquissimi Italiae incolae, qui haec montana, et mediterranea coluere, Liburnicae originis homines, Italicis populis mixti, fuisse videntur. Profecto nulla ratio alia in medium adferri potest magis idonea, cur tot apud vtrosque vocabula, apud Illyrios Italica, apud Italos Illyrica, reperiantur, nisi e mutuo antiquissimis temporibus vitae commercio. Sed viam persequamur.

Interamnio. XI. sic Vels. Hodoeporicon, itinere Byzantino, a Spoletio, *Interamnia ciuitas.* XVIII. Burdigalense, a Fano Fugitiui, *mutatio tribus Tabernis.* X. *ciuitas Interamna.* III. Cluuerius, Tabernas, *Ponte Confino;* Holstenius, ad principium angustiarum, quae *Strettura* dicuntur, vbi diuersorium *della Castagnia*, interpretantur. Interamnium non eadem ratione adpellant veteres. Varro: Oppidum Interamna dictum, quod inter amnes est constitutum.“ Idem Festus refert; Tacito quoque *Interamna*, Floro *Interamnium*, Ptolemaeo *Ιντεραμνία*, *Interamnia.* Ciues, Ciceroni, Plinio, epigraphis, *Interamnates.* CVR. R. P. INTERAMNATIVM. municipi INTERAMNAT. MARTIS. patrono MVNICIPI. INTERAMNATIVM. MART. Inde Plinius, *Interamnates cognomine Nartes.* Cluuerius putat, sic adpellatam vrbem, quod Nare fluuio, qui *Nera* vocatur, insulae instar sit circumflua. Sed Varro *inter amnes* dixit; et vetus inscriptio municipii Interamnatium Nartium, Casuentinorum, Vindinatium, meminit. Ager quippe Interamnatium latius patebat, et quidem ad iuga Apennini, et fines Spoletinorum, de quibus ante dictum. Interamnates sunt Liburnis *medju-recsni*, adcolae amnium *narecsni;* quas olim nuncupationes isthic viguisse, cum fluuius *Nar*, tum superius adlata phrasis *Ad fine Recine*, manifesto innuunt; quas voces aetas posterior ori Latino adcommodauit. In chartis recentioribus, *Terni* oppidum, Cluuerio teste, etiam *Terani*, dextra Naris ripa, absque insulae vestigiis, etiam in speciali, apud Danuilleum, tabella, eo situ comparet.

N. - - - VI. insignia coloniae, absque vrbis vocabulo; sic Vels. Narniam esse, interuallum, et situs ostendit; quod etiam Cluuerius obseruat. Est superne, itinere alio, inscriptio **Inter. manana.** quae vtrum isthuc referri queat, dispiciemus alias. In Tabula traiicitur amnis, qui heic Narem vna et Tiberim praefert. Hodoeporicon, *Narnia ciuitas.* VIII. itinere Anconitano, a mansione

(a) In Virg. Georg. L. II. v. 146.

Ad Martis, *Narniae*. XVII. Burdigalenſe, *ciuitas Narniae*. IX. omni ſpatio intercepto; in quibusdam chartis eſt vnum mill. geogr. cum duabus quintis. Vrbis veterum complures meminerunt, Liuius, Strabo, Silius, Martialis, Tacitus, Plutarchus, Ptolemaeus, alii. Strabo, *Ναρνία, δι ἧς ῥεῖ ὁ Νὰρ ποταμὸς*, *Narnia, quam Nar praefluit amnis*. Loci in monte ſitum, et ſtructurae mirandae pontem, deſcribit Procopius. Nequinum dicebatur ante; vnde Nequinates. Liuius: Nequinum in deditionem populi Romani venit; colonia eo aduerſus Vmbros miſſa, a flumine Narnia adpellata.“ Hodie *Narni* oppidum prope laeuam Naris ripam.

VII. Ab vrbe Narnia, in Tabula Scheibii viae continuatio non exprimitur, niſi illius a Meuania procedentis, de qua ſuperius dictum. Scriba Velſeri, ab Interocrio et Aequo Faliſco vias deriuat; ſed numeris vtrimque deficientibus; vt ille ductus videatur arbitrarius. Narnia fuit in via Flaminia; oportebat igitur auctorem Tabulae Ocriculum verſus et Aquam viuam progredi. In editione Velſeri, totum iter ab Narnia ad Nouas vſque deeſt, lineis modo, manſione vacuis, exſtantibus. Quare et Cluuerius, et Holſtenius, et Cellarius, aliique, crimine ſunt abſoluendi, qui de eo cenſere nequiuerunt, oſcitantia ſcribae exmiſſo. Sic vero habet:

Inter. manana. Epigraphe imminens vrbi, quam ſine vocabulo dicebamus, quaeque Narnia Cluuerio recte videbatur. Inſcriptio autem haec, incuria ſcribae, eſt a vicina ciuitate *Interamnia* deſumta, pro *Narnia* procul dubio, quam omnis retro vetuſtas nouit. Niſi ſcriptum erat, vt non raro alias, *ab Interamna Narnia;* quod vero ſimile putes. Hanc ſcripti huius interpretationem ſubſequens iter firmabit. Quare nexus viae huius, cum ea Interocrium verſus, non bene habet; recte autem tractus deorſum ad Narniam vſque promouendus erat. Sequitur ab Narnia, eo itinere,

Aequo falſ.co. XII. procul dubio, *Aequo faliſco.* Geographi hactenus credebant, Falerios et Aequum Faliſcum eumdem eſſe locum; etſi Strabo, Solinus et Stephanus diuerſa innuerent. Strabonis haec ſunt, ſcribentis: Sunt, qui Falerios negant eſſe Tuſcos, ſed Faliſcos gentem eſſe peculiarem dicant, vrbemque eodem nomine peculiari lingua vtentem. Alii coniectant, *Αἶκον Φάλισκον*, *Aequum Faliſcum*, vrbem ſitam eſſe in via Flaminia, inter Ocriculum et Romam.“ Et paullo ante, in recenſione vrbium, *Φαλέριον*, *Φαλίσκον*, *Νέπιτα*, *Falerium*, *Faliſcum*, *Nepita*. Solinus, ab Haleſio Argiuo *Phaliſcam*, a Phalerio Argiuo *Phalerios*, ait conditos. Etiam Stephanus Phalerium et Phaliſcum diſtinguit; Tabula omnem dirimit litem, in qua *Faleros* inter caſtellum Amerinum et Nepe, *Aequum Faliſcum* Narniam inter et Farfarum amnem, ſtatuuntur, diuerſo ſitu, diuerſa via. Quamquam non niſi VIII M. P. inter vtrosque interceſſit ſpatium. Viae ratio et numeri ducunt ad oppidum epiſcopale *Magliano*, laeua Tiberis ripa; per quod et hodie via Romam ducit, cuius agro partem Flaminiae Danuille, ipſam Flaminiam Fabrettus, tendunt; quibus,

opinione Holſtenii, *Foruli*, ſeu *Forum Nouum*, iſthic locatur; cui, ſi diuerſum ab Aequo Faliſco eſt, ſitus alter quaerendus. Hodie *Magliano* in Sabinis cenſetur; vtrum olim quoque hic ager Sabinorum fuerit, dubites. Si nominis ratio habeatur, Aequi agrum hunc, commercii gratia, ad Tiberim tenuerint; nos ad effluxum amnis, a Cimino decurrentis, Vmbriam promouimus. Sequitur in Tabula Farfar fluuius, quem ſequenti ſectione dicemus. Altera parte Tiberis conſpicitur *Aqua viua*. VII. quod eſt ab Aequo Faliſco ad amnis *Pozzolo* dextram, vbi Aquam viuam cum Danuille poſuimus; interuallum adcuratum. In Tabula viae tractus, qui binas vrbes coniungeret, deſideratur. Ocriculum Tabula praeteriit, quod Hodoeporicon vtrumque petebat.

VIII. Superſunt quaedam oppida itinere ab Cluſio Ameriam, vti ſunt, Vettona, Tuder, et ipſa Ameria, quae in laeuam Tiberis ripam incidunt, in cenſu Vmbriae conſiſtentia. Sic autem a Peruſia, quam apud Etruſcos dedimus, in Tabula habent:

Vetona. XIIII. ſic Velſ. Plinio, *Vettonenſes*, quibusdam libris, *Vetrionenſes*, *Metionenſes;* vetus epigraphe, apud Gruterum, patrono PERVSINORVM. PATR. ET CVRATORI R. P. VETTONENSIVM. Harduinus, ad Plinium, Antonino, inquit, Vetona XIV M. P. a Peruſio; Tabulam dicere volebat; nam in Hodoeporico iter hoc deſideratur. Hodie *Bettona*, infra Aſiſium, nobile coenobium, duo fere mill. paſſ. a Tupini Tiberisque confluentibus, teſte Cluuerio.

Tuder. XX. apud Velſerum abeſt. Cluuerius, *Tuder*, absque numero. Ex antiquis norunt vrbem, Strabo, Plinius, Silius, Plutarchus, Ptolemaeus, alii. Straboni, *Ἀμερία τε καὶ Τοῦδερ, εὐτελὴς πόλις, καὶ Εἴσπελλον*, *Ameria*, *Tuder*, *ſplendida vrbs*, *et Hiſpellum.* Plinio, in coloniis, Hiſpellum, *Tuder;* Ptolemaeo, *Τοῦρδε*, in Vaticano *Τοῦδερ*, *Tuder;* Plutarcho, *Τουδερτία*, *Tudertia;* ſed in Mario: *ἐκ δ' Ἀμερίας καὶ Τουδέρτου*, *ex Ameria et Tuderto.* Stephano, *Τύδερτα*, *Tyderta;* Procopio, *Τουδέρα*, *Tudera.* Inſcriptio vetus, Ioui, pro ſalute COLONIAE ET ORDINIS DECVRIONVM ET POPVLI TVDERTIS. Silius: *Gradiuicolam celſo de colle Tudertem.* Vulgo, *Todi* oppidum, laeua Tiberis, ad exitum riui cuiuspiam.

Ameria. VI. Velſ. *Ameria.* absque numero; Cluuerius, *Ameria.* VI. Nota veteribus, quales Cicero, Virgilius, Strabo, Plinius, Plutarchus, Ptolemaeus, Feſtus, Stephanus. Incolae, Amerini; Silio, *Amerinus* armis fortis. Stephano, *Ἀμέριον*, *Amerium;* Straboni et Plutarcho, *Ἀμερία*, *Ameria.* Cato, apud Plinium, conditam ait ante Romam annis 383. ab Amiro quodam, vt Feſtus refert. In epigraphis, MVNIC. AMERIAE. item curat. REIP. AMERIN. Eſt oppidum *Amelia*, inter montes, epiſcopali ſede nobile, medio fere ſpatio inter Tiberim et Neram, v M. P. vtrimque remotum. Caſtellum Amerinum, ad VIIII inde lapidem, eſt *Baſſano*, dextra Tiberis; de quo in Etruria dictum. Atque haec erant Vmbriae loca.

SECTIO VII

PICENVM

§ I

Nuncupatio, fines.

I. ORAM Adriae, cuius partem tenuere Picentes, nouit Scylax, gentem Peucetios adpellans. Sic enim ſcribit: Poſt Iapyges, et Arionem montem, Daunitarum gens eſt; in hac gente linguae ſiue ora haec ſunt: Laternii, Oſci, Cramones, Boreontini, *Πευκετεῖς*, *Peucetii*, qui pertingunt ab Tyrrheno mari Adriam vſque." Polybio, *Πικέντες*, *Picentes*, vt Latinis; Plutarcho et Ptolemaeo, *Πικηνοὶ*, *Piceni;* Stephano, *Πικίαντες*, *ἔθνος Ιταλίας*, *Piciantes*, *gens Italiae.* Straboni, *Πικεντῖνοι*, *Picentini:* Antiquiſſima Sabinorum-gens eſt, et indigena; ab his originem duxere Picentini atque Samnites." (a) Plinius fines quoque, cum origine, paucis, pro more, indicat: (b) Quinta regio Piceni eſt, quondam vberrimae multitudinis, CCCLX M. Picentium in fidem populi Romani venere. Orti ſunt a Sabinis, voto vere ſacro. Tenuere ab Aterno amne, vbi nunc ager Adrianus; - flumen Vomanum; ager Praetutianus, Palmenſisque." Olim pleraque huius regionis, inquit, tenuere Liburni, vt in Vmbria ex eodem docuimus: Siculi et Liburni plurima eius tractus tenuere, in primis Palmenſem, Praetutianum, Adrianumque agrum." (c)

II. Patriae vocabulum, in Tabula PICENVM. caractere Latino, picto, N e M in monaſticum deſinentibus, a Metauro fluuio ad Aternum vſque. Antiquis Picenus ager dici conſueuerat; qua forma Salluſtius, Liuius, Tacitus, vtuntur. Caeſar tamen, *delectum toto Piceno habebat*, inquit. (d) Plinium ſimili ratione locutum paullo ante audiuimus. Florus, omne Latium, atque *Picenum.* Epigraphae ſunt horum vocabulorum diuites, in queis *Picenum*, *Picentes*, *Picentini*, *Piceniani*, legantur. In Tabula occurrit praeterea, *Aſclopiceno*, *Firmo viceno*, ſeu Aſculum Picenum, Firmum Picenum, oppidis adiunctum epitheton. Etymon quidam a Pico rege, alii ab aue, quae inſederit vexillo, cum ver

(a) L. V. p. 2 8. (b) L. III. c. 18. (c) L. III. c. 19. (d) L. I. B. C. c. 12.

ſacrum huc miſiſſent, deriuari volunt. Rectius fortaſſe Peucetii, maris adcolae, vt eos Scylax vocauit; *Pucsina* quippe Liburnis pelagus nuncupatur; qui cum addit, ab Tyrrheno mari ad Adriam vſque Peucetios habitaſſe, nae is Ligures cum Liburnis ſumſit.

III. Fines Piceni, ab occaſu iuga Apennini, a fonte Aeſis paullo vltra Aternum recentem, ad VIII vſque lapidem, protenta; a borea Aeſis fluuius; ab oriente ora Adriae inter Aeſis et Aterni oſtia; ab auſtro Aternus. Explicatur inter gradus longit. 30 min. 30. et grad. 32. latit. 42 min. 8. et grad. 43 min. 32. In longum procurrit, a borea in auſtrum, ab oſtio Aeſis ad flexum Aterni borealem, M. P. CX. in latum vero, a fonte Aeſis ad promontorium Anconae, M. P. LX.

§ II

Montes, fluuii.

I. MONTIVM Apenninus curſum ſuum continuat, ex quo amnes regionem percurrentes effluunt; nomen tamen neque Apennini, neque alterius hoc tractu montis recurrit. *Cumaram*, ad Vomanum amnem, norunt veteres, quem in amnibus dicemus. In his cenſentur, Aſpia, Floſis, Miſius, Fluſor, Tinna, Herninum, Macrinum, Cumara, quos ea ſerie, qua in Tabula notantur, perſequemur.

Fl'. Aſpia. ad oſtium; Velſ. Fl'. Aſpia. in pelago. Cluuerius, *Aſpido foſſatone*, qui laeuam Miſeonis ripam, medio inter Anconam et Auximum itinere, influat, recte arbitratur. Quamquam Aſpia illam regionem perluit, auſtralius autem, reſpectu Auximi, in Miſeonem cadit. Oritur quippe haud longe ab Aeſi, ad quintum fere lapidem, fertur in exortum hibernum, Miſeoni II M. P. ſupra oſtium coniunctus, vt Danuille quoque notauit. Forſan *Aſpis* erat fluuio nomen, vt ex hodierno eius vocabulo ſuſpicari licet.

Miſco. fl'. in itinere; Velſ. *Miſco fl.* ſecus alueum. Apud Potentiam, ad quintum a Miſeone lapidem, fl'. Miſio. tamquam ad oſtium, alueo nullo ſignato. *Miſco* autem alueum a priore diuerſum habet. Cluuerius autumat, vocabula haec ad Muſeonem, *Muſeone* ſeu *Muſione fiume*, chartis *Muſone*, Ortelio *Mulcio*, ſpectare. Forſan poſterius ad Potentiam referri debebit, vbi ſignatur. Plures enim fluuii hac Liburnorum ora idem nomen geſſere. Ipſi eſt *Miſco*, Danuilleo *Miſio;* ſi recentioris vocis ratio habeatur, veteres, dialecto ſua, *Müſio* dixerint.

Fl'. Floſis. ad oſtium; Velſ. *Fl'. Floſis.* Cluuerius heic amnem praeterit, quod in Vmbria Aeſin arbitratus eſt; in Tabula eo ſignatur loco, quo prior; vt, quemadmodum Aſpia, pars Miſeonis fuiſſe videatur. Sed auctorem

Tabulae ſequentem fluuium, non ignobilem, cui *Potentia* nomen, reſpexiſſe credo. Cluuerius amnem non adpellat; Danuille vrbi homonymum facit. Forſan *Ricina*, vt oppidum ei in mediterraneis adſitum, olim dicebatur; poſtea Floris nomine ſumto; cuius in *Loreto* veſtigia ſuperent. Veterem Liburnorum nuncupationem portus *Recanati*, cum oppido in mediterraneis cognomine, ſeruare videntur.

II. fl'. Miſiv. ad oſtium, absque alueo; Velſ. Fl'. Miſiu. in pelago, cum alueo. Cluuerius eumdem cum Miſeone eſſe putabat; niſi tenuis ille amnis, qui Potentiam ſubſequitur, eſt, forſan e ramis Centi, *Chiento*, qualis *Fiaſtra*, *Leta viua*, vnus erit. Tamen, quod antiqui nomen Miſii, Miſonis, nobilioribus fluuiis dare ſolebant, ipſum *Chiento* Miſium Liburnis dictum fuiſſe putes.

flusor. fl. in via, absque alueo; Velſ. *Fluſor fl.* Cluuerius *Chiento* eſſe opinabatur, cuius veſtigia premit Danuille; mihi *Fiaſtra*, tamquam *Flaſtra* dicas, ramus Cluenti auſtralis, eſſe videtur; idcirco absque alueo in Tabula ſignatus.

fl. tinna. ad oſtium repetitur in via; Velſ. *Fl. Tuma.* in via *Tunna.* Cluuerius recte putat, Tinna in Tabula ſcriptum fuiſſe. Apud Oroſium, et, qui hunc exſcripſit, Paullum Diaconum, *flumen Teanum*, legitur. Hodie *Tingo* vel *Tenta*, *Tenna*, Ortelio *Terna*, in quem ab auſtro influit *Saline*, recentioribus *Sulmo.*

Inter Tinnam et Truentum bini aluei ſignantur, absque nomine, quos neque geographi norunt. Hodie ſpatio hoc in chartis conſpicitur, *Leta morta*, *Aſe*, ſeu *Aſone*, Azone, *Teſino;* e quibus bini poſteriores antiqua nomina ſeruare videantur, *Aſo*, *Teſinus;* ille hoc nobilior.

fl. herninv. in pelago, ad oſtium; Velſ. *Fl. Nerninum.* In via, *Caſtro Trentino.* Cluuerio, aliisque *Truentus* fluuius, ex eo, quod Plinius, *Truentum cum amne*, ſcripſit; ſed Mela, caſtra, Firmum, Adria, Truentinum; id et fluuio, qui praeterit, nomen eſt." Straboni quoque et Ptolemaeo, Τρουέντινος, *Truentinus*, eſt amnis. Tabula *Herninum* vocat, vbi vox barbara latere videtur; forſan *Csernin*, nigricans. H quippe ſeu h. praeſertim apicibus notatum, in Tabula plerumque barbaram vocabulorum expreſſionem deſignat. Plinius de Truento, *quod ſolum*, inquit, *Liburnorum in Italia reliquum eſt.* (a) Hodie amnis *Tronto* vocatur.

Macrinū. in via, absque fl. particula, notato tamen alueo. Velſ. *Macrinum.* Strabo, Ματρῖνος, *Matrinus*, fluit ab oppido Hadrianorum, habet nauale Hadriae, communi ſecum nomine. Ptolemaeus, Ματρίνου ποταμοῦ ἐκβολαί, *Matrini amnis oſtia;* in MSS. Vaticanis, Holſtenio teſte, Μακρίνου, *Macrini.* Cluuerius Plinium quoque adducit, apud quem id vocabuli non comparet,

(a) L. III. c. 18.

la Piomba interpretatus, cuius oſtium *Porto d' Atri* vocetur. Danuille, *Tordino*, Interamnium praefluentem, cui Cluuerius non dedit nomen, Plinii *Batinum* eſſe vult; mihi Macrinus Tabulae placet.

III. Salinas. in via, prope alueum, cui Cumara nomen. Proximus ab Tronto eſt *Liberata*, *Librata*, *Librati*, quem Cluuerius Plinii *Albulaten* eſſe putat; Ortelius, *Libratano*, *olim Macrinus et Albula.* Plinio quoque, e MSS. *flumen Albula.* Hunc in auſtrum excipit *Salinello*, qui Salinarum veſtigia ſeruare videatur; quamquam Salinae inferius cadunt. Cluuerius *Heluinum* Plinii interpretatur, Ortelius *Suinum*; illius opinio ſit propior vero.

fl. Cvmara. in pelago, ante oſtium; Velſ. *Fl. Cumara.* Poſſet cuipiam videri vox haec cum Cupra maritima nexum habere; ſed Cunarum ducem memorat Virgilius, (a) ad quem Seruius: Cunaro duci quidam nomen datum tradunt a Cunaro monte, qui in Piceno eſt.“ Cluuerius: Quo tractu Cunarus iſte fuerit mons, parum liquet; niſi eum nominis huius memoriam ferre credas, qui inter Vomanum Aternumque et Velinum amnes, vulgo nunc dicitur *Monte Corno.*“ Ortelio *Cornius mons*, inter Viciolam et Nurſam amnes, ex quo Sinus et Plumbo exeunt, vocatur. Tabulae auctor alueo Vomanum, Plinio memoratum, hodie quoque *Vomano*, *Vomono*, accipi voluerit, nominauit minorem monti cognominem, qui ſit *Viciola.* Ceterum, apud Virgilium, *Cycnus* et *Cupauo* leguntur; quos ita Seruius et Aſcenſius referunt. In variis lectionibus, ad vocem *Cycne:* In vetuſtis pleriſque exempl. *Cinere.* In Rom. *Cumare.*“ nihil praeterea. Erat autem Cupauo Cycni, Ligurum ductoris, Phaethontis amici, filius; vt cognationem Ligurum et Liburnorum vel inde obſerues. Ad Vomanum erat ager Praetutianus, Palmenſisque, patria Liburnorum vetus.

fl. Sannum. in mari, ad oſtium; Velſ. *Fl. Sannum.* Cluuerius *Suinum* Plinii eſſe ait, qui *Sino* hodie, in laeuam Salini ripam confluens. Ortelius Tauum vocat, in quem Sinus influit, qui vbi Nurſam exceperunt, Fiterni vocabulo feruntur, portum Salini ad oſtium efficientes. In Plinio, pro, *Flumina, Albulates*, *Suinum*, *Heluinum*, Harduinus legit, Flumen Albula: Teruium, quo finitur Praetutiana regio, et Picentium incipit.“ Quare, Suino amne carebimus. In Tabula ſcriptum fuerit *Salinum*, vt portus, et amni adſitum oppidum *Salino*, monſtrant.

Oſtia eterñi. oppidum. Velſ. *Oſtia eterni.* Aternus fluuius eſt, cuius Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, meminerunt. Plinius: Tenuere ab Aterno amne Picentes. Mela: Frentani iam Matrini ac Aterni fluminis oſtia. Ptolemaeus, *Ἀτέρνου παταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Aterni fluuii oſtia.* Paullus Diaconus *Piſcarium* vocat; hodie *Peſcara*, noſtri Piceni finis.

(a) L. X. Aen. v. 186.

§ III

Oppida, manſiones.

I. AD oram maritimam, quae primum deſcribenda venit, Tabula ſocium Hodoeporicon habet, itinere duplici, a Mediolano per Picenum ad Columnam, item ab Vrbe per Picenum Anconam, et inde Brundiſium. In Tabula, ab Aeſi fluuio, apud quem Seſtias poſuimus, circiter caſtellum *Ferreti*, haec ſequuntur:

Ancone. XIIII. inſignia coloniae; Velſ. *Ancone.* XIII. Cluuerius XIIII. legit. Hodoeporicon, ab Senogallia, *Anconam.* XXVI. itinere maritimo, *ab Ancona Iader in Dalmatias, ſtadia* DCCCL. Ex antiquis vrbem norunt plures: Caeſar, Cicero, Catullus, Liuius, Diodorus, Strabo, Mela, Plinius, Silius, Lucanus, Iuuenalis, Tacitus, Ptolemaeus, Solinus, alii. Strabo, *πόλις δ' Ἀγκὼν ἑλληνὶς, Συρακουσίων κτίσμα, Graeca vrbs Ancon, ab Syracuſanis condita,* qui Dionyſii tyrannidem fugerant." Plinius, Numana, a Siculis condita, ab iisdem colonia Ancona." Inſcriptio vetus, duumuir ANCONAE. Poetis, Lucano, Silio, Ancon, more graeco. Etymon prodit Mela: vrbs in anguſto duorum promontoriorum ex diuerſo coeuntium inflexu, cubiti imagine ſedens, ideo a Graecis dicta Ancon." Niſi ex *Iakin*, vt Illyriis vrbs audit, fortalitium ſignificans, Graeci *Ἀγκὼν, Ancon,* pro more ſuo, fecerunt. Ora enim haec Liburnorum vrbibus frequentata erat, ante omnem Siculorum famam. Ceterum hi Siculi videntur e ſtirpe Ligurum fuiſſe, quos Pelaſgi ſedibus ſuis exegiſſe feruntur; proinde gens Liburnis cognata. Inde factum, vt in genealogiam Illyriorum, apud Appianum, Siculi irrepſerint. Seruat nomen *Ancona*, regioni ad Truentum vſque pertinenti, quae potiorem Piceni veteris occupat partem, nomen impertiens, vulgo, *Marchia Anconitana.* Complures Illyricae veteres familiae vſque hodie vrbem incolunt. Ab Ancona pars viae tendit Ricinam, vt poſtea videbimus.

Numana. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere Brunduſino, *Numana.* VIII. Erat municipium, cuius meminere Mela, Plinius, Silius, Ptolemaeus, epigraphae. Plinius: Nouana in ora, Cluana, Potentia, Numana, a Siculis condita." Ptolemaeo, *Νούμανα, Numana;* inſcriptio, apud Gruterum, MVNICIP. NVMANAT. item, quatuoruir quinq. NVMAN. Iuniores *Humanam* dixerunt, vti hodie vocatur, laeuo viae margine, prope oram; chartis, *Humana ruinata.* Interuallum Tabulae adcuratum eſt; quamquam nonnullae recentiores chartae duo modo mill. geogr. interponunt.

Miſco. fl. IX. ſic Velſ. Eſt amnis *Muſone*, ab cuius ripa dextra non longe abeſt *Loreto* oppidum, ad quod numerus Tabulae pertingit, ſede epiſcopali, thaumaturga B. V. Mariae imagine, ſacra peregrinatione frequentata,

insigne; in quo amnis proxime sequentis, Tabulae *Flosis*, vestigia superent; vt in fluminibus dictum. Cluuerius pro IX vult IV legi; sed IX est numerus adcuratus; nam ab Humana ad rudera veteris Potentiae sunt mill. geogr. duo cum tribus quintis.

Polentia. v. insignia coloniae; sic Vels. Hodoeporicon, itinere Mediolanensi, post Anconam, *Potentia ciuitas.* XVI. itinere Brundusino, ab Numana, *Potentia.* X. Norunt vrbem, Cicero, Liuius, Velleius, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus. Graecis, *Ποτεντία*, Latinis *Potentia*, colonia Romana. Liuius, ad A. V. 569. Eodem anno, coloniae duae, Potentia in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrum, deductae sunt." In lapide Ligoriano, IV vir et patronus COLON. POTENT. Tabulae, *Polentia*, pro *Potentia*, scribae oscitantia, lineola exmissa. Vetus vrbis nomen in amne lateat, quem Tabula *Flosin* adpellat; nam Potentia Latinum est. *Flos*, alias *splav*, Illyriis est *rates*, *Flotta* Vmbris *classis*; cuius significatus vrbs vetus fuerit, quam Holstenius, ad vnum amplius, ab ostio Potentiae amnis, milliare, in ruinis deprehendit. Cluuerius ipsi ostio, vbi castellum antiqui operis consistit, adponi oportere censebat, Tabulae numerum IX erroris postulans, cum is recte omnino habeat. Apud Potentiam exit via ab Asculo, quam postea explorabimus.

Sacrata. absque numero; sic Vels. Cluuerius, Tabulae *Sacrata*, inquit, inter Potentiam et Tennam, locus esse alius nequit, quam qui priscam memoriam adpellatione etiamnum refert, vulgo *Monte santo* dictus, haud procul ab litore, in quo nauale eius vulgo dicitur *Porto di Monte Santo*." In Tabula numerus non comparet, quia locus Potentiae proximus erat, ad tertium ab amnis Potentiae ostio lapidem. Danuille ad VI fere a Potentia milliare ponit, vrbe non recte ostio adstructa. Prouerbium, *Sacrata Potentia*, vsque hodie in vsu, loca vicina indicare videtur, vrbe iam olim euersa.

II. **Flusor. fl.** VI. Vels. *Flusor fl.* VI. In fluminibus *Fiastra*, *Chiento* amnis ramum esse diximus. Cluuerius, cognatione vocabulorum ductus, Cluanam Plinii, dextra exeuntis *Chiento* ripa statuit; Danuille ad Tinnam refert. Tabula locum non adierit, agro nonnihil ab ora remoto progressa. Nunc ibi casam exiguam, cum templo S. Iacobi superesse, ait Cluuerius. Ad alterum, supra flumen lapidem est oppidum *Citta nuova.* Danuille, ad Flusorem nullum notat locum; in Ortelianis, laeua exeuntis ripa, est vicus *Centi Porto.*

Tinna. fl. absque numero; Vels. *Tunna.* In distantia horum amnium ipse Danuille variat, nunc III. nunc VI. nunc X M. P. interiectis. Medius census, qui in Atlante est, conuenit cum chartis recentioribus. Tabulae auctor, cum duorum fluminum concurrerent vocabula, numerum VI iterare neglexit; ni scribis posterioribus mendum adpingi velis.

Castello firmani. II. insignia municipii; Vels. *Castello Firmani.* II. Hodoeporicon, *Castello Firmano.* XX. a Potentia; itinere Brundusino. XII. vt in Regio, quod sincerum est. Blandinianum, XXII. quod nimium. Plinio, *Castel-*

lum Firmanorum; quod Harduinus non recte cum Firmo colonia, quae in mediterraneis eſt, committit. Straboni, τὸ ἐπίνειον τοῦ Φίρμου τὸ Κάστελλον, *nauale Firmi* nomine *Caſtellum.* Cluuerius, hodie oppidum id, duobus millibus, quae habet Tabula, a Tennae oſtio, a Firmo autem tribus diſſitum, vulgo dicitur incolis *Porto di Fermo.* Chartis, *Porto Fermano.* Heic via ab Aſculo prodit, quam ſuo videbimus loco.

Cupra Maritima. XII. ſic Velſ. Norunt praeterea oppidum, Strabo, Mela, Plinius, Silius, Ptolemaeus, alii; huic eſt Κοῦπρα Μαριτίμα, *Cupra Maritima*, ad diſtinctionem alterius, quae ipſi *Montana* dicitur. Plinio, *Cupra oppidum;* Straboni, τὸ τῆς Κύπρας ἱερὸν, *Cyprae fanum*, conditum dedicatumque ab Etruſcis, qui Iunonem vocant Cypram." in veteri marmore, T. Annius Criſpinus, CVPRA. MAR. in tabula marmorea loci, Imp. Hadrianus, munificentia ſua TEMPLVM DEAE CVPRAE reſtituit. Cluuerius, a portu Firmano, inquit, iuſta inueni millia XII ad oppidum, quod vulgo vocatur in litore *le Grotte*, ſeu Cryptae.

Caſtro trentino. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere Mediolanenſi, ab Caſtello Firmano, *Truento ciuitas.* XXVI. in Regio, XVI. itinere Brunduſino, *Caſtro Truentino.* XXIIII. vt in Tabula. Norunt inſuper vrbem, Cicero, Mela, Plinius, Frontinus; Pomponio, caſtella, Firmum, Hadria, Truentum; Straboni, Τρουεντῖνος ποταμὸς, καὶ πόλις ἐπώνυμος, *Truentinus amnis, et oppidum, eiusdem nominis.* Ciceroni, *Caſtrum Truentinum;* Plinio, *Truentum cum amne.* Ptolemaeus, Τρουεντίνου ποταμοῦ, *Truentini fluuii* meminit, non item oppidi. Surita e coſmographo Τρουεντοῦ, *Truenti* legit. Cluuerius, ab laeua amnis exeuntis aedificium *Porto d' Aſcoli*, a dextra turrim ſpeculatricem, *Torre di Seguro*, eſſe refert; cui horum vetus oppidum adſcribat, ſe ignorare fatetur. Harduinus poſteriori adiudicat; Danuille, in Atlante, ad laeuam exeuntis, alias oppido *monte Brandone*, ad eamdem, in mediterraneis; X M. P. a mari. Quod ſi heic oppidi veteris ſunt veſtigia, opinioni pollicem adprimo. Erat oppidum Liburnorum, teſte Plinio: (a) Truentum cum amne; quod ſolum Liburnorum in Italia reliquum eſt." Hodie plura ſunt in Apulia eorum oppida.

Caſtro nouo. absque numero, inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere Mediolanenſi, *Caſtra ciuitas.* XII. itinere Adriano, *Caſtro Nouo.* XII. ſic etiam Brunduſino. Auctor Tabulae, aut ſcriba, XII numerum, qui praeceſſerat, repetere noluit. Memorant Caſtrum hoc, Liuius, Strabo, Paterculus, Ptolemaeus; horum alter: Μῆκος δὲ τῆς Πικεντίνης ἀπὸ Αἴσιος ποταμοῦ μέχρι Κάστρου παράπλουν ἔχει σταδίων ω. *Longitudo Piceni ab Aeſi flumine ad Caſtrum ſtadia iuxta litus colligit* DCCC. Paullo inferius, Τρουνόουν, *Trunoum* adfert, quod Cluuerius in Καστρουμνόβουμ refingit. Sed Strabo videtur vulgi expreſſionem ſecutus, quae auribus eius magis placuit, quam terminatio Latina; quod

---

(a) L. III. c. 18.

Graeci in fine M non patiuntur. Paterculus, coloniam initio primi belli Punici deductam refert. Cluuerius, ripa Tordini exeuntis dextra, vbi nunc *Flaviano* locus, magnae vrbis veftigia deprehendit. Harduinus *Calveno* interpretatur; Ortelius *Caluano* et *Caftro nouo* diftinguit. Menfura, duce, Caftrum hoc medio Salinellum inter et Tordinum fpatio effe oportebat, paullo infra vicum *Giulia nova*, ad amnis cuiuspiam, ab vtroque memorato diuerfi, exitum; Danuilleo adftipulante. Ab Caftro Nouo eft via Hadriam ducens, quam deinde luftrabimus; fequitur in ora,

Macrinu. xviii. fic Velf. Matrini fluuii meminerunt Strabo et Ptolemaeus, quem *Piomba* effe, numeri fuadent. Strabo, Matrinum ῥέειν ἀπὸ τῆς τῶν Ἀδριανῶν πολεως, καὶ ἔχειν ἐπίνειον τῆς Ἀδρίας, ἐπώνυμον ἑαυτοῦ, *fluere ab Hadrianorum oppido, et habere nauale Hadriae eiusdem nominis*, refert. Ad quae Cluuerius: Hadriam, quae vulgo nunc dicitur *Atri*, a meridie praefluit amnis, cui vulgare nomen *la Piomba*, cuius oftium hodieque vocatur *Porto d' Atri*. Olim heic erat oppidulum illud Matrinum, Hadrianorum nauale, cuius nomen in Tabula itineraria corruptum legitur *Macrinum;* a quo ad Pinnam, quae nunc vulgo eft *Cività di Penne*, recte eadem Tabula habet vii millia paffuum." *Macrinum* propius ad popularem exprimendi rationem accedit, quam Matrinum; illud quippe *vuidum*, *liquidum*, fignificat, quae epitheta funt aquarum propria. Danuille, finiftra exeuntis ripa Matrinum ftatuit; Ortelius amni a borea fluenti adponit *Porto d' Alatro*, cuius ripa dextra vicus *Mafignano*, fupra effluxum, laeua *Caluano*, ad Piombam *Cerrano*, confpiciuntur; quae in chartis recentioribus non comparent.

Pinna. vii. infignia municipii; fic Velf. Norunt oppidum Plinius, Ptolemaeus, Vitruuius, Silius, Paullus Diaconus, alii. Ptolemaeo, *Πίννα*, *Pinna;* Vitruuio, aquae frigidae *Pinnae Vefiinae*. Silius, *Pinnam* virentem dixit; Diaconus pluratiue, *Pinnas*. Chartis *Cività di Pena* vel *Penna*. Incolae *Pinnenfes*, Plinio. Heic pars viae ab Hadria prodit; in ora fequitur,

Salinas. vi. fic Velf. Cluuerius, medio itinere, inter Aterni oftia et Pinnam, locum Salinas fuiffe, ad amnem homonymum, ait; recentius loci vocabulum non adfignans. Danuilleo, *Salinae*, laeua exeuntis fluuii ripa, quod effe nequit; oportet quippe locum in mediterraneis quaerere. Ortelius habet vicum *Salino*, laeua Fiterni, e Sino et Nurfa confiftentis, ripa, prope mare; cum inde v M. P. abeffet. Videtur is locus ad Nurfae latus, ante confluxum cum Sino, exftitiffe, qui hodie non comparet.

Oftia eterni v. infignia municipii; fic Velf. Hodoeporicon, itinere Mediolanenfi, ab Caftro Nouo, *Aterno ciuitas* .xxiiii. in Regio, *Aterno vicus*. xxii. Longoliano, *Aternos ciuitas;* Neapolitano, *Aternotium;* itinere Brundufino, *Oftia Aterni*. xvi. ab Hadria; in Regio, *Oftia Aeterni;* Blandiniano, *Hoftia aeterni;* Neapolitano, *Oftia eterni;* Longoliano, *Hoftia Aterni*. Itinere maritimo, *ab Aterno Salonas in Dalmatias*, *ftadia M. D.* Meminerunt infuper

oppidi, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Vibius; fluminis, Cicero, Varro, Liuius, Iulius Obſequens. Pomponio Melae, *Aterni fluminis oſtia*, inſcriptio in columna milliaria Teatina, Claudio Imp. poſita, viam Claudiam Valer. A Cerfenna OSTIA ATERN. MVNIT. De ſitu Strabo: (a) Ad ipſum mare eſt *Ἄτερνον*, *Aternum*, conterminum Piceno, eiusdem nominis cum flumine, quod Veſtinos a Marrucinis dirimit; fluit quippe ex Amiterno agro per Veſtinos, relictis ad dextram Marrucinis, qui ſunt ſupra Pelignos. Oppidum autem, quod idem cum eo nomen habet, Veſtinorum quidem eſt; eo tamen nauali communiter vtuntur etiam Peligni iuxta atque Marrucini." Vibio, *Aternus*, *Hadriae*, *decurrens per Marſos*, *vbi et Oſtia ciuitas.* Aternum oppidum in dextra ſtetiſſe ripa, cenſet Cluuerius, vbi hodie *Peſcara;* Danuille ipſi oſtio imponit, vt ripam vtramque ciues habuiſſe intelligantur. Ambo flumen tribuunt Marrucinis; ſed Strabo per Veſtinos fluere dicebat, relictis a dextra Marrucinis; Veſtinos autem hac Piceni regione complectimur. In mediterranea gradum promouere libet.

IV. Ab vrbe Ancona via in auſtrum tendit, Ricinam et Saluiam verſus, ductu viae, ſcribarum incuria exmiſſo. Ad iuga Apennini terminatur; ex numero tamen, qui apud Saluiam conſpicitur, viam vlterius proceſſiſſe, opinari queas. Itaque ab Ancona haec ſequuntur:

Auſimo. XII. Velſ. *Auſimo.* XII. Auximum eſt, cuius meminerunt, Caeſar, Liuius, Strabo, Paterculus, Plinius, Lucanus, Plutarchus, Procopius, alii. Strabo: *Αὔξουμον πόλις μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης*, *Auxumum oppidum*, *paullum ſupra mare.* Plutarchus, *ἐν Αὐξίμῳ πόλει*, *in Auximo vrbe;* ſic Latini quoque dicere ſolent; incolae Auximates, Caeſari, Plinio; in veteri lapide, L. Aurelio Marciano, Aug. lib. exceptori AVXIMATES. Eſt oppidum *Oſimo*, prope laeuam Muſonis ripam, quod expreſſione ſibillantis cum Tabulae vocabulo conuenit.

Ricina. XIIII. ſic Velſ. Plinio, *Ricinenſes;* Frontino, *ager Recinenſis*, *Ricinenſiis.* Inſcriptio vetus, COLONIA HELVIA RICINA. Sept. Seuero, conditori ſuo; alia, patrono COLONIAE RICINNIAE HELVIAE. in cuius cur. et off. bene merito RICINNATI HELVIANI ſua impenſa. Cluuerius, apud nobile oppidum *Maceratam*, ad *Chiento* fluuium, exſtitiſſe putat, ex interuallo et epigraphis; Holſtenius ad II vel III M. P. ab oppido, dextra Potentiae ripa, ſupereſſe veſtigia, refert; vt Danuille in tabellis ad commentarios Rollini ſignauit; in Atlante laeua fluminis ſtatuit. *Ricina* eſt natiua vox Liburnica, flumen ſignificans.

Vrbeſaluia. XII. inſignia municipii; Velſ. *Vrbeſaluia.* XII. Hodoeporicon, itinere a Septempeda ad Caſtrum Truentinum, *Vrbe Saluia.* XII. Memi-

(a) L. V. p. 241.

nerunt eius, Plinius, Ptolemaeus, Balbus, Procopius; Ptolemaeo, *Οὔρβα Σαλουΐα*, *Vrba Saluia*, Cellarius legit *Σαλοουΐα*, *Salouia*. Procopio, *Οὐρβισαλία*, *Vrbisalia;* Plinio, *Vrbesaluia Pollentini;* quam phrasin Harduinus vni loco adscribi debere putat, tamquam Saluia alias Pollentia sit nuncupata; alii, cum Holstenio, hanc illi proximam censent. Danuille, priorem laeua *Chienti*, posteriorem laeua Potentiae ripa, notat. Saluia, apud Fabrettum, in veteri lapide, in monte Milone reperto, L. Hostilius Tullus, decur. VRBE SALVIA. Apud Montfauconium, Raesius SALVIANVS VRLISAL. vitio quadratarii. Frontino, ager *Vrbis Saluiensis;* hodie *Vrbisaglia* vicus prope dextram Cluenti ripam.

Ab Saluia numerus XII absque loco, absque continuatione viae. Danuille, ab Saluia Septempedam, inde Nuceriam procedit; Septempeda ad Potentiam fluuium signata, XII M. P. interuallo. Itinere Brundusino Hodoeporicon a Nuceria haec habet: *Dubios.* VIII. *Prolaque.* VIII. *Septempeda.* XV. *Trea.* IX. *Auximo.* XVIII. *Ancona.* XII. Quare, hoc Tabulae iter, Nuceriam versus duxisse videtur; et ad XII lapidem Septempedam occurrere; de ceteris locis censere non licet; nisi Camellariam, quae Nuceriae adponitur, huic itineri innecti velis. Diuersa esse loca ex eo putes, quod in Tabula, *Nucerio. Camellaria.* scribitur; et apud Plinium, Nucerini cognomine Fauonienses et *Camelani*, opinione Holstenii sunt distinguendi. Si *Prolaque* Hodoeporici, mons *Prolace* in actis S. Seuerini et Victorini est Camellaria, hodie vicus *Pioraco*, ad Potentiam recentem; habebimus, secundum Hodoeporicon, XVI M. P. a Nuceria, XV a Septempeda. Et XVI quidem numerus apud Meuaniam conspicitur, qui alio pertineat, vti supra diximus; forsan et huc referendus. Sed haec ob iter, e coniectura, dicta sunto; neque enim certum id adseuerandi momentum habemus.

V. Aliud iter mediterraneum est a Potentia hinc Firmum et Asculum, inde trans Apenninum, Interocrium versus; impeditum adeo, vt Cluuerius e difficultatibus emergere nequiuerit. Nos, pro more, alios quoque in consilium accersemus. In Tabula, a Potentia, haec notantur:

Pausulas. VIIII. Vels. *Pausulas.* VIIII. Plinius, absoluta ora: Intus Auximates, Beregrani, Cingulani, Cuprenses, cognomine montani, Falarienses, *Pausulani*, Pleninenses, Ricinenses, Septempedani, Tollentinates, Treienses, Vrbesaluia Pollentini.“ Frontino et Balbo, *ager Pausulensis.* Cluuerius, ex interuallis, putat esse oppidum *Cività nuova;* Ortelio *Citta nova*, prope laeuam Chienti seu Cluenti ripam; Holstenius, fide Camilli Lilii, *Monte dell' Olmo;* Danuille, ad VIII ab Saluia in exortum, ad XIII ab ostio Cluenti, dextra huius ripa, constituit. Apud Ortelium, *M. del Olmo* est paullo orientalior Macerata, ripa recentis *Leta viva* amnis sinistra. In recentioribus chartis loca haec non signantur; interuallum tamen iustum esse videtur. Heic pars viae Firmum, pars Asculum petit, sic, vt hoc illo occidentalius videatur, ob constructionemo peris.

Firmo piceno. xv. inſignia coloniae; ſic Velſ. qui poſt xv notat III tamquam tria eroſa; Cluuerius, *Firmo Piceno* legit. Memorant vrbem, Cn. Pompeius, Velleius, Strabo, Mela, Appianus, Ptolemaeus, Val. Maximus, Procopius, alii. Straboni, *Ποτεντία, καὶ Φίρμον Πικηνὸν, Potentia, et Firmum Picenum.* Ptolemaeo, *Φίρμιον, Firmium.* Peterculus: Initio primi belli Punici Firmum et Caſtrum colonis occupata.“ Vetus inſcriptio apud Gruterum, NAT. COL. FIRM. PICENO. Numum, qui COLONIA AVG. FIRMA. praefert, non putem ſincerum. Incolae *Firmani;* vnde Caſtellum Firmanum, ab colonia diſtinguendum, VI M. P. in exortum abſcedens. Hodie *Fermo* oppidum, inter *Tenna* et *Leta morta* fluuios.

A Firmo tractus viae ad Caſtellum Firmanum ducitur, absque numero; Danuille VI interponit. Medio interuallo ſcriba Velſeri connectit viam cum ea, quae a Priuerno Interocrium ducit; quae iunctura apud Scheibium non comparet, nec videtur eſſe ſincera. Eſt alius viae ductus, ex medio Pauſulas inter et Firmum ſpatio procedens Aſculum verſus; qui Cluuerio, eiusque diſcipulis, crucem fixit. Volebat auctor Tabulae viam hinc a Pauſulis, inde a Firmo, in auſtrum, Aſculum verſus, tum per Apennini iuga Interocrium. ducere; quod Velſerus recte obſeruauit, ducta ab Aquis ad manſionem Martis, per Apenninum linea; quae apud Scheibium non comparet. A Firmio igitur ſequi debebat,

Surpicano. XVIII. ſic Velſ. apud Scheibium xv. a Pauſulis Firmum verſus; apud Velſerum xv. et poſt amnis alueum III eraſa; quae hoc itinere priori addi debent. Eſt alter numerus in Tabula, inter Pauſulas et Aſculum, XIIII. qui oſtendit, viam a Pauſulis Aſculum verſus tendentem, cum altera, a Firmo currente, ad quartum decimum lapidem conueniſſe. Ad hunc vtriusque viae concurſum eſt vicus *Salviro ruinato*, laeua orientis Tennae ripa; quo ſitu in tabellis quibusdam Danuille Saluiam ſtatuit; quod menſura VIIII M. P. a Potentia, non admittit. Inde pars viae Camerinum duxerit, quae non comparet; pars in auſtrum, Aſculum verſus, hac ſerie:

Ad aquas. IX. absque ſigno aquarum; ſic Velſ. Cluuerius, Aquas calidas putabat, apud Truentum amnem, ad decimum ab Aſculo milliare; quem ſecutus Danuille, ad V M. P. ab Aſculo, Aquas ponit. Menſura viae noſtrae ad flexum Aſonis fluuii, circiter oppidum *Mandola*, ducit. Quales Aquae heic fuerint, cum absque inſignibus notentur, arbitrari nequeas. Habet Ortelius, circa Aſonis fontes, *Acqua viua;* quae vtrum quidpiam huc faciat, viderint incolae.

Aſclopiceno. X. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Septempeda ad Caſtrum Truentinum, *Aſclo.* XXIIII. a Firmo, XX ab Caſtro Truentino. Memorant praeterea vrbem, Caeſar, Cicero, Velleius, Strabo, Plinius, Lucanus, Plutarchus, Appianus, Florus, Ptolemaeus, alii; ex his Plutarcho, *Ἄσκλον, Aſclum;* Ptolemaeo, *Ἄσκουλον, Aſculum;* Stephano, *Ἄσκλος, Aſclus,* et *Ἄσκλον, Aſclum.* De ſitu Strabo: In mediterraneo eſt, *Ἄσκλον Πι-*

κηνὸν, *Aſclum Picenum*, locus, in quo moenia condita, natura munitiſſimus, et montium cinctus iugis, exercitibus inacceſſis.“ In marmore Piſano, patronus COLONIAE ASCVLANORVM. Incolae *Aſculani*, quos municipales vocat Cicero. Eſt oppidum *Aſcoli*, dextra *Fronto* amnis, in confluxu torrentis cuiuspiam, ripa. Heic prodit via a Pauſulis, cum XIIII M. P. interuallo; de qua ſuperius dictum.

VI. Scriba Velſeri a Surpicano ducit lineam per Apenninum ad Martis manſionem, qui tractus apud Scheibium abeſt. Cluuerius, cum prioris viae rationem adſequi non potuiſſet, cenſebat Martem ad eam a Meuania Narniam verſus viam ſpectare; quod ſcribae poſtremi, cum in hac proxima via idem vocabulum viderent, putantes eo pertinere, exmiſerunt, omiſſo etiam nexu itineris ab Aſculo per iuga Apennini ad Martis. Eo quippe ductum itineris referri debere, adiuncta monſtrant. Itaque ab Aſculo ſequatur,

Ad martis. VII. ſic Velſ. De opinione Cluuerii diximus; nimirum ad Vmbriae iter, a Meuania Narniam, locum *ad Martis* ſpectare putat; ſed homonymus illi hoc itinere erat. Danuille ab Aſculo ſic procedit: *Aquae*. V. *ad Centeſimum*. V. *ad Martem*. XIII. Hodoeporicon, itinere ab Vrbe Adriam, Aſclo, *ad Centeſimum*. XII. Eſt vicus *Amatrice*, dextra recentis *Fronto* amnis ripa, quem Danuille reſpexit vt *ad Martem* ibi ſtatueret. Interuallum ducit ad vicum *Fava Lanciata*, ripa memorati fluuii laeua. Nam dextra, quam Danuille in ductu itineris tenet, nullus occurrit locus. Ortelius in aliis *Aquabr*, in aliis *Monoſtraſſio*, in dextra habet.

Palacrinis. XVI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Vico Badies*. X. *Falacrino*. IX. in Regio, *Filacrino*, in quibusdam VIII. M. P. Suetonius, Phalacrinam vocat: Veſpaſianus natus eſt in Sabinis, vltra Reate, vico modico, cui nomen eſt Phalacrine.“ Cluuerius putat, oppidum *Amatrice;* Maphaeus Vegius, in vita Bernardini Senenſis: Tum eodem die, declinante iam ſole, inde egreſſus eſt, profecturus in ciuitatem ducalem, antiquam, vt opinor, Phalacrinam, quam in Samnio, vltra Reate, vico modico ſitam, atque in ea Veſpaſianum natum legimus.“ *Città ducale* eſt ibi; Phalacrina erat apud *Cività reale*, ad exortum Velini fluuii, ad quartum ab *Amatrice*, in quibusdam recentioribus vix ad ſecundum, in occaſum lapidem, intra fines regni Neapolitani, in ipſis Apennini iugis, vt Danuille quoque, Holſtenium ſecutus, recte notauit. Concurrebant heic fines Sabinorum, Veſtinorum, Picentinorum; vt dubium ſit, quibus id oppidum adſcribi debeat. Danuille, in Atlante, cum Nurſia et Veſpaſia, ſingulari regioni Phalacrinam tribuit. Cum autem Hodoeporico etiam duce, Tabulam ſecuti huc adpulerimus, nam ab *Fava Lanciata* ad *Civita reale* ſunt omnino mill. geogr. tria cum vna quinta, ea, quae praeceſſere, firmo ſtabunt pede. Quae Falacrinas hoc itinere ſubſequuntur, in Sabinis erant, quos alia ſectione dicemus.

VII. Ex itinere ab Interocrio Amiternum, quaedam loca ad recentem Aternum in Veſtinos cadunt. Cluuerius corrnptelam numerorum, et interpolationem manſionum queritur; idcirco quibusdam locis ſitum adſignare non audet; quo metu perculſi, Cellarius, Danuille, alii, eadem praetereunt. Priuernum et Amiternum Veſtinis tribuuntur. A Pitino, quod apud Veſtinos dicemus, ſic progreditur Tabula:

Priferno. XII. inſignia municipii; ſic Velſ. Cluuerius in Tifernum Vmbriae vult transformari, quod in tota Italia Prifernum non reperiſſet. Alii hoc oppidum Latio adſcribunt, vbi a Plinio, Ptolemaeo, aliis memoratur. Sed erant oppida eiusdem nominis plura; et hoc ipſo itinere Tabula *Fiſternas* et *Fruſtenias* habet, loca procul dubio diuerſa. Stephani *Πριούερκος Ιταλίας πόλις*, *Priuernus Italiae oppidum*, vtrum hoc ſit, an aliud, non habeo, quod dicam. Panuinius ad Terracinam, ex Itinerario Antonini, Priuernum poſuit; quod cum in Hodoeporico deſideretur, e ſimili Tabula eum ſumſiſſe putes. Weſſelingius cum ait, Priuernum Itinerariis ignorari, memoria labitur. Noſtro municipio reſpondet *Campana* vicus, laeuo Aterni latere, in via hodierna, ab Reate ducente. Heic biuium eſt, pars Amiternum, pars Albam et Marrubium petit.

Amiternus. XII. inſignia municipii; ſic Velſ. Norunt vrbem, Varro, Liuius, Dionyſius, Strabo, Ptolemaeus, Paullus Diaconus. Straboni, *Αμίτερνον*, *Amiternum*, in Sabinis. Porcius Cato, apud Dionyſium, perhibet, primam Sabinorum ſedem fuiſſe vicum quemdam nomine Teſtrinum, *ἀγχοῦ πόλεως Αμιτέρνης κειμένην*, *haud procul Amiterna vrbe ſitum.* Cluuerius rectum format, *Αμιτέρνα*, forſan *Αμιτέρνῃ* adcuratius. Ptolemaeo, *Αμίτερνον*, *Amiternum*, vt Straboni; *ager Amiternus*, Martiali; *Amiterna cohors*, Silio. Incolae Plinio et Liuio, *Amiternini.* Eſt vicus *Aviterno ruinato*, ad quartum fere a flexu boreali Aterni amnis. Apud Amiternum auctor Tabulae viam terminat.

Si cum Danuilleo agrum ad iuga Apennini occidua, ad VIII lapidem, tribuamus Veſtinis, duo loca ex itinere a Priferno Albam in Veſtinos cadent; iis nomina ſunt *Aueia* et *Fruſteniae.* Sic autem a Priferno procedunt:

Aueia. VII. ſic Velſ. Cluuerius, vrbem *Aquila*, Amiterno proximam, interpretatur; quod inde Albam Marſorum vſque XX M. P. numerantur. Danuille paullo inferius, agro *Saſſa* vici, *Aueia*, prope dextram recentis Aterni. Ptolemaeo, *Αόϋϊα*, *Auia.* Non procul ab Aquila fuiſſe docet martyrologium Romanum: In Auienſi ciuitate, prope Aquilam, in Veſtinis, natalis beati Maximi, leuitae et Martyris.“ Quare non recte Cluuerius Aquilae ipſi adſcribit Auiam.

Fruſtenias. II. Velſ. *Fruſtemas.* II. Cluuerius non male ſuſpicatur, locum hunc Tabulae eſſe Dionyſii *Τεστρίναν*, *Teſtrinam*, cuius paullo ante meminimus, eumque oppido *Civita Tomaſſa*, ruderibus inſigni, conuenire; cuius veſtigia premit Danuille, Teſtrina eo ſitu ſtatuta. Alba, quae ſequitur, ad XVIII

lapidem, in Marſis eſt, quam referemus alias. Supereſt Hadria, inter Caſtrum Nouum et Pinnam, hac poſitione:

Hadria. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon itinere Brunduſino, *Hadriae.* XV. a Caſtro Nouo, XVI ab Oſtiis Aterni. Itinere *ab Vrbe Adriae,* ſcribitur *Adriae*, caſu gignendi. Memorant praeterea vrbem Liuius, Strabo, Mela, Plinius, Silius, Ptolemaeus, Spartianus, Aur. Victor, alii. Graecis, *Ἀδρία*, *Hadria*, vti Latinis quoque. Plinio, *Hadrianus ager*, quem tenuere Liburni. Tzetza, in Lycophronem, Autothepus, inquit, et alii haud pauci auctores referunt, mare Ionium adpellatum, *ἀπὸ Ἰονίου, Ἰλλυρίου τὸ γένος*, *a Ionio, natione Illyrio*, rege harum nationum, filio Hadrii, qui apud hocce pelagus vrbem conſtituit Hadriam; quam tamen alii volunt a Dionyſio, Siciliae tyranno, conditam." Haec vetuſtiſſimam Liburnorum patriam firmant. Paullus Diaconus, Hadrianum Imp. inde ortum prodit. Eſt oppidum *Atri*, in edito colle, inter Vomanum Matrinumque amnes; mill. paſſ. VII. quae ab Hadria Pinnam vſque ſunt, Danuilleo quoque probantur.

S E C T I O VIII

S A M N I V M

§ I

Nuncupatio, fines.

I. SAMNITES, Varrone teſte, a Sabinis orti. Plinius, Samnitium, quos Sabellos, et Graeci Saunitas dixere, colonia Bouianum. Dionyſio Halicarnaſſenſi, *Σαυνῖται*, *Saunitae;* Straboni *Σαυνῖται*, *Sannitae.* Habuerunt inter Frentonem et Sagrum amnes, vtroque Apennini latere; queis ab occaſu Volſci et Campani, a borea Peligni et Frentani, ab exortu Dauni et Apuli, ab auſtro Hirpini fuere vicini. Patrium nomen Samnium, quod iam Liuius prodidit, *conſules in Samnium miſſi.* Potiorem eius regionis, quam hac ſectione comprehendimus, tenuere partem; idcico eorum nomine vti placuit. Plinius quartam regionem vocat, ſimul etymon Samnitium indicans, cum ab Diomede gentes Monadorum, Dardorumque, circa Arpos et Luceriam, deletas refert. Qui enim Monadi Graecis, Samnitae Liburnis dicuntur.

II. In Tabula, Picentes excipiunt MAVRVCENI. caractere manaſtico picto, quos alii Marrucinos vocant, gemina *r* conſonante, Graeci ſimplice. Strabo: Habent Teate, *τὴν τῶν Μαρουκίνων μητρόπολιν*, *Marucinorum metropolim;* ad mare Àternum, Piceno confine, et flumen eiusdem nominis, quod Veſtinorum et Marucinorum regionem disiungit. (a) Appiano, *Μαῤῥουκῖνοι*, *Marrucini*, et *Μαυρουκῖνοι*, *Maurucini.* Diodorus, *Μαρουκίους*, *Marucios*, et *Μαρυκίνους*, *Marycinos*, adpellat. Incertum genus Marrucinorum eſſe aiunt; Priſcianus tamen: Cato, inquit, in ſecundo Originum, Marſus hoſtem occidit prius quam Pelignus, propterea Marrucini vocantur, de Marſo detortum nomen." Forſan ab artis nauticae peritia id nomen accepere, Liburnorum cognati. Fines eorum perexigui, inter Aternum et Sagrum amnes, ad oram; Tabulae tempore clari fuiſſe videntur, quod Piceno, Apuliae, et Campaniae interponuntur.

III. His finibus et nos agrum hunc deſcribemus, Pelignos, Frentanos, Samnites, praeter Marrucinos, complexum. Ab occaſu eſt Aternus; a borea ora Adriae ab oſtio Aterni ad Frentonis exitum; ab oriente Frento amnis; a meridie Campania, cum parte agri Hirpinorum. Procurrit ab gradu longit. 31 min. 25. ad 32 min. 12. Latit. 41 min. 6. ad 42 min. 30. Longitudo maxima, a Fucino lacu ad oſtium Frentonis, M. P. XCVI. latitudo a vicinia Caudii ad oſtium Aterni M. P. XC.

§ II

Montes, *fluuii.*

I. MONS Apenninus iuga per hanc regionem continuat, quorum pars mons Grani, Carbonarius, Imeus; poſtremum diſpicere libet. Apennini hoc tractu vocabulum non occurrit. Itinere a Marrubio Corfinium ad. XII a priori lapidem, ſignatur in Tabula,

Mons. imeus. ſic Velſ. Cluuerius, haud dubium, ait, quin mons hic *Imeus*, ſiue *Imaeus* fuerit id oppidum, quod ab orientali Fucini lacus parte, qua ad Aternum itur flumen, in monte ſitum, vulgo nunc vocatur incolis *Colle Armeo;* nam et nomen et itineris ductus, recte reſpondent." Sunt Apennini iuga, Marſos a Pelignis dirimentia, vt Danuille ſignauit. Vocabulum Imei alias non comparet.

Iouis. Larene. Velſ. *Iouis Larene.* Cluuerius putat, *Iouis Palenus* in Tabula ſcriptum fuiſſe, ex eo, quod Diodorus et Appianus *τῶν Πελιγνῶν* nomen in *Παληνῶν* et *Παλινίων*, mutarint. Templum Iouis Paleni, in vertice montis,

(a) L. V. p. 212.

iuxta viam publicam, quae Sulmone ferebat Aufidenam, fuiſſe, et quidem in iugo ingenti inter Aternum Sagrumque amnes ab Apennino verſus mare porrecto, cui vulgare *monte Maiella* nomen. Eſt oppidum *Puleno*, ad exortum Rafini, Sagrum a borea petentis; vbi Danuilleo, *M. Palenus*. Vtrum *Larene* in Palenum conuerti queat, diſpiciemus poſtea.

II. Amnium terni modo ſignantur, quorum duo nomine carent; apud Scheibium omnes ignoti. Primus apud Velſerum *fl. Clocoris* audit, Ortonam praefluens. Eſt *Forus*, Ortelio, Albo et Lento auctus, ad ſextum ſupra Ortonam lapidem mari immerſus; quem geographi ignorant. Aliis Lento et Foro diuerſis alueis procurrunt. Auctor Tabulae alueo Sagrum exprimi voluerit, minoris vocabulo, pro more adpoſito. Strabo: Inter Ortonem et Aternum, ὁ *Σάγρος ποταμὸς, ὁρίζων τοὺς Φρεντανοὺς ἀπὸ τῶν Πελιγνῶν, Sagrus fluuius, Frentanos a Pelignis diuidens*. Ptolemaeus, *Σάρον*, *Sarum* vocat. Hunc ſitum habet *Clocoris;* Sagrius quippe inter Ortonam et Hiſtonium procurrit; vulgo *Sangara*, *Sangro*, *Sanguine*, quibusdam *Lanzano*, *Lanziano*, Ortelio *Sarus*. Ad tertium ab Anxano lapidem, in Tabula eſt locus Annū. forſan Anſium, fluuio *Aſinello* hemonymon, qui non nihil in auſtrum a loco hoc abſcedit, qui ad riuum quempiam conſtiterat olim.

Ad VIII ab Eſernia milliare *Cluturno* Tabulae incidit ad laeuam Vulturni, in Samnio; quod nomen fluuium ſignare videtur. In Hodoeporico, itinere a Bouiano ad Equum Tuticum, *ſuper Thamari fluuium*. Seruat nomen *Tamarus*, apud Saepinum, *Supino*, ſurgens.

Alterius alueum exprimit Tabula, absque nomine, qui ex Apennino decidens, apud Hiſtonium in mare delabitur. *Trigna* eſt, quem Plinius *Trinium* vocat: Sequitur regio quarta gentium vel fortiſſimarum Italiae. In ora Frentanorum, a Tiferno, flumen Trinium portuoſum.“ Incuriam ſcribarum, qui vocabulum prodere neglexerunt, moleſte ferimus.

Tertius, e iugis Apennini itidem emergens, Tifernum vna Frentonemque exhibeat, quem ſcribae nominare neglexerunt. Tifernus erat oppido cognominis, cuius Mela, Plinius, Liuius meminere. Pomponius Mela: Dauni habent *Tifernum* amnem. Seruat nuncupationem, *Tiferno*, *Tiferna*. De altero Plinius: *Flumen portuoſum Frento;* a quo Frentani fuerint nuncupati; vulgo *Fortone*, quo Apulos a Frentanis ſecernimus.

§ III

Oppida, manſiones.

I. PAVCA per oram maritimam loca in hac regione cenſentur. Tabulam comitatur Hodoeporicon itinere duplici, a Mediolano per Picenum ad

Columniam, et ab Vrbe Anconam, inde Brundusium. Tabula ab Ostiis Aterni, quod oppidum apud Picentes memorauimus, haec habet:

Ortona. XVI. sic Velſ. Hodoeporicon, itinere Brundusino, ab Aterni Ostiis, *Angulo.* X. *Ortona.* XI. Viam hanc in mediterranea deflexisse, numeri ostendunt; quod recta a Pescara Ortonam non sunt integra mill. geogr. tria. Illud *Sant Angelo*, interpretantur; forsan rectius *Villa magna*, laeua *Fori* amnis ripa. Ptolemaeo Ἄγγολος, *Angolos;* Plinio *Angulani.* De Ortona Strabo: *Μετὰ δὲ Ἄτερνον Ὄρτων, ἐπίνειον Φρεντανῶν, Post Aternum Orton est, nauale Frentanorum.* Eadem forma Ptolemaeo, sed in Pelignis. Plinio, *Ortona;* inscriptio vetus, patronus COL. ORTONAE. item II vir COL. ORTONAE AVG. Seruat nuncupationem *Ortona a mare.*

Anxano. XI. Velſ. Anxano. XI. Hodoeporicon, *Anxano.* XIII. Simlero, *Auxano*, vel *Auzono;* in quibusdam, apud Suritam, *Auxona.* Ptolemaeo, Ἄγξανον, *Anxanum* in Frentanis. Plinio: *Intus Anxani cognomine Frentani.* Epigraphe apud Gudium, patronus CIVITATIS ANXATIVM. FRENTANORVM. Est oppidum *l' Anzano*, prope laeuam Sagri, ad quartum fore a mari lapidem, in edito colle situm.

Annū. III. Velſ. *Annū.* III. Cellarius, *Annum.* III. Cluuerius locum in mappa non expressit, neque Danuille, exemplo praeceptoris. Eo interuallo riuus quidam transit, ad quem haec mutatio steterit; forsan Ortelii *Ansura;* vt Ansium olim scriptum putes, locum amni cognominem; cuius vestigia seruet *Asinello* fluuius, qui sequitur.

II. Pallanum. IIII. Velſ. *Pallanum.* IIII. Neque hunc locum in tabella exprimit Cluuerius. Danuilleo, ad VIII ab Anxano lapidem, *Pallanum*, situ vici *Pallutri* statuitur; qui antiquae vocis quaedam vestigia seruet. Cellario, *Pallanum.* IV. sine interpretatione. Alias haec locorum nomina non occurrunt.

Istonium. XII. insignia municipii; sic Velſ. Hodoeporicon, *Histonios.* XXV. ab Anxano; quod nimium est, nisi flexus factos putes. Sigonius, *Histonio.* Schedae quaedam *Histonias.* Pomponio Melae, *Histonium;* Ptolemaeo, Ἱστόνιον, *Histonium;* sic etiam Plinio. Frontino, *Istoniis colonia.* Epigraphe, apud Suritam, plebs vniuersa MVNICIPIVM HISTONENSIVM statuam aere conlato decreuit; de cuius fide Surita quoque ambigit; apud Gruterum non adest, sed alia, in qua *Hisconienses* leguntur. Golzii MVNICIPES HISTONIENSES. aeque sublestae fidei, vt plurimi vrbium numi. Est oppidum *Guasto di Amone*, prope oram maritimam.

Larinū. XXIII. Velſ. *Larinum.* XXIII. Hodoeporicon, *Vscosio.* XV. *Arenio.* XIIII. Municipium erat, teste Cicerone, qui Teanum *a Larino decem et octo millia passuum* abesse, ait. Melae quoque Larinum. Incolae *Larinates;* Caesari, Ciceroni, Plinio; Ptolemaeo, in mediterraneis Frentanorum, Λάρινον, *Larinum.* Wesselingius de numeris Hodoeporici dubitat, ratione non adducta. Danuille XXVI M. P. chartae recentiores aliae XXIV. aliae XXX. *Vscosium*,

medio fere ſpatio, conuenit vico *Criſpello*, inter *M. Bello.* et *M. Negro.* caſtella, ad riuum quemdam, cui forſan *Coſio* nomen, ſecus quem is exſtiterit locus; vt vox Liburnica innuit. Eodem prope ſitu eſt *Vſcoſium* Danuillei; Cluuerius in tabella non adpoſuit. Oppidum *Larino*, *Larina*, ad riuum, Tiferni dextram petentem, ſeruat nomen vetus. Si *Arenio* Hodoeporici vulgari uſu exprimitur, *l' Arenio*, aut *l' Arino* erit vox Itala, cum articulo; quod nomen riuo illi proprium fuerit, a quo vrbs nuncupata. Abeſt a Tiferni laeua ripa M. P. VI. a mari XVI. a Frentone XII. Teanum Apulum, quod ſequitur, in Apulia referemus.

III. In mediterraneis eſt iter ab Oſtiis Aterni Confinium; inde pars Aufidenam, pars Marrubium tendit. Tractus viae apud Teanum Marrucinum abrumpitur, qui ſurſum, Oſtia verſus, dirigi videtur, ſed Pinnam quoque Veſtinam petebat, ductu et numero intermiſſis. Neque Danuille coniungere auſus eſt, Pinnam inter et Teanum XV M. P. interponens. Fabrettus a Pinna viam ad Oſtia ducit; Koelerus ab Hadria ad Teate; qui ſunt ductus arbitrarii. Itaque ab Oſtiis Aterni haec in Tabula notantur:

Tea. Nomarrucinoceios. XII. Velſ. *Tea. Nomarrucinoceio.* XII. Cluuerio, *Tea Nomarrucinoceios.* Rauennati, *Teano Marrucion cegios.* Hodoeporico, *Teate Marrucino.* XIIII. ab Hadria; ſed ex reſtitutione Suritae; nam ſcripti, *Thee Marracino*, *Theae Marrutino*, *Thee Marrucino*, praeferunt. Proinde miror, Weſſelingio lectionem veterem non eſſe reſtitutam. In Tabula, procul dubio, legendum, *Teano Marrucino; Ceios* autem, ſeu, vt Rauennas habet, *Cegios*, huc aliunde irrepſerit, e vicino quopiam loco. Strabo, *Τεάτε τὴν τῶν Μαρουκίνων μητρόπολιν*, *Teate Marucinorum metropolim* vocat, vt Cellarius legit; in vulgatis *Τεατέαν*, *Teateam;* Ptolemaeo quoque *Τεατέα*, *Teatea;* Statio, *Teate;* Silio, magnum *Teate;* Plinio, Marrucinorum *Teatini.* Adfert Sponius columnam milliariam heic repertam, Claudii Imp. in qua VIAM CLAVDIAM VALERA CERFENNIA OSTIA ATERN. MVNIT. Ducebat per Corſinium, ad quod a Cerfenna XX. inde vero ad Oſtia Aterni XXIII M. P. vniuerſim XLIV. (a) Hodie vrbi nomen *Civita di Chieti*, aliis *Tieti*, dextra Peſcarae amnis ripa, in colle edito ſitae.

Intpmum. V. Velſ. *Inter primum.* abſque numero. Cluuerius habet V. Hodoeporicon, itinere Mediolanenſi, *Interpromium vicus.* XXV. ab Aterno; in Regio, *Iter Promium.* Neapolitano, *Item prominu vicus.* Itinere Hadriano, *Interbromio.* XVII. ab Teate, XI a Corſinio. Cluuerius, ob numerorum diuerſitatem, ſitum loco adſignari non poſſe cenſebat. Cellarius et Weſſelingius, Holſtenio duce, ad flumen Aternum fuiſſe aiunt. Danuille ipſe variat, nunc ad XI nunc ad XIV ab Teate lapidem, Interpromium ſtatuens, vbi fere vicus *Valentino.*

(a) Vid. Weſſel. I. A. p. 310.

Ad quintum ab Teate lapidem occurrit *Valba* vicus, qui mansioni Interpromio, aut *Promino*, quod rectius videtur, respondeat,

Corfinio. VII. insignia municipii; sic Velss. Hodoeporicon, *Corfinio.* XI. Norunt praeterea oppidum, Caesar, Cicero, Diodorus, Paterculus, Strabo, Seneca, Silius, Lucanus, Plutarchus, Appianus, Ptolemaeus, Dio, alii. Graecis *Κορφίνιον*, Latinis *Corfinium*. Strabo, *Κορφίνιον τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν, Corfinium caput Pelignorum*, nuncupat. Situm adcurate monstrauit Cluuerius his verbis: Sunt hodieque antiquae vrbis ruinae in Sulmonensis oppidi planitie, VII circiter millia a Sulmone, ac III millia ab Aterni ripa, oppidoque Populio, quibus vulgare vocabulum nunc *Pentinia;* agri vero circumiecti adpellantur *i campi di S. Pelino;* quia huic diuo templum in iis dicatum est.“ Queis addit, ex Corfinii ruinis *Populium* oppidum creuisse, nullum dubium relinqui. Tamen Holstenius *Valuam*, quae forsan *Valba* supra dicta est, Corfinium accipi voluit; quam ob rem acrem nactus aduersarium Differt. Chorogr. Italiae auctorem. Wesselingius, Cellarius, et Danuille, Cluuerii sententiam recte amplectuntur. Tabulae numeri, quibus etiam Cluuerius in situ Corfinii designando vsus est, bene habent. Nam ab *Teati* ad *Sulmona* sunt mill. geogr. quinque, omni spatio intercepto; in quibusdam recentioribus chartis quatuor dumtaxat. *Popoli* oppidum est ad confluentes amnis ab Sulmone currentis in Aternum, quem Cluuerius nominare neglexit.

IV. Ab Corfinio binae sunt viae, quarum altera Sulmonem, altera Marrubium petit; in priore Tabulae comitem se praebet Hodoeporicon quadam ex parte. Sic autem Tabula mansiones recenset:

Sulmone. VII. Velss. *Sulmone.* VII. Hodoeporicon, itinere Mediolanensi, ab Interpromio vico, *Sulmone ciuitas.* XXIX. in Regio, XXVIII. vbi denarius, vt ante, abundat. Cum enim eadem via progrediatur, tot M. P. eo interuallo censeri nequeunt Memorant praeterea oppidum, Cn. Pompeius, Caesar, Ouidius, Liuius, Strabo, Silius, Plinius, Ptolemaeus, Florus, Orosius, alii. Ptolemaeo, *Σουλμών*, *Sulmo;* Straboni oblique *Σούλμωνα*, *Sulmonem.* Ipse Naso, de patria sua, *Gens mea Peligni, regioque domestica Sulmo;* quam in Ponto commoratus frequenter deplorat. Sed, nisi exilium apud Getas tolerasset, melos Threicium non erat concenturus. Eius testimonio, ad veterem Thracum linguam statuendum, non mediocriter vsi sumus. Seruat nomen oppidum *Sulmona*, *Surmona*, *Sarmona*, *Sermona*, in confluente duorum amnium, quos Cluuerius nominare neglexit, qui tertio ab occasu recepto, vno alueo in dextram Aterni effunduntur, occiduo *Popoli* oppidi latere.

Iouis. Larene. VII. sic Velss. Cluuerius, ex eo, quod Diodorus et Appianus, *Παληνῶν*, et *Παλινίων* vocabulo pro *Πελιγνῶν* vtuntur, putat, in Tabula *Iouis Palenus* legi oportere; etsi locum, ob amplitudinem numeri adsignare nequiuit. Danuille, in Atlante, *Palenus M.* et *T. Iouis Paleni*, situ oppidi *Paleno* statuit, laeua amnis Sagrum ab occasu petentis ripa, mensura situi

reſpondente. Directio viae ab Sulmone in exortum tendit; quo Cluuerius fuerit deceptus. Adeo cautum eſt, Tabulam erroris arguere, niſi id faciendi certum habeas argumentum.

Aufidena. XXV. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Aufidena ciuitas.* XXIIII. in ſchedis quibusdam, *Aufidentia.* Liuio, *Aufidena;* Ptolemaeo, *Αὐφιδήνα*, *Aufidena;* incolae Plinio *Aufidenates.* Frontino, *Aufidena muro ducta*, inter vrbes Samnii. Eſt oppidum *Alfidena*, Sagri amnis ripa dextra, ad coſluxum riui cuiuspiam. Haec plaga eſt montana, et via flexus facit; ceterum in chartis recentioribus mill. geogr. quatuor, in aliis tres quintae praeterea, cenſentur. Ab Aufidena traiicitur Apenninus, via ab Teano Apulo apud traiectum concurrente. Itaque occiduo Apennini latere,

Eſernie. IX. Velſ. *Eſernie.* IX. Hodoeporicon, *Serni ciuitas.* XXVIII. in Regio XVIII. Neapolitano, *Sernicium;* Longoliano, *Serui ciuitas;* Pariſino *Pernicium.* Straboni, *Εσερνίνα*, *Eſernina;* Ptolemaeo, *Αἰσερνία*, *Aeſernia;* Liuio, colonia *Aeſernia;* Plinio, *Eſernini*, incolae; Liuio, ager *Aeſerninus.* Inſcriptio vetus, apud Gruterum, AESERN. Numi gentis Claudiae, AESERNINO. vice cognominis; quem Harduinus, ad Plinium, Valeriano adſcribit, ſingulares literas, contra epigraphicae leges, de arcu inſigni ſtatuendo, interpretatus. Sequioris aetatis ſcriptoribus, *Iſernia*, *Hiſernia;* quod nomen hodie retinet, *Iſernia* oppidum, dextra riui, Vulturnum ab exortu petentis. Numerus IX in Tabula ſpectet ad viam, heic ab Teano Apulo concurrentem; proprius XV incuria ſcribarum intercidit; Danuille XVI numerat.

Cluturno. VIII. Velſ. *Clitturno.* VIII. Cliternum, *Κλίτερνον*, memorat Ptolemaeus in Aequiculis; Plinius, Aequiculanorum, *Cliternini*, Carſeolani. Sed ii longius in occaſum aberant; quamquam Cliterno, poſt Cluuerium, nemo geographorum ſitum dare auſus eſt. Noſtrum autem Cluturnum hactenus intactum manſit. Numerus ad *Capria* vicum, laeua Vulturni ripa, ex aduerſo Venafri, ducit. Forſan Cluturnus, id eſt, rapax, ſaeuus, vulgo dicebatur amnis, quem Latini Vulturnum dixerunt.

Ebutiana. absque numero; ſic Velſ. Danuilleo, *Ebutiana*, ſitu vici *Rocca vechia*, V M. P. ab Cluturno, quod praeteriit. Hic proinde numerus, ſcribarum incuria, ſit exmiſſus. Ceteri locum tacent, etiam del' Iſle, in his copioſus.

Ad leſas. IX. Velſ. *Ad leſas.* IX. Hodoeporicon, itinere a Beneuento Tarentum, *Aliſas.* XVII. ab Teano; ſic etiam ab Vrbe Beneuentum; in Regio, *Aliuas;* Pariſino, *Aliſas.* Liuio, *Alliſae*, Calliſae, Rufrium. Diodorus quoque *Ἀλλίφας*, *Alliſas*, vocat. Frontino, *Alliſe* oppidum, muro ductum; eadem forma Silio. Ptolemaeo, *Ἄλλιφα*, *Alliſa.* In lapidibus antiquis, cur. aquae ducendae ALLIFIS. item, ordo et populus ALLIFANORVM. Ciceroni, ager *Alliſanus.* Iuniores, *Aliſam*, *Aliſas*, ac demum *Leſas*, dixerunt; hodie oppidum,

Alifi, quibusdam *Alifi*, dextra riui, ab exortu Vulturnum petentis, qui *Lefas* nuncupatus fuerit.

V. Apud Allifas plurium eſt concurſus viarum, a Beneuento, Teleſia, Capua, Bouiano. Perſequemur primam, reliquas poſtea viſuri. Hodoeporicon non ſemper Tabulam commitatur; neque vias huius Danuille omnes exprimit. In Tabula ergo venit,

Sepinum. VI. numero ſuperne poſito, verſus Bouianum; Velſ. tractum viae, Bouianum verſus, non ſignat. Liuio, *Saepinum;* Ptolemaeo, *Σαίπινον*, *Saepinum.* Veteres epigraphae, municipes SAEPINAT. item, magg. SAEPINAT. *magiſtri Saepinatium.* Hodie *Supino* oppidum, ad exortum Tamari amnis, Calorem a borea petentis. Danuille XVI M. P. interuallo ab Alifis remouet; vt in Tabula denarius excidiſſe videatur; ductum tamen viae is ſignare neglexit.

Sirpium. XII. ſic Velſ. Cellarius, Sirpium, ex ſola forſan Tabula natum eſſe inquit; ſitum, quod plerumque facit, niſi ducem quempiam ſecutus, dare loco non curat. Interuallo reſpondet vicus *Cerrito*, ad VII a Teleſia in exortum aeſtiuum lapidem.

Benebento. XVIII. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, a Teleſia, *Beneuento.* XVIII. quod vocabulum diuerſis Hodoeporici itineribus, eadem forma, ſcribitur. In Burdigalenſi, *ciuitas Beneuento.* Liuius, *Maleuentum* adpellat, quod colonia poſtmodum deducta, Beneuentum eſt nuncupatum. Solinus tamen Beneuentum ab Diomede conditum refert. Ptolemaeo, *Βενεόυεντον*, *Beneuentum;* ciues *Beneuentani*, ager Beneuentanus, Liuio. Epigraphae frequentes meminerunt vrbis; apud Holſtenium, COLONIA IVLIA CONCORDIA AVG. FELIX BENEVENTVM. apud Gruterum, ORDO BENEVENTANVS. Eſt vrbs *Beneuento*, Ortelio *Bonivento*, ad ripas Caloris, prope confluxum Sabati; Tabula ripa amnis laeua, Danuille vtraque, ſignant; potior pars vrbis dextram tenet.

Apud Beneuentum concurrunt viae complures, ab Aequo Tutico, Venuſia, Abellino, Capua; in hac eſt Caudium, in angulo Samnii, Campaniae et Hirpinis vicino, quod prius ceteris expedire libet; addemus Nuceriolam ad IV Aeculanum verſus lapidem. Illud ſic habet:

Caudio. XI. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Capua Equum Tuticum, *Caudis.* XXI. a Capua; Longoliano, *Claudiis.* Burdigalenſe, a Beneuento, *ciuitas et manſio Claudiis.* XII. Liuius Caudii frequens meminit. Strabo, Appiam *διὰ Καυδίου*, *per Caudium* ducit. Ptolemaeo *Καύδιον*, *Caudium;* Straboni, loco alio, *Καλύδιον*, *Calydium.* Ciceroni, *Caudina pax;* Velleo, *Caudinum praelium.* Celebris eſt via per Furculas Caudinas, quam e Liuio, quia fori noſtri eſt, depingere libet: (a) Altera via per Furculas Caudinas breuior; ſed ita

(a) L. IX. c. 2.

natus locus eſt: ſaltus duo alti, anguſti, ſiluoſique ſunt, montibus circa perpetuis inter ſe iuncti. Iacet inter eos ſatis patens clauſus in medio campus herbidus aquoſusque, per quem medium iter eſt. Sed ante quam venias ad eum, intrandae primae anguſtiae ſunt, et aut eadem, qua te inſinuaueris, retro via repetenda; aut ſi ire porro pergas, per alium ſaltum arctiorem, impeditioremque euadendum. In eum campum via alia per cauam rupem Romani, demiſſo agmine, quum ad alias anguſtias protinus pergerent, ſeptas deiectu arborum ſaxorumque ingentium obiacente mole inuenere." Hodie oppidum *S. Agatha*, dextra torrentis Vulturnum petentis ripa; Ortelio, *S. Agatha de Gothi.* Steffens, in geographico Indice, veſtigia vrbis in vico *Furchie* ſupereſſe ait, quem non conſpicor. Menſurae agrum Agathae expoſcunt, circiter *M. Sarchio*, dextra riui recentis, Vulturnum petentis; Danuille ſiniſtra, agro vici *Rotonde*, ponit, ad XIV a Beneuento lapidem. Via Aeculanum verſus occuruit, in qua,

Nueriola. IIII. ſic Velſ. Deliſle, *Nuceriola*, probabili coniectura, ſupplet conſonam, vitio ſcribarum exmiſſam; locus cetera geographiae ignotus. *S. Iorio* vicus, Beneuento itinere hoc proximus, Nuceriolae reſpondeat, quam Danuille ſignare noluit. Erat manſio, in ipſis Hirpinorum et Samnii finibus, pro quiete eorum, qui vrbi ſuo aduentu graues eſſe nollent. Reliqua itineris loca ſunt extra Samnitium terminos.

VI. Superant Bouianum et Teleſia; illud eſt itinere ab Teano Apulo, per Gerunium, Pyrum, ad Canales; quorum poſtremus locus in Samnium incidit, ad vndecimum a Bouiano lapidem ſitus. Haec primum abſoluere libet, deinde Teleſiam inuiſere. Itaque a Pyro in Tabula haec habentur:

Ad canales. VIII. Velſ. *Adcanales.* abſque numero. Deliſle *ad Canales*, vix ad V M. P. a Bouiano. Danuille, in ductu viae variat, loco praetermiſſo. Numeri ducunt ad vicum *Mirabella*, dextro Raſini exorientis latere, qui amnis a borea Frentonem potit. Eſt ſuperius, prope lacuam Tiferni, vicus *Foſſa ceca* dictus, qui Canalibus ſignificatu reſponderet; ſed viae ratio eo progredi non ſinit.

Bobianum. XI. inſignia coloniae; Velſ. *Babiana.* XI. Hodoeporicon, itinere Mediolanenſi, ab Eſernia, *Bouianum ciuitas.* XVIII. vt Surita in textum poſuit; nam ſcripti, *Bononia ciuitas*, vel *Bononiatium*, praeferunt, teſte Weſſelingio. Straboni, *Βοϊανον*, *Boianum;* Ptolemaeo, *Βουϊανον*, *Buianum.* In coloniis numerat Plinius: Samnitium, quos Sabellos, et Graeci Saunitas dixere, colonia Bouianum vetus, et alterum cognomine Vndecumanorum." Liuius, pugna in Samnio ad *Bouianum;* Silio, *Bouiana luſtra.* Inſcriptio vetus, CVR. R. P. BOVIAN. Eſt oppidum *Boiano*, inter binos Tiferni exorientis ramos.

A Bouiano via fuerit Eferniam, ad XVI lapidem fitam, quae in Tabula non comparet; Hodoeporicon XVIII M. P. interponit; chartae recentiores tria mill. geogr. Alterius autem, Saepinum verfus, productio eft interrupta, numerus VI apud Sepinum elatius, ad tractum viae ifthuc directum, pofitus, non male habet. Danuille VIII interferit, fed omni fpatio adfumto.

Telefia, quae reftat, non via ab Allifis Beneventum ducente, vt in Hodoeporico notatur; fed ex via media, quae ab Teano Sidicino Cluturnum ducit, tractus itineris procedit in auftrum, dextra forfan Vulturni ripa, vfque ad Allifae parallelum, vbi traiecto flumine Telefiam petierit. Numerus VIIII Teano et Cluturno interiectus, ad Vulturnum pertingit, fed inter Ebutianam et Allifas, vbi viae concurriffe videantur. Eft ibi riuus quidam, ab occafu Vulturnum petens, a quo Telefiam vfque funt XXIII M. P. quae in Tabula non comparent. Hunc viarum ductum neque Delifle, neque Danuille fignauit; vt ad Tabulae rationes exprimendas, nouis itinerum ductibus in geographicis tabulis opus effe videatur. Scribas quippe, quod Cluuerius paffim, eumque fecuti complures faciunt, vbiuis erroris poftulare, puto rem effe periculi plenam, ac perinde videri, vt fiquis omnes veteres chartas, quas non intelligat, pro lubito tractari velit.

Telefie. VI. ab Sylla; fic Velf. Hodoeporicon, ab Allifis, *Telefia*. XXV. in Longoliano, *Thelefia*. Liuius frequens meminit vrbis: Hannibal ex Arpis in Samnium transit; Beneuentum depopulatur agrum; Telefiam vrbem capit." (a) Danuille, in itineribus Hannibalis, Telefiam non habet. Strabo, *Τελεσία*, *συνεχὴς Οὐενάφρῳ*, *Telefia*, *Venafro adiacens;* quod videtur ex tabula, fimili noftrae, haufiffe; Cluturnum quippe Venafro vicinum eft, vnde via Telefiam ducit absque numero. Abeft Venafrum ab Telefia XXXIV M. P. Vt vel inde, Tabulam hanc opus origine peruetus effe, videas. Meminerunt praeterea vrbis, Ptolemaeus, Frontinus, alii. Anonymus Cafinenfis: Telefis noua fecus primariam in planitie fui cognominis conftruitur." Oppidum *Telefe*, *Telefo*, prope dextram Sabati ripam, VI M. P. ante confluxum cum Vulturno. Haec de Samnio dicta funto.

(a) L. XXII. c. 13.

SECTIO IX

LATIVM

§ I

Nuncupatio, fines.

I. LATIVM a Latino rege, qui Troianis temporibus heic regnarit, nuncupatum esse, Dionysius Halicarnassensis tradit: Aborigines, inquit, *ἐπὶ Λατίνου βασιλέως, ὃς κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐδυνάστευσε, Λατῖνοι ἀρξάμενοι καλεῖσθαι, a Latino rege, qui Troiani belli temporibus regnauit, Latini adpellari coeperunt.* (a) Populus olim modicus, vt vicini, erant, finibus postea virtute bellica prolatis, cum Aequos, Volscos, Hernicos in suum traxissent nomen. Scylax vnus e vetustissimis est, qui Latinorum et Romae meminerit: *Τυῤῥηνίας ἔχονται Λατῖνοι μέχρι τοῦ Κιρκαίου. καὶ τὸ τοῦ Ελπήνορος μνῆμα ἐστὶ Λατίνων. Λατίνων παράπλους ἡμέρας καὶ νυκτὸς*, Post Tyrrheniam sequuntur Latini, vsque ad Circaeum; etiam Elpenoris tumulus est Latinorum. Praeternauigatio autem Latinorum diei noctisque est.“ A Latinis censet Volscos, deinde Campanos. Itaque oram maritimam a Tiberi ad Amasenum habuere. Postea Pomptinae paludes Volscis tributae sunt, vsque ad Castrum Inui, Rutulis Ardeae agrum obtinentibus; reliqua maris ora, ad Portum ostiensem, XIV M. P. dumtaxat interuallo, nomini Latino parente. In boream terminus fuit Anio, qui Sabinos a Latinis dirimebat. Longitudo regionis, a Lauinio et litore maris ad Tibur vsque XXX M. P. Hi erant primigenii Latinorum fines.

II. Tabula, a Bouillis ad X ab Vrbe milliare, Campaniam incoat, non facta Latii mentione. Nos heic non Latinos modo, verum etiam Sabinos, et Marsos, et Aequos, Hernicos, et Volscos, sumimus, ob dignitatem Vrbis aeternae, Latii vocabulo vniuersam regionem complexi, quae inter Tusciam, Vmbriam, Picenum, et Campaniam explicatur. Fines eius ab occasu Tiberis; a septemtrione Naris alueus dimidius; ab exortu iuga Apennini, a fonte Naris ad Sagri originem; ab occasu residuum Apennini, versus Lirim protentum,

---

(a) L. I. c. 9.

deinde linea ad Vulturni oſtium ducta; a meridie ora maritima ab oſtio Tiberis ad oſtium Vulturni. Procurrit ab gradu longit. 30 ad 31 min. 25. latit. 41 min. 15. ad grad. 42 min. 42. Summa longitudo, ab oſtio Vulturni ad fontem Naris, M. P. cxx. latitudo, a Portu Oſtienſi ad exitum Vulturni, M. P. c.

§ II.

Montes, *fluuii*, *inſulae*, *pontes*, *viae.*

I. DE Apennino, qui hanc regionem ab exortu praecurrit, dictum alias. Pars iugorum, ex quibus Anio prodit, Plinio mons *Trebanorum* dicitur; Tabula ex Apennino deriuat. Albani montis Algidique iuga, ſingulari tractu exprimit, quatuor et ſemis vncias procurrentia, ex quorum medio Amaſeum fluuium deriuat, tacito amnis montisque vocabulo. Pars eorum occidua, *M. Portio*, *M. Fortino*, Albano; orientalis *M. S. Giovanni*, *Valle Corſa.* Binos aperte nominat, Granum et Carbonarium, ſed manſionum inſtar, in via. Ad VI ab Carſulis lapidem,

In monte grani. ſic Velſ. Fabretto, *M. Grani*, Danuilleo *Ms. Grani*, ad fontem Telonii, *Torono*, cum loco, ſitu vici *Camerata;* rectius forſan *Cicoli*, in exortum ad VI milliare; vt *Camerata* ſit Carbonarius. Interualla diſpiciemus poſtmodum.

In monte carbonario. ad quintum a priori lapidem; ſic Velſ. Fabretto, *Mons Carbonarius*, Danuilleo *Ms. Carbonarius*, ad Liris originem; cui ſitu reſpondet mons cum vico *Camerata*, quem Plinius Trebanorum montem vocauit, ab oppido Trebia, ad VIII ab Camerata in auſtrum, orientem verſus, lapidem Haec de montibus.

II. Amnium princeps Tiberis, ante nuncupatus Albula. Stephano *Ἄλβας ποταμὸς*, *ὁ νῦν λεγόμενος Τίβερις*, *Albas fluuius*, *qui nunc vocatur Tiberis.* Dionyſio Halicarnaſſenſi, *Ἄλβουλος*, *Albulus*, Euſtathio prodente; ſed ipſe Dionyſius *Ἀλβόυλαν*, *Albulam*, vocat, qui ab Tiberino rege ſit adpellatus Tiberis. E vetuſtioribus eſt Polybius, qui oſtia *τοῦ Τιβέριος*, *Tiberis*, memorat; Scylax quippe, cum Romam norit, flumen non adfert. A Varrone inde et Dionyſio omnis turba ſcriptorum Tiberim novit. De origine eius Halicarnaſſenſis: Oritur Tiberis amnis ex imis Apenninis iugis, erumpitque in Tuſcum mare, apud Oſtiam vrbem ſe ſe effundens.“ Surgit vicinus Arimino et Sapi, excipit dextro latere Clanem, Pallia auctum; laeuo Finiam, Clitumno et Claſio grauem, deinde Narem cum Velino et Toleno, ac demum Anienem, praeter minores alios. In Tabula ortus ex aduerſo Idicis, cispadanae fluuii, dextro Palliam, laeuo Fabarin et Anienem excipiens, procurrit duos pedes cum ſemiſſe longum, transit occiduum Vrbis latus, flexuque facto, mare Oſtiam inter

et Portum ingreditur. Omnis eius flexus, a fontibus ad oſtium, M. P. CLXX comprehendit, minutioribus diuerticulis demtis, quae validus in primis facit, cui *Tevere* nomen hodie.

III. Palliam, qui dextrum petit latus, in Tuſcia diximus. Sequitur farfar. fl. itinere ab Aequo Faliſco Reate. Fluuius cetera modicus, qui in chartis generalibus ne ſignatur quidem. Oritur in iugis Apennini, Velino ab occaſu praetentis, omni ſuo decurſu non integra XV M. P. emetiens; incidit Tiberi ex aduerſo Capenae vrbis. Notus Virgilio, Plauto, Ouidio, Silio, Vibio Sequeſtro, Sidonio, Seruio. Et Virgilius quidem, eiusque ſcholiaſtae, *Fabarin* vocant; Plautus et Naſo *Farfarum.* Cluuerius, qui heic Tabulae oblitus eſt, Maronem, carminis gratia, *Fabarin* adpellaſſe ait; quod verum fluuii nomen *Farfarus* eſſet. Tabula tamen *Farfar* exprimit recto, vt *Farfaris* obliquo eſſe cenſeatur. Hodie *Farfa.*

IV. Celebrior eſt Anio, quem Tabula, etſi ſpatium anguſtius intercederet, longiori tamen tractu, quatuor vncias patente, in Tiberim deriuat, absque cognomine. Ex antiquis norunt amnem, Polybius, Cicero, Virgilius, Ouidius, Liuius, Dionyſius, Strabo, Ptolemaeus, Plinius, Silius, Statius, Plutarchus, Appianus, alii. Straboni, *Ἀνίων*, *Anio;* Polybio, oblique *Ἀνίωνα*, *Anionem;* Cluuerius putat, *Ἀνιῆνα*, *Anienem* legi oportere; Plutarchus, *τὸν Ἀνιηνὸν ποταμὸν*, *Anienum amnem* vocat. Apud Panſaniam, *τὸν Ἄνιον*, *Anium,* pro *Ἀνίωνα*, *Anionem*, vt Cluuerius cenſet. Plinius: *Anio in monte Trebanorum ortus;* quos a Trebia ſic nuncupat. Loco alio: Tiberis infra Tiniam et Glanim duobus et quadraginta fluuiis augetur; praecipuis autem Nare et Aniene.“ Incolis *Teverone* audit. Eſt a Praeneſte ad XI lapidem, Carſeolos verſus, *Treblis,* ad riuum quemdam, ab auſtro Anieni miſſum, qui id vocabuli habuerit.

V. Apud Terracinam, occiduo latere, effluit amnis, qui eſt Vfens, Nymphaeo et Amaſeo auctus. Plinius, Pomptinis paludibus memoratis: Dein flumen Vfens, ſupra quod Terracina oppidum.“ Vulgo *il Portatore.* Nymphaeus, cuius verum oſtium inter Circeios, et Terracinam, inquit ex Holſtenio Harduinus, hodie *la Nimpa.* Huic vicinus ab exortu *Aſtura*, eidem Plinio memoratus, nomen ſeruat. Feſtus: Stura flumen in agro Laurenti, quod quidam Aſturam vocant.“ Hi omnes certis locis confluunt, quos vno alueo auctor Tabulae deferri voluit, non prodito eorum vocabulo, praeter quam *Aſturae* in via.

VI. Pontium in Tabula bini exprimuntur, alter Iulii, alter Adriani, ille ad viam Flaminiam, in concurſu viae Caſſiae, hic ad viam Triumphalem. Pontis Iulii mentionem fecimus in Tuſcia, manſiones eius prouinciae perſecuti ad Tiberim vſque; quibus heic nonnulla addere libet.

Ad pontē lulȳ. Velſ. *Ad pontem Iulij.* Danuille, *Ps. Miluius.* Tacitus, pontem Miluium ad viam Flaminiam exerte nominat; vbi quidam Muluium legi volunt. Aur. Victor, in M. Aemilio Scauro: Cenſor viam Aemiliam ſtrauit;

pontem Muluium fecit. (a) Ammianus, de Lampadio expraefecto praetorio, ſeceſſit ad *Muluium pontem*, quem ſtruxiſſe ſuperior dicitur Scaurus.“ (b) Ex veteri pilae dumtaxat ſuperant; qualis hodie *Ponte Molle*, vel *Molo*, nuncupatus proſtat, opus Nicolai v Pont. eſt; conſtat IV arcubus maioribus, II mediocribus, totidem paruis. Abeſt ab Vrbe III M. P. ſecundum Tabulam; iuxta hodiernum cenſendi modum, II ſed Italica. Ad rationes Danuillei, qui adcuratum Vrbis typum expreſſit, a Milliario aureo, quod in foro erat, ad Pontem Miluium ſunt omnino M. P. III. Vtrum in Tabula fuerit olim *ad pontem Muluii* pro *Iulii*, adſeuerare non auſim. Poterat is *Iulii* quoque, ab reſtauratore, dici; vt ſaepe id genus vocabula mutabantur.

Ponte Adriani. Velſ. *Ponte Adriani.* Dio Caſſius, *Pontem Aelium* vocat; ſic enim de Hadriano: Sepultus eſt iuxta ipſum flumen (Tiberim) *πρὸς τῇ γεφύρᾳ τῇ Αἰλίᾳ, ad Pontem Aelium.* (c) Spartianus, de eodem: *fecit et ſui nominis pontem, et ſepulcrum iuxta Tiberim.* (d) Sepulcrum abiit in *Caſtellum S. Angeli*, cui vicinus pons, *il Ponte Sant Angelo;* vtrumque ſuperſtes monumentum. Abeſt a via Triumphali CXXV paſſ. Rom. Septem fornicibus conſtitiſſe fertur, quorum medius erat maximus; octo ſtatuis, quaternis vtrimque, ornatus. In longum CCCXXX pedes procurrit. Hi ſunt pontes in Tabula expreſſi. Erant praeterea, in Tiberi, ad Vrbem, pontes, Triumphalis, Ianiculenſis, ad inſulam, Fabricius, Ceſtius, deinde Palatinus, ac demum Sublicius; qui ab Danuilleo adcurate exprimuntur, in Tabula locum non repererunt.

VII. Viae, quae ab Vrbe ducebant, ab Danuilleo hae cenſentur: Flaminia, Salaria, Nomentana, Tiburtina, Praeneſtina, Labicana, Campana, Aſinaria, Latina, Appia, Oſtienſis, Portuenſis, Aurelia duplex, et Triumphalis; Tabula duodenas numerat, quae, facto ab occaſu initio, ſic habent:

Via Aurelia. Velſ. *Via Aurelia.* Ab Aurelio Cotta, qui cenſor fuit A. V. 513. inſtitutam aiunt. Ductum eius Cicero innuit: (e) Tres viae ſunt ad Mutinam; a ſupero mari Flaminia; ab infero Aurelia; media Caſſia.“ Hodoeporicon, VIA AVRELIA. a Roma per Tuſciam et alpes Maritimas Arelatum vſque. In Tabula, procedit per Lorium, ad XII ab Vrbe lapidem, inde Bebianam, vbi diuiditur, pars Alſium, verſus Centum Cellas, pars Aquas Apollinares, Tarquinios, Bleram petit, vbi excepta parte Clodiae, Coſam verſus mouetur, litorali ad eam vrbem iuncta. Recta plerumque procedebant viae veteres, vt eas Fabrettus ſignat; ſed non raro diuerticula incidebant; vt de Grauiſcis heic Cellarius diſſerit. Memoratis quippe Centum Cellis: Num vlterius proceſſerit, inquit, propter Aurelii Forum, quod vltra Martham flumen eſt, et eiusdem haud dubie auctoris, non licet dubitare. At Grauiſcae inter Forum illud, et

(a) Vir. Illuſtr. c. 72. (b) L. XXVII. c. 3. (c) L. LXIX. extr. (d) Hadr. c. 19.
(e) Philipp. XII. c. 9.

Centum Cellas fitae, videntur extra viam fuiffe. Sic enim Celfus: (a) Quidam in teftamento ita fcripfit: *Reipubllcae Grauifcanorum lego in tutelam viae reficiendae, quae eft in colonia eorum, vfque ad viam Aureliam.* Sed eadem Tabulae via, quamquam abrupta Centumcellis, fert a Minione per Grauifcas, Forum Aurelii, vt diuerticulum agri Grauifcani, quod incidat in Aureliam, intelligendum fit." Haec Cellarius. Inde factum, vt ob id genus a via militari deflexus non raro in Tabula numeri compareant ampliores, quam in Hodoeporico; quae res Cluuerium mire perplexum reddebat. Vetus apud Gruterum infcriptio, CVRATORI VIAR. AVRELIAE VETERIS ET NOVAE CORNELIAE ET TRIVMPHALIS. Aurelia vetus, de qua nobis fermo, a ponte Ianiculenfi, deinde porta cognomine, CCLXXV paff. Rom. a ponte remota, procedebat in occafum, apud Bebianam Portuenfi iuncta; vt Danuille fignauit.

Viatriv. falis. .co. Velf. *viatrium. Falis. con.* Ex infcriptione modo relata coniiciunt eruditi, viam Triumphalem, Aureliae et Corneliae coniunctam, initium extra Vrbem a ponte Tiberino, cuius rudera quaedam non minus, quam portae Triumphalis, in ripa fupereffe dicuntur, habuiffe; longe tamen in exteriora non patuiffe, quia pompae via illa deftinata fuit, quae intra Tiberim et Capitolium fere omnis oftentabatur. D. Hieronymus, de Petro: *Sepultus Romae in Vaticano, iuxta viam Triumphalem.* Hanc igitur per vtrumque campum, Flaminium et Martium, proceffiffe in Vaticanum, exiftimant. Haec fere Cellarius. Tabula, ab Vrbe, per Tiberim, *ad S. Petrum,* in Vaticano, ducit, non vltra. Fabrettus, a porta, per aquae ductum Traiani, ad Clodiam, recta, VIII M. P. interuallo. Danuille, incoat laeua Tiberis, a ponte Ianiculenfi, tenditque prope ripam eamdem, ductu recto, per campum Minorem, ad portam Aureliam, et pontem Triumphalem, fpatio DCC paff. cui *Via Recta* nomen; quae fuerit *Cornelia.* Tiberis latitudo paff. L. A ponte biuium facit, finiftrorfum *via Aurelia,* transiens per circum Neronis, deinde flexu facto, iungitur Aureliae veteri; quae tamen coniunctio non exprimitur. Haec eft illa *noua Aurelia*, cuius lapis fupra relatus meminit, II M. P. circiter procurrens. Via porro Triumphalis, in occafum aeftiuum, per campum Vaticanum, directe procedit, ad MCCC circiter paffus, deinde flectit in boream, Claudiae, infra Veios, ad V M. P. et DC paff. a ponte Triumphali, coniuncta. Qui ductus videtur arbitrarius effe, quod neque in Tabula comparet, neque veftigia eius vltra Vaticanum funt deprehensa ab iis, qui reliquias viarum indagauere. co. particula aut coitum viarum, aut riui tenuis, campum Vaticanum permeantis, confluxum fignificet.

VIII. Via clodia. fic Velf. Hodoeporicon, VIA CLODIA. *Iter a Luca Romam per Clodiam.* Cluuerius et Holftenius volunt Caffiam fupponi Clodiae;

(a) Leg. XXX. Dig. de legat. et fedeic. 2.

quod Weſſelingio diſplicuit; quod Clodiam per Hetruriam perrexiſſe, Marcellinus Comes teſtatur, et in primis Tabula, quae circa manſionem *Ad Rubras* ductum viae Clodiae e Flaminia emittit, pergentem *Ad Sextum*, vbi *Caſſia* ex ea diſcedit *Veios* verſus, cum ipſa per *Careias* Forum Clodii tendat. Quae ſunt ſana. De iunctura viarum, hac regione, quaedam in Tuſcia diximus. Ab Vrbe via Flaminia, de qua mox acturi ſumus, ad III lapidem, ſeu pontem Miluium, procedit. A ponte Clodia ſumit originem, ad III M. P. in Caſſiam, quae non nominatur, diuiſa. Ambae apud Baccanas concurrunt, quod nec Fabrettus, nec Danuille notarunt; quia nomen oppidi in Tabula Velſeri expreſſum non eſt. A Baccanis ternae ſunt, Amerina, per Falerios, *Caſſia* per Forum Caſſi, *Claudia* per Forum Claudii, Bleram, Coſam, progreſſa. Pars Caſſiae eſt Ciminia, a vicinia Sutrii ad Aquas Paſſeris, XIX M. P. interuallo procurrens; quae in Tabula non adeſt. Vtrum Caſſiae an Claudiae vocabulo a ponte ad ſectionem veniat, neque ex Fabretto, neque Danuilleo, colligere licet; qui vtramque poſt diuulſionem primum adpellant. Tabula *Claudiam* vocat, ex qua aliae poſtmodum naſcuntur. In ductu et nexu viarum, nemo Tabulae rationem habuit; adeo inter ſe diſſident vniuerſi. Danuille, qui ceteris adcuratior eſſe videtur, a ponte Miluio ad II lapidem, diuortium in Caſſiam et Claudiam facit; Tabula ad tertium, vt Fabretus quoque notauit. Inde ſeorſim Claudia et Caſſia vadunt; in Tabula apud Baccanas conueniunt; quod nullus geographorum obſeruat. Vlteriora ſuis dedimus locis. Verum, non ſemper eadem viarum erat ratio; nomina earum ad Vrbem nota et conſtantia fuerunt; vlterius, pro adiunctis rerum, variabant. Nam, quae Hodoeporico eſt Clodia, Lucam vſque; in Tabula eſt ea, quam alii Caſſiam vocant. Claudia quippe ad Coſam iungitur Aureliae. Sic aliae quoque viae, pro diuerſitate temporum, ſe ſe habent. Naſo, *Flaminiae Clodia iuncta viae.* Epigraphe Dacica, C. Curtius Ruſinus, curator VIAE CLODIAE. ANNIAE. CASSIAE. GIMINIAE. Sequitur in Tabula,

Via flaminia. Velſ. *Via Flaminia.* Liuius, ad A. V. 534. C. Flaminius cenſor, viam Flaminiam muniuit.“ Strabo, Flaminio conſuli, poſt triginta tres annos, opus tribuit, additis quibusdam, quae Latini ſcriptores ignorant: Collegae in conſulatu fuerunt M. Lepidus, et C. Flaminius; Liguribus autem deuictis, *ὁ μὲν τὴν Φλαμινίαν ἔστρωσεν ἐκ Ρώμης διὰ Τυῤῥηνῶν καὶ τῆς Ὀμβρικῆς, μέχρι τῶν περὶ Ἀρίμινον τόπων, ὁ δὲ τὴν ἑξῆς μέχρι Βονωνίας, κἀκεῖθεν εἰς Ἀκυληΐαν,* hic viam Flaminiam ſtrauit a Roma per Etruriam et Vmbriam vſque ad Ariminum; ille deinceps ad Bononiam, et inde vſque ad Aquileiam.“ (a) Proprie Flaminia Ariminum vſque erat. Suetonius, in Auguſto: Quo facilius vndique Vrbs adiretur, deſumta ſibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris, ex manubiali pecunia, ſternendas diſtribuit.“ Ducebat per

(a) L. V. p. 217.

Ocriculum, Narniam, Meuaniam, Forum Flaminii, Nuceriam, Intercisam, Forum Sempronii, Fanum Fortunae, Pisaurum, Ariminum. Incipit a porta Triumphali Capitolii, VII Vrbis regione, procurrit intra Vrbem ad portam Flaminiam mille ducentos septuaginta quinque passus, a Milliario aureo MDL passus, omnium maxime conspicua.

Via Salaria. sic Vels. Hodoeporicon, SALARIA. *ab Vrbe Adriae vsque.* Meminerunt praeterea Liuius, Strabo, Tacitus, Festus, alii. Geographus: Strata est per illos (Sabinos) ἥ τε Σαλαρία ὁδὸς, via Salaria, non longa, in quam Nomentana incidit apud Eretum, Sabinorum vicum, supra Tiberim positum, incipiens ab ipsa porta Collina." (a) Nomen, Paullus ex Festo prodit; *Salaria via Romae est adpellata, quia per eam Sabini sal a mari deferebant.* In Tabula procedit per Reate, Cutilias, Interocrium, Asculum Piceni, Potentiam.

IX. **Via Numentana.** sic Vels. Liuius: Via Nomentana, cui tum Ficulnensi nomen fuit, profecti, castra in monte sacro locauere. (b) In Salariam incidisse, e Strabone didicimus. Inscriptio vetus, curator VIAE NOMENTANAE. Adpellata est ab oppido Nomento, quo ducebat. Principium eius a porta Nomentana, quae ab Salaria CLXXV passus abest, laeuo margine Ficuleam et Nomentum attingit, XIII M. P. procurrens, ad quartum a Nomento lapidem Salariae iuncta, nomen amittit. Quare non recte Cellarius: Haec vel incidit in Salariam, vel Salaria cadit in ipsam." Strabo quippe, Nomentanam incidere in Salariam, clare docuit.

Via tyburtina. sic Vels. Tiburtina ab oppido Tibure nuncupata, incipiebat a porta Inter aggeres dicta, in Esquiliis, ad XII lapidem Valeriae iuncta, II M. P. supra Tibur. Meminit viae Vitruuius: *in Tiburtina via flumen Albula.* Inscriptio vetus, curat. VIAE TIBVRTIN.

Via prentina. sic Vels. Hodoeporicon, VIA PRAENESTINA. Via haec, Collatinae proxima, per Gabios ad Praeneste oppidum ducebat, vbi Labicanae coniungebatur. Frontinus, Appiam aquam in agro Lucullano, via Praenestina, concipi refert. Strabo, Gabios ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ, *in via Praenestina*, esse ait. Prior pars etiam Gabinia vocabatur, antiqua inscriptione teste. Praenestina incipit a portu cognomine, ad tertium lapidem diuisa, pars Tibur, pars Praeneste petit, et haec quidem XVIII M. P. a porta memorata interuallo, vt Danuille notauit.

Via lauicana. Vels. *Via lauicana.* Nomen a Labico oppido, quo ducebat, mutuata est. Liuio, *via Labicana;* Spartiano, *Lauicana.* Inscriptio vetus, VIAE LABIC. CVR. Initium a porta Praenestina sumebat, ad XIV lapidem, paullo vltra Labicum, bifariam diuisa, pars Praeneste ad IV. pars locum *ad Biuium* ad VIII milliare adiit, vbi Latinae iuncta.

(a) L. V. p. 228. (b) L. III. c. 52.

Via Latina. Velſ. *Via Latina.* Strabo: Celeberrimae viarum per Latium ſunt Appia, Latina, et Valeria; *μέση δ' αὐτῶν ἡ Λατίνη, ἡ συμπίπτουσα τῇ Ἀππίᾳ κατὰ Κάσινον πόλιν*, media illarum Latina eſt, quae in Appiam, apud oppidum Caſinum, incidit." Caſilinum dicere volebat, vt recte Cellarius monet. Nota praeterea Liuio, Suetonio, Paullino Nolano, qui *Aſpera montoſae carpuntur ſtrata Latinae*, ait. Procurrit a porta Capena, vbi e diuortio Viae Nouae, quae ab Circo Maximo DLXXXVI paſſus proceſſerat, orta laeuorſum abit, poſt CCLXXVI paſſus per portam Latinam egreſſa, mox Aſinariam et Campanam, deinde, apud Anagniam, Praeneſtinam excipit, in plures ſubinde ramos diuiſa, apud Caſilinum, ad amnem Vulturnum, in Campania, Appiae iuncta. In Tabula, apud Biuium, x M. P. ſupra Anagniam, adſumit Lauiniam; inde ſola progreditur ad Teanum vſque Sidicinum, vbi in plures dispeſcitur, apud Caſilinum adſociata Appiae.

Via appia. ſic Velſ. Liuius ad A. V. 442. Et cenſura clara eo anno Appii Claudii et C. Plautii fuit; memoriae tamen felicioris ad poſteros nomen Appii, quod viam muniuit, et aquam in Vrbem duxit; eaque vnus perfecit." (a) Idem Eutropius refert. In longum procurrebat, teſte Diodoro, *ἀπὸ Ῥώμης μέχρι Καπύης, a Roma Capuam.* Quae Frontinus et Procopius repetunt. Strabo, Terracina memorata: Heic primum ad mare via Appia accedit, *ἀπὸ τῆς Ῥώμης μέχρι Βρεντησίου, a Roma vſque Brenteſium* ſtrata, quae plurimum frequentatur." Erat autem *λίθοις στερεοῖς, duriſſimo lapide* conſtrata, vt Diodorus perhibet; lata pro duplici curru, teſte Procopio. Sed a Capua, aetate poſteriori, continuata fuerit, quando, incertum. In ea vrbes praecipuae, Aricia, Forum Appii, Tarracina, Fundi, Minturnae, Sinueſſa, Capua; inde Caudium, Beneuentum, Equotuticum, Herdonia, Canuſium, Barium, Egnatia, Brunduſium. Incipit a porta Capena, vt monuimus, poſt CCCLXXV paſſus exit per Capenam exteriorem, apud Terracinam accedit mare, tenetque litus ad Sinueſſam vſque; inde Capuam digreditur, et per mediterranea porro vadit. In Tabula via haec cum aliis collateralibus exprimitur.

In eadem comparet via, Laurentum ducens, absque nomine, ab ipſa Vrbe ſeorſim deriuata. Plinius iunior, ab vndecimo lapide ex Oſtienſi deducit, vt mox videbimus. Gellius, praeter alios, viae Laurentinae meminit.

Via Hoſtenſis. ſic Velſ. Plinius iunior, de villa ſua: (b) Aditur non vna via; nam et Laurentina, et Oſtienſis eodem ferunt; ſed Laurentina a quartodecimo lapide; Oſtienſis ab vndecimo relinquenda eſt." Alio quoque loco eius meminit, praeter Prudentium. Inſcriptio vetus: Haec vehiculo euerſo VIA HOSTIENSI. III. KAL. FEBR. obiit. Poſtrema Chriſtianum auctorem oſtendunt. Militari vſu Hoſtia fuerit oppidum nuncupatum, pro Oſtia. Sumit via

---

(a) L. IX. c. 29. (b) L. II. epiſt. 17.

originem a porta Lauernali, post CCCL passus egreditur portam Ostiensem, vnde ad Ostiam sunt M. P. XII. Ad quartum a porta Ostiensi lapidem diuiditur in Laurentinam, Laurentum et Lauinium ducentem. Haec de viis ab Vrbe procedentibus, quas auctor Tabulae expressit.

Insularum vna, ex aduerso Pyrgi, ad XIX ab Ostiensi Portu lapidem, signatur Ins. Siranna. quae eo spectare nequit. Nulla quippe hoc spatio insula exstat, vsque ad ostia. Est insula Sinonia, sunt Sirenusae, quibuscum haec Siranna conuenire videatur; sed situs non admittit. Itaque insulam ad Tiberis ostia, quam Procopius *ἱερὰν νῆσον*, *sacram insulam* vocat; Liuius insulam Tiberis, Aesculapio sacram, cuius originem quoque promit, nuncupat, esse putes. (a) Conuenit vocabulum *Sironae*, quam cum Apolline in epigraphis legimus. Quadram praefert figuram, quouis latere MCCCXXX pass. Rom. comprehendens. Idcirco Tabulae auctor, vetustiores secutus, Tiberim vno ostio in mare deriuat; quod et recentiorum nonnulli faciunt; sed insulam remouendo errauit. Danuilleo *I. Sacra*, quam ante *Sironae* insulam fuisse nuncupatam, ex Tabula colligere licet.

§ III

Oppida, mansiones.

I. PRINCIPIVM ducemus a Roma, orbis terrarum Domina, vnde viae quaqua versus procedebant. De origine eius vulgo notum; sed qui ante Scylacem meminisset Vrbis, non facile reperias quemquam. Is vero: Post Arnum, inquit, Tyrrheni sunt, *μέχρι Ῥώμης πόλεως*, *vsque ad vrbem Romam.* In Tabula,

ROMA. Vels. Roma. scriptura picta. Sedet genius imberbis, in throno flauo, corona imperiali redimitus, dextra vrbem, sinistra sceptrum tenens, pectore tenus nudus, stola purpurea amictus, pedes nudus, ad latus dextrum mitram fuluam, ad sinistrum parmam orbicularem rubeam habens; ambitur circulo vnciam lato, cuius imam partem, et throni basin subtermeat Tiberis fluuius. Haec iam Christianorum principum aetatem arguunt; sed Tabulae structura est origine vetustior. Vrbem condidit Romulus in monte Palatino; Tullus adiecit Caelium; Ancus Ianiculum et Auentinum; Seruius Viminalem, Quirinalem, Esquilinum. Collis Palatinus, vt eum Danuille signauit, in longum a borea in austrum procurrit CCCC passus Rom. in latum, parte boreali, CXXX. australi quippe in cuneum desinit. Plinius confusam eius mensuram prodidit: (b)

(a) L. II. c. 5. conf. Val Maxim. L. I. c. 6. (b) L. III. c. 9.

Vrbem tres portas habentem Romulus reliquit, aut (vt plurimas tradentibus credamus) quatuor. Moenia eius collegere ambitum Imperatoribus Cenſoribusque Veſpaſianis anno conditae DCCCXXVI paſſ. XIII M. CC. Complexa montes ſeptem, ipſa diuiditur in regiones quatuordecim, compita Larium CCLXV. Eiusdem ſpatium, menſura currente, a Milliario in capite Rom. fori ſtatuto ad ſingulas portas, quae ſunt hodie numero triginta ſeptem, ita vt duodecim ſemel numerentur, praetereanturque ex veteribus ſeptem, quae eſſe deſierunt, efficit paſſuum per directum XXX M. DCCLXV. Ad extrema vero tectorum cum caſtris praetoriis ab eodem Milliario per vicos omnium viarum menſura colligit paullo amplius ſeptuaginta millia paſſuum.“ Scilicet, longum videbatur ipſi ſingulas deſcribere portas, et menſuras viarum ſingillatim recenſere.

Danuille enumerat portas ſequentes. In Vrbe interiore, porta Collina, Salutaris, Triumphalis, Carmentalis, Flumentana; ab auſtro, Trigemina, Lauernalis, Capena; ab occaſu Viminalis. In muro Vrbis extimo, ab occaſu, ac Tiberi, ſeptemtrionem verſus, Portuenſis, Ianiculenſis, Septimiana, Aurelia, Flaminia, Pinciana, Salaria, Nomentana; ab occaſu, Inter aggeres, Eſquilina, Praeneſtina, Coelimontana, Aſinaria, quam non nominat, Naeuia, Capena, Oſtienſis; omnes vniuerſim XXV. Longitudo maxima a muro Vrbis ad ripam Tiberis laeuam, infra portam Oſtienſem, ad Salariam portam, M. P. III. latitudo, a porta Aurelia ad Praeneſtinam, II M. P. et CCLXXV paſſus. Ab extimo Vaticani muro ad Caſtri praetorii murum, M. P. III. TypumVrbis antiquae, cum priſcis aedibus, dedit Ligorius; quem plures deſcripſerunt. Ichnographiam cum ſcala, Italiam mediam cum vicis Romanis, dedit Raphael Fabrettus; quem non minimum ſecutus eſt Danuille. Nonnulla, circa Vrbis menſuram, in recenſione locorum occurrent. Vetus nomen ROMA cum dignitate ſeruat.

AD SCO PETRVM. literis minio pictis, cum aede S. Petri; Velſ. Ad Scm̄. Petrum. Eſt baſilica diui Petri, in Vaticano, vbi ſepulturam eius D. Hieronymus fuiſſe refert, de ſcriptoribus eccleſiaſticis locutus: *Sepultus Romae in Vaticano, iuxta viam Triumphalem.* Collis et campi Vaticani meminerunt veteres; aedes ſacra, operis mirandi, ſub Chriſtianis principibus ſurrexit. (a) Haec phraſis itidem oſtendit, Tabulam poſtremum, religione Chriſtiana heic florente, fuiſſe conſcriptam. Haec de Vrbe, et circa ipſam.

II. Oppida, quae ab occaſu erant vſque Tiberim, in Tuſcia ſunt deſcripta; proxima Flaminiae, quae per Tuſciam et Vmbriam ducebat, eſt via Salaria, quae ab Vrbe Eretum, Reate, Interocrium, Aſculum Piceni, Potentiam petit, in Hodoeporico Hadriam; in qua ab Vrbe haec notantur:

Fidenis. absque numero; Velſ. *Fidenis.* Norunt vrbem, olim magnam et populoſam, Cicero, Liuius, Dionyſius Halicarnaſſenſis, Strabo, Plinius,

(a) A. C. 324. ab Conſtantino M. exſtructam, Philipp. Bonanni S. I. in fabrica templi Vatic. p. 10. oſtendit.

Suetonius, Iuuenalis, Maro, Silius, alii. Dionyſius, *Φιδηναίων πόλιν*, *Phidenaeorum vrbem*, XL ſtadiis a Roma ſitam, vocat; loco alio, *Φιδήνην*, *Fidenam.* Straboni, Ptolemaeo, *Φιδῆναι*, *Fidenae*, pluratiue; ſic Liuio, Suetonio, Iuuenali; Virgilio, Plinio, Tacito, Silio, *Fidena.* Veſtigia eius prope Tiberim, V M. P. ab Vrbe, II mill. ſupra Anienis confluentem adparere dicuntur; vbi et Danuille ſignauit. Nunc eo fere ſitu vicus *Serpentara* eſt. In Tabula numerus V incuria ſcribae deſideretur; niſi in ſequente latet.

Ereto. XIIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, ab Vrbe, *Ereto.* XVIII. Nonnulli *Freto.* Memorant oppidum, Liuius, Dionyſius, Val. Maximus, Virgilius, Strabo, Stephanus, alii. Strabo, Salariam viam Nomentanam recipere *κατὰ Ἤρητον τῆς Σαβινῆς κώμην, ὑπὲρ τοῦ Τιβέρεως κειμένην*, *iuxta Eretum*, *vicum agri Sabini*, *ſupra Tiberim poſitum*, ſcribit. Dionyſio, *Ἐρητὸν*, *Eretum*, CXL ſtadiis ab Vrbe; quae ſunt XVIII M. P. minus ſemiſſe. Et Fabrettus quidem hoc interuallo remouet Eretum; Danuille VII M. P. a Fidenis, ad laeuum Salariae latus; quae ſunt omnino diuerſa. Dionyſius, loco alio, Eretum ab Vrbe CVII ſtadiis reducere videtur, quae XIII M. P. cum ſemiſſe fere efficiunt. Quare Cluuerius numeros Hodoeporici corruptos ait; Holſtenius, et cum eo Weſſelingius, tuentur quidem calculum XVIII M. P. ſed Ereto ſitum non adſignant. Mirum, in tam vicinis Romae locis, ignorari oppidi ſitum. ſi numeros vtrimque ſpectas, Eretum conueniet caſtro *M. Rotundo*, in colle ſito, quod in chartis recentioribus tria mill. geogr. ab Vrbe remouetur; vbi et Danuille Eretum poſuit. Quare in Tabulae numero mendum non eſt; niſi quod ſeorſim Fidenarum ab Vrbe interuallum auctor ſignare neglexit. Danuillei calculo XII M. P. ab Vrbe Eretum vſque cenſentur. Tabulae ſumma, medium tenens, videtur adcurata eſſe.

Ad nouas. XIIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Vico nouo.* XIIII. Vici noui in Chronicis quoque et Diplomatibus ſit mentio, et Fori noui in actis S. Anthimi; quae loca forſan Nouis conuerient. Fabrettus XV. Danuille vno amplius M. P. reducunt; ſed numerum Tabulae Hodoeporicon, et vtriusque cenſum chartae recentiores firmant, ad caſtrum *Toſſia*, laeuo Fabaris latere ſitum, ducentes, vbi et Danuilleo *ad Nouas*, vel *Vicus Nouus*, ſtatuitur. Haec via ab Aequo Faliſco exit, hoc pacto:

Farfar fl'. XVI. **Ad nouas.** Apud Velſerum tota haec via deſideratur, quae geographos fecerit perplexos. Aequum Faliſcum poſuimus apud *Magliano* oppidum, vbi Danuille, opinione Holſtenii et Cellarii, Forum nouum ſtatuit; quod cum Weſſelingio rectius ad Nouas retuleris. Inde vero ad Toſſiam ſunt mill. geogr. tria cum duabus quintis, vt Danuille quoque in tabellis exhibuit. Haec via eſt ad geographiam antiquam acceſſio ſingularis. De amne Fabari, ſeu Farfaro, dictum ſuperius. Sequitur in Tabula,

III. **Reate.** XVI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Reate.* XVI. Antiqua vrbs, pluribus veterum nota, vti Varroni, Ciceroni, Liuio, Dionyſio, Straboni, Plinio, Suetonio, aliis. Graeci *Ῥέατον*, *Reatum*, Latini *Reate* vocant. Strabo,

de Sabinis: Vrbes habent paucas, easque continuis bellis attritas, Amiternum, *καὶ Ῥεάτῳ πλησιάζει τὰ ἐν Κωτιλίας ψυχρὰ ὕδατα, et Reato vicinae in Cotiliis aquae frigidae.* (a) Dionyſius, *Παλάτιον πέντε πρὸς τοῖς εἴκοσι σταδίοις ἀφεστὼς Ῥεάτου, Palatium* XXV *ſtadiis abeſt a Reato.* Incolae *Reatini;* vetus apud Sponium epigraphe, REIP. REAT. item R. P. REATINORVM. Eſt oppidum *Rieti*, dextra Velini, *Vallino*, amnis ripa, prope confluxum cum Toleno. Danuille, *Reate*, XIV. aut vno amplius M. P. a Nouis; chartae recentiores tria mill. geogr. cum vna quinta cenſent.

Aque cutilliae. VIIII. aedes quadra; Velſ. *Aque cutilliae.* VIIII. Hodoeporicon, *Cutilias.* VIII. vt in Regio; ceteris XVIII. Dionyſio, *Κοτυλία πόλις ἐπιφανής, Cotylia vrbs clara*, LXX ab Reate ſtadiis, ſeu VIII M. P. cum ſemiſſe. Strabo, *τὰ ἐν Κωτισκολίαις ψυχρὰ ὕδατα, in Cotiſcoliis aquae frigidae*, pro *Κωτυλίαις*, vt poſt Suritam Caſaubonus emendat. Plinius: In agro Reatino Cutiliae lacum, in quo fluctuet inſula, Italiae vmbilicum eſſe, M. Varro tradit." (b) Idem, loco alio: (c) Aquae Cutiliae in Sabinis gelidiſſimae; ſuctu quodam corpora inuadunt, vt prope morſus videri poſſit; aptiſſimae ſtomacho, neruis, vniuerſo corpori." Norunt praeterea Aquas Cutilias, Seneca, Suetonius, Dio, Macrobius, alii. Hodie, *Civita Ducale*, eadem Velini ripa dextra, in finibus regni Neapolitani.

Interocrio. VII. inſignia municipii, ſic Velſ. Hodoeporicon, *Interocrio.* VI. in Regio, XVI. in reliquis VI. Strabo, *κώμη Ιντεροκρέα, vicus Interocrea;* vt ex Aldina et Xylandri Cellarius legit; Surita pluratiue, *Ιντερόκρεαι, Interocreae.* Locus ab ſitu inter montes nuncupatus; vnde Feſtus: *Ocrem antiqui montem confragoſum vocabant.* Niſi a finibus potius, loco nomen olim inditum; Veſtini quippe et Picentes vicini fuere: et *Ocres* cum ὄρος graeco habet cognationem. Eſt oppidum *Interdoco*, non integris VII M. P. ab Cutiliis abſcedens, ripa Velini dextra, vbi in boream flectitur; aliis *Introdacqua.* Inde pars viae Amiternum ducit; noſtra habet,

Foroecri. XII. Velſ. *Foroecri.* XII. Forum Ecri, ſeu Ocri potius, ab eodem themate deriuatum, Cluuerius cenſebat huc minime ſpectare; cuius exemplo moti alii, locum, olim non ignobilem, praeteriuere. Via ſecus Velini ripas ducebat ad *Civita Reale*, vbi Phalacrinas poſuimus, infra quas, ad IV fere lapidem, Forum hoc, circiter vicum *Poio*, dextra exorientis Velini, ſteterit; menſura Tabulae interuallo rite reſpondente.

Palacrinis. IIII. Falacrinae ſunt, quas in Piceno dedimus, apud *Civita Reale*, ad exortum Velini; quae intra montium iuga, Picenos a Sabinis dirimentia, ſitae dubios reddunt, quibus potius adſcribi debeant. Ceterum Tabulae numeri ſunt omnino adcurati, et crucem, quam Cluuerio, aliisque, hoc itinere,

---

(a) L. V. p. 228. (b) L. III. c. 17. (c) L. XXXI. c. 6.

Asculum et Potentiam versus, fixerant, eximie expediunt; vt ad hanc Tabulae mansionem in Piceno diximus.

IV. Ab Interocrio viae pars deflectit in austrum, cum longe breuiore in exortum, vt hodie, Amiternum petere potuisset. Cluuerius, cum numeros videret auctiores, et mansiones quasdam, aliis ignotas, viam vniuersam reiecit, desperans, situm locis adsignari posse. Nobis auctor Tabulae in austrum, ob caussas, quas ignoramus, diuertisse videtur, hoc modo:

Fisternas. x. Vess. *Fisternas.* x. Habet Tabula, a Priuerno Marrubium versus, *Frustenias*, qui locus cum Fisternis cognationem habere, et in eamdem regionem incidere videatur; sed res aliter se habet. Est in via hodierna, Aquilam versus, *Civita* oppidum, ad x fere lapidem; verum Tabula huc non tendebat. In austrum, prope dextram amnis, Telinum petentis, est vicus *Ragli*, quem Fisternis respondere putes.

Erulos. III. Vess. *Erulos.* III. tamquam Herulos dicas; quos praeterea nemo nouit, post quam ab Cluuerio abiecti fuerunt. Vicinus est mansioni priori vicus *Castel Monaldo*, cuius occiduo agro Heruli constiterint olim.

Pitinum. VII. Vess. *Pitinum.* VII. Ptolemaeo, *Πίτινον*, *Pitinum*, in mediterraneis Vmbriae. Plinius: In agro Pitinate, trans Apenninum, fluuius Nouanus, omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur.“ Ad quae Cellarius: Ignotus amnis Nouanus; quare Vomanus videtur pluribus legendum.“ Atque hoc exemplo Cluuerii, qui Plinii Nouanum esse Vomanum arbitratus, quod etiam Harduino placuit, Pitinum ad Vomani exortum, situ vici *Fano*, posuit, ad XII supra Amiternum lapidem. Holstenius tria circiter mill. pass. ab ciuitate Aquilana, Pitini vestigia exstare ait, in *Torre di Pitino.* Danuille ad VI fere ab Amiterno in exortum milliare, *Pitinum* situ vici *Asserige*, ponit. Omnia haec sunt arbitraria, et Tabulae vim inferentia, quae Pitinum inter et Amiternum interponit Prifernum, cum XII M. P. interuallo vtrimque; cuius hi viri rationem non habuerunt. Itinere nostro, ad VII ab Herculis lapidem, occurrit ager vici *Anatoglia*, in exortum, versus *S. Petito* vicum, in quo Pitini vestigia superent. Plinii locus videtur ad Pitinum Vmbriae referri debere, quod trans Apenninum esse dicitur; quamquam heic, paullo supra S. Petiti, visitur amnis, patulo fonte egredi, qui lacum *Celano* in austrum petiturus montium cauernis absorbetur. Si Plinii oratio huc spectat, oportebit et Nouanum isthic exstitisse.

Priferno. XII. De hoc in Piceno dictum; mensura duce, esse vicum *Campana*, laeuo Aterni latere, in flexu boreali. Cluuerius, memoria labitur, cum ait: *Prifernum* oppidum, quum et hoc tractu, et tota reliqua Italia, nullum fuerit; facile suspicer, ex Vmbria per summum errorem huc transpositum fuisse ab initio Tiferni nomen; scilicet, quia huic etiam in Vmbria finitimum fuit Pitinum quoddam oppidum, de quo cap. VI libri II actum.“ At vero notum est vetus Latii oppidum Priuernum, cuius Liuius frequens meminit;

Plinius, Priuernatia vina laudat; quod *Piperno vecchio*, prope nouum, interpretantur; a quo noſtrum, procul dubio, diuerſum eſt Priuernum.

V. Ab hoc Priuerno, ſiquidem recte conſtitutum eſt, commodum erat, ſecus Aternum, Corſinium verſus proficiſci; ſed eo quidem auctori Tabulae progredi non placuit, duplici via inde ſtatuta, Amiternum verſus, in boream; altera, flexu in occaſum aeſtiuum facto, Aueiam, deinde Albam verſus, itinere in gyrum prope acto. Amiternum ad XII M. P. a Priſerno, apud Picentes memorauimus. Via poſteriore, poſt Priuernum, haec notantur:

Aueia. VII. ſic Velſ. Cluuerius, apud Aquilam, laeua Aterni ripa, Auiam fuiſſe putat, agro Veſtinorum; prope Aquilam fuiſſe, ex martyrologio Romano docemur, vt in Piceno dictum. Danuille, agro vici *Lenzano*, circiter *Saſſa* vicum, Auiam ſtatuit, ad quartum ab ſequenti lapidem; cum in Tabula duo modo interponantur, Fruſtenias. II. Danuilleo, ex Cluuerii doctrina, auctore Dionyſio, *Teſtrina*, ſitu *Civita Tomaſſa*, quod oppidum eſt, vico *Saſſa* ab occaſu hiberno proximum. Ambo loca Veſtinis adſcribenda, vt fines Danuille ſignauit. A Fruſteniis in Tabula venit,

Alba. XVIII. Velſ. *Alba*. XVIII. Hodoeporicon, itinere ab Vrbe Adriam, poſt Cirſennam, *Alba Fucentia*. XXIII. quidam *Tucentia*, *Tucenna*. Strabo ſitum innuit: (a) Inter Latinas vrbes maxime mediterranea eſt ἡ Ἄλβη, ὁμοροῦσα Μαρσοῖς, Alba, Marſis finitima, ſcopulo inſita ſublimi; prope eſt lacus Fucinus.“ Plinius: *Albenſium*, *Alba ad Fucinum lacum*. Soſipater: Albani dicuntur ab Albano; Albentes autem ab Alba Fucente.“ Inſcriptio vetus, CVR. R. P. ALB. FVC. Meminerunt praeterea loci, Liuius, Velleius, Ptolemaeus, Appianus, Silius, alii. Ptolemaeo, in Marſis, Ἀλφαβούκηλις, *Alphabucelis*, pro Ἄλβα Φουκήντις, vt Surita legi oportere cenſet. Hodie *Albe*, *Albi*, vicus, ad III a lacu in occaſum lapidem, dextra recentis fluuii, Tolenum petentis, ripa.

Marrubio. XIII. inſignia municipii; Velſ. *Marrubio*, absque numero. Cluuerius habet XIII. Straboni et Dionyſio, Μαρούϊον, *Maruium;* Silio, *Marruuium* veteris celebratum nomine Marri, vrbibus eſt illis caput.“ Virgilio, *Marrubia* de gente. Inſcriptio, apud Reineſium, curatori P. ſplendidiſſimae CIVITATIS MARS. MARR. Incolae, Plinio, *Marruuii*, vt Cellarius legit; Harduino, *Maruuii*. In ſitu non conuenit geographis. Holſtenius, aduerſus Cluuerium, orientali Fucini lacus, *lago di Celano*, latere, in pago *S. Benedicti*, veſtigia ſupereſſe, ait; quam ſententiam in Atlante ſequitur Danuille; in tabellis ad commentarios Rollini, ora lacus auſtrali, ad vicum *Traſacco*, numeris poſcentibus, recte ſtatuit, vt Cluuerius volebat. A marrubio viarum vna Carſeolos ducit, tractu per montem non expreſſo. Altera ſic ſe habet:

L. V. p. 240.

Cirfenna. VII. Velſ. *Cirſenna.* VII. Hodoeporicon, ab Alba, *Cerſennia.* XXIII. Simlero, vel *Ceruennia;* in Regio Suritae, *Cerſinnia.* XIII. aliis, *Ceruennia*, *Cerſenina*, *Cerſemua.* Lapis apud Sponium, VIAM CLAVDIAM VALER. A CERFENNIA OSTIA ATERN. MVNIT. Teate, vbi columna milliaria eſt reperta, ab Oſtiis Aterni XII. ab Corſinio tantumdem, hoc ab Cerſenna XX M. P. aberat; vniuerſum iter ab Cerſenna ad Oſtia Aterni M. P. XLIV. Alias Cerſennae vocabulum non reperitur. In ſitu variant geographi; Fabrettus ora lacus orientali, ad exitum amnis Pitornii, ſitu oppidi *Peſcina*, numeris reſpondentibus. Danuille in tabellis recte poſuit; in Atlante heic Marrubium, ſuperius, ad *Celano*, Cerſenniam, numeros Hodoeporici reſpiciens, qui eo quidem non pertingunt. Idem, Fabretti exemplo, via ab Alba, latere lacus boreali, ad Cerſenniam ducit viae partem; quod neque e Tabula, neque Hodoeporico elicueris. In Atlante hanc peripheriam omiſit, ſolo ductu boreali, ab *Albe* ad Celano, et porro, ſignato. Camarra in Antiquit. Teat. apud Weſſelingium, ingentes loci veteris parietinas, prope *collem Armelum* durare ait. Si collis hic ad quintum ab Cerſennae veſtigiis lapidem abeſt, opinioni Camarrae pollicem adprimo.

Mons. imeus. V. ſic Velſ. De monte Imeo, ſeu Imaeo, vt Cluuerius effert, in Samnio dictum; eſſe lacui ab exortu praetentum, qua ad flumen Arnum itur, Cluuerio *Colle Armeo*, quem Camarra *Armelum* dixit. In chartis recentioribus, eo tractu eſt vicus *Goriano;* quae vox Liburnis montanum ſignificat. His iugis Danuille Marſos a Pelignis dirimit, non expreſſo Imei vocabulo.

VI. Pars viae, quae a monte hoc eſt Corſinium verſus, extra fines regionis, quam hac ſectione complectimur, incidit; quia tamen apud Samnitas expedita non fuit, eam heic perluſtrare libet. Tractus viae a monte eſt interruptus; pars Sulmonem verſus directa videtur, numeris, et manſionibus forſan, exmiſſis. In parte, ab Corſinio iſthuc ducente, viſitur locus,

Statule. absque numero; ſic Velſ. Cluuerius: Mons Imeus etiam nunc vulgo vocatur *Coll' Armeo*, circa lacum Fucinum. Inter hunc igitur et Corſinium, locus, cuius vocabulum forte in archetypo Tabulae fuit *Statuae*, ex interuallo VII millium deprehenditur fuiſſe medio ſitu inter oppida nunc *Prezza*, *Averſa*, *Caſtel Diberi.*" In mappa nec Statuas, nec Statulas notat; quod etiam ceteri liberaliter praeſtant. Inter Cirſennam et Corſinium itercedunt XX M. P. ex quibus VIII a monte Imeo ad Statulas cenſentur. Eſt quidam riuus, a monte illo ad Arnum defluens, in flexu huius boreali, vbi *Gagliano* vicus, laeua effluentis ripa, apud quem Statulae exſtiterint.

Corfinio. VII. ſic Velſ. Hodoeporicon, ab Cerſenna, *Corſinio.* XVII. Sigonius, XXVIII. De oppido in Samnio dictum. Numerus ab effluxu riui memorati ad rudera Corſinii adcurate ducit. Danuille, Cluuerii doctrinam ſecutus, viam longius ab Arno tendit. Sed *Anverſa*, Cluuerio *Averſa*, in auſtrum abſcedit, Sulmonem potius, quam Corſinium verſus, ab Imeo viam indicans. Si

xxviii M. P. quae Sigonius vulgarat, bene habent, flexus ab Hodoeporico per ea loca factos, non aegre admiſerim. Hanc ab Cerſenna viam Danuille *Valeriam*, a memorato lapide, nuncupat, quae Claudia quoque vocabatur; cuius menſuram, ad oſtia Aterni, ſupra dedimus; a Tibure ad Cerſennam proprie *Valeria* dicebatur, quam mox ingrediemur. Qua autem nos per Pitinum et Priuernum, Corſinium vſque progreſſi ſumus, *Salariam* adpellare libet. Ambae apud Cirſennam in *Claudiam*, teſte colūmna, deſiere.

VII. Via Nomentana, quae Salariam excipit, a porta cognomine, mille quingentos paſſus a Milliario aureo diſſita, principium capit, per Nomentum, a quo nuncupata eſt, deinde Tibur, Carſulos ducens, vbi Praeneſtinam excipit, iam a Tibure Valeriae nomine adſumto, quod Cirſennam vſque, vt monebamus, perducat. In ea ab Vrbe haec notantur:

Nomento. xiiii. ſic Velſ. Liuio, Straboni, Plinio, prae ceteris, notum oppidum. Strabo, fines Sabinorum occiduos, *ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως καὶ Νωμέντου πολίχνης*, *a Tiberi et Nomento oppidulo*, eſſe ait; cui etiam *τὰ Λάβανα ὕδατα ἐν τῇ Νωμεντάνῃ*, *Aquae Labanae*, *in agro Nomentano*, referuntur. Incolae Plinio *Nomentani*, quos duplices facere videtur; Cellarius de vnis vult accepi. Hodie *la Mentana* vicus, ſub pede montis Rotundi, cui Eretum impoſuimus, ad alterum ab eodem lapidem. Apud Nomentum, pars viae Salariae a Fidenis ad vii inde milliare remotis, exit; quam neque Fabrettus, neque Danuille notarunt; ſed ad quartum inde lapidem, paullo ſupra Eretum, tractum Nomentanae cum Salaria coniungunt. Sequitur a Nomento,

Tibori. viii. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ab Vrbe Adriam, *Tiburi*. xx. Poetae, Horatius, Virgilius, Propertius, Martialis, agrum Tiburtem in primis laudant. Ab Graecis conditum aiunt; *Tibur Argeo poſitum colono*, canit Horatius, Straboni, *Τίβουρα*, *Tibura*, pluratiue; Ptolemaeo, more Latinorum, *Τιβοὺρ*, *Tibur*. Ille, *ἡ Οὐαλερία δ' ἄρχεται μὲν ἀπὸ Τιβούρων*, *Valeria via a Tiburis incipit*, ducitque in Marſos, et Corſinium, Pelignorum vrbem." (a) Et quibusdam interiectis: Tibure fanum eſt Herculis, *Τίβουρα*, *ἧ τὸ Ἡράκλειον*, et praeceps aquae deiectus, quem facit Anio nauigabilis, ab excelſo loco in conuallem deiiciens ſe ſe profundam, lucisque obſitam, ad ipſam vrbem. Martialis quoque, ad bis decimum lapidem Tibur eſſe dicit. Danuille, via Tiburtina, xvi numerat; a Nomento M. P. viii. Chartae recentiores firmant numeros Tabulae, in quibus ab *la Mentana* ad *Tivoli* fere duo mill. geogr. notantur. *Tivoli* oppidum, laeua *Teverone*, ſeu Anienis, ripa, nuncupationis antiquae veſtigia ſeruat.

Varię. viii. ſic Velſ. Fabretto et Danuilleo, *Varia*, cum inſignibus vrbis, quae in Tabula non exprimuntur. Eſt oppidulum *Vicovaro*, dextra

(a) L. V. p. 238.

Anienis ripa. Fuit Varia in Apulia, et Hispania, teste Plinio; ad quam hi geographi nostram mansionem refinxerunt. Secundum Tabulam *Varias* dicere licebit; in qua *Variae* rectus casus esse videtur, quem auctor Tabulae hac forma non raro exhibet.

Lamnas. v. Vess. *Lamnas.* v. Geographis, post Cluuerium, *Laminae*, tamquam Laminas auctor Tabulae dixerit; quod vero simile videatur, quamquam alia quoque huic vocabulo expressio, vt *Lauinas*, subesse potest. Hodie *Arsoli* vicus, prope dextram Teueronis ripam.

Carsulis. x. insignia coloniae; Vess. *Carsulis.* x. Hodoeporicon, a Tibure, *Carseolos.* xxii. in Regio, *Tarsiolos;* in reliquis *Cassiolos*, vt Schottus quoque legit. Proinde *Carseolos*, ex correctione Suritae, in textum irrepsit. Strabo, *Κάρσουλοι καὶ Μηουανία*, *Carsuli et Meuania;* Casaubonus legi vult *Καρσέολοι*, *Carseoli;* sed Strabonis lectionem Tabula firmat. Ptolemaeo, *Καρσίολοι*, *Carsioli.* Norunt praeterea Carseolos, Liuius, Naso, Plinius, alii. Incolae *Carseolani* Plinio. Holstenius putabat, se ruinas vrbis a laeua Valeriae, iv ab *Arsoli* millibus, reperisse, in *Civita Carentia.* Fabrettus, Differt. ii Aquaeduct. e lapidibus milliariis ostendit, Carseolos ad xxxviiii ab Vrbe lapidem exstitisse, quos interuallo Tabulae signat, quem Danuille sequitur, *Carseoli* ad borealem Toleni alueum, vbi *li Colli* vicus, signans. Est ad quartum fere ab *Arsoli* lapidem *Carseoli* vicus, vbi veterem vrbem Holstenius exstitisse putabat; sed recentior, vt arbitrari licet; in chartis *Coll' Alto* alias nuncupatur. Profecto interualla eum vrbis situm non admittunt. Apud Carseolos exit via Praenestina.

VIII. In monte grani. vi. sic Vess. Danuille, duce Fabretto, viam Valeriam ab Carseolis Albam deriuat, quem tractum Tabula non habet. Fabretto, *Mons Grani*, absque loco; Danuilleo, *Ms. Grani*, v M. P. ab Carseolis in austrum, vbi fere *R. de Botte* vicus, in monte, ad exortum Toleni amnis.

In monte carbonario. v. sic Vess. Fabretto, *Mons Carbonarius*, absque signo loci; Danuilleo *Ms. Carbonarius*, iv M. P. paullo amplius, a priore, prope dextram Liris fluuii recentis, circiter vicum *Capadocio.*

Vignas. v. sic Vess. Fabrettus praeterit; Danuille, dextra riui, Anienem recentem petentis, ad iv a priore milliare, locum notat absque nomine, ad alterum a Treba in occasum aestiuum lapidem; vbi chartae, quibus vtor, nullum exhibent locum. Vineas fuisse opinere, quarum gratia haec via, Antoninorum tempore, instituta fuerit, paullo post finem acceptura.

Sublacio. vii. Vess. *Sublatio.* vii. Fabrettus, eoque duce Danuille, *Sublaqueum*, situ variato. Danuille, ad vi a priore lapidem, in occasum, via per gyrum circumducta; Fabrettus ab Carseolis recta in austrum progreditur; vterque ad vicum *Subiaco*, dextra Anienis ripa, ad octauum a Treba in occasum auctumnalem milliare, contendens. Prope huc erant Simbruini colles, vnde Aqua Marcia deducta; erant villae Imperatorum, horti et vineae, vt Tabula indicat. Plinius: Anio in monte Trebanorum ortus, lacus amoenitate nobiles,

qui nomen dederunt Sublaqueo, defert in Tiberim." Tacitus, ſtagna Simbruina vocat: Discumbentis Neronis apud Simbruina ſtagna (loco Sublaqueum nomen eſt) ictae dapes, menſaque disiecta." Ad quae Cellarius: Aliud, inquit, Sublaqueum oppidum, alia villa Neronis eſt; haec ab oppido nomen habet, quia non ſub lacubus., ſed ſupra, ſita. Frontinus de Aquae ductibus: Anienis quoque noui vitia exſcindi poſſe (princeps) vidit. Omiſſo enim flumine repeti ex lacu, qui eſt ſuper villam Neronianam Sublacenſem, vbi limpidiſſima eſt, iuſſit." Quibus addere quidpiam, non putem operae pretium eſſe. Viam hanc ſecus Anienem Fabrettus et Danuille deducunt in Praeneſtinam, inde ad Carſeolos. Tabula apud Sublacium ceſſat; ſcriba Velſeri cum Marrubio, quod ſuperne conſpexerat, coniunxit; quod ſitus locorum, et viae huius ratio, non admittunt. Expeditius erat, Valeriam ab Carſeolis ad Marrubium continuare; quam tamen auctor Tabulae, villarum gratia, neglexit. Haec erat via ſpecialis, quam Tabula cum interuallis, et locorum nominibus, e vetuſtate ſeruauit.

IX. Via Tiburtina, ab oppido Tibure nuncupata, apud quod Nomentanae iuncta, in Valeriam abit, vnicum exhibet locum, Aquis Albulis inſignem, qui in Hodoeporico non comparet; ſed neque apud geographos obtinuit dignitatem. Sic vero is ab Vrbe in Tabula notatur:

Ad aquas Albulas. XVI. Velſ. *Ad aquas albulas.* XVI. De his Plinius: (a) *Iuxta Romam Albulae aquae vulneribus medentur; egelidae hae.* Queis addit commentator: *Albulae aquae*, ſalutares apud vrbem Tiburtinam aquae, quas amnis Anio excipit. Nomen habent a colore lacteo, quem e ſulphureis terrae venis trahunt." Danuille, Fabrettum ſecutus, *Albula Aqua*, ad quartum fere a Tibure lapidem, duplici fonte ſignat, vnde riuus emanans ad ſesqui milliare, Anieni infunditur; medio ſpatio transit via Tiburtina riuum. XVI M. P. ab Vrbe Tibur vſque cenſet Danuille, cum chartis recentioribus; Tabula compendio vſa, vt apud Eretum, numerum diuidere noluit. Ortelius duplicem riuum, duosque ſeorſim fontes notat, loco *M. del Salbo* vicinos. Erant hae Aquae ad latus viae Tiburtinae laeuum. Quae vltra Tibur, in via ab eo dicta, numerantur loca, paullo ſuperius deſcripſimus.

X. Tiburtinam excipit Praeneſtina, quae apud Carſeolos iuncta Valeriae, nomen amittit; apud Praeneſte Lauicana, apud Anienem fluuium illa ſingulari ab Sublaqueo decurrente, receptis. In Tabula, vſque Carſeolos, procurrit ſolitaria; haec autem ab Vrbe in ea comparent:

Gabios. XII ſic Velſ. Hodoeporicon, *Gabios.* XII. apud Simlerum, *Gabrios*, *Glabrios;* Weſſelingium, XI M. P. e Tabula cenſentem, oculus decepit; ea quippe ſunt Praeneſtinae vrbi adſtituta. Liuius, in Tarquinii II rebus, frequens meminit Gabiorum. Strabo: A ſiniſtro viae Latinae latere, inter eam

---

(a) L. XXXI. c. 6.

et Valeriam iacent *Γάβιοι, ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ κειμένῃ*, Gabii in via Praenestina, quae vrbs latomias habet Romanis vtilissimas; distat aequali a Roma et Praeneste interuallo.“ Dionysius Halicarnassensis, Gabios, via Praenestina, ad centesimum ab Vrbe stadium ponit; quae sunt M. P. XII. cum semisse. Apud Danuille non integra XII M. P. censentur. Situ respondet oppidulum *Castiglione*, ad tertium ac semis a laeua Anienis ripa in austrum milliare, dextro viae margine. Geographi iuniores nomen recentius non produnt.

Preneste. XI. insignia municipii, sic Vels. Hodoeporicon, *Praeneste.* XI. Norunt vrbem Liuius, Virgilius, Horatius, Velleius, Strabo, Plinius, Suetonius, Ptolemaeus, alii. Straboni, *Πραίνεστος*, *Praenestus;* Ptolemaeo *Πραίνεστον*, *Praenestum.* Latinis *Praeneste;* incolae *Praenestini.* Strabo, ante *Πολυστέφανον*, *Polystephanon*, ab coronis dictum refert; situm loco natura munito; distare ab Vrbe CC stadiis. Cellarius ait, oppidum, quod hodie est, *Palestrina*, in vallem abisse; chartae in arduo pingunt. Danuille a Gabiis IX M. P. interuallo remouet; chartis recentioribus mensuram probantibus. Fabrettus XI notat; cuius distantiae sunt plerumque arbitrariae. Quam ob rem si numerum XI tueri velis, flexus factos arbitrere oportet.

Treblis. XI. Vels. *Treblis.* XI. Fabretto, *Trebia*, ad v. Danuilleo ad VIII. dextra fluuii, Anienem ab austro petentis ripa. Propius Anienem est vicus *Sambuci*, qui distantiis vtrimque non male responderet. Forsan huic amni nomen *Trebli* erat, aut Treblis. Trebam nouit geographia, ad fontes Anienis; Trebiam aut Treblos, in Aequis, non nouit. Habet vocabulum hoc analogiam cum *Teverone*, quo Itali Anienem adficiunt, quasi paruum Tiberim dicas. Quare Treblis expressionem vulgi cum illis duumuiris in Trebiam fingere non ausim.

Carsulis. XV. insignia vrbis; sic Vels. Fabrettus XVII. M. P. Danuille XII. remouent; quae distantia videatur arbitraria. In chartis recentioribus, a vico *Sambuci*, recte M. P. XV Carseolos vsque, quos apud *li Colli* posuimus, censentur. Apud Carseolos via Praenestina Valeriae iuncta, in eius nomen abit. De oppido ipso, et via Sublacium ducente, superius dictum.

XI. Succedit via Lauicana, seu Labicana, quae apud Biuium Latinae accedens, vocari definit. Nomen a Labico oppido, ad XIV ab Vrbe lapidem sito, accepit; quod auctor Tabulae non adiit, ad mansionem Quintanas diuertens; quas tamen Fabrettus in ipsa via, Labico vicinas, ponit. Haec est itineris in Tabula ratio:

Ad quintanas. XV. sic Vels. Hodoeporicon, *Ad Quintanas.* XV. Fabrettus, *ad Quintanas*, II. M. P. ante Labicum, statuit; Danuille non habet. Strabonem audire iuuat: (a) Lauicana via, *ἡ Λαβικανή*, incipiens a porta Ex-

(a) L. V. p. 237.

quilina, vnde et Praeneſtina; relinquens autem ad laeuam et campum Exquiliſnum, procedit ad cxx et amplius ſtadia, et adpropinquans τῷ παλαιῷ, *Λαβικῷ*, veteri Labico, quod oppidum in ſublimi ſitum, nunc dirutum eſt, hoc, et Tuſculum ad dextram relinquit, et πρὸς τὰς *Πικτὰς*, ad Pictas in Latinam viam deſinit; abeſt is locus Roma ccx ſtadiis." Stadia cxx efficiunt M. P. xv adcurate, quo interuallo Quintanae ab Vrbe dirimuntur. Labici veteris ſitum, teſte Holſtenio, tenet *la Colonna* oppidum, dextro viae Lauicanae margine, vnde Tuſculum ad III vel IV lapidem abſcedat. Danuille circa Labicum vtrimque viam ducit; Fabrettus per ipſum oppidum. Tabulae tempore fuerit deſolatum. In lapide veteri, apud Fabrettum, Parthenio, arcario REIPVBLICAE LAVICANORVM QVINTANENSIVM. in alio, praedia QVINTANENSIA. Ad alterum inde lapidem eſt *Caſtel di S. Antonio*, quod Quintanis, Fabretto duce, reſpondeat; videtur enim locus proxime vrbem veterem conſtitiſſe.

Ad ſtatuas. III. Velſ. *Ad ſtatuas.* III. Fabrettus, *ad Statuas*, II M. P. a Labico; Danuille III fere. In ſuburbanis oppidi veteris fuerit haec manſio, vbi hodie vicus *Zagarolo*, ad tertium a Paleſtrina in occaſum lapidem. Vicinia oſtendit commoditatem hoſpitii et requietis, quae in vrbibus, ob frequentiam populi, haberi nequeunt. Erat heic viarum a Praeneſte et Biuio concurſus.

Ad pactas. VII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Ad Pictas.* x. occurrit etiam via Latina, ad XXXIII ab Vrbe milliare. Strabo, vt paullo ante meminimus, τὰς *Πικτὰς* ccx ſtadiis ab Vrbe remouet, ſeu M. P. XVI. cum quadrante. Weſſelingius tabernas intelligi vult; Strabo, *Πικτὰς πανδοχεῖα*, *Pictas diuerſorium* adpellat. Cellarius, relatis etiam Quintanis, ibi tabernas ſubaudiunt, inquit, heic ſtatuas. Sed Quintanae erat oppidum, Statuae et Pictae diuerſoria Fabrettus dextro viae latere, ad tertium ac ſemis lapidem, *ad pictas* notat; Danuille ad quintum et ſemis, in concurſu viae Latinae, *ad Pictas*, ſitu vici *Lugnano*, in auſtrum a priore declinantis.

Ad birium. v. inſigne municipii; Velſ. *Ad Birium.* v. Fabrettus, *ad Biuium*, IX M. P. a priore. Danuille, menſura Tabulae, dextra aluei, Trerum ab occaſu petentis, agro vici *Mont Fortino;* quem ſitum interualla probant. Vtrum autem hi duumuiri *Biuium* ex *Birio* recte formarint, neſcio. Amnis hic, Trerum influens, *Birius* nuncupari potuit; a quo oppidum ei adſitum, iure municipii gauiſum, ſit adpellatum. Quae ſi a vero non abludunt, habebimus fluuium Latii hactenus geographiae ignotum. Antiqua nomina, ni certum praeſto ſit momentum, pro libito inflectere eſt nefas. Heic, in Tabula, prodit via Latina, quam ab Vrbe deducere libet.

XII. Tabula, ab Vrbe ad Birium, via Latina, interponit. x. ſpatio vnius manſionis vacuo relicto. Hodoeporicon, eadem via, ab Vrbe, *ad Decimum.* x. *Roboraria.* VI. *ad Pictas.* XVI. Fabrettus, Aquam Crabram dextro, Tuſculanum Ciceronis laeuo viae margine ſignat, Decimo et Roboraria exmiſſis; quod etiam Danuille facit. Tuſculum eſt oppidum *Fraſcati*, ad quod pars viae

Latinae ducebat; ad tertium inde in occaſum lapidem manſio *ad Decimum*, quam Tabula quoque numero x indicare voluerit, exſtabat. Roboraria Holſtenio eſt *Burghetto;* quae in montem Albanum incidit, prope vicum *Marino*, vbi Danuille ſiniſtro viae margine *Algidum* oppidum ſignat. Haec manſio fuerit etiam in Tabula, ſcribarum incuria cum numeris exmiſſa. Sed inde ad Pictas ſunt IV M. P. dumtaxat; quae res fecerit, vt Danuille cum Fabretto iter hoc negligerent. Profecto Romam inter et *Lugnano*, vbi Pictas poſuimus, in chartis recentioribus quatuor mill. geogr. interponuntur, ſeu xx M. P. quot etiam Danuille exprimit. Quare, ſi in Tabula nihil deſideratur, pro x ſcriptum fuerit xx Pictas vſque; quo tamen ductus viae non tendit. A Birio, via Latina, poſt quam excepit Lauicanam, haec in Tabula occurrunt:

Conpito. anagnino. x. inſignia municipii. Velſ. *Conpito Anagnino.* x. Hodoeporicon, *Compitum.* xv. a Pictis. Strabo, in Hernicis, *Αναγνία, πόλις ἀξιόλογος*, *Anagnia, vrbs illuſtris.* Virgilius, *diues Anagnia.* Macrobius, ad Virgilium, *nobiliſſima* Hernicorum *ciuitas Anagnia.* (a) Danuille, Fabretto duce, Anagniam in monte, laeuo viae margine, *Compitum Anagninum*, ſub monte, in congreſſu viae vtriusque notat. Inſignia vrbis Anagniam reſpiciunt. Seruat nomen vrbs *Anagni*, ad alterum et ſemis ab laeua *Socco*, ſeu Treri amnis ripa lapidem.

Ferentinum. VIIII. inſignia municipii; Velſ. *Ferentinum.* VIIII. Hodoeporicon, *Ferentino.* VIII. Norunt praeterea oppidum, Liuius, Horatius, Strabo, Plinius, Tacitus, Silius, Ptolemaeus, alii. Strabo, de via Latina locutus, phraſi ſupra dictae continuo ſubiungit: Deinceps in Latina via ſunt nobilia oppida, *Φερέντινον*, *Ferentinum*, Fruſinum, quod Coſa amne adluitur.“ Coloniam A. V. 561 deductam, Liuius perhibet. Incolae, *Ferentinates.* Vetus epigraphe Ligoriana, apud Gudium, patronus MVNIC. FERENTINATI. NOVANI. Eſt lapis milliarius e vicinia Ferentinum adlatus, cum M. P. XLVII. Scholiaſtes Horatii: Ferentinum oppidum Campaniae, alii municipium volunt viae Labicanae ad XLVIII lapidem.“ Tantumdem Hodoeporicon numerat. Hodie quoque *Ferentino*, in colle edito, ad quartum ab Treri laeua milliare.

Febraterie. VII. inſignia coloniae; Velſ. *Febraterie.* VII. Hodoeporicon, *Fruſione.* VII. *Fragellano.* XIIII. Meminerunt Fabraterae, Cicero, Liuius, Velleius, Strabo, Plinius, Silius, Priſcianus, alii. Strabo, *Φαβρατερία, παρ' ἣν ὁ Τρῆρος ῥεῖ*, *Fabrateria, quam Trerus praeterfluit.* Ciues, *Fabraterni.* Plinius, inter veteres et nouos Fabraternos diſtinguit; quod forſan noua colonia veteri fuit ſuperaddita, inquit Cellarius. In marmore, apud Gruterum, FABRATERNI NOVANI. In Tabula vitium hoc itinere cubat, Fruſione, quam et Strabo via Latina memorat, exmiſſa cum XVII M. P. ad Fabrateriam. Quod mendum

(a) L. V. Saturn. c. 18.

olim in Tabula commiſſum fuerit; quia nullum ſpatium locis vacuum interiacet. Eſt *Fruſino*, laeua Coſae, Trerum petentis, ripa, paullo ſupra effluxum, nomen retinens. Fabrateria eſt vicus *Falvaterra*, prope dextram Treri, vulgo *Socco*, amnis ripam.

Melſel. IIII. ſic Velſ. Strabo: Aquinum vrbs magna, iuxta quam ὁ *Μέλπις ῥεῖ ποταμὸς μέγας*, Melpis fluuius magnus labitur." Melpes Plinio memoratur, ſed in Lucania. Danuille, in Atlante, fluuium ſignat, absque nomine. Fabretto, *Melpis;* hodie *Melſe.* Numeri ducunt ad exitum amnis, vbi et manſio cognominis fuerit, circiter vicum *S. Giovanni*, dextra Liris, vulgo *Garigliano*, ripa.

Aquino. IIII. Velſ. *Aquino.* IIII. Strabo, *Ἀκόνηννον*, *μεγάλη πόλις*, *Aquennum*, *vrbs magna.* Caſaubonus monet, *'Ακόϊνον* legendum. Magnam vrbem rectius, quam fluuium Melpin, pro Liri, dixit. Silio quoque *ingens* audit. Cicero, in Philippicis: Cum inde Romam proficiſcens ad Aquinum accederet, obuiam ei proceſſit (vt eſt frequens municipium) magna ſane multitudo." (a) Norunt vrbem etiam Liuius, Plinius, Paullinus, alii. Ciues *Aquinates.* Silio, vicinus *Aquinas.* Ciceroni *Aquinates* in via habitabant. Seruat nomen *Aquino* oppidum, III M. P. a laeua Melpis ripa, ad quartum ſupra effluxum lapidem.

Caſinum. VIIII. ſic Velſ. Varro *Caſſinum* ſcribit, ab *caſſo*, quod vetus ſignificet, deriuans. Papinius primam corripit, *Nymphisque habitata Caſini.* Cicero, *Caſinum;* inſcriptio antiqua, II vir quinc. in MVNICIPIO SVO CASINI. Incolae *Caſinates.* Liuius, agrum *Caſinatem* vocat; in marmore antiquo CASINATES. Danuille, in Atlante, Campaniae adſcribit; rectius alias veteri Latio. Seruat nuncupationem *M. Caſino*, in arduo ſitum.

Ad flexum. VIII. ſic Velſ. Danuille, Fabrettum ſecutus, viam Venafrum, inde Teanum ducit, manſione *ad Flexum*, quam Fabrettus ad IX ab Caſino milliare ponit, exmiſſa. Mira eſt in chartis etiam recentioribus, quoad interualla, his locis varietas, Caſinum Aquino iuſto propinquius, Teanum Caſino iuſto remotius, ponentibus. Danuille, in Atlante, huius modi chartas reſpexerit; in tabellis, ad commentarios Rollini, diſtantias emendauit. Flexus hic intelligitur Liris fluuii ab auſtro in boream, aqud quem, circiter *Mortula* vicum, manſio cognominis extiterit, prope Campaniae fines. Inde Teanum, vſque Tabula VIII M. P. numerat; quod in tabellis Danuillei rite exprimitur, Atlante Schimekii adſtipulante. Apud Teanum, quod in Campania dicturi ſumus, exibat pars viae Appiae, quam vſque huc luſtrare libet.

XIII. Via Appia, ab Vrbe, per Bouillas, Sublanuuium, tres Tabernas, Appii Forum, Tarracinam ducit, vbi maritimae, ab Oſtia et Laurento prodeunti, iungitur. Maritimam Danuille, cur, neſcio, ſignare noluit, Fabret-

---

(a) Philipp. II c. 41.

tus rite notauit. Tabulam ambo Itineraria prosequuntur. In Appia, ab Vrbe, haec leguntur:

Bobellas. x. insignia municipii, tres aediculae; Vels. *Bobellas.* x. Burdigalense, *mutatic ad Nono.* ix. Memorant Bouillas, Velleius, Plinius, Tacitus, Suetonius, Florus, alii. Velleius, Clodium a Milone circa Bouillas caesum refert. Plinio, Bouillae, Calatiae, Casinum, Calenum. Frontino, *Bouilla* oppidum. Tabula, vsu militari, *Bobellas* vocat. Danuilleo *Bouillae*, sinistro viae margine, occiduo Albani lacus agro, intercurrente cognominis montis iugo. Nonnulli *Bauco* nuncupari aiunt; quod non conspicor. Vicinum lacui est *Castel Gandulfo*, Ortelio *C. Candolfo*, quod Ariciae respectu, Bouillis respondere videatur. Nonus ab Vrbe lapis, quem Burdigalense pro mutatione iumentorum adfert, proximus Bouillis ab occasu fuerit, quo circiter situ est Ortelii *Osteria*, seu diuersorium. Lapidem hunc Danuille cum magistro signare neglexit.

Aricia. III. Vels. *Aricia.* III. Hodoeporicon, via Appia, ab Vrbe, *Aricia.* XVI. in Regio, *atricia;* in aliis *atritia.* Burdigalense, *ciuitas Aricia et Albona.* VII. Cluuerius, *Albano.* Memoratur praeterea vrbs Dionysio, Horatio, Straboni, Plinio, Lucano, Ptolemaeo, Silio, Philostrato, aliis. Strabo, *μετὰ τὸ Ἄλβανον Ἀρικία πόλις, post Albanum montem est vrbs Aricia*, in via Appia ρξ΄. CLX stadiis a Roma, seu XX M. P. Wesselingius, monente Cluuerio et Holstenio, putat, pro ρξ΄ in Strabone ἑκατὸν εἴκοσι, *centum viginti* fuisse scriptum. Sed Strabo literis expressit numerum; et in quibusdam chartis recentioribus. ductu recto, tria mill. geogr. cum tribus quintis interponuntur. Danuille XV cum semisse habet; verum apud Bouillas flexus fiebat; et Strabo saepe *circiter* distantiam sumere consueuit, adcuratis dimensionibus carens. Addit geographus, vrbem situ concauo esse, arce tamen natura loci munitam. Abest ab arce Albana sesqui milliari; ea propter in Burdigalensi iunguntur. Peculiare est, quod de sacris quibusdam addit Strabo: (a) Nemus Dianae, in sinistra viae parte est, qua Ariciam adscenditur; aiunt autem Dianae *τῆς Ταυροπόλου*, Tauropolae (interpres Tauricae) sacrorum similia ibi esse dicata; nam et barbaricus et Scythicus mos apud id templum obtinet. Perfuga enim sacerdos ibi constituitur, qui sacerdotem priorem sua trucidauerat manu; strictoque semper glodio paratus ad insultus propulsandos circumspicit. Fanum in luco est; ante eum lacus mari aemulus.“ Sacra haec peregrina Cybeles, cum Samothracia cognationem habere videntur; nisi fabulam redolent. Hodie oppidum *la Riccia*, ad tertium ab *Castel Gandulfo*, vbi Bouillas posuimus, lapidem, vt in Tabula expressum.

Sublanubio. absque numero; binae aediculae, insignia municipii; sic Vels. Danuille, *Sub Lanuuio.* v. M. P. ab Aricia, sesqui milliari a Lanuuio

---

(a) L. V. p. 239.

in exortum, ad ramum Aſturae occiduum, infra oppidum *Genzano.* Lanuuii frequens meminit Cicero pro Milone; quod Cellarius cum nonnullis non recte in via Appia eſſe dicit; cum ad latus dextrum ſesqui milliare conſtiterit. Hodie *Civita Indovina*, quae in chartis, quibus vtimur, non comparet.

Tres. Tabernas. absque numero; inſignia municipii, aedes quadra; ſic Velſ. Hodoeporicon, ab Aricia, *Tribus Tabernis.* XVI. Burdigalenſe, *mutatio Sponſas.* XIIII. Tres Tabernas nouit Cicero, acta Apoſtolorum, Victor in Seuero Caeſare, et Zoſimus. In actis, obuiam Paullo Roma exiere *ἄχρις Ἀππίου Φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν*, *vſque ad Appii Forum, et Tres Tabernas.* Danuille, *Tres Tabernae*, VI M. P. ab Sublanuuio, ſitu oppidi *Ciſterna*, inter alueum Sturae orientalem, et Nymphaei occiduum. Medio fere ſpatio, dextro viae margine, erat *Satricum*, hodie *Civitona diſtrutta;* quod itineraria praeteriuerunt, In Tabula VI M. P. incuria ſcribarum intercidere. Ad tertium inde lapidem Danuille, Fabrettum ſecutus, *ad Sponſas* habet. Weſſelingius, duce Holſtenio, vult *Pontes* legi; qui hoc tractu nulli ſunt, ad Appii Forum vſque.

N. - - - - X. inſignia municipii, aedes quadra; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Appi Foro.* X. in Regio; aliis, *Api foro.* XVIII. Burdigalenſe; *mutatio Appi Foro.* VII. Norunt oppidum Cicero, Horatius, acta Apoſtolorum, Plinius, alii; vt paullo ante vidimus. Ab eodem Appio nuncupatum volunt, a quo via Appia nomen eſt mutuata. Erat iuxta paludes Pomtinas, vbi hodie vicus *Caſarillo di S. Maria.* Interuallum ab Vrbe oſtendunt binae columnae, inter quas Forum conſiſtebat, M. P. XLII et XLIII notatae. In Tabula nomen oppidi, vitio ſcribarum, deſideratur; diſtantiam a Tabernis Hodoeporicon firmat.

Terracina. absque numero; inſignia municipii; Velſ. *Terracina.* Hodoeporicon, *Tarracina.* XVIII. in Regio, XXVIII. Longoliano, *Terracina.* XVII. Burdigalenſe, *mutatio ad Medias.* IX. *ciuitas Terracina.* X. MS. *Tarragina.* Meminerunt praeterea vrbis, Liuius, Horatius, Strabo, Mela, Plinius, Silius, Ptolemaeus, alii. Plinius, flumen Vfens, ſupra quod Terracina oppidum, lingua Volſcorum Anxur dictum." Hoc nomine Liuius frequens vtitur, Strabo, *Ταῤῥακίνη*, *Tarracine;* Stephanus *Ταῤῥακῆνα*, *Tarracena;* Ptolemaeus, *Ταῤῥακῖναι*, *Tarracinae*, dixerunt. Epitheton, Tarracinenſis, et Anxuras; quorum id Cicero, hoc Liuius adhibent. Danuille, *Anxur* vel *Terracina*, XIX M. P. a Foro Appii; in Tabula XVIII deſideretur, quem numerum codex Regius praefert, chartae recentiores firmant. Nomen integrum *Terracina* oppidum retinet, laeua *Portatore*, ſeu Vfentis exeuntis ripa.

XIV. Apud Terracinam exit via maritima, ab Oſtia, Laurento, et Lauinio ducens, quam Fabrettus quidem rite ſignauit, Danuille, neſcio cur, exprimere neglexit. Nos viam Laurentinam ex Tabula dicemus ante, quam ad Oſtienſem gradum faciamus. Eius nomen in Tabula deſiderari, ſuperius dictum eſt; ab Vrbe haec notantur:

Laurento. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, ab Oſtia, *Laurento.* XVI. Norunt oppidum Liuius, Dionyſius, Virgilius, Strabo, Mela, Plinius, alii. Straboni, *Λαύρεντον*, *Laurentum;* Plinio, oppidum *Laurentum;* Virgilio, *Laurentis regia Pici;* Tibullo, *Laurens caſtrum.* Plinio iuniori, *Laurentinum* vel *Laurens.* Antiquiſſimorum regum, Latini, Pici, Fauni regia fuiſſe dicitur, a lauretis nuncupata. Frequens in epigraphica ſodalitium LAVR. LAV. Laurentium Lauinatium. Fabrettus, Laurentum XVIII M. P. Danuille XIV. ab Vrbe remouet, Tabula XII. quae a porta, inter Capenam et Oſtienſem media, vbi Ligorius viam Ardeatinam, intra Vrbem ſignat, procedens, ad primas Laurenti aedes interuallum numerarit. Haec porta fuerit vna ex iis, quas Plinius obſtructas dicebat; quae apud Ligorium exprimitur, absque nomine; via tamen aliquo tempore in vſu fuiſſe videtur, poſtea cum Oſtienſi coniuncta. Situ Laurenti eſt *Torre Paterno* vicus. Via Oſtienſi, quae in Tabula Hoſtenſis vocatur, haec occurrunt:

Hoſtis. XVI. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Ab Vrbe Oſtis.* XVI. MSS. *Hoſtis.* Liuius, *Oſtiam* coloniam; Minucius Felix, amoeniſſimam ciuitatem, vocant. Plinio, colonia *Oſtienſis;* Procopio, *πόλις Ὀστία*, *vrbs Oſtia*, olim magni nominis, nunc moenibus plane nuda. Straboni, *τὰ Ὄστια*, *Oſtia*, pluratiue, *κτίσμα Ἄγκου Μαρκίου*, *opus Anci Marcii.* Erat vrbs ad orientale Tiberis oſtium, in ora; hodie III M. P. oppidum *Oſtia* in mediterranea recedit. Inde via litus tenet Terracinam vſque.

Laurento. XVI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Laurento.* XVI. Fabrettus, M. P. XII. Danuille VI. cum vna quarta, numerant; chartae recentiores vnum mill. geogr. interponunt. Eſt lacus, ab exortu Oſtiae vicinus, cum mari iunctus, quem Itineraria circuiuerint, vt tot M. P. cenſerent; videtur tamen prior numerus, oſcitantia ſcribae, repetitus. Haec res Danuilleum fecerit perplexum, vt viam hanc maritimam ſignare nollet; quae ſi litori adhaerebat, denarius vtrobique eſt ſuperfluus. De Laurento ipſo ante egimus.

Lanuuium. VI. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Lanuuio.* XVI. Simlerus, *Lauinio*, vel *Lanuuio;* in Regio, *Lanuuiones.* Surita addit, peſſime in Aldino *Lauinium.* Si M. P. XVI ratio habeatur, non male arguit; eo quippe interuallo reapſe Lanuuium ab Laurento abeſt, quod Itinerarii auctor petiſſe videtur. Noſtrum eſt Lauinium, quod Fabrettus VI M. P. Danuille non integris V. remouent; flexu ad lucum Iouis facto, ſunt M. P. VI. Lauinium quippe ad alterum lapidem a mari abſcedit. Ab Aenea conditum, perhibet Liuius. Varro: Oppidum, quod primum conditum in Latio ſtirpis Romanae, Lauinium; nam ibi dii Penates noſtri.“ Si Troiani fuere Romuleae gentis ſtatores, nae antiquarum vrbium nomina originis Threiciae erunt; qua leo femina vocatur *lavina.* Sed vetuſtiſſimis temporibus Italicis populis conuixere Liburni, quos cum Aenea iſthuc adpuliſſe nemo ſomniauit. Incolae Lauinii et Lauinienſes. In

marmore Capitolino, C. Maenius, P. F. P. N. cos. de Antiatibus, LAVINIEIS. Veliterni Pridie K. Oct. A. V. 416. Hodie vicus *Fontanile*.

XV. Antium. XVII. insignia coloniae; Vels. nomen vrbis non habet. Plures veterum norunt Antium, in primis Liuius, qui eius frequens meminit, Dionysius, Strabo, Plinius, Tacitus, Florus, Ptolemaeus, alii. Graecis, *Ἄντιον* Antium; Dionysio tamen *Ἀντία*, *Antia*, et vicinum *Ceno πολίχνιον*, *oppidulum*, maritimum. Incolae *Antiates*, *Antiani;* Liuio, naues *Antiatium;* Plinio, vltra Tiberina ostia, in mari *Antiano;* sinus *Antiunus*, hodie *Capo d' Antio*, et locus *Anzio* desolatus; cui vicinum *Nettuno* oppidum, in ruderibus Cenonis, cuius Liuius et Dionysius meminere.

Astura. VII. Vels. *Astura*, absque numero. Plinius, Antium colonia, *Astura* flumen et insula; item, in Antiano mari *Astura;* quidam *Astyra* legunt. Plutarchus, *εἰς Ἄστυρα*, *in Astyra*, pluratiue, *maritimam villam Ciceronis*. Asturae se commoratum ipse Cicero innuit. Idem de situ insulae: (a) Est heic quidem locus amoenus, et in mari ipso, qui et Antio, et Circeiis adspici possit." Seruio, oppidum Astura, et eiusdem cognominis fluuius. Straboni est ὁ *Στόρας ποταμὸς*, *Stora fluuius;* et Festo, *Stura* flumen, in agro Laurenti, quod quidam Asturam vocant. Hodie, *Torre e Porto Anuco d' Astura*, in insula.

Clostris. IX. sic Vels. Plinio: Fluuius Nymphaeus, *Clostra Romana*. Holstenius *Claustra* fuisse coniicit, ostio Nymphaei amnis adposita, contra vim oceani, ne arena oppleri posset, quod nihilominus deinde factum sit. Danuille, dextro canalis, in quem Nymphaeus, vulgo *Nimpa*, deriuatur, lateri adponit, fere II M. P. a mari; quo situ *Casale* vicus conspicitur, X M. P. interuallo ab Astura.

Ad turres albas. III. Vels. *Ad turres albas ra.* Fabrettus, dextra exeuntis in Saturas, Nymphaei ripa Clostra, laeua *ad Turres albas*, bis mill. pass. interuallo statuit. Danuille Turres tacet; neque hodie solo eo palustri locus quispiam, Casali vicinus, comparet.

Circeios. XII. Vels. *Circeios*. XIX. Homerus insulam *Αἰαίης*, *Aeaeae* vocabulo nouit, in qua Circes habitatio. Varro, apud Seruium: qui nunc Circeius mons a Circe dicitur, aliquando, vt Varro dicit, insula fuit, nondum siccatis paludibus, quae eam diuidebant a continenti." Cicero, de natura Deorum disserens: (b) *Circen coloni nostri Circeienses religiose colunt.* Straboni, *πολίχνιον Κίρκης*, *oppidulum Circes.* Hic primus est Italiae locus, quem Poetarum pater Homerus norit; ac proinde vnus ex antiquissimis, forsan a figura coni, quem promontorium Circaeum exhibet, nuncupatus. Hodie portus, ***Porto***

(a) L. XII. ep. 19. (b) L. III. c. 19.

di Paolo, et promontorium *Monte Circello*, vocantur, loco cetera deſolato. In quibusdam chartis, *S. Felicità* vicus in angulo eo viſitur.

Ad turres. IIII. ſic Velſ. Fabrettus, oppidum Circeios occiduo peninſulae latere, ad Saturas, manſionem *ad Turres* in promontorio ſtatuit. Danuille, tres turres in promontorio, absque inſcriptione, ſupra eas oppidum, lateri peninſulae orientali admotum, exhibet. Opinio Fabretti, ſi numeros ſpectas, vero propior eſſe videtur; ante quippe occurrebat oppidum, quam turres, quas in via eſſe oportebat, quam Fabrettus probabili coniectura ſecus oram ducit.

Terracina. XI. inſignia vrbis; ſic Velſ. Danuille, ab Circeiis oppido numerat VIII M. P. rectius Fabrettus, ad recentiorum quoque deſignationum fidem, Tabulae menſuram ſequitur. De vrbe Terracina dictum alias. Viam hanc litoralem vna nobis ſeruauit Tabula, quam Danuille, cum alias religioſe amplectatur, heic ſequi noluit; forſan principio ab Oſtia, XVI M. P. interuallo absſterritus; vti eo monebamus loco. Nunc ab Terracina Appiam, quae Minturnas vſque vna eſt, perſequi libet.

XVI. **fundis.** XIII. Velſ. *Fundis.* XIII. Hodoeporicon, itinere ab Vrbe ad Columnam, *Fundis.* XVI. in Regio XIIII. itinere a Tarracina Beneuentum, *Fundis.* XIII. Burdigalenſe, *ciuitas Fundis.* XIII. Norunt praeterea Fundos, Cicero, Strabo, Liuius, Mela, Plinius, Suetonius, Ptolemaeus, Feſtus, alii. Graecis, Φοῦνδοι, *Fundi.* Mela, Minturnae, Formiae, *Fundi*, Tarracina. Epitheton, Fundanus; Ciceroni, *Fundanus ager;* Plinio, *Fundanus lacus;* Liuio, *Fundani municipes.* Forſan numi IDNOIꟻ. aenei, qualem Eckhelius vulgarat, cum tauro, facie humana, huc ſpectabunt; vt FIONDI expreſſione domeſtica legi oporteat. Eckhel in incertis Campaniae poſuit. Eſt oppidum *Fondi*, lacus cognominis ora boreali, V M. P. a mari. Ad litus autem, ſupra Formias, in peninſula,

N. - - - . absque numero; inſignia municipii. Caietam eſſe, oſtendit ſitus, peninſulae inſtar. Ab Aeneae nutrice nomen inditum, aiunt, ex Virgilii carmine. Cicero, portum *Caietae* celeberrimum atque pleniſſimum nauium. (a) Silius, *regnata Lamo Caieta.* Strabo, *Καϊάττας*, *Caiattas* Laconibus ciuitates dici refert; vnde *Καϊάτταν*, *Caiattam*, ſinum eſſe nuncupatum, ait. Ceterum Lamus fuit Laeſtrygonum, qui hunc tenuere tractum, rex, fabulis notus. Eſt oppidum *Gaeta*, portu nobile, eodem, quo Formiae, a Fundis interuallo, VI M. P. ante Formias; Strabo XL ſtadiis remouet. In via ſequitur,

formis. XIII. Velſ. *Formis.* absque numero. Hodoeporicon, *Formis.* XIII. in Regio XIIII. itinere Beneuentano, *Formis.* XIII. Cellarius priore legit

(a) Pro leg. Manil. c. 12.

xvi. forsan typi errore, pro xiv. Burdigalense, *Formis.* xii. Plinius: Oppidum Formiae, Hormiae prius olim dictum; vt existimauerunt, antiqua Laestrygonum sedes." (a) Et Cicero, Homeri verbis vsus, ad Atticum: (b) Si vero in hanc τηλέπυλον veneris Λαιστρυγονίην, Formias dico, qui fremitus hominum! quam irati animi!" Strabo tamen Φορμίαι Λακωνικὸν κτίσμα, *Formiae a Laconibus conditae*, prius ob opportunitatem litoris ad excipiendas naues, Ὁρμίαι, Hormiae dictae." Nimirum, quia Laestrygonas Poeta in Sicilia fuisse putabat. Incolae *Formiani*, Liuio, Horatio, Velleio. Epigraphe antiqua, apud Montfauconium, Aelius Maximus, FORMIS. Ptolemaeo Φῶρμαι, *Formae.* Hodie *Mola* oppido nomen.

Menturnis. viii. insignia coloniae; sic Vess. Hodoeporicon, *Minturuis.* ix. in Longoliano, xiiii. sed corrigitur ix. sic etiam itinere Beneuentano. Burdigalense, *ciuitas Menturnas.* ix. Strabo, memoratis Formiis: Inter has et Sinuessam αἱ Μιντοῦρναι, sunt Minturnae, vtrimque stadiis xxc dissitae. Minturnas perfluit Liris, qui olim Clanis vocabatur." (c) Plinius: *colonia Minturnae, Liri amne diuisa.* Adsitae erant paludes, mari vicinae, quas Minturnenses vocant antiqui; erat etiam lucus sacer *Maricae*, aedes Iouis. Meminerunt horum partem Cicero, Liuius, Velleius, Horatius, Lucanus, Silius, Claudianus, Seruius, alii. Hodie vicus *Traietto*, dextra Fluuii ripa, alias *la barca del Garigliano*, seu scapha fluuii Liris. Tabula quoque dextra amnis ripa vrbem statuit; vt potior eius pars heic fuisse videatur.

A Minturnis biuium est, hinc Teanum, inde Sinuessam ducens. Priore Suessa Aurunca intercesserit, vulgo *Suezza*, cum numeris, incuria scribarum exmissa; adscribitur Campaniae. Posterior itineris portio sic habet:

Sinuessa. viiii. insignia coloniae; sic Vess. Hodoeporicon, *Sinuessa.* ix. in Regio xiiii. itinere ab Tarracina Neapolim, *Sinuessa.* xliiii. Burdigalense, *ciuitas Sonuessa.* ix. Norunt praeterea vrbem, Cicero, Liuius, Strabo, Plinius, Tacitus, Ptolemaeus, alii. Diodorus, πόλιν Σινύνεσσαν, *vrbem Sinuessam;* Strabo, Minturnas medio Formias inter καὶ Σινουέσσης, et Sinuessam, spatio esse ait, lxxx stadia, seu x M. P. Ptolemaeo, in ora, Σόεσσα, Surita legit Σόνεσσα, emendans Σινόνεσσα. Neque enim Suessa litori adposita erat. Videtur Diodorus cosmographo imposuisse, qui itidem Σόνεσσαν pro Σινόνεσσαν scripsit; vt iam Sigonius ad Liuium notarat. Plinius: Oppidum Sinuessa, extremum in adiecto Latio, quam quidam Sinopen dixere vocitatam." Epitheton, Sinuessanus; Plinio, *Sinuessanae aquae.* Superat in ruderibus nomen apud castellum *Rocca di Mondragone.* Heic finis Latii.

(a) L. III c. 9. (b) L. II. epist. 13. (c) L. V. p. 233.

SECTIO X

CAMPANIA

§ I

Nuncupatio, fines.

I. SCYLAX Campanos in ora maris inferi, Volſcos inter et Samnites, nouit: Ὀλσῶν δὲ ἔχονται Καμπανοὶ, Poſt *Volſcos ſunt Campani.* Deinde vero: Καμπανῶν δὲ ἔχονται Σαννῖται, *Campanis contigui ſunt Samnites.* Ciceroni, *Campanus ager;* Scylaci Campania: πόλεις ἑλληνίδες ἐν τῇ Καμπανίᾳ, *vrbes graecae in Campania.* Straboni: Poſt Latium Καμπανία, Campania eſt, iuxta mare porrecta, et ſupra hanc in mediterraneis Samnium, vſque ad Frentanos et Daunios pertinens.“ Et paullo inferius: Καμπανία, πεδίον εὐδαιμονέστατον. τῶν ἁπάντων, *Campania planities omnium feliciſſima.* (a) Plinius, ab Sinueſſa: *Hinc felix illa Campania eſt.* In Tabula, inde a Bouillis ad Salernum, CAMPANIA. caractere ſemiunciali, antiquo Latino, eleganti, miniaceo, litera M incuria ſcribae exmiſſa. Fertilitatem terrae, et vini praeſtantiam, omnis veterum turba celebrat; neque noſtra haec aetas ignorat.

II. De priſcis habitationibus haec accepit Strabo: Antiochus ab Opicis habitatam fuiſſe eam regionem narrat, qui et Auſones dicantur. At Polybius Opicos inter et Auſones diſtinguit. Alii hos ab Oſca gente ſubactos, terramque occupatam, ferunt; Oſcos Cumani, Cumanos Etruſci pepulere. Campos quippe hos, ob praeſtantiam ſoli multis fuiſſe certaminibus expetitos, aiunt. Etruſcis agros ademerunt Samnites, his Romani.“ Haec ipſe. Cuius originis porro primi huius terrae coloni fuerint, a nemine proditum memini. Opinione mea fuere Italici generis homines, Liburnis miſti. Laeſtrygones, vt Homerus eos nuncupat, erant vetuſtiſſimi, ab litore, quod adcolebant, ſic vocati; *ſtruga*, *ſtryga*, litus; *ſtrigoni*, litorales; *le* particula Italica, quem articulum dicimus, pro quo Galli pluratiue *les* adhibent. Nam ἀπὸ τῆς ληστρείας, quod nonnullis

(a) L. V. p. 242.

placere video, adpellatos eſſe, non admiſerim. Neque enim ea vox barbarae gentis, vt eam deſcribit Homerus, Graiae originis eſſe videtur; neque eos Poeta praedones adpellauit. Pecuariae deditos fuiſſe, ex Vatis oratione adparet; cetera Poeticae fictioni adſcribenda. Latini a campis incolas vocare maluerunt; cuius nominis patria ſignificatio manſit in *Apulia;* quae hodie quoque incolis Liburnicae ſtirpis, aliisque Illyriis, *Pulya*, campus, audit.

II. Campaniam cum Latio Auguſtus regioni primae adſcribi iuſſit. Fines Campaniae, ab occaſu ora maris Tyrrheni; ab oſtio Sauonis ad exitum Silari; a borea fluuius Sauo, cum tractu Apennini, ad regionem Auſidenae, quae eſt in Samnio; ab exortu Vulturnus recens, deinde iuga montium ei ab occaſu, tum, poſt Beneuentum, ab exortu praetenta, linea ad Bradani fontem Silarique ducta; ab auſtro Silarus amnis, incluſis Hirpinis et Picentinis. Procurrit ab gradu longit. 31 min. 40. ad grad. 32 min. 36. latitud. grad. 40 min. 36. ad 41 min. 16. Longitudo maxima ab oſtio Sauonis ad Silari oſtium M. P. LXXIII. latitudo a Sauonis exitu ad fontem Frentonis, M. P. LXVI. Continetur haec regio prouincia regni Neapoleos, terra Laboris, vulgo *terra di Lavoro*, nuncupata.

§ II

Montes, fluuii, cryptae, lacus, inſulae.

I. IVGA montis Apennini per Hirpinos transeunt, ab exortu Frentonis, ad Auſidi, ac deinde Bradani fontes; qui maior iugorum tractus reapſe eſt, quam in Tabula exprimatur. Eſt mons *Balodo*, trans Apenninum, quem in Apulia quaeremus; praeterea complurium montium ductus conſpiciuntur, qui huic regioni ſint proprii; qualis eſt, qui Sauonem emittit; alius ſupra Capuam; infra Abellinum alius; ad Pompeios item, et Nuceriam duo alii; quos ordine diſpicere libet.

II. Mons, ex quo emergit Sauo, regione Teani, eſt Maſſicus, vino celebris, quod Horatius et Martialis in primis laudant; is, *veteris pocula Maſſici;* hic, *De Sinueſſanis venerunt Maſſica praelis.* Eius pars mons Falernus, aeque Bacchi munere clarus, Liuio frequentius memoratus; vti Callicula a ſeptemtrione contiguus. Maſſicus vulgo *Monte Marſico*, vinum eius *Muſcatellam* nuncupant. Eſt etiam ad fontem amnis borealem vicus *Marza.* Fabrettus, et Danuille, Maſſicum Sinueſſae vicinum, a iugis Apennini ſeparare videntur; latius tamen id vocabuli patuerit.

Alter tractus, itidem vnciam patens, ſupra Capuam, deſignet Falernum, de quo Liuius: Latinus ager Priuernati addito agro; et Falernus, qui populi Campani fuerat, vſque ad Vulturnum plebi Romanae diuiditur.“ Mar-

tialis: *Nec in Falerno monte maior auctumnus.* Plinio, *Falernum vinum, Falernae vnae.* Horatius, *positis intus Chii veterisque Falerni mille cadis.* Silius, grauidae cui nectare vites nulli dant praelis nomen praeferre Falernis." Huius pars Callicula, quem hoc situ Fabrettus notat. Sed in primis Tifata montem auctor Tabulae exprimi hoc tractu voluerit. Liuius, *Tifata*, imminentes Capuae colles. Item: In valle occulta post Tifata, montem imminentem Capuae, consedit." Rursus, sub Tifatis Capuae agrum vendiderunt." Silius quoque nouit montem. In Tabula, Iouis tifatinus. cum fano. In eo monte est oppidum *Caiazzo.* Plinius, *Tifata* oppidum memorat, quod sit a monte nuncupatum. Fabrettus et Danuille, sinistra Vulturni signant montem, oppido Caserta imminentem.

III. Sub Abellino mons duas amplius vncias patens, est pars a Furculis Caudinis, quas in Samnio, apud Caudium descripsimus, cui Nolam inter et Abellinum procurrenti *Mont Forte* nomen, cum vico homonymo. Tabulae auctor montem nominare neglexit, et nos, culpa eius, nuncupationem ignorare cogimur.

Sed is, qui ad Herculanum sesqui vnciam protenditur, est procul dubio Vesuuius, cuius incendium Plinius, Naturalis historiae parens, propius exploraturus, vapore intercluso spiritu viuere desiit. Memoratur Lucretio, Virgilio, Straboni, Melae, Plinio, Tacito, Valerio Maximo, Martiali, Silio, Statio, aliis. Strabo, *Ὀυεσσόυϊον ὄρος*, Vessuuius mons, agris cinctus optimis, demto vertice, qui magna sui parte planus, totus sterilis est, adspectu cinereus, cauernasque ostendens fistularum plenas, et lapidum colore fulginoso, vtpote ab igni exesorum; vt coniecturam facere possis, ista loca quondam arsisse." Poetae in vocabulo ludunt; Lucretio et Virgilio, *Vesevus;* Martiali *Vesuius;* Silio et Statio *Vesbius.* Seruat nomen, *M. Vesuvio.* Liburnis retorridum significat.

Postremus est tractus montis vnciam longus, apud Surrentum, qui in promontorium Mineruae desinit, cuius vocabulum superat. Frontinus, de coloniis, montes *Sirenianos* vocat. Strabo: Pompeiis vicinum est *τὸ Σύρaιον τῶν Καμπανῶν, Syraeum Campanorum;* vnde prominet *τὸ Ἀθήναιον, ὅ τινες Πρηνουσσὸν ἀκρωτηρίον καλοῦσιν*, Athenaeum, seu Mineruae promontorium, quod alii Prenussum vocant." (a) Plinius: *Surrentum cum promontorio Mineruae, Sirenum quondam sede.* Naso: *Surrentino generosos palmite colles*, laudat. Plinio quoque, *Surrentini colles*, *Surrentini montes*, dicuntur. Inde Sirenum nomen accepisse Homerum volunt; quae si a vero non abludunt, adparet, populum non incultum fuisse, vt qui cantus dulcedine teneretur. Ceterum ab lacticiniis adpellatos censeas, quales Laestrygonas, pecuariae rei deditos, fuisse,

---

(a) L. V. p. 247.

ſupra ex eodem Poeta intelleximus. Circen quoque ſuauiter canentem audiuere Vlyſſis ſocii; quo is quidem vix penetrarit; ſed Homerus hanc regionem notam habuiſſe videtur. Mores autem populi, opus textrinum feminarum, et ad opera cantus earum, neſcio, vtrum vlli potius genti, quam Illyricae conueniant. In vicina Apulia ſunt oppida plena familiarum, Illyrice loquentium, quae ab horum Campanorum atauis prodierint. Seruat nomen promontorium, *Capo della Minerva.*

Eſt in Tabula, Puteolos inter et Neapolim, effigies cauernae cuiuspiam, arcus figura, duplici oſtio, quam antiqui *Cryptam Neapolitanam* vocant. Strabo: Eſt ibi quoque διώρυξ κρυπτή, *foſſa occulta* per montem inter Puteolos et Neapolim; quae lumen ſuperne accipit ἐκκοπεισῶν θυρίδων, *feneſtris exciſis.*" Feneſtrae hae in Tabula adcurate exprimuntur, inſtar portarum. Crypta ipſa colore luteo picta. Meminit et Seneca foſſae; (a) *a ceromate nos haphe excepit in Cryptâ Neapolitana;* de via lutoſa, et puluerulenta loquitur. Haec de montibus; fluuios videamus.

IV. Fluuii tres notantur, Sauo, Vulturnus, Silarus, queis adiungitur Calor in mediterraneis; quos ab occaſu progreſſi in exortum, ea ſerie, qua in Tabula comparent, recenſebimus. Eorum primus,

Saſo fl. Velſ. *Saſo fl.* alueo breui. Ortus quippe regione Teanenſi, XXV M. P. decurſu emetitur. Bini riui, quibus primum ſurgit, apud *Francoliſi*, vicum concurrunt. Plinio: In ora *Sauo* fluuius; Statio, piger *Sauo.* Vulgo *Saone* vocatur.

Vulturno. in via, XII M. P. a priore, cum alueo prolixo, gyros faciente, et pedem integrum procurrente. Liuius: *Falernus ager vſque ad Vulturnum flumen plebi Romanae diuiditur;* cuius iterum mentionem facit. Plinius: Vulturnum oppidum cum amne." Strabo, Οὐουλτοῦρνος, *Vulturnus*, eiusdem cum oppido nominis, quod praeterlabitur; ῥεῖ δ' οὗτος διὰ Οὐενάφρου καὶ τῆς Καμπανίας μέσης, qui per Venafrum et mediam Campaniam fluit." Ptolemaeo, Οὐόλτουρνον, *Volturnum* oppidum. Oritur amnis in Apennini iugis, inter Aufidenam et Trinii fontes; augetur Tamaro, Calore, Sabato, quos omnes auctor Tabulae vno alueo deduci voluit. Seruat nomen *Volturno.*

Calor. fl. ad fontem Vulturni, ſed qui eo loco reapſe Calorem exhibeat. Liuius, Hannonem tria millia ferme ab vrbe ad *Calorem* fluuium caſtra poſuiſſe refert; cuius amnis iterum meminit. Amplam vrbem eſſe oportebat, quod hodie is fluuius ad VII lapidem recedit. Vibius, de fluminibus: *Calor Beneuenti oppido iunctus.* Hodie quoque *il Calore* audit, ortus Aufido, et boreali Silari brachio vicinus.

(a) Epiſt. 57.

Literno. in via; Velſ. *Literno.* Liuius: duae coloniae ad oſtia fluminum Vulturni Liternique deductae.“ Strabo, vbi *Λίτερνον*, *Liternum* memorauit: *παραῤῥεῖ δ' ὁμώνυμος τῇ πόλει ποταμὸς*, *vrbem alluit eiusdem nominis fluuius.* Virgilius et Silius *Clanium* vocant; Lycophron et Dionyſius Halicarnaſſenſis *Γλάνιν*, *Glanim.* Strabo, Lirim alias *Γλάνιν*, *Glanin* adpellari dicebat. Complura ſunt in Tabula huius vocabuli flumina, maxime in partibus Illyricis, quae a limo originem habeant, ſermone Liburnorum ſic nuncupati. Elegantem numum aeneum vulgauit Neumann, cuius auerſa bos facie humana, cum epigrapha KVME LITERN. ſcriptura Oſca, more cancrino. *Patria* vulgo audit.

Silarum fl. in via; Velſ. *Silarum fl'.* Straboni, *Σίλαρις*, *Silaris*, oblique *Σιλάριδος*. Ptolemaeus, *Σιλάρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Silari fluuii oſtia.* Latinis, Virgilio, Plinio, Silio, *Silarus;* Melae, *Silerus;* Lucano et Vibio *Siler.* Hodie *il Selo*, *Silaro*, ortus in Apennini iugis, Bradano vicinus.

In Tabula oſtio duplici exit ſic, vt altero alueo Sarnum exhibeat, cuius Strabo, Plinius, Statius meminerunt. Strabo: Pompeia, *ἣν παραῤῥεῖ ὁ Σάρνος ποταμὸς*, *quam Sarnus praeterfluit amnis.* Plinius, adluere ſcripſit. Silio, *Pompeiani otia Sarni.* Hodie quoque *Sarno* et *Scafati.* Si ea coniunctio amnium in Tabula vetus eſt, e traditione antiqua promanarit, cuius non meminerunt ſcriptores. Lacus veniunt.

V. Lac. avernvs. Velſ. *Lac. auernus.* Figura hemicycli, ſemiunciali, margine tamquam lapidibus munito, ſecus viam a Baiis Puteolos ducentem. Mazzella, in typo orae Baianae eleganti, quem in atlante Koeleri Chriſt. Weigelius vulgarat, LACVS AVERNVS. figura orbiculari, medio fere Cumas inter et Baias ſpatio; longus ab occaſu in exortum DCCC paſſus, latus DC. abeſt a litore Baiano et Dianae templo DCLXXX paſſus, a litore Cumano DCXL. Cellarius, Holſtenium ſecutus, cum lacum oſtio coniungi ait, quod etiam nunc viſitur, quamuis terra oppletum, Auernum cum Lucrino permutaſſe videtur. Lucrinus quippe eſt ad oram, ex aduerſo Bauli villae, LXXX paſſus longus, XL latus, cum epigrapha: Lucrinus lacus, qui omnis fere crebris terrae motibus interiit.“ Memoratur Auernus, Lucretio, Ciceroni, Liuio, Virgilio, Straboni, Plinio, Lucano, Ammiano, aliis. Plinius: *lacus Auernus, iuxta quem Cimmerium oppidum quondam.* Poeta, in Odyſſea, terram Cimmeriorum apud hunc lacum, licentia Vatum vſus, ſtatuit, amnibus Acheronte, Pyriphlegonte, Cocyto, et Styge, huc aliunde translatis. Occaſionem innuit Feſtus: Cimmerii dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt, quales fuerunt inter Baias et Cumas, in ea regione, in qua conuallis ſatis eminenti iugo circumdata eſt, quae neque matutino, neque veſpertino tempore ſole contegitur.“ Hodie *Lago d' Averno*, et *Lago di Tripergola.*

Lac. acervſius. Velſ. *Lacus Acerufius.* figura ouali, priore citerior, mare verſus. Apud Mazzellam, longus eſt ab auſtro in boream CDXXX paſſus, latus a meridie CCXL. Abeſt a lacu Auerni in occaſum paſſus DCLXXX. ab ora

maritima in exortum DCCC. Inſcribitur: *Acheruſius lacus*, *hodie Colluuius.* Straboni, *Ἀχερουσία λίμνη*, *Acheruſia palus;* ſed non recte *τῆς θαλάσσης ἀνάχυσίς τις τεναγώδης*, *coenoſa maris effuſio;* is enim Lucrinus eſt, vti dicebamus; quem, ipſo teſte Strabone, quidam cum Acheruſio, alii cum Auerno confundebant. Plinius: *Acheruſia palus Cumis vicina.* Hodie, *Lago della Collucia.*

§ III

Oppida, manſiones.

I. VIA ad oram, quam ſequi primum libet, ab Sinueſſa duplex eſt, altera Capuam, in mediterranea, altera Baias, inde Neapolim ducens; in vtraque ſocium ſe ſe Hodoeporicon praeſtat. Danuille, in Atlante, maritimam negligit, in tabellis, ad commentarios Rollini, notat; Fabrettus ambas perſequitur. In Tabula, ab Sinueſſa, haec legas:

Saſo. fl. VII. Velſ. *Saſo fl.* VII. Cellarius *Saſo* legit. Plinius: In ora Sauo fluuius; Vulturnum oppidum cum amne.“ Statius: *Et Literna palus, pigerque Sauo.* Fabrettus ad IV ab Sinueſſa lapidem biuium format, inde ad II ſignat amnem; quem e Danuille, eodem fere interuallo exprimit, via non producta. Olim et manſio amni adſita fuerit. Fabrettus, laeuo viae margine, *Cedias* notat; in chartis vicus *Cacello* eſt ad Vulturnum.

Vulturno. XII. ſic Velſ. Fabrettus, Vulturnum a Sauone non niſi V M. P. remouet; Danuille ſpatio minore, vt nonnullae chartae recentiores; Schimek duo mill. geogr. interponit, quod eſt ſincerum. Bello Punico II caſtellum fuit ad amnis oſtium conſtructum, quod poſtea oppidum euaſit. Liuius: ad Vulturni oſtium, vbi nunc vrbs eſt, caſtellum communitum.“ Idem, alias: coloniae ciuium Romanorum deductae ſunt Puteolos, Vulturnum, Liternum.“ Varro: *colonia noſtra Vulturnum.* Plinius, a Sauone, *Vulturnum oppidum cum amne.* Vulgo, *Caſtel del Voltorno*, aut *Volturno*, vicus laeua exeuntis fluuii ripa.

Literno. XII. ſic Velſ. Hodoeporicon, a Sinueſſa, *Literno.* XXIIII. Eſt etiam iter a Literno Miſenum. Liuio, Straboni, Plinio, Feſto, *Liternum;* Ouidio, Melae, Silio, *Linternum;* Appiano, *Λίτερνον*, Ptolemaeo, *Λείτερνον*, Straboni, *Λίτερνον*, *Liternum*, ad fluuium cognominem, ſepulcrum Scipionis Africani. Eſt vicus *Patria*, vel *Torre di Patria;* quod vocabulum aeuo medio, in Chronicis, legitur: Curtes et terras in finibus Liburiae loco Porano prope lacum Patriae.“ Liburia, pars Campaniae, non minimam cum Liburnia cognationem habet. Adeo complura heic ſunt, quae gentem Liburnicae originis hacc tenuiſſe loca indicent.

Cumas. VI. ſic Velſ. Hodoeporicon, vtroque itinere, *Cumis.* VI. editi vetuſtiores III M. P. Numerum priorem Tabula firmat, et chartae recentiores. Scylax: vrbes graecae in Campania hae ſunt: *Κύμη*, *Νεάπολις*, *Cyme*, *Neapolis.* Strabo, Cymaeos ex Aeolia conditores vrbis fuiſſe refert: *ἔστι κύμη Χαλκιδέων καὶ Κυμαίων παλαιότατον κτίσμα*, *Sunt Cumae Chalcidenſium et Cumaeorum opus vetuſtiſſimum.* Eſt numus parantiquus, a Neumanno vulgatus, in cuius auerſa KVMELITERN. ſcriptura Oſca, more cancrino legenda; ſiquidem recte vir doctus eſt elementa interpretatus; nam ſimiles literae in peruetuſtis Graeciae quoque numis comparent. Latinis *Cumae*, *Cumani;* Ptolemaeo quoque *Κοῦμαι*, *Cumae;* Silio et Statio *Cyme*, priori etiam *Cume.* Velleius: *Cumanos Oſca mutauit vicinia.* Laudantur aquae Cumanae, Sybilla Cumana, cuius antrum apud Auerni lacum. Eleganter ſitum Cumanum, in ſinu Cumano, Mazzella expreſſit, in tabula chorographica orae Baianae. Hodie vicus *Cuma.* Vocabulum Liburnis adfinitatem ſignificat; vnde in memorato numo Cuma iungitur Literno, quod Graecorum non erat; niſi flumen ibi accipi malis.

N. - - - . III. inſigne aquarum, aedes quadra; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Literno Miſenum, *Bais.* III. liber Sigonii, *Baiis. M. P. M.* III. Omni ſpatio ſumto, ſunt M. P. tria cum ſemiſſe, vt Fabrettus notauit. Lycophron, a Baio, Vlyſſis nauclero, ibi ſepulto, locum ait nuncupatum; quod alii Poetae recentarunt. Strabo: *Βαΐας*, *Baias*, nomen habere perhibent a Baio, *Βαΐου*, vno ſociorum Vlyſſis. Amoenitatem agri paucis depingit Martialis: *Baias ſuperbae blanda dona naturae.* Quae res non paucos ex Vrbe quoque exciuit, vt villas et palatia iſthic ponerent; quae omnia ſingulari gratia expreſſit memoratus Mazzella. Ioſepho Flauio *πολίδριον*, oppidulum; Plinio, portus Baianus; Suetonio, ſinus Baianus. Hodie, *Caſtel di Baia.* Circa Baias in Tabula ſunt lacus Auernus et Acheruſius, quos ſuo dedimus loco.

Inuinias. III. aedes quadra, vt loco priore; Velſ. *Inuinias.* absque numero. Ductus viae apud Scheibium eſt a lacu Auerno Puteolos verſus, cum Baiis non coniunctus. Scriba Velſeri apud Cumas connectit; et reapſe eo tractus tendere videtur. Putet quis, *In vineas* legi oportere; quae fuerint circa villam Ciceronis Academicam, ſecundum Mazzellae typum; dextro viae margine eſt mons Cinerum Nouus, mare verſus; vt idem notat. Paullo inferius, mons Gaurus, vini ferax, cuius meminerunt plures. Silius, *nemoroſus palmite Gaurus;* item, *Bacchei vineta madentia Gauri.* Plinio, *Gauranae vites*, *Gauranum vinum*, vina Maſſica ex monte Gauro. De ſitu disputari videas apud geographos; Mazzella, Lucrinum inter et Puteolos ſtatuit, vtrimque II M. P. interuallo; quae menſura iuſto amplior vedeatur, ſed in tabella perſpectiue, vti dicimus, conſtructa. Hodie, *il monte Barbaro.* Aedes quadra villam ſignificet; qualis eſt, apud Mazzellam, Ciceronis, longa CCLXXX. lata CC paſſus; quae ſtructura non fuerit vulgaris. Cicero XXX ſtadiis, ſeu IV M. P. fere, a Puteolis remouet.

II. **Puteolis**. .co. insignia coloniae; sic Vels. Hodoeporicon itinere ab Terracina Neapolim, *Puteolis*. III. a Cumis; quod interuallum chartae recentiores firmant; in Tabula co. significat *confinem* vineis esse vrbem; vnde ea structura villam Augustam in Cauro notabit. Fabrettus, a Cumis Puteolos VI M. P. censet; Mazzella VII. rectius Danuille III. Priores spatium gratia structurarum, villarum, monumentorum, ampliarint; tamen paullo amplius III M. P. videtur eo interuallo contineri, cum ad Vineas vsque tot censeantur. Graeci, *Δικαιαρχίαν*, Dicaearchiam vocant; quod Strabo *ἐπίνειον Κυμαίων*, *nauale Cumanorum*, ante Punicum bellum fuisse ait, Romanos communitum *Ποτιόλους Potiolos* adpellasse, a puteis, vt quidam volunt, alii a putore aquarum. Incolae Puteolani, Graecis *Δικαιαρχίται*, *Dicaearchitae*. Meminerunt horum Polybius, Cicero, Liuius, Velleius, Strabo, Suetonius, Plinius, Ptolemaeus, Statius, Stephanus, alii. Stephano *Ποτιόλοι*, *Potioli;* Ptolemaeo, more Latinorum, *Πουτεόλοι*, *Puteoli;* vulgo *Pozzuolo* oppidum.

N. - - - - - . v. figura Cryptae; sic Vels. *Neapolitana Crypta*, cuius heic nomen desideratur, erat; quam e Strabone et Seneca memorauimus. Hodie *la Grotta di Napoli*. Vt Fabrettus eam signauit, fere bis mille passus longum procurrit, Neapoli proxima; idcirco nullus comparet intermedius in Tabula numerus. Viae ductus, inde a Vineis ad Neapolim, incuria scribarum, est exmissus.

Neapoli. absque numero; insignia coloniae; sic Vels. Hodoeporicon, itinere a Terracira Neapolim, a Puteolis, *Neapoli*. x. quod nimium videatur; nisi circuitum velis factum. Danuille, omni spatio intercepto VII M. P. Fabrettus VIII. numerant. Verum amplae erant vrbes ambae, et Tabula spatium a Crypta neglexit. *Νεάπολις*, *Neapolis*, vrbs Graeca, inde ab Scylace scriptoribus nota. Chalcidensium, qui Cumas condidere, coloniam esse perhibent. Velleius de Cumanis: *Pars horum ciuium Neapolim condidit*. Plinius: Litore, Neapolis Chalcidensium, et ipsa Parthenope a tumulo Sirenis adpellata." Sireni fuit nomen *Παρθενόπη*, vt Scymnus et Strabo praeterea scribunt. Ciues Neapolitani, non Aeolica modo, verum etiam Dorica dialecto vsi, vt numi fatentur; in quibus *ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ. ΝΕΟΠΟΛΙΤΕΩΝ. ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΝΕΟΠΟΛΙΤΑΣ.* Bonarum artium culturam elegantia, et natiua numorum gratia ad viuum ostendit; adeo perfectam exhibent fabrica sua artem. Agones, gymnasia, theatra, teste Strabone, ciues moris graeci tenacissimos perhibent. Seruat nomen *Napoli*.

Herclanium. XI. sic Vels. Velleius, *Herculanium* sociali bello captum, ait. Plinio quoque *Herculanium;* Senecae, *Herculaneum*, *Herculanensis oppidi pars ruit*. Naso, *Herculeam vrbem*, vocat; Columella: Pompeia palus, vicina salinis *Herculeis*. E ruinis vrbis insignia picturae veteris monumenta prodiere, magna industria collecta, et a viris doctis illustrata, vulgataque in ipsa vrbe Neapolitana; nam editio Germanica, quae Augustae Vindelicorum prodiit, est

opus tironis cuiuspiam in arte graphidos; adeo omni gratia caret. Hodie vicus, *Torre del Greco*, eſt, vbi rudera vrbis effodiuntur; Holſtenio *Torre di Ripalta.*

Oplontis. VI. aedes quadra; ſic Velſ. Locus hic geographis ignotus. Fabrettus, qui omnia quaeque conſectatur, Herculaneum inter et Pompeios nullum ſtatuit locum. Mela Pomponius haec habet: Herculaneum, *Veſuuii montis aſpectus*, Pompeii. Plinius, Herculanium, Pompeii, haud procul aſpectante monte Veſuuio." Sed *Veſuuii aſpectus* videtur loci nomen, quod Tabula Oplontis, forſan Optontis, ὄπτομαι, *adſpecto*, vocat, expreſſo aedificio nobiliori, quod ſpectando Veſuuii incendio conſtructum fuerit. Memorant veteres, hoc circiter ſitu, *Veſerim*, locum, an flumen, non conuenit inter eruditos. Liuius: Pugnatum eſt haud procul radicibus Veſuuii montis, qua via ad Veſerim ferebat." Fabrettus Herculanio et Neapoli interponit, vbi *Portici* oppidum, aut *Reſina;* ſed hanc Retinam Plinius iunior vocat, quod geographis obſeruatum non video. Mihi res proxima vero videtur, locum Graecis Oplontem, ſeu Optontem, Latinis Veſerim, a videndo nuncupatum, iſthic, ad Veſuuii radices, circiter vicum *S. Angelo*, prope dextram Sarni exeuntis ripam, exſtitiſſe.

II. Duae ſunt a ſpecula Oplontis viae, vna per Pompeios Nuceriam; altera per Stabios Surrentum, petit; eſt etiam tractus viae a Pompeiis ad Stabios. Oram prius abſoluemus, deinde reliqua viſuri. Ab Oplontis haec in Tabula ſequuntur:

Stabios. III. ſic Velſ. Plinius: In Campano agro Stabiae oppidum fuere vſque ad Cn. Pompeium et L. Catonem conſules, pridie Calend. Maii, quo die L. Sulla legatus bello ſociali id deleuit; quod nunc in villam abiit." Norunt praeterea Stabias, Ouidius, Columella, Plinius iunior; Procopius, Γάλακτος ὄρος, *Lactis montem*, hoc tractu, memorat, quod lac Stabiarum aegris medicina erat, Symmacho teſte. Danuille, in Atlante quidem, *Stabia;* in tabella viarum Italiae, *Stobi;* Fabrettus, *Stobia;* quam formam veteres non prodidere. Eſt oppidum epiſcopale *Caſtel a mare di Stabia.* Viam a Stabiis Nuceriam deinde luſtrabimus.

Surrento. XII. Velſ. *Surrento.* abſque numero. Strabo, Σύρεντον, *Syrentum*, vt Cellarius legit; in vulgatis Σύῤῥεντον, Σύραιον, *Syrrentum*, *Syraeum*, epitheton autem Συρρεντῖνος, *Surentinus.* Ptolemaeus, Σούρεντον, *Surentum;* Latini, Ouidius, Mela, Plinius, Silius, Frontinus, *Surrentum*, geminata canina. Vicini colles Surrentini vitiferi; Naſo: *Surrentino generoſos palmite colles*, canit; Martialis, *Surrentina vina.* Eſt vrbs *Sorrento*, vel *Sorriento.* In Tabula numerus XII in via Nuceriam verſus poſitus, etiam huc refertur.

Templ'. Minerue. abſque numero; fanum in peninſulae intimo; Velſ. *Templum Mineruae.* Strabo: Pompeiis contiguum eſt Surrentum Campanorum, ὅθεν πρόκειται τὸ Ἀθήναιον, *vnde Athenaeum prominet*, ſic vocatum, quia ἐπ' ἄκρῳ Ἀθηνᾶς ἱερὸν, *in promontorio Mineruae fanum eſt.* Plinius: Surrentum,

cum promontorio Mineruae; Sirenum quondam ſede.“ Norunt praeterea promontorium, Ouidius, Mela, Tacitus, alii. Seruat nomen *Capo della Minerva*, vicus VI M. P. a Surrento; templum fuerit, vbi *Maſſa* oppidum, vrbi vicinum, idcirco absque numero in Tabula poſitum.

III. A fano Mineruae, itineris per oram continuatio non eſt, ſed ab Nuceria itur Salernum. Hunc angulum ante, quam vlteriora petamus, expedire libet. Diximus, a manſione Oplontis viam per Pompeios ducere Nuceriam, quae ſic habet:

Pompeis. III. inſignia municipii; ſic Velſ. Strabo, *Πομπαία, ἣν παραῤῥεῖ ὁ Σάρνος ποταμὸς, Pompeia, quam Sarnus praeterfluit amnis.* Plinius · Pompeii haud procul adſpectante monte Veſuuio, alluente vero Sarno amne.“ Nerone Imp. concidiſſe motu terrae, Seneca prodit: (a) Pompeios, celebrem Campaniae vrbem, in quam ab altera parte Surrentinum Stabianumque litus, ab altera Herculanenſe conueniunt, mareque ex aperto reductum amoeno ſinu cingunt, deſediſſe terrae motu, vexatis, quaecumpue adiacent regionibus, audiuimus.“ A fluuio, *Sarraſtes* populos, Virgilius, Siliusque, vocant; Statius: *Pompeiani Sarni otia.* In ſitu non conuenit geographis; Fabrettus II M. P. a laeua Sarni, in litore ſtatuit; Danuille, in Atlante, ſitu vici *Torre del Greco*, vbi Herculanium poſuimus; in tabella itinerum Italiae, ad oſtium Sarni, amne non ſignato. Harduinus, Cluuerium ſecutus, oppidum fuiſſe, nunc rudera, et *Cività* nomen. In chartis recentioribus, interuallo et ſitu Pompeiis reſpondet oppidum *Lettere*, Sarni amnis laeua ripa, IV M. P. a mari. Cellarius quoque, Cluuerii exemplo, Pompeios ibi ſignauit. Firmat opinionem interuallum III M. P. a Stabiis, ſignato etiam viae ductu; qui clare oſtendit, Pompeios in mediterraneis exſtitiſſe.

Nuceria. XII. inſignia coloniae; Velſ. *Nuceria.* absque numero. Hodoeporicon, *a Neapoli Nuceria Conſtantia.* XXXVII. MSS. XXIIII. in Regio, *Noceria;* itinere ab Vrbe ad Columnam, a Nola, *Nuceria.* XVI. A Neapoli recta per Pompeios ſunt XXIV M. P. Tabula cenſet XXXII. Straboni, in minoribus oppidis, *Νουκερία, Nuceria.* Diodorus, *Νουκερίαν, τὴν Ἀλφατέρναν, Nuceriam Alfaternam* vocat, exemplo Liuii, ad diſtinctionem alterius, Camellariae et Fauonienſis cognomine. Plinius, memorato Sarno: ager Nucerinus, et nouem millia paſſuum a mari ipſa Nuceria.“ Coloniam ab Auguſto deductam, Frontinus memorat. Numi, *ΝΟΥΚΡΙΝΩΝ. Nucrinorum.* Interuallum Plinii ab Salerno computari debet. Oppidum *Nocera* eſt, ripa Sarni laeua.

Apud Nuceriam concurrunt viae a Nola, Salerno, Stabiis; quarum priorem poſtea viſuri ſumus. Ad Stabias XII M. P. cenſentur; quae reapſe hoc ſpatio a Nuceria abſunt, tametſi Pompeiorum reſpectu nonnihil occidentalius

(a) L. VI. Quaeſt. Natur.

ſitae. In Tabula, Pompeii dextram Sarni tenent; quod geographis crucem ſixerit; ſed ibidem et Stabiae, ob conſtructionem operis, notantur. Scilicet plura ſunt geographo in Tabula hac in conſiderationem ſumenda. Salernum a Nuceria ſic petitur:

Salerno. VIII. inſignia coloniae; Velſ. *Salerno.* absque numero; erat tamen in prima Velſeri editione VIII. Hodoeporicon, a Nuceria, *in medio Salerno.* Surita, *Falerno;* de quo longum diſſerit. Strabo: praeſidii cauſſa Romani *Σάλερνον*, Salernum, muniuerunt, *μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης*, paullo ſupra mare ſitum." Liuius, *caſtrum Salerni;* Ptolemaeus, in Picentinis, in ora, *Σάλερνον*, *Salernum.* Plinius: *Intus oppidum Salerni.* Liuius, Salernum, Buxentumque coloniae ciuium Romanorum deductae ſunt." Incolae, *Salernitani;* Plinio, *Salernitana latebra.* De ſitu loci Holſtenius cum Cluuerio contendit; hic, veteres ſecutus, a mari remouet; ille orae adplicat, vbi hodie vrbs *Salerno.* Videtur tamen olim potior oppidi pars in mediterraneis fuiſſe. Huc ſpectant VIIII M. P. queis Plinius Nuceriam a mari remotam perhibet.

IV. Apud Salernum exit via a Beneuento, ex mediterraneis; abit per oram Paeſtum ſeu Poſidoniam, tractu viae, incuria ſcribarum, exmiſſo. Paeſtum vltra Silarum amnem eſt, in cenſu Lucaniae; a Beneuento alias huc adpellemus; nunc in mediterranea Campaniae gradus faciendus. Principium ab Teano ducemus. In Tabula, vna ab Caſino, altera a Minturnis, Teanum petunt. In illa ab Caſino ad VIII lapidem, manſionem *ad Flexum* habuimus, quam circiter *Mortula* vicum, laeua Liris ripa ſtatui oportere cenſebamus. Inde, Teanum verſus progrediente via, ex medio fere ſpatio ductus in boream abit, quem Teano abſoluto indagabimus.

Teano ſcedicino. VIIII. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, a Venafro, *Teano.* XVIII. a Minturnis, itinere a Tarracina Beneuentum, *Teano.* XVIII. in libris *Theano.* Straboni, *Τέανον Σιδικηνὸν*, *ἀξιόλογος*, *Teanum Sidicenum*, *nobilis* vrbs. Frontinus, Teanum Sidicinum, colonia Caeſaris Auguſti." Meminerunt praeterea vrbis, Cicero, Plinius, Ptolemaeus, alii. Populus, *Sidicini*, ciues *Teanenſes.* Cicero, *Sidicinos*, lapis, apud Gruterum, TEANENSES. nuncupant. Numi, cum capite Apollinis, TANNVR. retrograde legendum, qualem Neumannus, elegantiſſimae fabricae, vulgauit. Vox haec Thracibus orbem notat. Silius, *Threiciam Calen* dixit, vt mox videbimus. Eſt oppidum *Tiano*, ad exortum Sauonis.

Apud Teanum exit via a Minturnis, absque locis, absque numeris. Sueſſam interceſſiſſe credas, vt Danuille in Atlante ſignauit, a Minturnis XI. ab Teano VII M. P. interuallo. Alia Vulturnum et Venafrum, alia Capuam petit; quas, vt primum Rotas expediuerimus, ingrediemur. A manſione ad Flexum, quam in ſinibus Latii poſuimus, in Tabula haec comparent:

Ad Rotas. absque numero; ſic Velſ. Fabrettus habet *ad Rotas*, ſed longe ſupra Venafrum, et Eſerniam, ſitu *Caſtel Novo.* Danuille, ex doctrina

Holſtenii, *Rufras*, quarum Virgilius, Silius, lapides meminerunt, ſitu oppidi *Preſenzano*, IX M. P. ſupra Teanum, VII M. P. infra Venafrum, conſtituit. Si Tabulae auctor compendio vſus, VIII numerum, qui a Flexu Teanum verſus ponitur, repetere voluit, manſionem ad Rotas Rufris competere non dubitabimus. Virgilii ſunt: Qui Rufras Batulumque tenent, atque arua Celennae." Ad quae Seruius: Rufras Batulumque; caſtella Campaniae a Samnitibus condita." Lapis Praeſenziani repertus, M. Agrippae, L. F. patrono RVFRANI COLONI. Silius: *Et quos aut Rufre, aut quos Aeſernia miſit.* Ager adiacens, teſte Holſtenio, *la Coſta Rufaria* vocatur. Forſan et Rufrium Liuii, quod is cum Allifis et Callifis in Samnio ſtatuit, huc pertinebit, rectius, quam Cluuerio duce, vltra Campſam, ad oppidum *Ruvo.* Sane Allifae non niſi ad XII inde lapidem in exortum abſunt, quas in Samnio, quod heic latius accipitur Liuio, poſuimus.

Si locus hic cum Tabulae Rotis bene ſubſiſtit, pronum eſt cenſere, viam a Rufris tetendiſſe Venafrum, inde Eſerniam. Nam VII M. P. quae adponuntur, omnino Venafrum ducunt; quod, vt viae tractus, ſiniſtrorſum factus, oſtendit, olim via hac poſitum fuerit, ſcribarum incuria, cum numero XII Eſerniam verſus, exmiſſum. De Eſernia, quo haec via ducebat, in Samnio diximus.

V. Alia eſt via ab Teano Cluturnum verſus, VIIII M. P. interuallo, quod ad flumen Vulturnum pertingit, cuius ripam tenebat via, ab Cluturno, quod ex aduerſo Venafri, apud *Capria* vicum, in Samnio, conſtituimus, Allifas ducta. E dimidio viae huius tractu alia Teleſiam verſus tendebat; vt apud Samnitas monebamus. Ab Teleſia Syllam, inde Capuam progreditur hoc pacto:

Syllas. VI. aedes quadra; ſic Velſ. Danuilleo, *Syllae*, cum viae ductu, ex aduerſo Sabati in Vulturnum effluentis, ſitu *Campagnano* vici; alii praeteriuere locum. Plinius, Vrbanam coloniam *Syllanam* memorat; ſed ea ab hoc municipio diuerſa erat, vti videbimus. Interuallum, et viae ductus, vico memorato bene reſpondent. Sequitur,

Ad diana. VI. fanum deae; Velſ. *Ad diana.* VI. Danuille praeterit locum, recta Capuam progreſſus. Cellarius, priores ſecutus, Cluuerium quippe et Holſtenium, de Tifatis et Callicula montibus locutus: Sacer, inquit, montanus is tractus fuit, et in Tabula Auguſtana duae aedes in collibus ſupra Capuam conſpiciuntur; alteri, quae ad occaſum vergit adſcriptum eſt *ad Dianam;* alteri, orientem reſpicienti, *Iouis Tifatinus.*" Fabrettus ad II et ſemis M. P. a Capua in exortum aeſtiuum ponit fanum, cum epigrapha *ad Dianam;* inde ad III et ſemis, a Capua V M. P. in exortum aequinoctialem, in iugo montis, *M. Tifata Iouis Tiuateni Fan.* Diſtantia vtrimque expoſcit *Caſerta* oppidum, laeua Vulturni ripa. Nam a fano Dianae Capuam vſque III M. P. in Tabula notantur. Inter Dianae templum et Syllae municipium exit via ab Allifis, hoc modo:

Gahatie. VI. Vell. *Gahatie.* VI. Numero inter Syllas et Galatie posito; ab Allifis nullus est hac via, sed altera VIIII interponuntur. Calatia, colonia Romana, cuius meminerunt Liuius, Velleius, Strabo, Plinius, Silius, Frontinus, alii. Straboni *Καλλατερία*, *Callateria*, Xylander *Καλλατία*, redditque *Calatia.* Frontino, Calatia Capuensi coloniae a Sulla adiudicata ob hasticam pugnam." Plinio, *Calatiae*, pluratiue. Ciues Calatini; Liuius: Defecere ad Poenos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini." Idem Calatinum et Calenum agrum memorat; priorem Fabrettus inter Allifas et Calatiam signat, quae, secundum Danuille, XIII M. P. ab se se abscedunt; qui tamen in Atlante Acerras inter et Capuam, oppidum statuit; alias apud *Caiazzo*, Holstenio *Gaiazza*, in monte, dextra Vulturni ripa; qui est Calatiae situs proprius. Sed is aliam Tabulae Calatiam ibi respexit, vt videbimus. *Gahatie* videtur barbaram continere expressionem; h quippe *sh*, *zs*, *cs*, in Tabula significare consueuit. Forsan a braccis habuere veteres coloni nomen. Nunc ab Teano Capuam progredi libet.

VI. Cale. III. sic Vell. Calium meminerunt plures, Cicero, Liuius, Horatius, Paterculus, Strabo, Plinius, Tacitus, Silius, alii. Straboni, *Κάλκη*, *Calce*, et *Καλύδιον*, *Calydion;* Casaubonus legi vult, *Καλῆς*, vel *Καλησία.* Sed et Latini variant; Cicero, venit *Cales*, et Calenum municipium. Plinius, absolute, *Calenum.* Silius, *Threiciam Calen;* quod rarum videatur epitheton. Forsan riuo id nomen erat, cui oppidum est adpositum. Ciues Caleni; fragmentum Capitolin. M. Valerius Coruus DE CALENEIS. Idibus Mart. A. V. 419. Laudat vinum Horatius: *Caecubum, et prelo domitam Caleno tu bibes vuam.* Est oppidum *Calvi*, dextra riui, Vulturnum petentis, ripa. In Tabula V aut X desiderentur; variant erim chartae; Danuille XII M. P. interponit, in Atlante X. quaedam recentiores VIII dumtaxat; qui numerus in Tabula fuisse videtur.

Casilino. VII. sic Vell. Strabo, *Κασίλινον, ἵδρυται ἐπὶ τῷ Οὐουλτούρνῳ ποταμῷ, Casilinum ad Vulturnum flumen situm;* vbi Praenestini ab Hannibale obsessi fuerunt. Plinius: *Sunt et morientis Casilini reliquiae.* Incolae *Casilinenses*, Ciceroni; Val. Maximo, *Casilinates.* Vrbis vestigia ad vtramque Vulturni ripam, vbi nunc Capua noua, exstare aiunt. Apud Casilinum via Appia cum Latina concurrit, vt Strabo quoque dicebat, sed Casinum pro Casilino adducens. Sic autem ab Sinuessa Appiae ratio habet:

Ad ponte campano. absque numero; sic Vell. Burdigalense, ab Sinuessa, *mutatio Ponte Campano.* IX. Est numerus VIIII Minturnas inter et Sinuessam, quem scriba repetere noluit. Pons Campanus in Sauone fluuio erat, cuius Horatius et Plinius meminerunt; ille: *Proxima Campano ponti villula;* hic: Falernus ager a ponte Campano laeua petentibus Vrbanam coloniam Sullanam, nuper Capuae contributam, incipit." (a) Vicinus est *S. Giovanni a Ponte Campano* vicus.

(a) L. XIV. c. 8.

Vrbanis. III. ſic Velſ. Eſt haec Vrbana colonia Sullana, cuius e Plinio meminimus; Tabula, Vrbanos, populi vocabulo, nuncupat. Fabretto et Danuilleo *Vrbana*, ad exortum riui, Vulturnum petentis, agro vici *Pizzone.* Prope Vrbana fuerit villa, de qua ſic Horatius canit: (a)

> Proxima Campano ponti quae villula, tectum
> Praebuit, et parochi quae debent, ligna ſalemque;
> Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt."

Ad nonum. III. aedes quadra; ſic Velſ. Burdigalenſe, *mutatio ad Octauum.* IX. Fabrettus ad III et ſemis M. P. quadrum munitum ſignat, cum epigrapha, *ad Octauum;* deinde vici inſtar, *ad Nonum*, ad IV et ſemis ab Caſilino lapidem; niſi verſa vice accipi voluerit; quod lapides hi a Capua numerabantur, non ab Sinueſſa, a qua hic tertius decimus iam erat. Burdigalenſe quoque a Capua ad mutationem *ad Octauum*, VIII M. P. numerat; quo loco nihil Weſſelingius. Via haec curae Capuanorum credita fuit, columnis ab ea vrbe numeratis diſtincta, vt ſciretur, quousque viae publicae reparatio colonis incumberet. Situm loci huius fere obtinet memoratus *Pizzone* vicus, dextra riui, ab Caſilino defluentis ripa, ad quod VI M. P. a manſione *ad Nonum* in Tabula numerantur. De Caſilino dictum; inde venit,

Capuae. III. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, ab Sinueſſa, *Capua*, XXVI. Burdigalenſe, *ciuitas Capua.* VIII. Norunt vrbem, Liuius, Velleius, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Florus, Stephanus, alii. Graecis, *Καπύη*, *Capye.* Liuius, Vulturnum, Etruſcorum vrbem, quae nunc Capua eſt, a Samnitibus captam, Capuamque ab duce eorum Capye adpellatam." (b) Strabo et Plinius aliud etymon tradunt; hic: *Intus coloniae, Capua, a campo dicta, Aquinum, Sueſſa.* Gentile, Graecis, *Καπουανὸς*, *Capuanus;* quo veteres Latini non vtuntur, ſed pro eo *Campanus;* vt non contemnenda ratione Cluuerius probauit; vnde *ager Campanus* Liuio. Epigraphe ſeculi IV. ORDO CAPVENSIS. Numi veteres *ΚΑΠΥΑΝΩΝ. Capyanorum;* ſi tamen graece hi cives locuti erant. Hodie *S. Maria di Capuo*, quibusdam chartis *S. Mauro*, III M. P. a Vulturno in auſtrum; nam vbi noua Capua eſt, Caſilinum fuiſſe diximus.

VII. A Capua tres viae ſunt, in diuerſa ducentes, vna Beneuentum, altera Nuceriam, poſtrema Neapolim; prior eſt Appia, Brunduſium vſque pertinens, vt in viis Romanis obſeruamus. Aliae hoc tractu nominibus carent. Beneuentum verſus haec in Tabula notantur:

Calatie. VI. ſic Velſ. Deliſle, eiusque exemplo Danuille, in Atlante, ad V a Capua in exortum hibernum lapidem, Calatiam ſignant, vbi fere vicus

(a) L. I. Serm. Satyr. V. verſ. 45. (b) L. IV. c. 37.

Pechele. In aliis Italiae tabellis, ad commentarios Rollini paratis, ſitu *Caiazza*, cum aliis, ponit. Et ſane vna erat hoc tractu Calatia; quam iſthic ſtatui debere, via heic ab Alliſis repetita, ob conſtructionem operis, cum VIIII M. P. interuallo, clare oſtendit. Nam ab *Alliſi* ad *Caiezza*, omni ſpatio intercepto, ſunt duo mill. geogr. cum exceſſu quodam. Inter fanum Iouis Tifateni et Galatiam, ſcribi videas,

Caſtra anıba. ſic Velſ. Situm caſtrorum Annibalis oſtendit Liuius: (a) in valle occulta poſt Tifata montem imminentem Capuae, conſedit; adueniens cum caſtellum Galatiam, praeſidio inde vi pulſo, cepiſſet, in circumſidentes Capuam ſe vertit.“ Danuille iter hoc Hannibalis flectit in auſtrum, vt in Atlante: ſed *Caiazza* erat Galatia, in via Beneuento Capuam, vti diximus, quam in viis Hannibalis notare neglexit. Caſtra haec, circa ripas Vulturni, in via ipſa, fuiſſe oportebat, prope Calatiam. Sequitur in Tabula,

Ad nouas. VI. ſic Velſ. Burdigalenſe, *mutatio Nouas.* XII. Weſſelingius tabernas accipi oportere putat. Danuille, cum ſociis, praeterit. Nouae hae ad ripam Vulturni, Agatham verſus, fuerint, a tergo Tifatorum, forſan vbi caſtra Hannibalis olim ſteterant. Caudium, quod venit, cum VIIII M. P. in Samnio diximus, circiter vicum *Mont Sarchio*, prope dextram riui exorientis, Vulturno poſtea iuncti, ripam; ex cuius rudere *Agatha* ſurrexerit. Ab Caudio Beneuentum M. P. XI. cenſentur; a Beneuento binae viae in Campaniam ducunt, vna Aeculanum, altera Abellinum. Aeculanum verſus ad IV lapidem eſt Nuceriola, quam in finibus Samnii, prope vrbem, vico *S. Iorio*, poſuimus. Inde venit,

Calor. fl. VI. Velſ. *Calor fl'.* VI. Danuille, cum praeceſſoribus, amnem ſignat, absque loco, qui ei homonymus fuerit, circiter *Venticani*, aut *Mirabella* vicos. *Calore* fluuius nomen ſeruat, vt ſuperius in amnibus dictum. Ab hac manſione ad ſequentem iter per montem eſt interruptum; ex ductu tamen adparet, Eclanum verſus tendere. In Tabula, ob conſtructionem operis, via boream petere videtur, cum reapſe orientem petat. Succedit,

Eclano. V. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Eclano.* XV. in Regio XVI. reliquis XXV. Surita, *Aeclanum* legit. Nouit oppidum Cicero, Plinius, Ptolemaeus, Appianus, Frontinus, alii. Ciceroni eſt *Aculanum;* etiam Ptolemaeo Suritae et Schotti, *Ἀκούλανον*, *Aculanum;* Eraſmi, *Αἰκουλᾶνον*, *Aeculanum*, vti Appiano *Αἰκουλάνον*, in Hirpinis; Frontinus Apuliae tribuit, vt auctor Tabulae, trans Apenninum ſtatuens, quem non dum attigit. Cluuerius, ex interuallis, *Tricento* oppidum interpretatur; Holſtenius, rudera prope Mirabellam eſſe ait; alterius procul dubio loci, quod Mirabella Calori admota eſt, vti monebamus. Cum Cluuerio periti locorum alii ſentiunt. Videtur tamen locus antiquus

---

(a) L. XXVI. c. 5.

Mirabellam versus a Frequento exstitisse. Nam ab Calore Frequentum chartae recentiores duo mill. geogr. cum vna quinta numerant. Danuille sequitur Holstenium.

Subromula. xvi. sic Vels. Hodoeporicon, duplici itinere, a Beneuento Hydruntum, et indidem Tarentum, *Sub Romula.* xxi. in Regio, xxii. Rauennas, *Submurula.* Liuius, Romuleam a Samnitibus possessam, ait, cuius iteratam facit mentionem. Et Stephanus, *Ρωμυλία, τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Σαννιτῶν πόλις*, *Romylia*, *Samnitum in Italia oppidum.* Cellarius: Itinerario et Tabulae est Subromula, vt aliis quoque locis praepositio adiicitur; aut, vt diuersorium proximum oppido, siue *sub Romula* situm, significetur." Cluuerius, *Bisaccia*, oppidum episcopale, in edito Apennini montis colle positum, xii circiter millia a Tricento dissitum, contendit. Danuilleo, *Romula*, xiv M. P. ab Aeculano, orientali iugorum decliuo, vi M. P. supra Compsam, circiter oppidum *S. Angelo;* in Atlante *Bisazza* oppidum respexit. Interuallo Tabulae respondet *Bisazza.*

Aquilonia. xi. sic Vels. Liuius, *Aquiloniam*, vbi summa rei Samnitium erat, venisse Papirium, ait; saepius meminit loci. Ptolemaeo, in Hirpinis, *Ακυϊλωνία*, *Aquilonia*, vt Cellarius legit; editi, *Ακουϊλωνία*, *Aquilonia.* Incolae, *Aquiloni*, Liuio; Cluuerius truncatum putat ex *Aquilonienses.* Idem, *Cedogna* oppidum Aquiloniae respondere, censet; cui consentimus.

Ponte. aufidi. vi. Vels. *Ponte Aufidi.* vi. Hodoeporicon, itinere vtroque, *Ponte Aufidi.* xxii. a Subromula; in Regio, *Fonte Aufidi*, itinere Tarentino; in reliquis, *Pontaufido.* Videtur vitae S. Sabini auctor hunc pontem indicare voluisse, cum scriberet: Sed cum ad pontem, qui a Traiano Augusto constructus super fluenta est Aufidi, venisset." Forsan et Ammianus huc respexit, de Traiano agens: *Sic pontibus Histrum et Aufidum superem.* Danuille, *Pons Aufidi*, in flexu amnis australi, situ oppidi *Monte Verde.* Ad quartum inde lapidem sunt fines Apuliae, cui Venusiam, quae sequitur, adscribemus.

VIII. Altera a Beneuento via in exortum aestiuum, ad Equum Tuticum, inde Aecas progreditur, Hodoeporico vtroque comite. Equum Danuille, Cluuerio duce, Hirpinis tribuit, Aecas Apuliae; Cellarius has etiam Hirpinis. Nos, cum Danuilleo, hac parte sentimus. Tabula sic habet:

Foro nouo. x. Vels. *Foro novo.* x. Burdigalense, *mutatio vicus Foro novo.* x. Cellarius locum praeteriit; Delisle, eumque secutus Danuille, procedunt in exortum aestiuum, Forum Nouum paullo supra vicum *Padula* statuentes, iii M. P. ab laeua Tamari ripa. Si versus *Ariano* via processit, propius vicum *Monte Male*, Forum hoc quaerere oportebit. In Tabula signatur montis traiectus inter Forum hoc et Beneuentum, qui ab Equo Tutico recurret.

Aequo tutico. xii. Vels. *Aequo tutico.* xii. Hodoeporicon, itinere a Mediolano ad Columnam, ab Tamari fluuio, *ad Equum Tuticum.* xxii. itinere a Capua, *Equo Tutico.* a Beneuento, *Equo Tutico.* xxi. Est etiam iter ab

Equo Tutico per Roſcianum Regio. Burdigalenſe, *manſio ad Equum magnum.* XII. Cicero, literas Equo-Tutico et Brundusio datas, memorat. Ptolemaeo, *Τοὐτικον*, *Tuticum*, miſſo vocabulo altero. Cluuerius, oppidum *Ariano* eſſe putat; Danuille, ſitu *Caſtel Franco* ſtatuit. Neuter male; ſed Cluuerius, reſpectu numerorum, aptius. Nam *Troia*, vbi Aecas ponemus, tria mill. geogr. cum vna quinta, ab *Caſtel Franco* abeſt, cum in Tabula XVIII M. P. interponantur. Si momenta, quibus Danuille ſit permotus, vt illum oppido ſitum adſignaret, noſſemus, forſan in eius ſententiam ituri eramus. Aecas, quae ſequuntur, in Apulia dicemus.

IX. Via a Beneuento alia Abellinum, inde Salernum tendit; Hodoeporicon eam non habet. Progreditur ſecus ripas Sabati amnis, prope ad fontes, inde traiecto fluuio Picentiam petit. In Tabula haec eſt locorum ſeries:

Abellino. XVI. ſic Velſ. Ptolemaeo, in Hirpinis, *Ἀβέλλινον*, *Abellinum*, ad Sabatum, fontibus propinquiorem, vt Cellarius inquit, a quibus XVI. M. P. abeſt. Frontinus de Coloniis: Abbellinum muro ducta colonia; lege Sempronia deducta; ager eius veteranis eſt adſignatus." Incolae Plinio, *Abellinates cognomine Protropi.* Alios quippe cognomine Marſos eſſe refert. Hodie *Avellino* oppidum, laeua Sabati ripa, ad confluxum riui cuiuspiam. Ad VII lapidem ſunt iuga montium, Campanos ab Hirpinis dirimentia.

Icentię. XII. ſic Velſ. Picentiam eſſe, ratio viae, et numeri oſtendunt. Strabo, Picentinorum *μητρόπολις Πικεντία, caput Picentia;* loquitur autem de ora maritima. Mela quoque: *Silerus amnis*, *Picentia*, *Petrae*, *quas Sirenes habitauerunt.* Plinius tamen: *Intus oppidum Salerni*, *Picentia.* Quare Cluuerius in mediterraneis cum Salerno, Holſtenius ad oram, quaerunt. Hic, inter Salernum et Ebolos, inquit, transitur locus *Bicenza*, quem adlabitur fluuius vulgo dictus *il Bicentino*, VII M. P. a Salerno, et XIII M. P. a Silaro diſtans. Vnde nullo modo dubitandum, quin heic ipſiſſima ſit Picentia, quae in Picentino, non meditullio, nomen genti dedit." Cellarius, allatis vtrimque teſtimoniis, nihil decernit. Danuille III M. P. a mari, VII a Salerno, Picentiam ſtatuit, itinere Forum Popilii ducente, ad XX ab Abellino lapidem, in Atlante ad XVIII. Vtrum in vico *Bicenza* ſint veſtigia oppidi antiqui, Holſtenius non meminit. Tabula, Abellinum inter et Salernum, pari vtrimque XII M. P. interuallo, ab Silaro flumine VIIII. Icentiam ponit, aut, quod vero proximum videatur, Picentiam. Hi numeri ſimul ſumti ducunt ad exortum amnis *Bicentino*, vbi fere vicus eſt *Caſtiglione;* quo et Deliſle reſpexerit. Sed, cum ibi rudera habitationis antiquae ſupereſſe non conſtet, in Tabula autem numeri vitium paſſi videantur, Picentiam prope litus, ad fluuium *Picentino*, vbi traiectus in chartis notatur, et Danuille vrbem ſignauit, ſtetiſſe ſupponi interea velim, dum reliqua adiuncta expendantur.

Salernum, quod ad XII lapidem a Picentia, hoc itinere ponitur, diximus in via litorali. Porro, paullo ſupra Picentiam viae ductus eſt per medi-

terranea, ad Silarum, inde Nares Lucanas, Acerroniam, Potentiam; ex cuius itineris expositione situs Picentiae forsan patescet. Sic autem illud a Picentia habet:

Silarum fl'. VIIII. sic Vels. Holstenius a *Bicenza* XIII esse dicebat, ad Salernum autem VII. Quare numerus Tabulae XII cum VIIII esset permutandus, vt a Picentia ad Silarum XII. Salernum VIIII censeantur. Sed, cum tam de Salerni veteris, quam Picentiae situ, disputetur, censeo, Tabulam opinionibus recentiorum adcommodari non debere, Picentiamque ab Silaro ad nonum, ab Salerno ad duodecimum lapidem statui oportere. Numerum alterum XII. Abellinum inter et viae diuortium conspicuum, ostendere non distantiam duarum vrbium, sed loci, quo viae discidium erat; quamquam XII ei interuallo non sufficiunt, si ad Silarum via duci debeat. Locum proinde quempiam, qui ea intercapedine ab oppido Abellino distabat, forsan Fanum Iunonis Argiuae, exmissum putes; inde autem ad *Bicenza* vicum VIIII adcurate censentur. Reliqua, quae ab Silaro amne hac via sequuntur, in Lucania dicemus. Haec de viis a Beneuento Silarum versus ductis.

X. Superant binae a Capua viae, altera Nuceriam, Neapolim altera; in priore Hodoeporicon se comitem praebet, quae a Capua, quam alias descripsimus, in Tabula sic habet:

Suessula. VIIII. sic Vels. Straboni, *Σουέσσουλα*, *Suessula*. Coloniam deduxit Sulla; Frontinus: Suessula oppidum muro ductum; colonia lege Sullana est deducta.“ Incolae Suessulani; Liuius: Cumanos, Suessulanosque eiusdem iuris conditionisque, cuius Capuam, esse placuit.“ Sunt et Plinio *Suessulani* noti. Hodie, *Castel di Sessola*, prope dirutum. Danuille, in Atlante hanc viam per Calatiam ducit; quod esse nequeat, vt alias monstrauimus; rectius in tabella viarum Italiae, Tabulam secutus, expressit.

Nola. VIIII. sic Vels. Hodoeporicon, itinere ab Vrbe ad Columnam, *Nola*. XXI. a Capua. Memoratur Liuio frequentius, Velleio, Straboni, Plinio, Iustini Trogo, Ptolemaeo, Silio, et in primis Paullino loci episcopo, haud postremi nominis Vati. Strabo, *Σουέσσουλα*, *Ατέλα*, *Νῶλα*, *Suessula*, *Atela*, *Nola*. Torgus a Chalcidensibus, Paterculus ab Tuscis, conditam aiunt; a Vespasiano colonia deducta, Frontino teste. Incolae *Nolani*, ager *Nolanus*, plebs *Nolana*, Liuio. Inscriptio vetus, COL. FEL. AVG. NOL. Seruat nomen oppidum *Nola*, prope laeuam Literni amnis ripam. In marmore loci, apud Reinesium, legitur Tib. Claudius Bithynicus, VIAM PASSVVM DVVM MILLIVM EVNTIBVS IN APVLIAM muniuit; forsan Abellinum versus; nam per Nuceriam circuitus erat.

Ad teglanum. V. aedes quadra; sic Vels. Cluuerius insigne vrbis esse putabat, cuius mentio fit in epigrapha, apud Gruterum, CVR. REIP. TEGIANENSIVM. Holstenius quadratarii vitio GI particulam esse interiectam arbitratur, pro TEANENSIVM. et in Tabula, *tegularium* forte legendum, locum, vbi tegulae coquebantur. Ad quae Cellarius: Certe aedificium, in Tabula

adpictum, non oppidi eſt, ſed in publicum, aut principis vſum exſtructi.“ Interuallo reſpondet vicus *Palma*, paullo ſupra Sarno oppidum. Inter hunc locum et *Oplontis*, quem ad litus habuimus, medius intercedit Veſuuius. Solum erat ab igne ſubterraneo aduſtum, ſed vna fertile. Quare has putet quis fuiſſe villas, vſui publico deſtinatas, vt de illa ad Vineas diximus. Ceterum etiam nobiliora diuerſoria, quae Itinerariis tabernae dici ſolent, aedibus ſplendidioribus inſtructa, huius modi typo deſignari poſſunt.

Nuceria. VIII. ſic Velſ. Nuceria haec, colonia Romana, cognomine *Alfaterna*, nuncupationem veterem, paullisper inflexam, *Nocera* ſeruat; de qua in ſuperioribus dictum. Interuallum VIIII M. P. a vico *Palma* bene habet. Inde via Salernum ducit, quam deſcripſimus alias. Poſtrema eſt via a Capua Neapolim, hac ſerie:

Atella. VIIII. ſic Velſ. Cicero, Atellam, Cumas, Neapolim, vna memorat. Norunt praeterea vrbem Liuius, Strabo, Ptolemaeus, Silius, Frontinus, alii. Straboni, *Ἀτέλα, Atela;* Ptolemaeo *Ἀτέλλα, Atella.* Cicero municipium vocat, Frontinus coloniam. Ciues Atellani, Ciceroni et Liuio. Rudera vrbis duo mill. paſſ. ab Averſa in exortum auctumnalem, apud vicum *S. Arpino*, ſuperare dicuntur.

Neapoli. VIIII. ſic Velſ. Neapolim coloniam recenſuimus itinere litorali; interuallum eſt adcuratum, quo Fabrettus Laboream campum, Graecis Phlegraeum dictum, latere dextro Gaurum montem, ſignat; ſuperius, Capuam inter et Atellam, viae tractum in exortum, transuerſim per viam Sueſſulanam, Caudium verſus, ducit; quae in Tabula non comparet. Et hactenus quidem de Campania felice dictum eſto.

SECTIO XI

APVLIA

§ I

Nuncupatio, fines.

I. APVLOS non nouit Scylax, ſed ab Lucanis et Sicilia memorat Iapyges et Daunios, deinde Vmbros; vt ea nuncupatio Latinorum propria eſſe videatur. Poſt Lucaniam, inquit Peripli auctor, *Ἰάπυγες εἰσὶν ἔθνος, μέχρι Ἀρίονος ὄρους τοῦ ἐν τῷ Κόλπῳ τῷ Ἀδρίᾳ*, eſt Iapygum gens, vſque ad Arionem montem, qui eſt in ſinu Adriatico.“ Deinde vero: *Μετὰ δὲ Ἰάπυγας ἀπὸ Ἀρίονος*

ὄρους Δαυνῖται ἔθνος ἐστίν. ἐν δὲ τούτῳ τῷ ἔθνει γλῶσσαι, ἤτοι στόματα τάδε. Λάτερνοι, Ὀπικοὶ, Κραμόνες, Βορεοντῖνοι, Πευκετιεῖς, Post Iapyges et Arionem montem, Daunitarum gens est; in hac gente linguae seu ora haec sunt: Laternii, Opici, Cramones, Boreontini, Peucetii.“ Iuuat et Polybium, non multo diuerse scribentem, audire: (a) Hannibal, pertransiens et vastans Praetutianum Hadrianumque agrum etiam Marrucinorum et Frentanorum, ἐπὶ τὴν Ιαπυγίαν, in Iapygiam continuans iter euasit; quae tribus nominibus distincta est, Δαυνίων, τῶν δὲ Πευκετίων, καὶ τῶν Μεσσαπίων, Dauniorum, Peucetiorum, et Messapiorum. Hannibal autem primam impetiit Δαυνίαν, Dauniam.“ Priores partes Latini Apuliam dicere consueuerant. Strabo: οἱ ἐπιχώριοι τὴν μετὰ τοὺς Καλαβροὺς Ἀπουλίαν καλοῦσι, *Incolae, quidquid huius regionis post Calabros est, Apuliam adpellant.* In Fastis Romanis primum comparent Apuli ad A. V. 432. quo Q. Fabius Maximus Rullianus, cos. de Samnitibus et APVLEIS triumphauit. Apud Liuium triennio post, L. Papirio et Q. Publio coss. *Apuli* et *Apulia* leguntur. Plinius: *Apulia Dauniorum cognomine, a duce Diomedis socero.* (b) Festus autem: Daunia Apulia adpellatur a Dauno Illyricae gentis claro viro, qui propter domesticam seditionem excedens patria, occupauit terram.“ Tzetza, Dauniis eo tempore imperasse refert, quo Diomedes in Italiam adpulit, cui aduersus hostes suppetias tulerit. Plinius, de fluuiis locutus: *Iapyx a Dedali filio, a quo et Iapygia.* Verum haec fabulosa sunt; id certum, regionem hanc Illyricis populis olim habitatam fuisse, quales Liburni, teste Plinio, a quibus Apulia nomen, ab situ campestri, vt Latinis Campania, sit mutuata.

II. In Tabula, a Frentone fluuio ad Egnatiam, Latino caractere veteri APVLIA. deinde Calabria, et sub his Sallentini, comparent, de quibus in populis sermo recurret. Sunt apud Gruterum epigraphae, EX APVLIA. item CALABR. et APVLIAE. praeferentes; in quadam Nolana, apud Reinesium, Tiberius Claudius Bithynicus, permissu Hadriani Aug. viam passuum duum millium euntibus IN APVLIAM muniit; in alia, Canusii, Flauius Sexines, corrector APVLIAE ET CALABRIAE. sub Theodosiis. Ptolemaeus, Ἀπουλῶν Πευκετίων καὶ Δαυνίων, *Apulorum Peucetiorum et Dauniorum* discrimen agnoscit. Nos heic Apuliae vocabulo omnem terrae tractum, Frontonem inter et Bradanum, accipimus, Apuliam vna et Calabriam complexi; quod non raro ab Romanis olim factum video.

Fines regionis ab occasu Frento; a septemtrione et oriente ora maris Adriatici, ab ostio Frentonis ad Bradani ostium; ab austro Bradanus, et linea inter fontes huius et Frontonis ducta. Expanditur ab gradu longit. 32 min. 42. ad grad. 36 min. 18. latit. grad. 40. et 42 min. 4. Longitudo maxima, a flexu Frentonis occiduo ad promontorium Iapygium, M. P. ccxxx. latitudo a Bradani

(a) L. III. c. 88. (b) L. III. c. 16.

fonte ad promontorium Garganum, M. P. LXXXVI. Apulia inter Frentonem et Aufidum amnes, seruat nomen, alias *Capitanata;* media Peucetia est *Terra di Bari;* Iapygia seu Messapia, *Terra d' Otranto.*

§ II

Montes, fluuii, portus.

I. PRAETER Apennini iuga, media regione procurrentia, sunt mons Garganus, Vultur, Matinus, Aulon; pro quibus Tabula montem Baladum habet, ceteris ignotum. E situ videtur is iugorum Apennini esse tractus, qui a fonte Bradani ad Aciris et Lai fluuiorum exortum, per Lucaniam protenditur, cum Abellino Marsico cognationem habens; de quo dispiciemus alias. Tres priores, Garganum, Vulturem et Matinum Lucanus memorat.

Aufidum auctor Tabulae deriuat ex Apennino, qui eo situ Carbonarius vocatur, ex quo Calor quoque erumpit, Vulturnum petens. Alius est tractus montis, vnciam longus, ex quo fluuius Aufido minor emergit, qui sit *Monte Verde*, regione *Bisazza* oppidi, quod Subromulam Tabulae, in Campania, sumus interpretati; quamquam ibi auctor Tabulae *Vulturem*, cuius Horatius et Lucanus meminerunt, respexisse videtur, brachium Aufidi ex eo deriuare volens. Candelaria fluuius ex Apennini conuallibus exit, pluribus alueis auctus, quorum praecipui duo, ad vicos *Monte Auro*, et *Colle* orti. In Calabriae regione mons est, duas vncias patens, ex quo duo minuti amnes in Adriam deferuntur; pars eius sunt *M. Mesola*, *Calvo*, et *Oria*, cum oppido cognomine, nuncupatione graeca; vetus montis vocabulum ignoramus; iuga sunt ab Apennino deriuata.

II. Amnium, praeter Frentonem, quem in Samnio diximus, quini censentur; ex quibus Aufidus et Aueldium nominantur, ceteris adpellatione carentibus. Eos ordine, quo in Tabula comparent, proferemus.

Fl. Aufid'. ad ostium; Vels. Fl'. Aufid'. Notus amnis Polybio, Horatio, Straboni, Plinio, Ptolemaeo, aliis. Polybius, *Αὔφιδον*, *Aufidum*, vocat, addens: (a) ὃς μόνος διαιρεῖ τὸν Απεννῖνον, *hic vnicus Apenninum permeat*, quo omnes, qui Italiam rigant, fluuii separantur, aliis superum, aliis inferum mare petentibus; hic vero per Apenninum fluens, fontes quidem in ea regione Italiae, quae in Etruscum mare vergit, habet; ostium vero Adriaticum ingreditur.“ Strabo, *Αὐφίδιον*, Aufidium, scriptis *Αὐφίοδον*, *Aufiodum*, nominat. Plinio: *Aufidus ex Hirpinis montibus Canusium praefluens.* Ptolemaeo, post

(a) L. III. c. 112.

Barium, *Αυφιδίου ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Aufidi amnis oftia*. Horatio: *Longe fonantem natus ad Aufidum*. In Tabula, ponte aufidi. inter Venufiam et Aquiloniam. Surgit apud Compfam, in Hirpinis, Calori vicinus, monte Leone. In Tabula decurfus eius vncias quinque cum femiffe aequat; infcriptio amni praecedenti adpofita. *Ofanto* eft fluuio nomen, alias l' Ofanto.

fl. Aueldiu. prope oftium; fic Velf. Aueldium amnem geographia ignorat. Eft fluuius *Coprelle* feu *Carapelle*, ortus ad oppidum *Bifazza*, in Campanis, in Tabula non recte Aufido poftpofitus. Neque enim eft quispiam amnis, qui Aufidum hac ora excipiat, Bardulos inter et Turenum oppida effluens; nifi quis ramum Aufidi, apud *Loviello* oppidum exeuntem, effe malit; vt non raro auctor Tabulae facere confueuit.

Infcriptio Aufidi adponitur alueo praecedenti Aufidum, qui eft Plinii *Cerbalus*, hodie *Candelaro*, iugis Apennini, vnde et Frento, exurgens, alterum, *Cervaro* dictum, ad octauum ab oftio lapidem paludi immerfum, fubterraneo meatu excipiens; qui vetus nomen magis exprimere videatur.

III. fl. Paftium. Velf. Paftium cum Brindifi permutat, tamquam hoc nomen fluuius gerat. Minutus quidem huius eft alueus, fed hodie vniuerfa Apula ora nullus comparet. Paludes quaedam circa Brundufium vifuntur, in quas amnis hic cum fequenti abierit. Plinio: *Amnes*, *Iapyx*, *Pactius*, *Aufidus*. Koelero, qui Holftenium fecutus fit, *Pactius*, occiduo Brundufii agro mari immerfus, quem *la Cava* hodie effe putant. Chartae, quibus vtor, neque Danuilleanae, neque recentiores, vllum habent; Ortelio *la Caua*, a Brundufio in exortum remotius.

Alter amnis, ex eodem monte profluens, inter Lupiam et Hydruntem Adriae immiffus, quem Iapygem effe, nullus dubitem, geographis omnibus neglectum, forfan, quod hodie non comparet. Ortelius habet Brundufium inter et Hydruntum, *Caulo* alias *Limene*, vocabula cum alueo mediocris fluuii; quo fitu fere Pactium Cellarius pofuit. Iapygem omnes tacent; fitum Tabula monftrat.

In Meffapiis, ab Tarento, funt Galefus, Electris, Bradanus, quos auctor Tabulae, anguftiis exclufus, vna cum alueis praeteriit; Crate amne, qui totus in Bruttiis eft, ex vicinia Tarenti deriuato; quem cum alueo Bradani, vt non raro folet, commififfe videtur; vt in Lucania difpiciemus. Itinere ab Tarento Heracleam, eo fitu, quo Bradani oftium eft, Turiofl. fcribitur, forfan *Turio flv.* fupra Tarentum eft vicus *Torre de Tara*, deinde minuti duo fluuii, quorum alter *Bollo*, forfan Galefus, quem geographi Tarento vicinum faciunt. Auctor Tabulae Bradanum, in vetuftis exemplaribus *Bradan*, indicare voluerit, minorem quempiam, forfan vrbi vicinum, qui *Turius*, aut potius *Taras*, vocatus fuerit, producens. Verum is viae tractus a Grumento Heracleam tendit; vnde Sirin accipi oporteat, quo nomine regio ea, Strabone tefte, vfurpabatur.

IV. De portubus circa Brundufium haec Strabo: Ad Brundufium multi includuntur portus, *εὐλίμενον δὲ μᾶλλον τὸ Βρεντέσιον*, vnico aditu, a flu-

minibus tuti, intus receptis intra fauces multis finibus, ita vti eorum forma figuram cornuum ceruinorum exprimat; vnde et vrbi nomen. - Praeterea a Graecia et Asia rectus est Brundusium traiectus, omnesque huc deferuntur, quibus inde Romam iter est.“ In Tabula, ex aduerso Turris Caesaris, quae in agrum oppidi *Pelignano* incidit, in pelago haec legas:

Port. Turris. Vell. *Port. Turris.* Portum huius nominis geographia ignorat. Strabo de ora Peucetiorum locutus, *πᾶσα δὲ τραχαῖα, καὶ ὀρεινὴ, πολὺ τῶν Απεννίνων ὀρῶν κοινωνοῦσα, tota est montosa et aspera, Apenninorum montium multas partes recipiens.* Neque tamen importuosam esse dicit, statione nauium apud Egnatiam memorata. Plinius, ad Garganum, vbi hodie *Porto Greco*, Portum Agasum nouit.

Port. Pedie. Vell. *Port. Pedie.* Neque hunc geographorum *παῖδες* norunt. Est apud Egnatiam, de qua Strabo: *Εγνατία, οὖσα κοινὴ καταγωγὴ, πλέοντί τε καὶ πεζεύοντι εἰς Βάριον*, Egnatia, commune diuersorium tam nauigantibus, quam terra petentibus Barium.“ Egnatiam, *Torre di Anazzo*, vel *Adanazzo*, interpretantur. Forsan ad Brundusinos portus, quos e Strabone memorauimus, hic spectat, quem auctor Tabulae, angustiis loci coactus, huc reiecerit. Plinius, Brundisium L. M. passuum ab Hydrunte, in primis Italiae portu nobile, ac velut certiore transitu, sic vtique longiore, excipiente Illyrica vrbe Dyrrachio CCXXV M. P. traiectu.“ Est paullo supra Brundusium vicus maritimus, *Torre della Pena*, qui antiquae vocis vestigia teneat.

Port. Salentinum. Vell. *Port'. Salentinum.* Plinius, ab Hydrunte: Salentum desertum, dein Fratuertium; portus Tarentinus, statio Miltopae, Lupia.“ Tabula portum Salentinum in sinu Tarentino statuit, in quo Plinius portum *Sasina* memorat, quem geographi *Porto Cesare*, supra oppidum *Carmignano*, interpretantur. Delisle distinguit portus, Salentinum *Porto di Vgento*, ex aduerso oppidi homonymi, accipiens; quem Danuille cum aliis reticet. Vicinum erat in exortum promontorium Iapygium, alias Salentinum dictum; vt proximum vero videatur, portum homonymum promontorio vicinum fuisse.

§ III

Populi Apuliae.

I. HANC regionem, praeter Apulos, colebant Dauni, Frentonem inter et Cerbalum; Peucetii ab Aufido ad Egnatiam; Calabri ad Brundusium; Messapii seu Iapyges plagam montanam; Salentini sinum Tarentinum. Ex his Tabula Calabros et Salentinos memorat, vtpote praecipuos, quorum nomine Iapyges quoque comprehensi fuerint. Scribitur caractere monastico atro,

CALABRIA. a regione Egnatiae ad Caſtrum Mineruae. Plinius, poſt magnam Graeciam: Connectitur ſecunda regio, amplexa Hirpinos, Calabriam, Apuliam, Salentinos, CCL. M. ſinu, qui Tarentinus adpellatur, ab oppido Laconum in receſſu hoc intimo ſito, contributa eo maritima colonia, quae ibi fuerat. Abeſt CXXXVI M. paſſ. a Lacinio promontorio, aduerſam ei Calabriam in peninſulam emittens. Graeci Meſſapiam a duce adpellauere; et ante Peucetia a Peucetio Oenotri fratre, in Salentino agro.“ Paria prope Strabo memorat: Peninſulam illam multi communiter vocant *Μεσσαπίαν, καὶ Ἰαπυγίαν, καὶ Καλαβρίαν, καὶ Σαλεντίνην*, Meſſapiam, et Iapygiam, et Calabriam, et Salentinam; alii vero diſtinguunt.“ Loco alio: Meſſapia peninſulae formam tenet, iſthmo interclusa, qui a Brunduſio Tarentum vſque porrigitur.“ Geographi iuniores Calabris oram Adriae, cum Tabula, tribuunt. Faſti ad A. V. 474. 487. ſequentem, DE SALLENTINEIS triumphos referunt; Calabros, Meſſapios, Iapyges, Peucetios, tacent; vt Salentinorum vocabulo comprehenſi videantur. Vetus tamen Calabrorum nomen eſſe putes. Polybio, *Καλαβροὶ*, *Calabri*, cum Brutiis, Lucanis, et Samnitibus, nominantur. (a) Scylacis *Λατέρνοι*, *Ὀπικοὶ*, *Κραμόνες*, *Laterni*, *Opici*, *Cramones*, Iapygibus et Daunitis adcenſi, ſunt procul dubio Salentini. Oſci, et Calabri, ſeu vulgo olim ſic nuncupati, ſeu librariorum incuria, corruptis vocabulis, ſcripti. Epigraphe aeui Theodoſiani, Flauius Sexines, corrector APVLIAE ET CALABRIAE. Videtur vox Graecae vna et Liburnicae originis eſſe, amoenam plagam montanam ſignificans. Hodie Calabriae nomen eſt in agro Bruttiorum.

II. SALENTINI. literis minio pictis, a monte Balado ad promontorium Iapygium. Vetuſtum eſſe populi nomen, ex Faſtis colligere licet, Graecis, qui Peucetios et Iapyges nominare ſolent, minus frequentatum. Dionyſius Halicarnaſſenſis, Peucetium cum Oenotro fratre, relicta Peloponneſo, in haec loca XVII generationibus ante bellum Troianum, adpuliſſe, refert, qui cum ſupra Iapygium promontorium conſediſſet, incolis nomen dedit. Verum haec fabuloſa ſunt. Peucetii maris adcolae, Salentini vlteriora agrorum colentes, ſermone Liburnico, qui heic antiquiſſimus erat, et hodie vſque ſupereſt, integris in Apulia oppidis, Dolcio, de hiſtoria gentis Illyricae praeclare merito, teſte, dicuntur. Non minimum huc faciat locus Plinii, de agro Poediculorum differentis: *Pediculorum ager IX adoleſcentes, totidemque virgines ab Illyriis, tredecim populos genuere.* Autochthones hi fuerint, magnam orae Adriaticae partem tenentes. Polybius populi non meminit, Calabrum vocabulo vſus. Scylacis *Λατέρνοι*, *Laterni*, eſſe videntur, vt paullo ante monebamus.

(a) L. X. Excerpt.

§ IV

Oppida, mansiones.

I. IN ora maritima, quam ante reliqua lustrare libet, postremum Samnii oppidum habuimus Larinum; quod in mediterraneis quidem situm erat, sed via litorali per id ducente. Comitem se Hodoeporicon vtrumque, ex parte, praebebit. A Larino haec sunt in Tabula:

Teneapulo. XII. sic Vels. Pomponius Mela, Larinum, *Teanum*, oppida. Strabo distinguit, *Τὸ Ἄπουλον Τέανον*, *ὁμώνυμον τῷ Σιδικινῷ*, *Teanum Apulum*, *eiusdem nominis*, *quo Sidicinum*, *ἐν μεσογαίᾳ*, *in mediterraneo.* Plinius, *Teanum Apulorum.* Ciues Teanenses; Liuio, ex Apulia *Teanenses*, Canusinique. Hodie vicus *Cività*, vel *Civitate*, laeua Frentonis ripa, XVI M. P. supra ostium. Ab Teano viae pars mediterranea petit Bouianum versus; litoralis sic habet:

Ergitiū. XVIII. Vels. *Ergitium.* XVIII. Danuille hoc ad XII lapidem, situ *S. Seviere* seu *Severo*, ponit, ad recentem *Candelaro* amnem. Sed montes intercedunt, et mensura Ergitium non nihil orientalius statui oportere cupit. Alius veterum loci non meminit.

Siponto. XXV. insignia coloniae; sic Vels. Hodoeporicon, itinere ab Ancona Brundusium, *Sipunto.* XXX. a Ponte longo, qui in Frentone fuerit, geographis neglectus. Itinere maritimo, *a Salona Sipunte*, *stadia* M. D. quidam *Siponto*, *Sipinto*, itinere priori habent. Meminere praeterea vrbis, Polybius, Cicero, Liuius, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Silius, Frontinus, Stephanus, alii. Strabo, ὁ *Σιποὺς Διομήδους κτίσμα*, *Sipus*, *Diomedis opus;* Ptolemaeo, *Σιποῦς*, *Sipus;* Polybio, *εἰς Σιποῦντα*, *Sipuntem*, oblique. Mela *Sipuntum*, alii *Sipontum*, dixere. Gentile, Stephano, *Σιπούντιος*, *Sipuntius;* Latinis, *Sipontinus;* Cicero, *in Sipontina siccitate;* Frontino, *ager Sipontinus.* Hodie vicus *Siponto*, Manfredoniae proximus, a mari, et ostio Candelari amnis, III M. P. remotus. Inde pars viae in mediterranea, Aecas et Triuicum ducit; in ora sequitur,

Anxano. VIIII. sic Vels. Danuille, cum sociis, *Anxanum*, sub lacu salso, *Lago salso*, ad oram maritimam. Cellarius praeteriit locum, qui hodie non comparet, nemini praeterea veterum notus. Paullo inferius, ostio *Carapelle* amnis, Danuille *Vriae* habet, in Atlante, supra Sipontum. Tabula non agnoscit locum.

Salinis. XII. sic Vels. Hodoeporicon, *Salinis.* XV. Delisleo, *Salinae*, situ vici *Torre della Petra;* Danuille, inscriptionem vocabuli ad lacum *S. Antonio* ponit, tamquam is Salinarum nomen tulerit. Cellarius Salapinam paludem vocat, Salinis praeteritis. Est etiam vicus *Torre della Saline*, Surita, *Torre Salina*, vocat, ad VI inde lapidem, qui antiquam nuncupationem seruet.

Aufinum. VIII. Velſ. *Aufinum.* XII. Hodoeporicon, *Aufidena.* XL. Rauennas, *Aufidum.* Danuille, in tabella viarum Italiae, *Aufidena*, in oſtio Aufidi; in aliis non ſignat, neque nominat locum, ſed flumen dumtaxat. Surita peruerſe ſcriptum arbitratur, quod Auſidena in Samnio erat. Verum et heic *Aufidena*, ab amne dicta, eſſe potuit; ſed non ad XL ab Salinis lapidem; cum duo ſint dumtaxat mill. geogr. ab *Torre della Petra* ad *l' Ofanto* amnem; ac proinde XI. vel potius IX. in Hodoeporico olim ſcriptum videatur, numero a librariis prauato. Eſt vicus *Torre d' Ofanto*, dextra exeuntis fluuii ripa. Ad latus manſit Salapia oppidum, a quo palus quoque olim nuncupata, quod itineraria non adiere.

Bardulos. VI. ſic Velſ. Iouius, in vita Gonſalui: Vrbs *Barolum* ab Heraclio Imp. aedificata fuiſſe fertur, idque facile indicat aenea pedeſtris eius ſtatua, quae in foro erecta conſpicitur. Portum habet iacta mole manu factum, ſed iuſtae claſſis minime capacem.“ Cellarius, hunc locum, cum ſequentibus, e Cluuerio in tabella ſignauit, nulla mentione in commentariis facta. Vnde, qui neſciat, quo ea loca fonte promanarint, tabulis Cellarii vti non poterit. Deliſle, Danuille, Koelerus, loca, duce Cluuerio, ſignant; ſed quia tabulae eorum commentariis carent, fontes ignoret, neceſſum eſt, qui mappis ipſorum vti volet. Adeo geographiam plenam deſideramus. Eſt vicus *Barletta*, ſonum antiquae vocis ſeruans; in quibusdam chartis oppidi inſignia gerit.

Turenum. VIIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Reſpa.* XXIII. ab Auſidena. Turenum Tabulae eſt vrbs *Tran*, menſura expoſcente; cuius loci nemo veterum inſuper meminit. Ad VI inde lapidem eſt vicus, hodie oppidum, *Biſeglia*, geographis *Veſcellae;* quas Itineraria non habent. Plinius, in mediterraneis: Campſani, Caudini, Ligures, qui cognominantur Corneliani, et qui Bebiani; Veſcellani.“ Qui vtrum e ſola nominis cognatione huc facere queant, neſcio. Tabula ſane Veſcellas, ſi heic exſtitiſſent, praeteritura non erat. Danuilleo, in Atlante, pro Viſcellis *Reſpa* ponitur.

Natiolum. VI. ſic Velſ. Strabo, *Κελία, καὶ Νήτιον, καὶ Κανύσιον, Celia, Netium, Canuſium.* Ad quae Caſaubonus: Netium nusquam in iſto tractu nominatam reperio; valdeque vereor, ne ex proxima voce *Κανύσιον* orta ſint illa *καὶ Νήτιον*, quod mihi Ptolemaei maxime tabulae ſuadent.“ Sed hac quidem ſollicitudine Tabula nos abſoluit. Deliſle, *Netium* in mediterraneis, ſupra Rubos, ſtatuit, extra viam; cum Strabo id in via, ſed Beneuentana, eſſe dicat, in qua Netium non exſtabat. Niſi geographus Egetium dicere voluit, et pro eo ex vicinia Netium accepit. Plinio, *Netini* incolae, quam vocem ſubſtituit Harduinus. Idem nobiſcum ſenſit Holſtenius. (a) Danuille, *Natiolum*, ſitu *Molfetta* oppidi recte ſtatuit, ſed ad XII ab Tureno lapidem; ſufficit menſura Tabulae,

(a) Vid. Cellar. G. A. p. 894.

quae vicos locorum non censuerit. Cellarius in tabella exprimit, in commentariis tacet.

II. **Barium.** VIIII. sic Vels. Hodoeporicon, *Barium.* XIII. itinere ab Equo Tutico Hydruntum, *Barium.* XII. a mansione Butuntus; item Bario per compendium, Tarentum, LX. in quibusdam, *Baria*, *Varia*, *Vania*, *Vbaria*, scribi videas. Burdigalense, *ciuitas Beroes.* XI. a Botontibus. Norunt praeterea oppidum, Horatius, Strabo, Plinius, Tacitus, Ptolemaeus, alii. Strabo: *Εἰσὶ δ' ἐκ Βρεντεσίου ἐις Βάριον ἑπτακόσιοί που στάδιοι*, *A Brundusio Barium vsque stadia sunt circiter* DCC Et paullo inferius: *Ἐκ δὲ Βαρίου πρὸς τὸν ποταμὸν Αὐφίδιον*, *A Bario ad Aufidium amnem stadia* CCCC. Sed et heic circiter dicere oportebat, quod ab Aufido Barium vsque non nisi octo mill. geogr. seu XL M. P. omni spatio intercepto, numerantur. Legendo tamen flexus litoris, possunt L M. P. censeri. Tacito, municipium Apuliae *Barium.* Seruat nomen vrbs maritima *Bari*, a qua agro Peucetiorum nomen *Terra di Bari.*

Turris. cesaris. XX. sic Vels. Hodoeporicon, *Turribus.* XXI. itinere ab Ancona Brundusium, *Arnesto.* XXII. Regium, *Ernesto;* aliis *Arneste;* Sigonio, *Apeneste.* Burdigalense, *mutatio Turres Iuliana.* XI. *mutatio Turres Aureliana.* IX. Danuille, duce Delisleo, *Turris Caesaris*, ad X a Bario lapidem, situ vici *Torre della Pelosa;* vbi Turris Iuliana rectius stabit, mensura exposcente. Ad XI inde milliare, Danuilleo, *Turres Aurelianae*, situ vici *Torre del Rapagnano;* quae est *Turris Caesaris* Tabulae, mansio *Turribus* Hodoeporici. Hunc locum aliud iter Antonini praeteriit, oppidum *Polignano* petens, ad tertium inde lapidem; vbi Danuille, duce Cluuerio, *Arnestum* recte statuit. Apeneste Ptolemaei Gargano admouetur, vbi Danuille quoque illud posuit.

Dertum. IX. sic Vels. Delisleo vocatur *Decia;* Danuille, *Decimum* esse arbitratus, Egnatiae postposuit. Cellarius, loca haec, scriptoribus tacita, praeteriit. *Monopoli* vrbs Derto respondet.

Gnatie. IX. insignia municipii; sic Vels. Hodoeporicon, itinere ab Equo Tutico Regium, *Egnatiae.* XVI. a Turribus; quidam *Egnatia;* Rauennas, *Gnatie;* itinere Brundusino, *Gnatiae.* XV. ab Arnesto; Simlerus, vel *Egnatiae.* Burdigalense, *ciuitas Leonatiae.* XV. ab Aurelianis. Norunt oppidum Horatius, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, alii. Horatio: Via peior adusque Bari moenia piscosi; dehinc Gnatia, limphis iratis exstructa, dedit risusque iocosque." Melae quoque *Gnatia;* Straboni, Ptolemaeo, *Ἐγνατία*, *Egnatia.* Wesselingius, parietinae, inquit, supersunt haud longe Monopoli, quae ex eius ruinis creuit." Sed oppidum *Adanazzo*, prioribus *Torre di Anazzo*, situ et sono Egnatiae respondet. Heic prodit via mediterranea ab Aecis, Venusia, et Beneuento ducens; de qua sermo recurret alias.

Speluncis. XXI. sic Vels. Hodoeporicon, itinere Hydruntino, *Speluncas.* XX. itinere Brundusino, *Speluncis.* XXI. Burdigalense, *mutatio ad Decimum.* X. *mansio Spitenaees.* XI. MS. *Spilenae es.* Wesselingius putat, apud Ciceronem,

pro Flacco, Dorylenſium legatos tabulas publicas *ad Speluncas* perdidiſſe, in ſenatu adſerentes, iſthuc reſpexiſſe. Cellarius, quae inde Brunduſium verſus ponuntur *Speluncae*, iam dicto itinere; aut Hieroſolymitano Turres Iulianae, Aurelianae, quod aliunde non illuſtrantur, praetermittimus cum aliis obſcuris.“ Decimus ab Egnatia lapis circiter vicum *Torre di Cane*, Speluncae autem *Torre de Villa nova*, exſtiterint. Ad quartum inde lapidem eſt vicus *Torre delle Puzzeglie*, qui cum ſpeluncis cognationem habeat.

Brindiſi. xxviii. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere Hydruntino, *Brundiſium.* xviiii. in Regio, xxiii. itinere alio, *Brundiſium.* xviii. Weſſelingius legit viii. typi forſan errore. Burdigalenſe, *ciuitas Brindiſi.* xiiii. Memoratur antiquis, Polybio, Ciceroni, Liuio, Straboni, Plinio, Ptolemaeo, Appiano, Silio, Stephano, aliis. Polybius et Stephanus, *Βρεντήσιον*, *Brenteſium;* Strabo et Appianus, *Βρεντέσιον*, Ptolemaeus *Βρενδέσιον*, *Brendeſium*, dixere. Strabo, *ἐνλίμενον*, *portuoſum;* Plinius, *in primis Italiae portu nobile;* qua de re ſuperius dictum. Liuio *Brunduſium;* Plinio, Silio, *Brundiſium.* Epitome Liuii: coloniae deductae ſunt, Fregena; in agro Sallentino Brunduſium.“ Idem, Brunduſii promontorium nouit. Gentile, Brundiſinus; Cicero, *Brundiſina colonia*, *Brundiſinorum* gratulatio. Hodie *Brindiſi*, Gallis *Brindes;* a promontorio nomen acceperit, ſermone Liburno. Ab Gnatia ad Brunduſium viae tractus in Tabula eſt exmiſſus. Via heic ab Tarento exit, de qua poſtea dicemus.

III. **Valentium.** x. ſic Velſ. Burdigalenſe, *mutatio Valentia.* xi. MS. *Valentio.* Rauennas, *Baletium.* Pomponius Mela, *Valentium*, in MSS. vulgo *Valetium;* Plinio, *Baleſium.* Danuille, *Valentia*, ſitu vici *Torre S. Germano*, ad xi lapidem. Deliſle *Baletium* vocat. Aletio Plinii et Ptolemaei ad mediterranea refertur.

Luppia. xv. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Lipias.* xxv. a Brunduſio. Schottus, *Lypias* M. P. xxi. Simlerus, Mela, inquit, Lubias vocat, Strabo et Ptolemaeus Luſpiam.“ Gregorio, *Lippias.* Burdigalenſe, *manſio Clipeas.* xiii. Strabo, *ἐν τῇ μεσογαίᾳ Ρωδαῖαι τέ εἰσι καί Λουπίαι*, *in mediterraneo Rodaei ſunt et Lupiae.* Mela, Plinius, *Lupia.* Inſcriptio vetus, PATR. COL. LVPIENSIVM. Frontinus, de Coloniis, *ager Lyppienſis.* Ptolemaeo, ad oram, *Λουσπίαι*, *Luſpiae.* Harduinus, ad litus, *Torre di San Cataldo*, interpretatur; quem Danuille, in tabellis ad commentarios Rollini, ſequitur; in Atlante, Deliſleo duce, vrbem *Lecce*, ſeu *Leze*, vult eſſe; Strabone et numeris poſcentibus. Aletium quippe, quod Cluuerio duce, heic nonnulli ſtatuunt, Salentinorum fuit; vt poſtea viſuri ſumus. Abeſt *Lecce* a mari vi M. P.

Ydrunte. xxv. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Hydrunto.* xxv. Inſcribitur hoc iter, ab Equo Tutico *Hydrunto;* aliud a Beneuento *Hydruntum.* Itinera maritima, a Saſonis inſula *traiectus Hydrunto prouinciae*

Calabriae, *stadia* cccc. *Ab Hydrunto litoraria Leucas prouinciae supra scriptae*, *stadia* ccc. Burdigalense, *mutatio ad Duodecimum.* xii. *Odronto mansio.* xiii. Norunt praeterea vrbem, Scylax, Cicero, Liuius, Strabo, Plinius, Lucanus, Ptolemaeus, Paullinus Nolanus, alii. Graecis Ὑδροῦς, *Hydrus;* qua forma et Lucanus vtitur; Cicero, oblique, *Hydruntem* dixit; Plinius, *Hydruntum* et *Hydruntem.* Scylacis tempore, λιμὴν Ὑδροῦς, *portus* erat *Hydrus;* fuit et promontorium, teste Mela, *Hydrus mons.* Aeuo sequiori, ad normam Burdigalensis, *Odronto.* Hodie vrbs *Otranto*, cum regione cognomine, Iapyges et Salentinos complexa. Duodecimus lapis fuerit circiter *Sternacia* vicum.

Castra Minerue. viii. insignia coloniae; Vels. *Castra. Minervae.* viii. intra paludem, quod in Tabula muri signum est. Fuit templum, castrum, et oppidum. Dionysius, de classe Aeneae: pars nauium ad Iapygiae promontorium adpulit; reliquae κατὰ τὸ καλούμενον Ἀθήναιον, *ad Mineruae nuncupatum templum.* Virgilio, *templum in arce Mineruae;* Velleio, *colonia Mineruium.* Est oppidum *Castro*, ad oram. Inde Tabula viam ducit ad mare, traiectum forsan indicatura, Leucam versus, et promontorium Iapygium, quae non habet. Seorsim deinde versus sinum Tarentinum, a flexu litoris, viam ducit, in qua,

IV. **Veretum.** xii. sic Vels. Strabo, a Tarento ad Brundusium nauigatio iuxta litus, μέχρι μὲν Βάριτος πολίχνης χ' στάδιοι. καλοῦσι δὲ Βάριν οἱ νῦν Οὐέρητον, ad Baritem vsque stadiorum dc. Barin autem nunc Veretum vocant oppidulum, in extremitatibus Salentinorum situm, ad quod terra quam mari plerumque facilius a Tarento peruenitur; inde ad Leuca oppidulum stadia lxxx." Ptolemaeo, in mediterraneis Salentinorum, Οὐέρητον, *Veretum;* Schotto, Οὐένητον, *Venetum.* Scholiastes Horatii Cruquianus, de Bario: ciuitas est Apuliae; alia autem est, quae grammatico Theoctisto dicta est *Baris.*" Forsan et Plinii locus, de Iapygio differentis, huc spectabit: *Ab eo Basta oppidum, et Hydruntum decem ac nouem* m. *passuum.* In situ Bastae huius non conueniunt geographi; alii *Vaste* quoddam, Hydrunto vicinum; alii ad octauum supra Leucam lapidem, ad oram, circiter vicum *Trecast*, ponunt. Sed Plinii verba, et interuallum xix M. P. *Barin* exposcunt; quidquid de nomine censeas, quod multiplex fuisse videtur. Quae si recte habent, etiam Βανότα, *Bauota*, seu potius Βαῦστα, *Bausta*, vt in Palatino codice est, huc procul dubio spectabit. Varietas vocabulorum effecerit, vt diuersa putarentur loca. Est oppidum *Alessano*, ad iv a mari lapidem, in Calabris.

Vhintum. x. sic Vels. Plinio, *Vxentini*, e MSS. editi, praue *Valentini*, qui ad oram Calabriae pertinent. Ceterum in MSS. *Valentini* leguntur, Harduino teste, qui Ptolemaeum secutus, Vrentinos posuit. Cellarius: Interiacet, sed intus, oppidum *Vgento*, quod haud dubie Ptolemaei est Οὔξεντον, *Vxentum*, Tabulae *Vhintum*, vitiose descriptum." In h litera expressio barbara, pro more, lateat, *zs* forsan Hungaricum, seu *x* Illyricum; vt vox Liburnis possessionem designet. Sequitur enim auctor Tabulae, idque non incon-

ſulto, vulgarem loca efferendi rationem. Habet hoc oppidum portum, ***Porto di Vgento***, quem Tabula *Salentinum* vocat.

Baletium. x. Velſ. *Baletium.* x. Plinio et Ptolemaeo, *Aletium;* illi: Oppida per continentem a Tarento, Varia, cui cognomen Apulae, Meſſapia, Aletium." Harduinus in ſuis MSS. pro Aletio *Sarmadium* reperit; recte autem heic Aletium habere, ipſe Plinius, paullo inferius, declarat, cum ait: Salentinorum, Aletini, Baſterbini, Neretini, Valentini, Veretini." Et Ptolemaeus, inter *Σαλεντίνων Salentinorum* vrbes mediterraneas, *Αλήτιον*, *Aletium;* Deliſle, *Valentium*, non recte; nam in Plinii MSS. *Vlentini* pro Vxentinis leguntur; et Aletini huc omnino ſpectant. Rectius Danuille, *Aletium*, item *Baletium.* Eſt oppidulum *Alizza*, ad VI ab Gallipoli in exortum lapidem.

Neretum. x. Velſ. *Neretum.* x. Cellarius, ab Vxento: Inde in ſeptemtrionem IX circiter millibus a Callipoli eſt Neretum Tabulae, *Νήριτον*, *Neriton*, Ptolemaei; vulgo nunc *Nardo*, IV millibus a mari." Editio Schotti, *Νήρητον*, *Neretum* praefert. *Nardo* adcenſetur oppidis.

Manduris. XXIX. ſic Velſ. Liuius oppidum in Salentinis *Manduriam* vocat. Plinius: In Salentino iuxta oppidum Manduriam lacus ad margines plenus, neque exhauſtis aquis minuitur, neque infuſis augetur." (a) Stephanus, *Μανδύριον*, *πόλις Ιαπυγίας*, *Mandyrium Iapygiae oppidum.* Plutarchus, in Agide, *Μανδόνιον Mandonium* adpellat. Cluuerius, lacum Plinii *Andoria*, ad oppidum *Mandola*, eſſe perhibet; Leander, ad oppidum *Caſalnuovo.* Abeſt hoc a mari v. M. P. interuallo.

Tarento. XX. inſignia coloniae; ſic Velſ. Scylax: In Iapygia habitant Graeci, vrbesque in ea ſunt hae: *Ηράκλειον*, *Μεταπόντιον*, *Τάρας*, *καὶ λιμὴν Ὑδροῦς*, *Heraclium*, *Metapontium*, *Taras*, *et portus Hydrus.* Strabo *εἰς τὸν Ταράντα*, *Tarantem*, oblique. Latini, Tarentum, colonia Lacedaemoniorum; Iuſtini Trogus: (b) diu per varios caſus iactati, tandem in Italiam deferuntur, et occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, ſedes ibi conſtituerunt." Mela, de ſinu: Primus dicitur Tarentinus, inter promontoria Salentinum et Lacinium." Vrbs pecunia veteri, fabricae elegantis, diues; in quodam argenteo, literis peruetuſtis, retrograde legendis, TARAI. pro TARAN. id eſt, *TARANTΩN.* canina veteri pro P. vulgari. Patria citharoedi antiquiſſimi Archytae, et primi Poetae Latini Ennii. Seruat nomen *Tarento, Taranto,* vrbs in peninſula ſinus cognominis.

Apud Tarentum concurrunt viae a Brunduſio, Venuſia, Salerno, Heraclea; quas, vbi Tarenti viciniam abſoluerimus, ſingillatim indicaturi ſumus. Ab vrbe Heracleam verſus, pone litus, via ducit, quam ſcriba Velſeri non cum Tarento, ſed Grumento, iungit; vnde ſeorſim decurrebat alia. Sic autem in via litorali notatur:

(a) L. II. c. 106. (b) L. III. c. 4.

Tvrioſtv. absque numero. In fluuiis cenſebamus, *Turio flv.* poſſe legi; qui cum ſine numero ponatur, proximum a borea amnem ſignificet; qui *Taras* forſan, et vicus hodieque ab occaſu vicinus, *Torre di Tara,* indicare videtur, nuncupatus erat; vnde Turium auctor Tabulae fecit; aut reapſe *Turius* fuerit dictus, vt Galeſus pro amne *Bollo* accipiatur. Eſt etiam *Canapro,* alueus Bradani orientalis, qui Turii nomen gerere potuit. Strabo, ſupra Thurios regionem eſſe ait, quae *Ταυριανὴ*, *Tauriana,* dicatur; ſed longius inde in meridiem. Quod ſi via a Grumento, vt videtur, iſthuc tendit, Siris fluuius erit; neque enim Tarentum cum Grumento bene conuenit, vtpote longe in occaſum remoto. Bradanus erat Iapygum hac parte finis; nunc mediterranea luſtremus.

V. Mediterraneae viae ſunt hac regione complures, in quibus recenſendis initium ab occaſu ſumemus, a Frentone amne, et oppido Teano Apulo; vnde iter ducit per Geronium Bouianum et Eſerniam. Hodoeporicon itinere hoc deſtituitur; Tabula ſic exprimit:

Geronum. VIII. ſic Velſ. Cellarius, *Geronium,* legit. Polybio, *Γερούνιον τῆς Δαυνίας*, *Gerunium Dauniae;* Liuio, *Geronium,* vrbs Apuliae: Ex Pelignis Poenus flexit iter, retroque Apuliam repetens, Geronium peruenit, vrbem metu, quia collapſa ruinis pars moenium erat, ab ſuis deſertam.“ Eſt oppidum *Tragonara,* laeua riui, Frentonem petentis, ripa.

Ad pyr. VIIII. Velſ. *Ad pyrum.* VIIII. Deliſle, ad Pirum, laeua Frentonis, Danuille prope dextram, ſitu vici *Celenza;* niſi ipſum reſpexit oppidum. Vtrum ſcriba Velſeri *Ad pyrum* recte expreſſerit, dubites; nam **pyr** vocem excipit VIII numerus, quem ipſe particulae *pyr* adiunxit, arbitratus eo ſpectare. Ceterum, olim *Ad pyrum* fuiſſe ſcriptum videtur, cum numero XVIII. qui prauata voce, caput amiſerit. Manſio ſubſequens, *Ad Canales,* laeua Frentonis regione, circiter vicum *Mirabella,* aut *Campo baſſo,* conſiſtens, ad Samnium refertur, de quo ſuo loco dictum.

A Piro pars viae ducit Eſerniam, numero IX interiecto ad montis transitum, nullo ibi loco ſignato. Is numerus diuortium viae notarit, quod a Bouiano M. P. XX. ab Eſernia XXXII aberat. Hunc viae ductum Deliſle ſignauit, Danuille praeteriit.

Aliud iter eſt a Siponto Aecas, inde Equum Tuticum, et Triuicum; habet id Hodoeporicon vtrumque; vt praecipua aeuo illo via, a Beneuento Sipontum ducens, fuiſſe videatur; cuius partem Diomedes iam ſterni curarit, vt ex Strabone colligere licet. In Tabula a Siponto haec notantur:

Arpos. XXI. ſic Velſ. Norunt vrbem, Polybius, Lycophron, Virgilius, Liuius, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Stephanus, Tzetzes, alii. Strabo, *ἐκαλεῖτο δ' ἐξαρχῆς Ἄργος ἵππιον, εἶτ' Ἀργυρίππη, εἶτα νῦν Ἄρποι*, ***Quae nunc Arpi, principio Argos Hippium, dein Argyrippa eſt nuncupata.*** (a) Plinius: oppida,

(a) L. VI. p. 283.

Canusium, Arpi, aliquando Argos Hippium, Diomede condente, mox Argippa dictum.“ Virgilius, vrbem *Argyripam*, deinde *Arpos*, vocat; Lycophron, *Ἀργυρίππαν Δαυνίων παγκληρίαν*, *Argyrippam Dauniorum possessionem.* Gentile, *Ἀργυριππανοὶ*, *Argyrippani*, Polybio; *Ἀργυριππηνοὶ*, *Argyrippeni*, Straboni. Latinis, *Arpi*, *Arpini*, *Arpani.* Veteres numi, *ΑΡΠΑΝΩΝ. Arpanorum.* Hodie oppidulum *Arpi*, *l' Arpi*, prope dextram Candelari amnis; Danuille ipsi ripae adstituit.

Pretorium. Lauerianum. Nucerię. Apulę. VIIII. aedes quadra, insignia praetorii; sic Vels. Etiam Ptolemaeus, *Νουκερία Ἀπουλῶν*, *Nuceria Apulorum.* Danuille, Praetorium a Nuceria distinguit, ad IX ab Arpis lapidem statuens; cuius rei nullum est in Tabula indicium. Plinius: Dauniorum coloniae, *Luceria*, *Venusia.* Straboni quoque *Λουκερία*, *Luceria.* Multa exstant Diomedis imperii in ea regione vestigia, vti sunt Luceriae in templo Mineruae antiqua donaria. Fuit enim illa vetus vrbs Dauniorum, nunc autem tenuis facta.“ Meminit praeterea vrbis, Cicero, Liuius, Aurelius Victor, alii. Gentile, *Lucerini*, Liuio. In pecunia veteri, LOVCERIA. quae vox cum epitheto Tabulae *Lauerianum* cognationem habet. Videtur nomen a venatione deductum. Hodie oppidum *Lucera*, *Luzzara*, et *Nocera*, sed ad XVI a priore lapidem. Danuille in quibusdam chartis XIX interponit; vt in Tabula numeros XXI et VIIII a scribis permutatos opinere. Sane Arpi a Siponto VIIII M. P. absunt.

Aecas. absque numero; insignia municipii; sic Vels. Numerus VIIII. Arpis adponendus, heic iterari debet. Hodoeporicon, itinere ab Equo Tutico Hydruntum, *Ecas.* XVIII. Surita, *Eeas*, *Eseas;* alii *Escas.* Rauennati, *Ecas.* Burdigalense ab Equo Magno seu Tutico, *Finis Apuliae et Calabriae. mutatio Aquilonis.* VIII. *ciuitas Aecas.* X. Epitheton, *Aecanus;* Plinio: *Atrani*, *Aecani*, *Alfellani.* Vetus inscriptio, apud Gruterum, CVRAT. REIP. AECANORVM. Est oppidum *Troia*, recentis Candelari dextra; vt Holstenius monstrauit. Mutatio Aquilonis in agrum vici *Monte Aguto*, prope laeuam Ceruari, e numeris incidit, ad Apuliam spectans.

Aequo tutico. XVIII. Est oppidum *Ariano*, vt Cluuerius docuit, non *Castel Franco*, vt Danuille putabat; quod in Hirpinis, censu Campaniae dedimus, cum Foro Nouo, XII M. P. ab Equo Tutico, remoto. Ab hoc Foro, quod circiter Tamari cum Calore confluxum fuerit, auctor Tabulae flectit iter in exortum, versus Triuicum, et Herdoneam, quae sunt Apuliae loca.

VI. N. - - - . absque numero; insignia municipii; sic Vels. Numerus XII infra oppidum positus, Furfane versus, etiam huc referri debet; quem auctor Tabulae, cum vtrimque, etiam Equum versus, haberet, iterare noluit. Vnde Triuico in Tabula scriptum fuisse non dubitem. Horatius, *Triuici* villam nouit vnus; quod *Trevico* est oppidum, ad fontem Cetrari amnis. Danuille, in tabellis ad commentarios Rollini, Triuicum Hirpinis tribuit; rectius in Atlante Apulis, qui iugis montium ab Hirpinis dirimebantur. Ab Triuico, auctor

Tabulae, ob anguſtias loci, et conſtructionem operis, auſtrum petere videtur, cum reapſe in exortum aeſtiuum tendat, hoc pacto:

Furſane. XII. Velſ. *Furſane.* XII. Danuille, in Atlante, praeterit; in tabella viarum Italiae, ſitu oppidi *Bovino*, prope dextram Cetrari amnis, *Furſane* ſtatuit; ceteri tacent. Videtur autem *Furſanae* obliquo caſu in Tabula expreſſum, vt recto ſit *Furſana;* cuius praeterea non meminit alius. Forſan *Trica* erat ante, de qua ſic Plinius: Diomedes ibi deleuit gentes Monadorum, Dardorumque, et vrbes duas, quae in prouerbii ludicrum vertere, Apinam et Tricam." Qui Graecis Monadi, Liburnis ſunt *Samnitae;* quos quidem Diomedes non deleſſe, ſed ſocios adſciuiſſe videtur.

Erdonias. XVIII. Velſ. *Edonias.* XVIII. Hodoeporicon, ab Ecis, *Erdonias.* XVIIII. Burdigalenſe, *ciuitas Serdonis.* XVIII. Norunt oppidum, Liuius, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Appianus, Silius, alii. Liuio et Silio *Herdonia;* illi etiam quodam loco, *ad Ardoneas;* vnde Cluuerius diuerſa eſſe loca cenſebat. Appiano, *Ἑρδονία*, *Herdonia;* Ptolemaeo *Ἐρδωνία*, *Erdonia;* Straboni, *Κερδονία*, *Cerdonia;* quem de via hac, quae nonnullis Egnatia vocatur, audire libet. Is de itinere Brunduſio Romam ducente locutus: Sunt autem duae viae, inquit, vna, qua muli ire poſſunt, per Peucetios, qui Poedicli vocantur, et Daunios ac Samnites, Beneuentum vſque; *ἐφ' ῇ ὁδῷ Εγνατία πόλις, εἶτα Κελία, καὶ Νήτιον, καὶ Κανύσιον, καὶ Κερδονία*, *hac in via vrbes ſunt, Egnatia, Celia, Netium, Canuſium, et Cerdonia.* Altera per Tarentum ducebat, de qua poſtea ſermo recurret. Gentile, *Herdonienſes*, Plinio. Eſt oppidum *Ardona*, inter *Cervaro* et *Coprelle* amnes.

Ad piroꝰ. XII. Velſ. *Ad pirum.* XII. Pirum hanc geographi, quod viae rationem adſequi non poterant, praeteriuere. Menſura ad oppidum *S. Marco* ducit, ad VI ab *Canoſa* ſeu Canuſio lapidem; quod Tabula non adiſſe videtur. Paullo ſuperius eſt vicus *Cerignola* in colle, qui cum Piro cognationem habere videatur. Tractus viae, qui heic, ob ſtructuram operis definit, iungi debet cum altero, apud Rudas, qui a monte capit initium, ad Cerignolam forſan. Via proinde, a Piro, petit,

Rudas. absque numero; Velſ. *Rudas.* Norunt oppidum, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Silius, alii. Strabo, *ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Ῥωδαῖοι*, *in mediterraneo ſunt Rodaei*, et Lupiae, et paruo ſupra mare interuallo Salapia, in medio iſthmo Thyraei, vbi regia oſtenditur cuiusdam olim ditione praediti." Ptolemaeo, in Salentinis, *Ῥουδία*, *Rudia;* Harduinus, *Ῥωυδία*, *Roydia*, legit. Silius Italicus, de patria Ennii Poetae: (a)

Miſerunt Calabri, Rudiae genuere vetuſtae;
Nunc Rudiae ſolo memorabile nomen alumno.

(a) L. XII. verſ. 397.

Plinius: Pediculorum oppida, *Rudiae*, Egnatia, Barium." Mela, *Barium*, *Egnatia, et Ennio ciue nobiles Rudiae.* Epitheton, *Rudius*, *Rudinus;* illud Cicero, hoc Frontinus, et Horatii scholiastes, prodiderunt. Situm geographi reperire nequiuerunt; Cellarius, apud Tarentum; Harduinus, supra Brundusium, apud *Ostuni*, vico *Carovigno;* Delisle, ad xv a *Ruvo* in austrum lapidem, circiter vicum *Cirasa*, cum initio viae ex Tabula. Danuille proximum Lupiae facit. Numeri, qui hac via in Tabula sequuntur, ducunt ad oppidum *Adria*, xx M. P. ab *Cerignola*, vii ab vrbe *Tran*, seu Tureno, dissitum. Hanc Rudiarum positionem Strabo et Ptolemaeus firmant. Fuit nonnihil extra viam, quae per Canusium ducebat; idcirco Hodoeporicis praeteritum. Sequitur in Tabula,

VII. Rubos. xii. sic Vels. Hodoeporicon, *Canusio.* xxvi. *Rubos.* xxiii. Burdigalense, *mutatio Vndecimum.* xv. *ciuitas Canusio.* xi. *mutatio ad Quintumdecimum.* xv. *ciuitas Rubos.* xv. Horatius, ab Canusio: *Inde Rubos fessi peruenimus.* Plinio, Netini, *Rubustini;* ciuitas *Rubi*, episcopus *Rubensis*, in Chronicis. Cellario, in tabella, *Rubi Rusium;* cuius scripti rationem non dedit. Est oppidum *Ruvo*, vestigia prisci nominis seruans.

Butuntos. xiiii. insignia municipii; sic Vels. Hodoeporicon, *Butuntus.* xi. Suritae, *Budruntus*, *Bruduntos*, *Bruduntus*, *Bruduntrus;* in nullo *Butuntus*, quod in textum Wesselingius posuit. Burdigalense, *mutatio Botontones.* xi. MS. *Butontones.* Wesselingius, iustum est *Butontus*, inquit, vt alias diximus. Sed ibi, verum est *Butuntos*, ex Tabula, dicebat. Lupus Protospata, *Butuntum;* Cinnamus, *Βουτόταν*, *Butotam;* Guil. Appulus, *Betontinam*, dixerunt. Harduinus, ex Tabula, *Butunti*, legit. Epitheton, Butuntinus; Frontino, *Butuntinus ager;* Plinio, *Butuntinenses.* Numi *BYTONTINΩN. Bytontinorum.* Wesselingius, ex *Βορεοντῖνοι* Scylacis, putat *Βουτοντῖνοι* posse fieri; Cluuerius et Vossius *Φρενταυοὺς*, *Frentanos*, Gronouius *Βρεντεσίνους*, *Brentesinos*, faciunt. Sed a Bario id vocabuli sit ortum, quod Burdigalensi *Beroes* audit. Mensura Hodoeporicorum pertingit ad oppidum *Bitonto*, Tabulae ad *Bitetto;* quae si recte habet, duo loca, eiusdem prope nominis, vicina sibi fuisse putabis. Inde Hodoeporicon vtrumque Barium abit; in Tabula sequitur,

Celia. viiii. Vels. *Celia.* viii. Strabo, *Κελία*, *Celia;* Plinius, Lupia, Balesium, *Coelium;* Ptolemaeus, in mediterraneis Peucetiorum, *Κελία*, *Celia.* Epitheton, *Coelinus*, Frontino. Numus Caracallae, AEL. MVNIC. COEL. ANT. quem Holstenius isthic adfert, ad Coelam Thraciae spectat. Idem vir doctus ait, Coeliae vestigia superare iv vel v M. P. supra Barium, in mediterraneis; vbi Delisle et Danuille signarunt locum. Id forsan e numeris Tabulae coniecit, quia locum nominare omisit; in chartis eo agro vicus *Due Torri* signatur.

Ehetiū. viiii. sic Vels. Cellarius, opinione Holstenii relata, Notium Strabonis, et Ehetium Tabulae, idem esse censentis; qui tamen *Νήτιον* cum

Natiolo iungi posse existimarat ante; ordinem in iis variare, inquit; nihil praeterea, nisi loca illa Strabonis ambiguae positionis esse. Plinius habet: Calabrorum mediterranei, *Aegetini;* vnde Delisle *Aegetum* format; Danuille, Tabula duce, *Egetium*, interuallo pari, circiter vicum *Rutigliano.* De litera ħ barbarae expressionis, *gye*, vel *dzse*, alias monebamus.

Ħorue. absque numero; sic Vess. Et hanc mansionem praeteriit Cellarius; Danuille cum praecessore, *Norba;* e loco Plinii, in Calabrorum mediterraneis, Butuntinenses, Deciani, Grumbestini, *Norbanenses;* tamquam Norbanum fuerit nuncupatum. Sed idem Butuntinenses ex Butuntis formauit. Est oppidum *Conversano*, IX M. P. a priore; qui numerus superne in via litorali, inter Turres Caesaris et Dertum scribitur, heic autem A litera, ex voce Apulia, spatium occupante, a scriba exmissus est. Apud Norbam exit via a Venusia, quam deinde lustrabimus.

Ad Veneris. VIII. sic Vess. Delisle, *Fanum Veneris;* Danuille praeterit. Credibile, fanum eius Deae ibi exstitisse, a quo locus nomen acceperit. Eo interuallo in chartis comparet vicus *Grotta S. Iago.* M. P. VIII. quae inde ad Gnatie, siue Egnatiam, ponuntur, sunt iusta; de vrbe in ora diximus.

VIII. E viis mediterraneis, quae hanc subsequuntur, est a Venusia Norbam, quae ab Siluio, tractu distincto, Tarentum petit. De hac Strabo: Via altera, διὰ Τάραντος, *per Tarentum*, paullum ad laeuam deflectit; vnius diei ambitu confecto, in Appiam peruenitur, quae plaustris patet, ἐν ταύτῃ δὲ πόλις Οὐρία τὲ καὶ Οὐενουσία, in ea sunt oppida Vria et Venusia; illa inter Tarentum et Brundusium, haec in confinio Samnitium et Lucanorum. Ambae a Brundusio coeunt apud Beneuentum ad Campaniam; inde Romam vsque iam Appia via ducit, per Caudium, Calatiam, Capuam, et Casilinum, vsque Venusiam.“ Addit mensuram: *Tota via a Brundusio Romam est μίλια τξ. millium* CCCLX. Xylander perperam *stadiorum* habet. Ductu recto, secundum Danuillei rationes, sunt CCCXII M. P. a Brundusio, per Tarentum, Venusiam, Beneuentum, sunt M. P. CXC. totidem per Canusium et Equum Tuticum. A Beneuento Romam sunt CXL. vniuersim CCCXXX. M. P. sed spatio omni intercepto, vt Danuille in mappa viarum Italiae distantias notauit. Ex itinere a Beneuento per Eclanum, Venusiam, habuimus Pontem Ausidi, mansionem Hirpinorum postremam; inde haec comparent:

Venusie. XVIII. insignia coloniae; Vess. *Venusie.* absque numero. Hodoeporicon, *Venusia.* XVIII. duplici itinere, a Beneuento Hydruntum et Tarentum, item ab Equo Tutico Regium. Nomen variat, *Venusio*, *Venusio*, *Venusiae.* Regium, XVIIII. cum nonnullis; itinere a Mediolano ad Columnam, *Venusium ciuitas.* XXVIII. ab Honoratiano. Norunt coloniam Polybius, Cicero, Liuius, Horatius, Plutarchus, Velleius, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, alii. Graecis, *Οὐενουσία*, *Venusia;* Plutarcho tamen *Βενυσία*, *Benysia.* Gentile, *Venusinus*, Horatio, cuius patria fuit; Liuio, *Venusini.* Est oppidum *Venosa*,

laeua riui recentis, Aufidum ab auftro petentis, ripa; Danuille dextra ponit, in Atlante, alias laeua.

Silutum. xxxv. fic Velf. Hodoeporicon, itinere Hydruntino, *Ad Siluianum.* xx. itinere Tarentino, *Siluium.* xx. Strabo, Peucetios, in mediterraneo, *μέχρι Σιλουίου*, *vfque Siluium*, pertinere, fcribit. Incolae *Siluini*, Plinio. Holftenius, numeros Hodoeporici fecutus, vicum *il Gorgolione* interpretatur; poft quem Cellarius, Danuille, alii abeunt; Delifle tamen Tabulam fequitur, *Siluium* fitu *Gravina* oppidi, dextra Canapri recentis ripa ftatuens; interuallo etiam pofitioni refpondente. In Tabula procul dubio S i l u i u m olim fcriptum erat, notariis ex penultima vocali confonam efformantibus. Ab Siluio pars viae abit in auftrum et occafum, hinc Salernum, inde Tarentum; quam poftea difpiciemus.

Sublubatia. xxv. fic Velf. Hodoeporicon, *Sub Lupatia.* xxi. alio itinere, xiiii. in quibusdam, *Sublupantia*, *Sublaptantia*, *Sub lapatia;* Surita, *Sub Luparia* legendum putat. Weffelingius, ex Tabula et Rauennate, *Sub Lupacia* legit. Holftenius diftinguit, Lupaciam *Altamura* ciuitatem epifcopalem, Sub Lupaciam *Iefcia*, interpretatus. Delifle numeros Tabulae, et Holftenii doctrinam, fecutus, ad Galefum recentem, in iugis Vulturinis, vtrumque locum ponit. Danuille, interiecta Blera, *Sub Lupatia* apud *Altamura* oppidum ftatuit. Tabulae numeris oppidulum *Caffano* refpondet, fupra montes, ad xv ab *Altamura* in exortum aeftiuum milliare. De Lupatia duplice nullum exftat indicium.

Norue. xx. fic Velf. Hoc interuallum non perpendit Holftenius, et qui eum funt fecuti; nam Delifle ab fua Sub Lupatia Norbam vfque xxx M. P. Danuille tria infuper, numerant. Menfura Tabulae ab *Caffano* ad oppidum *Converfa*, vbi Norbam pofuimus, eft adcurata; quam cum chartae quoque recentiores firment, numeros Hodoeporici vitium paffos arbitrere. Nam ab Canalibus, vt eos Danuille fignauit, non xx M. P. Tarentum vfque funt, vt in Hodoeporico, verum amplius xl. Quare Canales, refpectu Tarenti, circiter oppidum *Caftellanetta*, quaeri debent, vt fere Delifle notauit; qui tamen inde Tarentum vfque xxv M. P. contra fidem Hodoeporici, numerat. Haec erat via ab Venufia Norbam, inde Gnatiam, ducens.

IX. Ab Siluio pars itineris Potentiam, inde Grumentum verfus proficifcitur, cuius portio ad Lucaniam fpectat, vna manfio ifthuc refertur. Eft in Hodoeporico iter a Venufia Heracleam, et aliud Grumentum; fed vtrumque a noftro diuerfum. Manfio, quam numeri ifthuc referri oportere fuadent, haec eft:

Pifandes. xvi. Velf. *Pifandes.* xvi. Nemo geographorum meminit loci. Bantiam hoc tractu norunt, Liuius, Horatius, Plutarchus, Stephanus; quae fi eft *S. Maria de Vanze*, vel *Vanfe*, vt Holftenius credidit, a noftra manfione, quae in oppidum *Monte Pelofo* incidit, erit diuerfa; vtpote tribus mill. geogr. ab *Vanfe* vico in exortum hibernum abfcedens. Plinius, Lucanorum, Atenates,

Bantini, Eburini, Grumentini, Potentini. Inde via ad Casuentum recentem progreditur, binas Hodoeporici vias intersecans, alteram ab Opino Heracleam, alteram indidem Nerulum ducentem. Quae sequuntur oppida, Lucus, Potentia, Anxia, ad Lucaniam pertinent.

Superest via a Brundusio Tarentum, tribus intermediis mansionibus constans, quae in Hodoeporico desiderantur. Haec enim in eo dumtaxat legas: *A Brundusio Tarentum ad litus. M. P.* XLIIII. *a Bario per compendium Tarentum. M. P.* LX. Tabula, itinere priori vno minus censet. Sic vero in ea iter illud habet:

Scamnum. XV. Vels. *Scanvium.* VIII. Delisle quoque et Danuille, *Scanuium* habent; quis autem rectius, Scheibius an Velserus expresserit, nemo facile decidet, nisi qui archetypon ipse consuluerit; quod alius loci, Vriae vicini, non meminit. De hac via et regione Strabonem audire libet: Peninsulae formam refert ea regio, quae circumitur a Tarento Brundusium nauigantibus. At terrestre ex vna harum vrbe ad alteram iter ab expedito vna die confici potest, per isthmum huius peninsulae, quam plerique communi vocabulo Messapiam, Iapygiam, Calabriam, et Salentinam adpellant; alii diuidunt.“ Mensura ad viciniam pagi *Latian* ducit.

Vrbius. VIII. Vels. *Vrbius.* absque numero. Strabo, *ἐπὶ δὲ τῷ ἰσθμῷ μέσῳ Θυραῖοι, in medio isthmo Thyraei;* MSS. *Θυραῖαι*, *Thyraeae*, vbi regia ostenditur cuiuspiam ditione olim praediti. Herodotus, cum dicit *Οὐρίαν*, *Vriam*, esse in Iapygia conditam a Cretensibus, qui ab classe Minois in Siciliam profecta, eo euagati sunt; aut Thyraeos necesse est eam esse vrbem, aut *Οὐερητὸν*, Veretum.“ Herodotus, in vulgatis *Ὑρίην*, *Hyriam*, habet; quod maritimum et mediterraneum esse, Periegetes quoque innuebat. Appianus, *Ὑρίαν*, *Hyriam;* Strabo, alias: *Οὐρία*, *μεταξὺ Τάραντος καὶ Βρεντεσίου*, *Vria*, *inter Tarentum et Brundusium.* Plinius: Oppida per continentem, a Tarento, Varia, cui cognomen Apulae, Messapia, Aletium.“ Cluuerius vult legi, *Vria*, *cui cognomen Messapia.* Sed Frontinus distinguit: Ager Tarentinus, Varnus, Veretinus, Vritanus, Ydrontinus.“ Et in Tabula est, ab Tarento Heracleam versus Turiostu. quae vox cum *Thyraeis* Strabonis conuenire videtur, ad vicum *Torre de Tara* forsan referenda. Harduinus, ad Plinium, ait, in Hodoeporico *Vania*, LX M. P. ab Tarento legi; sed in Regio est *a Varis;* vnde Wesselingius, duce Schotto, et Surita, *Baris*, et *Barium*, fecit. Recto ductu XLIII M. P. a Bario Tarentum censentur. Vria hodie oppidum *Oria*, in colle situm; in tractu Apennini.

Mesochoro. X. sic Vels. Delisle, *Mesochoroo*, forsan *Mesochoron*, via supra Tarentum, versus *Torre de Tara* vicum, linea ducta. Danuille, *Mesochorion;* quae vox graeca est, *Μεσοχώριον*, locum intermedium significans, inter Tarentinos quippe et Vritanos, qui olim iuris Tarentinorum fuisse videntur. Eo fere situ est vicus *Grotaglie*, rudera Italis notans; inde Tarentum M. P. X. quae mensura est iusta. Et hactenus quidem de Apulia dictum esto.

SECTIO XII

LVCANIA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. VETVS eſt Lucanorum nomen, vtpote Scylaci cognitum: *Λευκανοὶ Σαυνιτῶν ἔχονται μέχρι Θουρίας, A Samnitibus ſunt Lucani vſque ad Thurium.* Praeternauigatio Lucaniae eſt dierum VI et noctium VI. *Η δὲ Λευκανία ἐστὶν ἀκτὴ*, Eſt autem Lucania peninſula.“ Recenſet poſtea vrbes graecas a Poſidonio ad Thurium; inde Iapygiam incoat, in ea Heracleam cenſens; vt ſuperiore dictum ſectione. Proinde nomen Bruttiorum eſt recentius, quos Lucanorum paſtores, libertate donatos, Strabo fuiſſe adſerit, de origine populi addens: (a) *Οἱ δὲ Λευκανοὶ τὸ μὲν γένος εἰσὶ Σαυνῖται, Lucani a Samnitibus genus trahunt,* qui ſuperatis bello Poſidoniatis, atque eorum ſociis, vrbes illorum obtinuerunt; reliquo tempore popularis reipublicae apud eos gerebatur adminiſtratio; ſed in bellis rex ab iis creabatur, quorum erat magiſtratus deſignare; nunc Romani ſunt.“ Libet et Plinium audire: (b) A Silaro regio tertia, et ager Lucanus Brutiusque incipit; nec ibi rara incolarum mutatione. Tenuerunt enim Pelaſgi, Oenotrii, Itali, Morgetes, Graeciae maxime populi; nouiſſime Lucani a Samnitibus orti, duce Lucio.“ Sed ii quidem nouiſſimi non ſunt, ſi alios audimus. Ipſe poſtea: Apulorum genera tria; Teani duce e Graiis; Lucani, ſubacti a Calchante, quae loca nunc tenent Atinates; Daunii.“ Atinates, ſuperius Atenates vocauit; nam, quod non nullis placere video, ad Atinam Latii referentibus, Lucanum nomen refragatur. Quare, eadem Samnitium, Apulorum et Lucanorum origo, id eſt, Liburna. A portubus nuncupatos arbitrere, vt vel inde cognationem eorum cum Liburnis videas. Profecto tredecim populos ab Illyriis heic generatos fuiſſe, quod Plinius dicebat, remotiſſimae traditionis eſſe videtur.

(a) L. VI. p. 254. (b) L. III. c. 10.

II. Patrium nomen *Lucania*, Graecis *Λευκανία*, Scylaci iam proditum; vt peruetus eſſe exiſtimes. In Tabula LVCCANIA. ab Silaro ad Crathium amnem; inde BRITTIVS. caractere miniato, ad peninſulae finem. In Faſtis, vbi aliquot triumphi de Samnitibus praeceſſerunt, ad A. V. 464. M. Curius Dentatus, II. coſ. OVANS DE LVCANEIS. A. V. 476. C. Fabricius Luſcinus, II. coſ. DE LVCANEIS BRVTTIEIS TARENTINEIS. Idib. Decembr. Senis deinde vicibus repetuntur triumphi, de iisdem acti. In lapide Romano, apud Reineſium, Q. Aurelius Symmachus, correct. LVCANIAE ET BRVTTIORVM. Lucanos a Brutiis Lao et Sibari amnibus diremtos eſſe volunt; nos compendii gratia vtrosque vno Apuliae vocabulo ſumemus. Fines regionis, ab occaſu, ora maris Tyrrheni; a borea Silarus et Bradanus amnes; ab exortu ora ſinus Tarentini, deinde Scylacii, in mari Siculo; ab auſtro fretum Siculum, a promontorio Herculis. Explicatur inter gradum longit. 32 min. 26. et grad. 35 min. 12. latit. 37 min. 54. et grad. 41. Maxima longitudo, ab auſtro in boream, a promontorio Herculis ad fontem Bradani, M. P. CCXLIV. latitudo ab oſtio Silari ad Bradani oſtium, M. P. CXX. Hodie Lucania *Baſilicata*, Brutiorum ager ad Neaethum amnem *Calabria citra*, reliquum agri *Calabria vltra*, nuncupari ſolet.

§ II

Montes, promontoria, fluuii, ſinus.

I. IVGA Apennini ad Leucopetram vſque protenduntur, apud fretum Siculum; quem tractum Tabulae auctor adcurate exprimit. Eſt praeterea ſemiunciam patens mons, ex quo Crathis emergit, qui alueo ſuo plures indicat fluuios; montis nomen neque in Tabula, neque apud alios proditum eſt; Ortelio *Silla mons* vocatur. Mons Alburnus, cuius Maro et Vibius meminerunt, Paeſto imminet. Pars Apennini, ad Potentiam et Acheruntiam,

Mons Balabo. Velſ. *Mons Balabo*, audit, hodie *Monte Sirico*, *Vetere*, *Aguto*, circa Bradanum; inferius, apud Acirim, *Monte de Caſale*, *Agrimonte*, et plura id genus locorum a montibus nuncupatorum vocabula. Vtrum id nominis cum Bantia, an Lupatia, vel Bradano, cognationem habeat, non facile decreueris; quod nemo veterum id vocabuli nouit. Eſt in illo tractu vicus *Valdiano*, qui ſono vocis cum Balado conuenit. Videtur antiquis cultoribus fuiſſe conſecratus, eiusdem forſan originis, cuius *Lado*, *Latobius*, quam Latini Potentiam, hac ipſa regione, dixerunt. Idem enim *Valado* Liburnis, quod Potentia Latinis, ſignificat. Eſt Blanda oppidum, ad exitum amnis Bati, qui MSS. *Bale* aut *Baletum* dicitur, ſupra Laum amnem, ad oram maris, quod huc quidpiam facere queat. In promontoriis eſt,

II. Leucopetra. Strabo: A Rhegio verſus ortum ſolis ſi nauigatur ad L ſtadia, peruenitur ad *Λευκοπέτραν καλοῦσιν ἄκραν ἀπὸ τῆς χρόας, εἰς ἣν τελευτᾶν φασὶ τὸ Ἀπέννινον ὄρος*, Leucopetram, id eſt, album Saxum, promontorium ab colore ſic denominatum, in quod definere montem Apenninum aiunt." Plinius, a Rhegio: *Inde Apennini ſilua Sila, promontorium Leucopetra*, XII *M. paſſuum.* Memorat illud Cicero, itinere ſuo ſupremo; nonnulli etiam *Bruttium promontorium* vocant; hodie *Capo del Armi.*

III. In fluuiis praecipuus eſt Crater. fl. ad fontem; in via Crater fl. ad oſtium Orater. literis miniatis. Fons eius, ob conſtructionem operis, adpropinquat Tarento; defluxu exhibet Bradanum, Caſuentum, Acalandrum, Acirin, Sirin, Sybarin, Crathin; oſtio Helem et Melpem, amnes minutos. Quare inſcriptio fluuii eſt aliena; Crathis enim alium fluxum, aliam habet originem. Velſ. ad oſtium, Fl'. Crater. Plinius, oppidum Thurii, inter duos amnes Crathin et Sybarin. Strabo quoque, vrbs Sybaris ab Achiuis condita inter duos fluuios, *δυοῖν ποταμῶν μεταξὺ, Κράθιδος καὶ Συβάριδος, Crathidem et Sybaridem.* Iam Lycophron *Κράθιδος*, *Crathidis* meminit, Diodorus *Κράθιος*, *Crathiis;* vt rectus ſit *Κρᾶθις*, *Crathis.* Seruant nomen *Crate*, *Sibaria;* huius pars auſtralis *Iſauro.* Alius erat Plinii *Cratais*, Deliſleo *Crathaeis*, apud Columnam freto immerſus, hodie *Fiumara di Maro;* quem nonnulli cum priore perperam committunt.

Ad IV ab Heraclea milliare Semnum in Tabula occurrit, ad amnem *Sirin*, vt Straboni et Plinio audit; hodie *Sino*, qui ab oppido nuncupatus videtur.

fl'. tanno. ad fontem, literis pictis; Tanno. fl. in via, ad oſtium; ſic Velſ. Eſt fluuius alueo duplici, occiduo apud originem, inſcribitur Crater fl. in via; coeunt aluei prope oſtium, Temſam inter et Valentiam. Is autem amnis eſt Lametus, *Amato*, et paullo ſuperius Sabatus, *Savuto;* infra Lametum *Angitola;* quos alueis iis exprimi voluerit auctor; coniunctio vero, Laum et Acherontem, vulgo *Laino*, *Croſia;* inſcriptio Tanagrum indicat, quem Vibius Sequeſter, et Paullinus Nolae epiſcopus memorant; de quo Plinius: (a) *In Atinate campo fluuius merſus poſt* XX *M. paſſ. exit.* In quem locum Harduinus, ex Cluuerio: Is infra Atinum, *Ateno*, ad diuerſorium publicum, *la Polla*, in ſpecum magno ſe ſe cum murmure montis condens, poſt quatuor circiter paſſuum millia, haud procul oppido *Auletta*, iterum emergit ad diuerſorium, cui ex ea re facta adpellatio, *l' hoſteria del Pertuſo*, hoc eſt, diuerſorium foraminis." *Negro* vocatur amnis. In Hodoeporico, itinere ab Vrbe ad Columnam, Tanarus, Thamarus, Canarus, legitur; Tabulae auctor Tannum vocat. Liguribus profundum, mergulum, qualem reapſe audiuimus, ſignificat.

(a) L. II. c. 106.

Exprimitur fluuius in peninſulae extremo, a fine Apennini in fretum decurrens, qui *Cratais* Plinii eſt, Deliſleo *Crathaeis;* Danuille tacet. Plinii haec ſunt: *Oppidum Scyllaeum*, *Cratais fluuius*, *mater*, *vt dixere*, *Scyllae.* Alii *Cratis* legunt; nunc *Fiumara di Maro*, aliis *il Salano.* Tabula nomen praeterit. Inter Leucopetram et Herculis promontorium eſt *Halex* amnis; quem Tabulae auctor vna ſumi voluerit.

SINVS. PESTANVS. Velſ. SINVS PESTANVS. Plinius, Paeſtum, Graecis Poſidonia adpellatum; *ſinus Paeſtanus;* hodie, *Golfo di Agropoli.*

§ III

Populi Lucaniae.

I. AB amne Lao, quod regionis in auſtrum, ad fretum vſque Siculum ſpectabat, ager Bruttius dicebatur, a Bruttiis, qui eum coluere. De his Strabo, (a) *Βρέττιοι χεῤῥόνησον οἰκοῦντες*, *Bruttii peninſulam incolunt*, quae aliam includit peninſulam, in qua eſt iſthmus a ſinu Scylletico ad Hipponiatem ſinum porrectus. Genti huic Lucani nomen dederunt, qui defectores Brettios, *Βρεττίους*, nuncupant; nam Bruttii, cum (vt aiunt) paſtores prius eſſent Lucanorum, ab ipſis deſciuerunt, indulgentia ipſorum libertatem adepti, quo tempore Dio bellum in Dionyſium mouens, quosuis contra quosuis concitauit." Antiochus, apud Strabonem, regioni huic cum Lucania ſumtae, olim Oenotriae, deinde Italiae fuiſſe nomen, perhibet; Plinius, Morgetes praeterea, Pelaſgos, Siculos, et nouiſſime Lucanos et Samnitas hanc regionem tenuiſſe refert; vti ſuperius vidimus. Sed hi omnes, vna cum Graecis, in hac patria aduenae fuerant; Lucani et Samnites cognati et indigenae.

II. In Tabula eſt BRITTIVS. ager nimirum, ab Lao amne, cuius nomen tacetur, ad fretum Siculum vſque. Latinis, geminata conſona, *Bruttii*, vt Liuio, Pomponio Melae, aliis; Plinio ſimplice vti placuit, *Brutius ager*, *Brutia pix*, *Brutium litus*, et *Brutiani caules.* Graecis plerisque *Βρέττιοι*, *Brettii;* Appiano, *Βρύττιοι*, *Brytii.* Primum in Faſtis occurrunt ad A. V. 476. quo C. Fabricius Luſcinus, de Lucanis et BRVTTIEIS triumphum habuit. Patrium nomen Graecis mature, Latinis ſero, innotuit. Polybio et Straboni, *Βρεττία*, *Brettia;* Paullo Diacono, *Lucania cum Bruttia.* Quare non recte Danuille, cum nonnullis, *Bruttium* ſubſtantiue ſcribit; rectius in Atlante *Bruttii*, more veterum. Si Tabulae expreſſionem et Graecorum ſequare, *Britti* erunt *refractarii*, a mordendo nuncupati; quae ſignificatio *τοὺς ἀποστάτας*

(a) L. VI. p. 255.

Strabonis exprimit. Si tamen vera eſt haec nominis deriuatio; nam bonarum artium cultores, ſed Graecos putem, numi, e nobili quoque metallo, elegantiſſimi, *ΒΡΕΤΤΙΩΝ* praeferentes, oſtendunt. Montium adcolas, quaſi *Brectios*, accipi malim; vnde Calabrorum poſtea heic adpellatio inualuerit. Ab Hebraeis, cum Mazochio, Neumanno et nonnullis aliis, petere originationem rerum Italicarum, non minoris eſſe pudoris arbitrere, quam ab Graecis, quod Plinius dicebat. Haec de Bruttiis.

§ IV

Oppida, manſiones.

I. IN recenſione locorum, ſeriem, quae in Tabula exhibetur, tenebimus, primum oram Tyrrheni maris, deinde ſinus Tarentini et Scyllacii, ad Columnam vſque, perluſtraturi; mediterraneis ad finem ſeruatis. Hodoeporicon ab Salerno litus relinquit, Tabulae apud Caeſarianam accedens; vbi viae tractus deſideratur; neque manſiones cum numeris optime habent. Haec autem ab Salerno comparent:

Peſtū. IX. apud Velſ. numerus ponitur, voce exmiſſa. Numerus hic ad Picentiam, in mediterraneis, pertinet; ſunt enim ab Salerno Paeſtum vſque XXV M. P. Graecis eſt *Ποσειδωνία*, *Poſidonia*, Latinis *Paeſtum;* qua forma et Ptolemaeus vtitur, *Παῖστον*. Plinius, *oppidum Paeſtum*, *Graecis Poſidonia adpellatum.* Velleius Graecum nomen interpretatus, *Neptunium* dixit. Ante I bellum Punicum coloniam deductam Liuius perhibet: *Coloniae deductae ſunt Poſidonia et Coſſa.* Vrbs inde ab Scylace nota. Gentile, Peſidoniatae Graecis, Paeſtani Latinis. Numi veteres, *ΠΟΣΕΙΔΩΝΕΑΤΑΝ.* quidam perantiquus, *ΒΙΣΤΥΥΙΣ. Biſtuuis*, aut *Biſtulis.* Liuio, Pontiani, et *Paeſtani*, et Coſſani. Plinio, *ſinus Paeſtanus.* Eſt vicus *Peſti*, vel *Preſti,* ad VIII ab Silaro amne lapidem.

Ceſernia. XXXV. Velſ. *Ceſerma.* ſic et Scheibius; Velſ. absque numero. Hodoeporicon, a Nuceria, *In medio Salerno. ad Tanarum.* XXV. *ad Calorem.* XXIIII. *In Marcelliana.* XXV. *Caeſariana.* XXI. Holſtenius, vicum *Caſal novo*, chartis, *Caſale nuovo*, ad exortum Tanagri, interpretatur; Danuille, ſiniſtra recentis, ponit, ſitu oppiduli *Diano*, Tabulae menſura congruente. Fluuius *Crater*, qui ante Caeſarianam occurrit, eſt hoc loco *Calor*, vt eum Hodoeporicon vocat, cuius dextra ripa *Cotrone* oppidulum veſtigia veteris vocabuli ſeruet. *Orater* autem hoc loco apud Scheibium ſcribitur. Fuerit et olim locus, ad XV a Paeſto lapidem; quod interuallum auctor Tabulae ſeorſim notare haud volebat. Marcellianam Hodoeporici, oppidulum *Polla*, ripa Tanagri laeua, ad XII ab *Diano* milliare, Holſtenius eſſe ait; ſed LXXIV M. P. a Nuceria vſque Pollam redundant; ſunt enim LX dumtaxat.

Blanda. vii. ſic Velſ. Plinius, ab Laiis, in auſtrum: *Ab eo Brutium litus, oppidum Blanda, flumen Batum.* Mela, ductu contrario, Temeſa, Clampetia, *Blanda,* Buxentum, Velia. Liuius Lucanis tribuit: *ex Lucanis Blandae.* De ſitu ſeniores nihil adferunt. Deliſle, ripa laeua Lai, prope exitum; Danuille, in ora, ſupra Laum, ad xv M. P. ſitu vici *Maratia inferiore,* in via litorali, quam neque Tabula, neque Hodoeporicon, hoc tractu, habent. Ego oppidulum *Lago negro*, ex interuallis, eſſe puto, non longe ab Tanagri exortu, ad fontem amnis, qui Plinio Batum, in MSS. *Bale*, *Baletum*, apud vicum *S. M. della gratia* exeuntis. Ad numerum vii denarius addi debet, ſcribarum incuria exmiſſus; niſi etiam locus quispiam cum numero x abſit. Nam *Caſal novo*, vbi Holſtenius Caeſarianam fuiſſe putabat, ab *Lago negro* vii M. P. abſcedit. Hodoeporicon ab Caeſariana petit Nerulum, quod in Tabula itinere alio recurrit.

Lauinium. xvi. ſic Velſ. Strabo: Poſt Pyxuntem *Λᾶος κόλπος, καὶ ποταμὸς Λᾶος, καὶ πόλις ἐσχάτη τῶν Λευκανίδων*, eſt ſinus Laus, et fluuius Laus, et oppidum extremum Lucanorum, paullo ſupra mare colonia Sybaritarum.“ Eadem Plinius: Oppidum Buxentum, graece Pyxus; Laus amnis; fuit et oppidum eodem nomine.“ Epitome Stephani, *Λᾶος πόλις Λευκανίας, ἀπὸ Λάου ποταμοῦ*, *Laus oppidum Lucaniae, dictum a Lao flumine.* Situ non conueniunt geographi. Cellarius, dextra exeuntis Lai, ponit *Laum;* Danuille, in Atlante, *Launum,* ibidem; in tabella viarum Italiae, et alia, ad commentarios Rollini, *Laus* in mediterraneis, laeua amnis, ad flexum, ſitu oppidi *Laino.* Et huc quidem Tabulae *Lauinium*, quod geographi praeteriuere, omnino ſpectat, interuallo et viae ratione poſcentibus. Abeſt a mari M. P. xvi. Vtrum autem *Λᾶος*, *Laus*, veterum ſit oppidum idem cum Lauinio, cum id paullo ſupra mare fuiſſe dicatur, non habeo, quod adſeuerem.

II. **Cerelis.** viii. ſic Velſ. Strabo: Iſthmus Bruttiorum peninſulae vniuerſae eſt *ἀπὸ Θουρίων εἰς Κηρίλλους πλησίον Λάου*, *ab Thuriis ad Cerillos prope Laum.* Silius: *exhauſtae mox Poeno Marte Carillae.* Ad quae Cellarius: Tyrrheni maris litore poſt Lucaniam Cerilli, ſiue Carillae ſunt, oppidum, quod in Tabula *Cerelis*, ſexto caſu, id eſt, Cerillis, ſcribitur. Videtur exiguus locus Strabonis temporibus fuiſſe, quia *πρώτην*, *primam* a Lao vrbem non in Cerillis ille, ſed in Temeſa, numerauit; ſeruatus tamen vtcumque, quod vetus itineraria Tabula oſtendit.“ De ſitu nihil; in tabella, Cluuerium ſecutus, agro vici *Porto Cirella*, amnis, quem Danuille Acherontem, Deliſle Batum, vocant, exeuntis laeua haud longe. *Cirella* vicus a Lao fluuio viii M. P. omnino abeſt; quare ab Lauinio iter ſecundo flumine ad oſtium vſque fuerit, xvi M. P. vti monebamus, interuallo; quod in Tabula cum alueo et nomine fluuii emanſit; recta vero ab *Laino* ad *Cirella* xx M. P. numerantur.

Clampeia. xl’. inſignia municipii; ſic Velſ. Pomponius Mela: Vibon, Temeſa, *Clampetia*, Blanda, Buxentum. Liuius in Bruttiorum ciuitatibus,

quae ab Hannibale defecerant, *Clampetiam* cenſet. Plinio, ſinus Vibonenſis, *locus Clampetiae;* vt concidiſſe videatur. Eſt oppidum *l' Amantea*, L M. P. ab Cerillis.

Temsa. x. Velſ. *Temſa.* x. Erat colonia, teſte Liuio: Temſam item et Crotonem ciuium Romanorum coloniae deductae. Temſanus ager de Bruttiis captus erat; Bruttii Graecos expulerant.“ (a) Strabo: *Ἀπὸ Λάου πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Βρεττίας Τεμέση. Τέμψαν δ' οἱ νῦν καλοῦσι, Αὐσόνων κτίσμα*, A Lao prima vrbs Bruttiorum Temeſa, quam nunc Tempſam vocant, ab Auſonibus condita.“ Melae, *Temeſa;* Plinio, *oppidum Temſa a Graecis Temeſe dictum.* Ptolemaeo *Τέμψα*, *Tempſa.* Ad vicum *Torre Loppa*, riui cuiuspiam exeuntis dextra, ruinae oppidi ſupereſſe dicuntur; Danuille, Sabati laeua ſtatuit, a quo IV M. P. abeſt.

Tanno. ſl. XIIII. Velſ. *Tanno ſl.* XIII. Stephanus, *Λαμητῖνοι, πόλις ἀπὸ Λαμήτου ποταμοῦ πρὸς Κρότωνα*, *Lametini, vrbs a Lameto fluuio, ad Crotonem;* ex Hecataeo. Interpres, in notis, *Λαμηντῖοι*, *Lamentii* legit; idem a Stephano *Larnetem* quoque fluuium dici perhibens. Lycophroni, *Λαμπέτης*, *Lampetes*, promontorium. Cellarius, Cluuerium, Lampetiam et Lametinos Stephani pro eodem loco habentem, reprehendens, ſed ipſe Stephanus diſtinxit Lampetiam, inquit, quae ipſa Clampetia eſt, a Lametinis, quorum oppidum non in litore, ſed prope fontes Lameti fluuii intus eſt, quod in mediterraneis oſtendemus.“ Cuius poſtea promiſſi oblitus eſt. Lametus amnis, hodie *Amato*, videtur Italicam reſipere dialectum, tamquam *l' Ameto* fuerit nuncupatus. Danuille oſtio amnis imponit *Turres* Hodoeporici, quas Holſtenius in mediterranea remouet ad recentem Lametum, ad vicum *Maida.* Ad VI ſuperius lapidem, in ora, eſt oppidulum *S. Euphemia*, vbi Terina veterum ponitur, Tabulae praeterita; haec enim ad III fere M. P. a mari, vbi bini aluei Lameti iunguntur, amnem traiecit, Valentiam recta contendens. Nullus hodie eo fluminis ſitu locus comparet.

III. **Vibona Balentia.** XI. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ab Vrbe ad Columnam, *Vibona.* XXI. a Turribus; in Regio *Vinoba*, numeris milliarium deſideratis. Rauennas, *Vibona Valentia.* Nouit vrbem *Ἱππώνιον*, *Hipponium*, Scylax. Strabo, *Λοκρῶν κτίσμα*, Hipponium a Locrenſibus conditum, a Romanis *Οὐιβῶναν Οὐαλεντίαν*, *Vibonam Valentiam* adpellari ait. Mela, *Hippo nunc Vibon.* Plinius: Hippo, quod nunc Vibonem Valentiam adpellamus.“ Cicero: *Iter a Vibone Brundiſium terra petere contendi.* Coloniam eo miſſam, Liuius perhibet. Lapis milliarius, A VIBONA AD LOCROS MILLIARIA XXXXV. Coſentiam LVII. Muranum a Marcelliana LXXIIII. Ptolemaeo, *Οὐϊῶν Οὐαλεντία*, pro *Οὐΐβων*, vt Surita obſeruat, in ora *Hipponiates ſinus*, *Ἱππωνιάτης κόλπος.* Ciceroni, *ſinus Vibonenſis*, ager Vibonenſis. In Tabula

---

(a) L. XXXIV c. 45.

denarius, iniuria temporum, excidit. Hodie oppidulum *Birona*, prope oram. Apud Vibonem concurrunt viae mediterraneae, hinc ab Aquis Angis, inde ab Castris Hannibalis; ad oram sequitur,

Tauriana. XXIII. sic Vess. Pomponius Mela, Rhegium, Scylla, *Taurianam*, et Metaurum. Plinius, serie opposita: Metaurus amnis, Tauroentum oppidum, portus Orestis et Medma; oppidum Scyllaeum." Veteres editi, *Taurianum* habent. Cluuerius, eoque duce alii, vicum *Palma*, ad V a Metauro, nunc *Marro*, amne lapidem, interpretatur. Sic Danuille in Atlante; in tabella itinerum Italiae, viam Tabulae per mediterranea, Hodoeporici per litus, ducit; quod e conuerso facere debebat; vt e Mela et Plinio colligas, quibus loca Hodoeporici sunt ignota. In Strabone, a Metauro ad Scyllaeum est defectus, qui Taurianum aut Tauroentum, procul dubio, norat.

Arciade. XII. sic Vess. Oppidum hoc vniuersi praetereunt. Mela Scyllam, Plinius Scyllaeum oppidum, Strabo τὸ Σκύλλαιον, πέτρα χεῤῥονησίζουσα ὑψηλὴ, Scyllaeum, sublime saxum, et mari paene ambitum, isthmo humili, et vtrimque nauium adpulsui apto, continenti iunctum." Ptolemaeo, Σκύλαιον ἄκρον, *Scylaeum promontorium.* Nonnulli dubitant, vtrum etiam oppidum fuerit Scyllaeum, quod praeter Plinium id nemo memorarit. Sed Plinii auctoritas sufficit, et Solini; verum quid cum Arciade? Mensura duce, est oppidum *Archias*, ad fluuium *Fallace* nuncupatum, II M. P. a vico *Sciglio*, et promontorio cognomine, remotum. Quare, si *Archias* ipsum Scyllaeum non est, ei tamen perquam vicinum erit. Mansio haec apud Danuilleum exmissa, peperit itineris confusionem.

N.---. XIII. aedes quadra, absque nomine; sic Vess. Hodoeporicon, itinere duplici, a Mediolano, et ab Vrbe, *ad Columnam.* XIIII. a Malliis. Rauennas, *ciuitas Columna Regia;* item *Columna Rhegia.* Strabo, τῆς Ῥηγίνων στηλίδος, *Columnae Rheginorum* vocabulo vtitur. Melae est, *Columna Rhegia;* sic etiam Plinio. Strabonem de situ adcuratius differentem, audiamus: (a) Ab Caeny ad Posidonium Columnae Rheginorum iuxta fretum angustus meatus circiter LX stadiorum; a Columna Rhegium vsque sunt C stadia." Ita locum protulit Cellarius; sed integer sic habet: A Caeny vsque ad Posidonium Columnae Rheginorum ad fretum sex circiter stadiorum, ὅσο ἑξαστάδιος, longitudine angustus protenditur meatus, paulloque longior est minimus traiectus; a Columna Rhegium vsque sunt stadia centum, freto iam dilatato, qua ad externum mare nauigatur, quod orientem spectat, et Siculi maris habetur nomine." Plinius vero sic differit: Columna Rhegia; Siculum fretum, ac duo aduersa promontoria: ex Italia Caenys, ex Sicilia Pelorum, duodecim stadiorum interuallo." Heic interpretes in diuersa abire videas; alii Posidonium Strabonis

(a) L. VI. p. 257.

ipſam Columnam eſſe volunt; alii ſi non oppidum iuxta Columnam, at Neptuni fanum iuxta eamdem. Cellarius in eodem prope longitudinis parallelo Columnam et Poſidonium ſignat; Deliſle Columnam ab litore non nihil remouet, fanum Neptuni oſtio Crataidis adſtituit; Danuille, Neptunio eliminato, laeuae amnis exeuntis ripae Columnam adponit. Numeri Tabulae ducunt ad *Fiumara* oppidulum, dextra fluuii cognominis, vt chartae habent *Cenis*, ripa, v M. P. ſupra oſtium; alias *Fiumara di Maro*, aut *Muero*, loco nomen. Vicum *la Catona*, alias *Calanna*, qui Columnae reſpondeat, non conſpicor. Holſtenius, apud Weſſelingium, *la Catona* fluuium eſſe ait, cuius ripa dextra Columna exſtiterit; quod inde in Siciliam vſitatus eſt traiectus. Ortelio, *Catona foſſa*, ad mare, *Callana* vicus in mediterraneis. In Tabula ſitus aedificii quadri, quod Columnam oppidum deſignet, ab litore nonnihil remoueri videtur. Poſidonium Strabonis ad fretum erat, ex aduerſo Pelori, v M. P. ſupra oſtium Crataidis aut Caenys potius, ſi hodiernum vocabulum ſequi velis; vt huic ab auſtro vicinus ſit Cratais. Hunc Columnae ſitum firmat Strabo, et Plinius; ille, ἀπὸ δὲ στηλίδος ἑκατὸν εἰς Ῥήγιον, *a Columna Rhegium vſque ſunt ſtadia centum*, freto iam dilatato. Stadia centum faciunt M. P. XII cum ſemiſſe. Plinius, memorata Columna: *Vnde Rhegium* XII L. D paſſ. Iam vero ab oſtio amnis Fiumara ad Rhegium nonniſi VIII M. P. ſecundum omnes chartas cenſentur; et apud eius amnis effluxum freti latitudo iam eſt amplior; Columnam proinde ad quartum inde lapidem eſſe oportebat, paullo ſupra Neptuni fanum in occaſum, vbi fere vicum *Fiumara* eſſe diximus. Si Columna fuiſſet ad oram, non erat Plinius a Strabone diuerſa prolaturus, cum Caenyn promontorium Rhegio et Columnae interponit, Strabo Caenyn ante Columnam recenſet. Vnde Columnam promontorio vicinam, ſed in mediterraneis, fuiſſe, manifeſto adparet. Danuille quadras aedes putabat eſſe *Aquas;* ſed Archiade exmiſſa, ſitu errauit, nunc orae, nunc mediterraneis, longius in boream, adpingens. Aedes illae erant, vt praetoria, magiſtratibus et principibus hoſpitio excipiendis, conſtructae; quas ad Columnam ſtatui oportere, adiunctorum ratio ſuadet. Epigraphae antiquae, AD COLVMELLAM. item AD FRETVM AD STATVAM. Numeros in his occurrentes explorabimus alias.

Regio. XVII. inſignia municipii; ſic Velſ. apud Scheibium loci nomen cum numero abeſt. (a) Hodoeporicon, itinere ab Equo Tutico Rhegium, *Regio.* XX. ab Decaſtadio. Vrbs inde ab Scylace nota, Ῥήγιον ἀκρωτήριον καὶ πόλις, *Rhegium promontorium et vrbs*, graecis adnumerata. Thucydides, Ῥήγιον τῆς Ιταλίας ἀκρωτήριον, *Rhegium Italiae* promontorium; ſed et oppidum Ῥήγιον, et incolae Ῥηγῖνοι eidem memorantur. Strabo fata vrbis eximie deſcribit, etymon aliis ab ῥήγνυσθαι, *abrupta*, vi maris, Sicilia ab Italia; aliis, quod βασίλειον,

(a) In exemplari noſtro adeſt.

Regia eſſet inter ceteras, quod Romano federe et ſermone plurimum vteba tur, deriuantibus, adſerens. Forſan rectius, lingua Samnitum, fluminis adcolas dixeris; nam Siciliam aliquando Italiae coniunctam fuiſſe, fabuloſum eſt; commercium autem huius populi cum Latinis aetate vrbis longe poſterius eſſe, numi oſtendunt. Peruetus lapis milliarius, ad Silarum repertus, VIAM FECEI AB REGIO AD CAPVAM ET IN EA VIA PONTEIS OMNEIS MILIARIOS TABELLARIOSQ. POSEIVEI. et quibusdam interiectis, REGIVM MEILIA CCC. ab Capua nimirum; quae menſura eſt iuſta. Ciues Rhegini; vetus epigraphe, MVNICIPIB. RHEGINIS IVLI. Ptolemaeus quoque, *Ῥήγιον Ἰούλιον*, *Rhegium Iulium* dixit; in marmore alio, RHEGINEI. Antiquiſſimi vrbis numi RAC. REC. RECINOS. quae forma etymon ſuperius prolatum firmat. Eſt vrbs *Reggio*, laeua amnis cuiuspiam exeuntis ripa; Danuille dextra ſtatuit.

IV. Apud Rhegium deſinunt viae mediterraneae, quarum praecipua fuerit vetus illa ad Capuam vſque; in Hodoeporico tres notantur, a Mediolano ad Columnam, ab Vrbe item ad Columnam, ab Equo Tutico Rhegium; quae in Tabula ea ſerie non comparent. Nos, ora peninſulae orientali, ab ſinu Tarentino, deſcripta, mediterranea petemus. Ab Tarento, vel potius Grumento, via litori vicina, poſt *Turio flv.* de quo in Apulia dictum, continuo venit,

Heraclea. xxv. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere ab Equo Tutico Rhegium, *Heraclea* xxviii. ab Caeliano. Scylax: in Iapygia habitant Graeci, vrbes eorum, *Ἡράκλειον*, *Μεταπόντιον*, *Τάρας*, *Heraclium*, *Metapontium*, *Taras*. Straboni, *Ἡρακλεόπολις*, *Heracleopolis*, ſeu vrbs Herculis, et *Ἡρακλεία ἐπίνειον*, *Heraclea nauale;* vrbem a Tarentinis conditam, refert. Liuius quoque, *Heraclea Tarentinorum colonia.* Plinius, inter Sirin et Acirin, Heraclia, aliquando Siris vocitata.“ Strabo diſtinguit: Heraclea vrbs, paullum ſupra mare; amnes nauigabiles, *Ἄκιρις καὶ Σίρις*, Aciris et Siris; ſuperius ciuitas Troianae cognominis; quae poſtmodum Heraclea ibi a Tarentinis condita, nauale Heracleotarum exſtitit. Diſtat ab Heraclea ſtadiis xxiv. a Thuriis circiter cccxxx.“ Siris fluuius, hodie *Sino*, cuius laeua exeuntis nauale *Siris* Danuilleo, quod ſubinde Semnum etiam vocat, vulgo *Torre di S. Baſilio*, vel *Baſile*, quam Harduinus Heracleam interpretatur, quae dextra Aciris, paullum a mari reducta, erat, hodie *Palicaro.* Oppidum Strabonis *Troia,* quod geographorum *παῖδες* negligunt, apud *Turſi*, ad v in occaſum lapidem, fuiſſe putes.

Semnum. iiii. ſic Velſ. Deliſle, *Siris ſeu Semnum fl.* ad oſtium vero, *Siris ſiue Heraclium.* Danuille variat; in Atlante, ad oſtium, *Siris vel Semnum;* in tabella viarum diuidit, *Siris* nauale, intra fluuios; *Semnum* oppidum, ad tertium fere ab oſtio Siris in auſtrum lapidem, vbi vicus *Torre de Sino.* Ego Sirim fluuium, *Semnum* oppidum, quod Strabo nauale Heracleotarum dixerat, Siri adpoſitum fuiſſe puto; a quo recentius fluuii nomen *Sino* fit exortum; niſi vulgo Semnum olim nuncupatum velis, quem alii Sirin dixere. Addit Strabo, *Σειρῖτιδα*, *Siritidem*, poſtea Heracleam adpellatam, cum nomine

Xxxx 2

locum quoque mutauiſſe; ad Acirin ſcilicet amnem, vbi Heracleam poſuimus. Forſan Semnum a Samnitibus, qui Metapontum Graecorum deleuerant, nomen accepit.

Turis. absque numero; Velſ. *Turis.* Hodoeporicon, *Ad Vicenſimum.* XXIIII. *Turios.* XX. Quae cum ſit menſura iuſta, in Tabula XL deſiderari putes, aut XXXVIII numerum, qui ſequitur, transpoſitum eſſe; neque enim illo quadrat. Strabo, *Σύβαρις*, *Sybaris*, ab Achiuis condita inter duos fluuios Crathin et Sybarin; quam vbi Crotoniatae euertiſſent, Athenienſes, cum aliis Graecis, in alium propinquum locum transpoſuerunt, a fonte, cui *Θουρία*, *Thuria*, nomen, ibi reperto, *Thurios*, vel *Thurium* adpellatam, teſte Diodoro. Plinius: Oppidum Thurii, inter duos amnes Crathin et Sibarin, vbi fuit vrbs eodem nomine.“ Eadem Stephanus tradit. Scylaci, *ποταμὸς Κράθις καὶ Σύβαρις, καὶ Τυρία πόλις*, *fluuius Crathis et Sybaris, et Tyria oppidum.* Straboni, *Θούριοι*, Ptolemaeo *Θούριον*. Variant etiam Latini; Cicero *Thurios*, Mela *Thurium*, Liuius *Thurias*, vocant. Gentile, *Sybaritae*, *Sybaritani*, *Thurini*, *Thuriatae*. Inſcriptio vetus, THVRIAT. Colonia eo deducta, *Κωπιάς*, *Copias*, nuncuparunt, Strabone et Stephano teſtibus. Hodie vicus, laeua Crathidis, vulgo *Crate*, ripa, *Sibari rovinata.* In recentiſſimis chartis, vtroque amnis latere Sybaris ruinae ſignantur, bis mill. paſſ. interuallo; auſtralis fuerit Sybaris, borealis Thurii. Eſt vna Graeciae magnae vrbium, quae prima aes ſignarit; adeo antiquam oſtentat pecuniam.

Petelia. XXXVIII. ſic Velſ. Nota eſt Liuio, Straboni, Plinio, Ptolemaeo, Silio, aliis. Strabo: *Πετηλία μητρόπολις νομίζεται τῶν Λευκανῶν*, *Petelia Lucanorum vrbs primaria cenſetur*, et hodieque eſt ſatis frequens; condidit eam Philoctetes, cum Meliboea ob ſeditionem profugiſſet. Vrbs eſt *ἐρύμνη*, natura loci munita. Liuius Peteliam in Bruttiis ponit; Strabo quippe Lucanorum vocabulum latius ibi vſurpat, ſumtis etiam Samnitibus. De ſitu diſceptari videas; Cluuerius *Belcaſtro* oppidum, in Calabria vlteriore; Holſtenius, oppidum *Strongoli*, ſupra *Neeto* amnem, aeque in arduo ſitum; in quo plura monumenta ſunt eruta, cum epigraphis PETILIA. item REIP. PETILINORVM. Numi *ΠΕΤΗΛΙΝΩΝ. Petelinorum*, praeferunt; apud Harduinum, *ΠΕΤΗΛΙΑΙΩΝ.* Quae ſane oſtendunt, Peteliam inde abduci non poſſe; Tabula quoque, quae, ſupra Crotonem, Peteliam habet, adſtipulante; in qua pro numero XXXVIII. qui ſcribarum oſcitantia ab Semno iſthuc translatus eſt, LX notandum erat. Id quippe eſt oppidi *Strongolo* et Sybaris interuallum. Eſt ad dextrum viae maritimae latus, idcirco Hodoeporico praeteritum.

V. **Crontona.** absque numero; ſic Velſ. Liuius: (a) Arx Crotonis vna parte imminet mari, altera vergente in agrum, ſitu tantum naturali quondam

---

(a) L. XXIV. c. 3.

munita, postea et muro cincta, qua per auersas rupes ab Dionysio, Siciliae tyranno, per dolum fuerat capta." Graecis *Κρότων*, *Croton*, Latinis *Croto*, vrbs inde ab Scylace scriptoribus nota. Gentile *Crotoniatae*, *Crotonienses*, et ager *ἡ Κροτωνιᾶτις*, *Crotoniatis*. In pecunia aeque vetusta, qualis Sybaritarum est, cum Palladis, Herculisque effigie, *ΚΡΟ.* item *ΚΡΟΤΟΝ. ΚΡΟΤΩ. ΚΡΟΤΩΝΙΑΤΑΣ.* Antiquiores ceteris diotam exhibent, postica parte incusa. Hodie vicus *Cotrone*, in tenuis fluuii, incolis *Esaro* dicti, ostio; chartae, ripa exeuntis dextra, notant. Est ad xv M. P. a Petelia, qui numerus in Tabula desideratur. Hodoeporicon vrbem, laeuo viae margine sitam, praeteriit.

Lacenium. xl. insignia municipii; sic Velf. Scylax, in Lucanis, *Κρότων*, *Λακίνιον*, *ἱερόν Ἥρας*, *Croton*, *Lacinium fanum Iunonis;* totidem Strabo. Liuius, *Iunonis Luciniae templum*, Cicero *fanum*, norunt. Mela, Plinius, Ptolemaeus, Lacinium promontorium vocant; sed, vrbem quoque cognominem isthic fuisse, Tabula ostendit; nisi id insigne ad Crotonem referri velis. Numerus xl huc minime pertinet; neque enim plura quam vi M. P. intercedunt. Forsan Thurios inter et Peteliam consistebat olim, vbi lx desiderari dicebamus. Hodie *Capo della Colonne* promontorio nomen, cum vico cognomine.

Annibali. xxxvi. insignia municipii; sic Velf. Plinius: Terinaeus sinus peninsulam efficit; et in ea portus, qui vocatur Castra Hannibalis, nusquam angustiore Italia: xx M. P. latitudo est. Itaque Dionysius maior intercisam eo loco adiicere Siciliae voluit." (a) Paullo inferius sunt illae angustiae, apud Scylacium. His addit Cellarius: In Tabula Augustana signum vrbis adpictum est, vnde oppidum quoque, non solum portum fuisse probatur." Est oppidum *Cantazaro*, inter *Alli* et *Corace*, olim Crotalum et Carcinem fluuios, iv M. P. a mari. Mensura hoc loco bene habet. Inde pars viae abit Valentiam, de qua postea dicemus.

VI. Quod superest viae litoralis, incuria temporum passum est vitium; sequitur enim *Caulon*, tum *Lucis*, Locri puto, dein *Scyle*, absque nexu viae ab Castris. Hanc autem seriem esse turbatam, quisque videt; quod primo Scylacium, dein Caulon, postremo Locri occurrunt. Nos tamen, ordine Tabulae, pro more ibimus, singulis locis situm adsignaturi. Ab Annibali venit,

Caulon. absque numero; insignia municipii; sic Velf. Scylax, *Λοκροὶ*, *Καυλωνία*, *Κρότων*, *Locri*, *Caulonia*, *Croton*. Strabo: *Μετὰ τὴν Σάγραν*, *Ἀχαιῶν κτίσμα*, *Καυλωνία*, *πρότερον δ' Αὐλωνία λεγομένη*, *Post amnem Sagram*, *Achaeorum opus*, *Caulonia*, *ante Aulonia nuncupata*. Idem Stephanus, ex Hecataeo, refert. Mela quoque Cauloniam, cum Pausania, ceterisque Graecis; Virgilius, Ouidius, Plinius, *Caulonem* adpellant. Hodie *Castel vetere*, in vlterioris Calabriae peninsula, inquit Harduinus; quam non intueor. Est oppidum

(a) L. III. c. 15.

Cast Vetere, *Amusa* fluuii dextra, et paullo superius, *Alari* dextra, vicus *Cast Vetere*, a mari, vt oppidum, remotus; forsan *Torre de Verida* dicere voluit, vicum paullo infra *Capo de Stilo*, quod est Cocintum promontorium. In recentissimis chartis, ad XII ab Cocinto milliare, *Caulonia* ad oram notatur. Abest ab Scylacio XXXIII M. P. in Tabula XXX. ad latus oppidi scripta, tamquam ad sequentem locum referri deberent, huc spectant. Idem numerus, qui heic poni debebat, ad vicinam viam translatus est, geminato XXX.

Lucis. XXX. Vels. *Iucis*. XXX. Locros esse, ostendit numerus sequens lx. quem xl. esse oportebat; nam ab Caulone ad Locros censentur XLIV M. P. aut vno minus. *Λόκροι*, *Locri*, iam Scylaci sunt cogniti. Strabo: Post Herculis succedit *ἄκρα τῆς Λοκρίδος, ἡ καλεῖται Ζεφύριον*, *Locrensis agri promontorium, quod Zephyrium vocatur;* quod portum habet, ventis ab occasu flantibus expositum. Ptolemaeo quoque *Ζεφύριον ἄκρον*, *Zephyrium promontorium;* et Plinio, *Locri cognominati a promontorio Zephyrio.* Vnde *Locri Epizephyrii;* quam vrbem ab Ozolis Locris conditam perhibet; alii ab Epicnemidis, quorum *Naryx*, vel *Narycium* oppidum; vt Maro et Ouidius canunt. Ciues *Locri*, *Locrenses*, ager *Λοκρὶς*, *Locris.* Ab Corinthiis ortos, numi profitentur; vt egregie Neumannus ostendit. *ΛΟΚΡΩΝ* in pecunia etiam nobilioris metalli, aut primis modo literis *ΛΟ.* signatur. Plinius, cum Locros ab Silaro CCCIII M. P. abesse ait, iter maritimum intelligit, mensura iusta. In quibusdam Melae libris, *Cauloniam Lucrosque* legere est; qua forma auctor Tabulae vsus est, Lucris. canina scribarum oscitantia exmissa. Hodie vicus *Bursano*, laeua riui cuiuspiam, paullo supra mare; (a) promontorium, *Torre Capo Bursano*, vel *Motta di Burzano*, itidem vicus.

Scyle. lx. sic Vels. Itinere ab Castris Vibonam, *Scilatio.* XXX. Hodoeporicon, itinere ab Equo Tutico Rhegium, *Scylacis.* XXII. ab Tacina, totidem ab Cocinto; quae loca auctor Tabulae non adiit; in vulgatis, *Scilacio.* Strabo, *Σκυλλήτιον*, *ἄποικος Ἀθηναίων*, *Scylletium*, *colonia Atheniensium*, *νῦν δὲ Σκυλάκιον*, *hodie Scylacium;* ab vrbe etiam sinui *Σκυλλητικὸς*, *Scylletico*, nomen est. Ptolemaeo, *Σκυλάκιον*, *Scylacium.* Plinius, a Corintho: Dein sinus Scyllaceus; et Scylacium, Scylletium Atheniensibus, cum conderent, dictum." Maro, *naufragium Scyllaceum*, Ouidius, *Scylacea litora,* canunt. Est oppidum *Squillace*, in confluxu riui cuiuspiam, ad IV a mari, X ab Castris Hannibalis, milliare. Sinui quoque, ab oppido, *Golfo de Squillace*, nomen. In Tabula, *Scyllae* debeat legi; numerus lx. seu potius xl. ad Locros ab Caulone spectat, vti monebamus. Haec mansionum et numerorum perturbatio, postremis sub Theodosio architectis, veteris geographiae ignaris, sit adscribenda.

(a) Nonnulli Hieracium, *Gieraci*, paullo superius, inter Mericum et Nouitum amnes, interpretantur.

Leucopetra. xx. Velſ. *Leucopetra.* xx. Scheibius vocabulo caret. (a) De promontorio hoc, ab Graecis nuncupato, ſuperius dictum. Cicero: Cum me ex Sicilia ad Leucopetram, quod eſt promontorium agri Rhegini, venti detuliſſent, ab eo loco conſcendi, vt transmitterem." Plinius, a Rhegio: *Inde Apennini ſilua Sila, promontorium Leucopetra*, XII *M. paſſ.* Nonnullli xxv legunt. Duplex cornu habet Apenninus, quo iſthic eſſe definit; occiduum *Capo dell' Armi*, quod Plinius intellexit; ortiuum *Puncta della Saeta*, VIII M. P. a priore diſtans; quod numeri Tabulae indicant. In Hodoeporico, ſitu hoc, eſt manſio *Decaſtadium;* ſi id recte poſuit Danuille; videtur enim Hodoeporicon eo itinere per mediterranea progredi.

Regio. v. ſic Velſ. apud Scheibium inſcriptio cum numero deeſt. Superne, in eodem viae tractu, XVII notatur, qui numerus ad Columnam referri nequit; vt ſuo diximus loco. Numerus prior maxime occiduum Apennini cornu attingit; inde ad *Punta della Saeta* poſterior defertur. Quare numeris iſtis extrema Apennini promontoria, Leucopetram vtrimque ſtipantia, intelliguntor. Et hactenus quidem oram luſtrabamus, nunc mediterranea petere libet.

VII. Viae in mediterraneis ſunt a Venuſia Salernum, Grumentum, Nerulos, Coſentiam, Valentiam. Hodoeporicon duplex iter habet ad Columnam, vnum a Mediolano, alterum ab Vrbe; praeterea ab Equo Tutico Rhegium; ſed diuerſa plerumque via progreditur. In Tabula, ab Siluio, quod in Apulia dedimus, ad XVI lapidem erat manſio *Piſandes*, quam oppido *Monte Peloſo*, prope laeuam Bradani, adſignauimus. Inde venit,

Lucos. XXIIII. Velſ. *Lucos.* XXIIII. Hanc manſionem geographi praetereunt; vnus Danuille, ſed ambiguo ſitu, habet, nunc in occaſum aeſtiuum a Potentia, circiter vicum *Picierno*, nunc in hibernum, apud vicum *Petra*, conſtituens. Sed cum praecedentem *Piſandes* manſionem reticuerit, Luco ſitum idoneum adſignare nequiuit. Numeri ad recentem Caſuentum ducunt, hodie *Baſiento*, amnem, prope cuius laeuam eſt vicus *Serra di mezzo*, qui Lucis Tabulae reſpondeat; videtur enim *Lucos* obliquus multitudinis caſus eſſe potius, quam graius ſingularis. Danuilleo *Lucus.* Inde pars viae Acheruntiam, pars Potentiam abit; hanc prius abſoluere libet.

Potentia. XII. Velſ. *Potentia.* XII. Hodoeporicon, a Venuſia, itinere Mediolanenſi, *Opino.* XV. *Ad fluuium Bradanum.* XXIX. *Potentia.* XXIIII. quae ſunt nimia. Nam ab Venuſia Potentiam, cuius nomen in *Potenza* vico, ad exortum Caſuenti, ſuperat, nonniſi XXV M. P. cenſentur; per Opinum autem, paullo infra Acheruntiam, dextra Bradani ripa, hodie *Oppido* vicum, progrediendo, a Venuſia XVII. a Potentia XIII M. P. habes, vniuerſim XXX. Quare in

(a) In exemplari noſtro, Leucopetras.

(b) In noſtro adeſt.

Hodoeporico, itinere hoc, ſunt a ſcribis numeri ex vicinis viis adſumti. xv. M. P. ſunt a Venuſia Acheruntiam; xxix ſunt ab Siluio ad Opinum et Bradanum; xxiiii ſunt a Venuſia ad Potentiam. Haec cum olim in diuerſis itineribus eſſent, poſtea a ſcribis, geographiae ignaris, praue in vnum compacta et coaceruata fuere. Idem alio itinere factum, vt mox viſuri ſumus. Potentiam noſtram norunt praeterea Plinius, Ptolemaeus, Frontinus; quorum huic eſt *praefectura* Potentia, Ptolemaeo *Ποτεντία*, ciues Plinio *Potentini.*

Anxia. xv. Velſ. *anxia.* xv. Hodoeporicon, *Acidios.* xxiiii. Weſſelingius, in notis, legit *Acidos.* Cluuerius ex hoc *Acirin* fluuium efformat, Anxiam Tabulae vicum *Anzi*, ad ix a Potentia lapidem, interpretatus. Weſſelingius, *Acetura*, chartis *Accetura*, vicum, ad exortum *Salandrella* fluuii, ripa dextra, putat. Et *Anzi* quidem propinquius eſt, quam vt xv M. P. reſpondere queat; xxiiii abundant, quae huc ex via a Venuſia Potentiam irrepſerint. Ceterum, cum Hodoeporicon et Tabula eamdem viam heic tenere videantur, *Anxia* et *Acidii* eumdem ſignificent locum.

Crumento. xviii. inſignia municipii; Velſ. *Grumento.* xviii. Hodoeporicon, *Grumento.* xxviii. in Regio, xviii. quod rectum. Liuius, ad *Grumentum* pugnas cum Poenis narrat. Plinius, vina Lagariana, non procul *Grumento*, naſcentia laudat. Ptolemaeo, *Γρόυμεντον*, *Grumentum.* Strabo, Crimiſa memorata: Sunt et alia, inquit, Lucanorum oppida in mediterraneis, *Γρούμεντον*, *Grumentum*, Vertinae, Calaſarna, vſque ad Venuſiam.“ Ciues *Grumentini*, Plinio. Cluuerius, vicum *Armento*, prope laeuam *Aciris;* Holſtenius, *Agromento*, dextra amnis eiusdem, xx M. P. a priore in exortum, interpretantur. Priorem Danuille, poſteriorem Weſſelingius, audiunt. Cellarius haec modo: Grumenti ſitus ex Tabula et Antonini itinere patet.“ Numeri Tabulae Holſtenio fauent. Abeſt vicus *Agromento* ab *Turſi* oppido, vbi Troiam Strabonis poſuimus, in occaſum viii M. P. interuallo.

VIII. A Grumento tres viae in Tabula notantur, duae Tarentum petunt, vna Nerulos; vtramque geographi neglexerunt; quod numerus alteri adpoſitus longe minor videbatur, quam vt Tarentum indicare poſſet. Velſeri ſcriba alterum viae ductum cum litorali, recte diuinando, coniunxit; nam numerus xxiiii ab Grumento Heracleam, quo ambae viae tendebant, reſpicit. Pars viae dextra, flexum in auſtrum faciens, Sybarim, altera Heracleam recta petierit, eodem vtrimque interuallo; idcirco numerus ſemel poſitus. In poſteriore occurrit,

Turio ſtu. de qua voce alias quoque differebamus, ignari, quid ea proprie ſibi velit. Quod ſi viae memoratae a Grumento Heracleam, vti putamus, tendebant, Sirin aut Acirin hoc nomine accipi oportere putes. Sed ad viii lapidem occurrens oppidum *Turſi* habet intimam cognationem cum *Turioſtu.* Strabo, amnes nauigabiles Siris et Aciris, *ἐφ' οὗ πόλις ἦν ὁμώνυμος Τρωϊκὴ*, *et ſuper eo vrbs Troianae cognominis;* quae poſtmodum, Heraclea ibi

a Tarentinis condita, nauale Heracleotaram exſtitit;" Sybaris nimirum. Troia illa, vti alias cenſebamus, eſt oppidum *Turſi;* et forſan *Thebae*, quas Cato in Lucanis interiſſe perhibet; qui locus Turioſtum ſit poſtea nuncupatus; vnde *Turſi* promanarit. Tabulae auctor eius a Grumento diſtantiam notare neglexit, xxv M. P. adpoſitis, quae ſunt a Grumento per Troiam Heracleam. Quae ſi recte habent, Holſtenii de ſitu Grumenti ſententia firmabitur. Altera a Grumento via, Nerulos verſus, ſic habet:

Coſtianum. xxv. Velſ. *Coſilianum.* absque numero. Hodoeporicon, *Semuncla.* xxvii. Deliſle, *Coſilianum col.* ſitu vici *Cagliano*, prope Silari et Tanagri confluentem; ſequitur Danuille; ceteri tacent. Mela et Plinius habent *Conſilinum*, ſed apud Caulonem, in ora maritima. In Tabula videtur *Coſeianum* eſſe ſcriptum, qui, ratione itineris, idem locus cum Semuncla Hodoeporici fuerit. Danuille, in tabella viarum Italiae, vtrumque praeterit, a Grumento ſuo recta Nerulum progreſſus xxiii M. P. interuallo; quod neque Tabula, neque Hodoeporicon admittunt. Via ſecus ripam Aciris proceſſerit, flexu deinde verſus fontem Siris facto, ad vicum *Cerrota*, vel *Saluce;* vbi *Coſeianum*, aut *Coſtianum*, poſtea *Semuncla*, exſtiterit.

Nerulos. xvi. inſignia municipii; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Nerulo.* xvi. itinere ab Vrbe ad Columnam, *Nerulo.* xxxvi. a Caeſariana. Liuio, *Nerulum*, oppidum munitum. Holſtenius, ad vicum *la Rotonda* ſtetiſſe putat; qui ſi eſt *Laritonda*, prope fontem Siris, iſthuc referri nequit; vtpote xxviii M. P. a Murano abſcedens, cum Hodoeporicon xv praeferat. Rectius Danuille ſitu vici *Laino Bergo*, dextra Lai recentis, ex aduerſo oppiduli *Laino*, vbi Lauinium Tabulae poſuimus. Heic exibat via ab Salerno et Picentia ducens, vt Danuille quoque notauit; quamquam tractus viae, expreſſis manſionibus, deſideratur.

Interamnio. xxviii. Velſ. *Interamnio.* absque numero. Hodoeporicon, *Summurano.* xvi. quidam ſcripti, *Summinorano.* Itinere ab Vrbe ad Columnam, *Summurano.* xiiii. Murani meminit peruetus lapis milliarius, quem apud Forum Popilii promemus, in quo MVRANVM lxxiiii M. P. inde abeſſe dicitur. Eſt vicus *Murano*, *Morano*, intra montes, ad exortum Sybaris fluuii, qui Murano veteri reſpondeat, Submurano autem vicus *Novaſco*, ad iii in occaſum hibernum lapidem. Interamnium Tabulae, quod geographi fere neglexerunt, erat inter alueos recentes Sybaris, apud *Alto monte* oppidum; quod etiam Danuille cum Deliſleo reſpexerit, ſed propius alueorum confluxum, ad vicum *S. Antonio.*

Capraſia. viii. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere vtroque, *Capraſis.* xxi. Cluuerius lectionem Hodoeporici praeſert, tamquam *Capraſiis* dici debeat; ſed oſtium Capraſiae in Pado huc minime ſpectat. Gabriel Barrius, minorita, *Tarſiam* oppidum, inter Iſaurum et Crathim eſſe ait; Danuille ſitu variat, nunc ripae Crathis, nunc Iſauri, adplicans, nunc in medio amnium, vbi *Tarſia* eſt, locans. Interuallum Tarſiam expoſcit, numeris Tabulae ſitui adſtipulantibus.

IX. **Contentia.** XXVI. Velſ. *Conſentia.* XXVI. In Tabula cum hoc numero ponitur **Crater. fl.** cum traiectu amnis, deinde *Contentia.* XVIII. montis transitus, poſt quem nomen vrbis. Flexus hi, ob conſtructionem operis, facti ſint; cum via ſecus Crathin, ripa dextra, in auſtrum procedat. Hodoeporicon, itinere vtroque, *Conſentia.* XXVIII. Strabo, *Κωνσεντία*, *μητρόπολις Βρεττίων*, *Conſentia, caput Bruttiorum;* Ptolemaeus, in mediterraneis eorumdem, *Κονσεντία*, *Conſentia.* Mela, vbi in tres ſinus regionem diuidi memorauit: Tertius inter Zephyrium, inquit, et Bruttium, Conſentiam, Cauloniam, Locrosque circumdat." Alii *Coſſentiam* e MSS. legunt; in vulgatis *Conſilinum*, quod Plinius caſtrum vocat, Harduinus *Capo di Stylo* interpretatur. Sane Conſentia huc non quadrat. Liuius, in Bruttiis, *Conſentia*, Vſfugum, Vergae, Beſidiae. Plinius: *Oppidum Conſentia intus;* idem, vina *Conſentiae* genita; *Conſentinus ager.* In columna milliaria Popilienſi, CONSENTIAM. CXXIII. Seruat nomen oppidum *Coſenza*, laeua Crathis recentis ripa, in flexu occiduo. Ab Conſentia viae ductus eſt interruptus; quod cum oram petere deberet, heic, ob conſtructionem operis, in ſuperiora tendit.

Temſa. XX. ſic Velſ. Oppidum hoc in ora eſt, quod recenſuimus alias; heic autem, ab Conſentia, quod via boream petere videtur, ſtructura operis poſcente, opportune repetitur; vt, quorſum via tendat, intelligamus. Erat autem via duplex ab Conſentia, altera Numiſtrum, altera Temſam; eo M. P. XVIII. fluuio Crathi adpoſita, ſpectant, nomine vrbis tacito. Neutram ſignant geographorum *παῖδες*. Hodoeporicon militarem tenet, per Sabatum, Turres, Nicoteram, Mallias. Sequitur in Tabula, viae ductu non expreſſo, monte rurſus traiecto,

Aque ange. XI. aedes quadra. Hodoeporicon, itinere Mediolanenſi, a Conſentia, *Ad fluuium Sabbatum.* XVIII. *ad Turris.* XVIII. *Angitulam*, XIII. Hae manſiones olim in Tabula quoque fuerint, vt numerus XVIII fluuio Crathi adnexus oſtendit; quae poſtrema Tabulae conſtructione, ſub Theodoſiis, ignorantia ſcribarum, emanſere. Numerus XI eſt a Turribus ad Aquas, Danuilleo, *Aquae Angiliae*, ad III ſupra Angitulam milliare; vbi hodie quoque bini lacus parui, ad oram, notantur, absque inſcriptione. Barrius, apud Weſſelingium: Oppidum hodie, inquit, Angitulam vocari, ſatis conſtat; et eiusdem nominis fluuium eſſe nauigiorum capacem." Ortelio, *Aquanea* ſitu illo notatur vicus; quae vox ex Aquis Angis Tabulae promanaſſe videtur. Cellarius non debebat has Aquas negligere.

Annicia. VIII. ſic Velſ. Anniciam hanc vniuerſa geographia ignorat. Numeri ad oppidum *Monte Leone* ducunt, Viboni olim vicinum, ex cuius ruinis ſurrexerit. Danuille heic *Nepite*, vnde, neſcio, ſignat. Forſan vox ex *Hipone* orta, qua Graeci Vibonem adpellare ſolebant; et, vbi hodie *Bibona* vicus eſt, olim Vibonenſium nauale, Straboni memoratum, fuerit. Id Danuille, in Atlante dumtaxat prodidit; alias tacet. Nepete in Tuſcis nouimus, non item

in Bruttiis. Vibona, quae in Tabula ſequitur, absque numero, propinquitatem loci indicat; forſan villa *Annicia,* ſeu potius *Anicia*, antiquae et nobilis Romanae familiae Aniciae, Viboni erat vicina; vnde oppidum Leonis ſurrexerit. Apud Valentiam exit via mediterranea ab Caſtris Herculis, hoc pacto:

Scilatio. xxx. ſic Velſ. Numero, oſcitantia ſcribarum, repetito, qui ad Caulonem referri debet, via litorali, vbi deſideratur. In ea via, loco alieno, Scyle. ſcribitur, tamquam locus diuerſus; quae ſphalmata a poſtremis Tabulae architectis promanarint. Pro numero autem xxx. qui huc non pertinet, x ſcribi debebat; hoc enim interuallo Scylacium ab Caſtris Hannibalis abeſt. Quae ab Scylacio Valentiam vſque ponuntur xxv M. P. ſunt iuſta.

X. Supereſt via mediterranea, a Potentia Picentiam, vni Tabulae nota, perplexa, et impedita, interrupto viarum ductu; vt, qua verſus dirigi debeat, nulla paene ratione diſpicere queas. Idcirco in diuerſa geographi iuniores abeunt. A Lucis, quos ad Caſuentum recentem, circiter vicum *Serra di mezzo* poſuimus, traiicitur mons *Balado*, cui Acheruntia inſiſtit, et continuo ſubiungitur,

Acerronia. absque numero; ſic Velſ. Repeti debebat xii. qui Lucos inter et Potentiam notatur. Vrbem, patriae ſuae vicinam, nouit Horatius: *Quicumque celſae nidum Acherontiae-tenent.* (a) Ceteri tacent. Plinius, apud Bruttios: In peninſula fluuius Acheron, a quo oppidani Acherontini.“ Ad quae Harduinus: Exſtat huius oppidi memoria in numis, ΑΧΕΡΟΝΤΑΝ. Non eſt *Cirenza*, in Baſilicata, etſi hanc quoque Acherontiam vocant.“ Strabo, *τὸν Ἀχέροντα*, *Acherontem* fluuium nouit, ſed oppidum *Πανδοσίαν*, *Pandoſiam*, nuncupat. Cellarius, producto Golzii numo fictitio, nec vero locus vrbis, inquit, vel veſtigia monſtrari poſſunt.“ Danuille, ſitu *Croſia* oppiduli, ad viii a mari lapidem, Pandoſiam ſtatuit; ſed haec nihil ad Acherontiam noſtram, quae Danuilleo *Acheruntia*, ad laeuum viae Venuſinae latus, iv M. P. ſupra Opinum, interfluente recenti Bradano, regno numiſmatico nota; qualis eſt aeneus ante hos xv annos ab immortalis memoriae Eckhelio vulgatus, literis Oſcis, retrograde legendis, AKVRVNNIAR. Eſt vrbs *Acerenza*, alias *Cirenza*, non minus hodie, ac olim, clara. Forſan a luco acerno, qualem in proxima Tabulae manſione vidimus, pluratiue *Lucos* dicta, vrbs nomen accepit olim. Danuille prope Silari et Tanagri confluxum, circiter vicum *le Serre*, habet *Aceron?* forſan *Aceronum;* ſic enim ea nota apud ipſum reddi ſolet; quo loco Tabulam reſpexiſſe videtur, quae Acerroniam alio exhibet ſitu. Via heic deſinit; nam reliqua, quae ſequuntur, cum Nerulis nexum habent. Olim pars viae huius tendebat ſurſum, quae heic deorſum tendere videtur. Itaque ab Nerulis haec occurrunt:

(a) Carm. L. III. Od. 4.

Vico. mendicoleo. XXVI. Vel. *Vico Med'coleo.* XXVI. Mansionem hanc geographi ignorant. Cellarius, Delisle, Danuille, *Abellinum Marsicum*, ad recentem Acirin signant; cuius facti rationem nescio. Nihil enim Marsi ad hos Lucaniae agros. Est ibi *Marsico vetere* vicus, et ad IX inde lapidem oppidum *Marsico nuovo;* quae vocabula ita se se heic habere possunt, vt nomina duplicis Calabriae. Viam hac processisse, vicina monstrabunt loca; Danuille ad X a Nerulo milliare, cum Grumentana iungit. Numeri Tabulae ducunt ad vicum *Marsico vetere*, qui sit *Medicoleum* vicus, voce ab salubritate olei deriuata.

Foro populi. absque numero; Vel. *Foro popili.* Ponitur superne, extra viam, Acherontiae parallelum, cum numero V. qui huc non pertineat. *Forum Popilii*, vnus Danuille, hac regione, nouit, ad XX a priori lapidem, circiter oppidum *Cangiano;* quamquam is laeua Tanagri, VII M. P. infra confluxum cum Silaro, ponit, vbi chartae pontem exhibent. Circiter haec loca Forum hoc Popilii statui oportere, qui sequuntur, numeri ostendunt. Oppidum *Cangiano*, cum Marsico vetere, et Potentia, triangulum prope aequilaterum format, quouis latere XX M. P. continente, ab Cangiano Potentiam nonnihil productiore. Si est M. Popilius Laenas, qui cum Cn. Calpurnio Pisone A. V. 615 consulatum gessit, a quo sit oppidum hoc nuncupatum, epigraphe M. Perpernae Imperatori, qui A. V. 622 DE SERVEIS FVGITIVEIS ex Sicilia triumphauit, isthic posita, loco temporique respondebit. Non pigeat monumentum insigne, siquidem nostri argumenti est, heic depromere. (a)

VIAM FECEI AB REGIO AD CAPVAM ET IN EA VIA
PONTEIS OMNEIS MILIARIOS TABELLARIOSQ
POSEIVEI. HINCE SVNT NOVCERIAM
MEILIA LL. CAPVAM. XXCIIII. MVRANVM LXX
IIII. CONSENTIAM CXXIII. VALENTIAM CLXXXII
AD FRETVM AD STATVAM CXXXII. REGIVM
MEILIA CCC. ET EIDEM PRAETOR IN QKNAR
XXII. SICILIA FVGITIVOS ITALICORVM CON
QVAESIVEI REDDIDEIQ. HOMINES CCCCXV
EIDEMQ. PRIMVS FECEI VT DE AGRO POBLICO
ARATORIBVS CEDERENT PASTORES FORVM
AEDISQ. POBLICAS HEIC FECEI

Ex Hodoeporici itineribus, in primis a Mediolano ad Columnam, et ab Vrbe, via Appia, eodem, elici haud aegre queat, basim hanc, quam Apianus in principatu repertam ait, apud Cangianum quaeri oportere; adeo interualla

---

(a) Apian. p. 103. Grut. CL. 7.

Hodoeporici cum his numeris conueniunt. Tabula ſequitur compendia, et his maxime locis, iniuria temporum, eſt turbata; vt lucem aliunde foenerari debeat. Credibile autem, Forum hoc a Perperna conſtitutum, poſtea Popilii nomen accepiſſe. Forſan monumenta quaedam alia his locis reperta fuere, quae Danuilleum permouerant, vt Forum Popilii hoc agro ſtatueret.

XI. Nares. Lucanas. VIIII. ſic Velſ. Via haec deducitur ab Acherontia, quam recte quidem iſthuc deriuauit Danuille, ſed *Aceron?* forſan *Aceronum*, ex Tabula, ad VI a Foro Popilii milliare, Silarum verſus, non bene ſignat. Aceronia quippe Tabulae eſt Acherontia, longe inde in exortum aeſtiuum abſcedens, nimirum XLII M. P. ductu recto; numerus autem VIIII ad Forum Popilii referri debet. Niſi V nota, quam heic Danuille reſpexerit, Acerroniae adſtituta, olim L. ſeu quinquaginta erat; quod mihi vero ſimile videtur. In Atlante opinionem mutauit; miſſa quippe Acerronia, ad XV a Foro Popilii lapidem *Nares*, circiter vicum *le Serre*, ſtatuit; quae poſitio, ſi numeros ſpectas, eſt arbitraria. Ad VIII a Foro milliare eſt vicus *Caſtelluzzo*, prope laeuam Tanagri, qui *Naribus Lucanis*, nemini praeterea notis, reſpondeat.

Silarum fl. VIIII. Velſ. *Silarum fl'.* VIIII. De amne dictum alias. Terminus fuit Lucanorum Campanorumque. Numeri ad vicum *Preſciano*, laeua Silari, pertingunt; hoc agro et Danuille traiectum amnis notat, ad X ſupra oſtium lapidem. Videtur et manſio, flumini adſtituta, olim exſtitiſſe, quam Danuille non exprimit. In Atlante, ad VIII a priore milliare, *Eburi*, dextro viae margine, interfluente Silaro, ponuntur, quos Tabula ignorat.

Icentię. VIIII. Picentiae ſcribi oportuiſſe, alias oſtendimus, et ratio itineris ſuadet; ſed numeri XII et VIIII ſunt permutandi; nam ab Silaro ad Picentiam omnino XII M. P. numerantur, inde vero Salernum VIII. aut vno amplius. Hic ager eſt in cenſu Campaniae, de quo alias dictum. Atque haec erat impeditiſſima hoc tractu via, numeris et ductibus, ſcribarum imperitia, prauatis. Antiquiſſima erat haec a Perperna inſtituta via, a Capua, per Nuceriam, Forum Popilii, Nerulos, Muranum, Conſentiam, Vibonem, ad Columnam; quae cum aetate poſteriori ex parte negligeretur, Tabulae architectis nouiſſimis halucinandi occaſionem praebuit. Partes eius plures vidit Cluuerius et Holſtenius; quorum veſtigia ſecuti Deliſſe et Danuille, alia quoque ſubodorati fuere; in primis Danuille, tabellis ad commentarios Rollini, inſigni induſtria et elegantia paratis. Qui, quod teſtimoniis commentariorum deſtituti ſunt, ſpectatorem quoque tabularum ſuarum, niſi ad iter vetus ingrediendum ſit aliunde comparatus, caecutire faciunt. Et hactenus quidem de Italia, gentium domina, quantum Tabulae ratio poſcebat, dictum eſto.

CAPVT XIII

INSVLAE

HOC loco accipimus inſulas Italiae maiores, qualis Corſica, Sardinia, Sicilia, omnes in mari infero, ſeu Tyrrheno, africo, quae pars eſt mediterranei. Et Sicilia quidem adeo propinqua eſt Italiae, vt olim coniuncta fuiſſe crederetur; remotior Corſica, Sardinia remotiſſima. Sicilia diuellitur freto II millium; Corſica XLVIII. Sardinia CXXV. In Tabula de Corſica parum habetur; plus de Sardinia; iuſta ſerie de Sicilia. De ſingulis, quantum adiuncta patientur, agere conſtituimus.

SECTIO I

CORSICA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. GRAECIS veteribus *Κύρνος*, *Cyrnus*, vocatur, Scylaci iam et Herodoto nota. Scylax: *Κατὰ δὲ Τυῤῥηνίαν κεῖται νῆσος Κύρνος*, *Ex aduerſo Tyrrheniae ſita eſt inſula Cyrnus.* Nauigatio vero ab Tyrrhenia in Corſicam eſt diei vnius ac dimidii.“ Strabo: *ἡ δὲ Κύρνος ὑπὸ τῶν Ρωμαίων καλεῖται Κόρσικα*, *quae Graecis Cyrnus*, *Romani Corſicam adpellant.* Eadem Plinius: In Liguſtico mari eſt Corſica, quam Graeci Cyrnon adpellauere, ſed Tuſco prior; a ſeptemtrione in meridiem proiecta, longa paſſuum CL millia; lata maiore ex parte quinquaginta.“ Stephano, *Κύρνος*, et *Κορσὶς*, *Cyrnus*, et *Corſis.* Herodotus, primo incolas Phocenſes fuiſſe ait; alii rectius, Ligures; vt qui in vicina quoque continente autochthones fuerint. Seneca inſulae dotes carmine et proſa, libro ad Heluiam, deſcribit; ſed cum ante Graecos ex Phocide, quam Ligures, eam coluiſſe ait, veterem ſequitur famam. In Tabula,

II. INS. CORSICA. literis minio pictis; Velſ. Ins. Corsica. Vnciam et quadrantem longa procurrit. Seorſim etiam Ins. Corſica. ſcriptum comparet; ſed, aliud inſulae nomen ibi requiri, ſuo diximus loco. Etymon Iſidorus et Euſtathius, a femina, Corſa nomine, deducunt; rectius forſan ob aridi et ſpinoſi naturam ſaxi, vt Seneca inquit, Ligurum lingua Corſicam fuiſſe nuncupatam cenſeas. Patet a gradu longit. 26 min. 26. ad 27 min. 26. latit. grad. 41 min. 22. ad 42 min. 54. Longum procurrit ab auſtro in boream, a promontorio Mariano ad Sacrum M. P. CX. latum a Viriballo promontorio ad Vagum LV M. P. Chorographus, apud Strabonem, longam CLX M. P. latam LXX. perhibet. Plinii cenſus eſt adcuratior; niſi quod longitudinem ſecundum traditionem Periplorum accepit. Alii, Strabone teſte, circumferentiam Corſicae ſtadiorum MCC eſſe, ſeu M. P. CL. prodidere; quam Plinius longitudinem dixit, circuitu autem CCCXXV M. P. Seruat nomen.

§ II

Oppida Corſicae.

I. PLINIVS Corſicae ciuitates XXXIII adſignat; ad quae Cellarius: Si oppida intelligas, ſuſpectus eſt numerus, quia maiori longe inſulae Sardiniae idem XVIII oppida, vt in MSS. eſt, tribuit, vt in vulgatis, XIV. ſin populos et ſocietates, quod Latinis vox *ciuitas* ſonabat, oportet paruas et exiguas fuiſſe, propter eamdem inſulae paruitatem. Plerique tantum duas vrbes, easdemque Romanorum colonias, *Marianam* et *Aleriam*, memorant; tot Diodorus Siculus, tot Mela, Plinius, Seneca.“ Haec ipſe. Hodoeporicon quinque habet; Ptolemaeus, praeter portus et promontoria, duodecim nouit; Tabula vnicum, Marianas, hoc modo:

II. Marianis. Velſ. *Marianis.* Hodoeporicon, *Corſicae. a Mariana Palas.* CXXV. Regium, *a Marianas;* quibusdam, *a Mirrana*, *Mirraniana*, *Nurnuana*, *Amiriana.* Rauennas, *Martinianis.* Pomponius Mela: Corſica Etruſco litori propior, intra latera tenuis et longa, praeterquam vbi Aleria et Mariana coloniae ſunt, a barbaris colitur.“ (a) Plinius: Ciuitates habet XXXIII. et colonias, Marianam, a C. Mario deductam; Aleriam, a Dictatore Sylla.“ (b) Ptolemaeo, *Μαριανὸν*, *ἄκρον καὶ πολις*, *Marianum*, *promontorium et oppidum.* Ab Etruſcis conditam, Diodorus perhibet, vocabulo *Nicaeae*, in quam Marius colonos miſerit. Stephano quoque, *Νικαία*, *ἐν Κύρνῳ τῇ νήσῳ*, *Nicaea*, *in Cyrno inſula.* Norunt etiam vrbem, Seneca, et Florus; concilio Lateranenſi

(a) L. II. c. 7. (b) L. III. c. 12.

interfuit, Donatus Marianensis episcopus. Est vicus *Mariana*, sinistra Tauolae, hodie *Golo*, amnis ripa, II M. P. supra ostium.

III. In Tabula, extra insulam, scribitur Asice. literis mediis attritis, absque insulae signo. Ptolemaeus inter mediterraneas Corsicae ciuitates *Ὄσιγκον*, *Osincum*, nouit; Malombrae *Niolo;* Delisleo situ *Pino* oppidi, quod huc referatur. Haec de Corsica.

SECTIO II

SARDINIA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. VETVS etiam Sardiniae vocabulum est, Graecis *Σαρδώ*, *Sardo*, et subinde *Ἰχνοῦσα* et *Σανδαλιῶτις*, *Ichnusa* et *Sandaliotis*, a figura vestigii et soleae, nuncupatur. Scylax: *Ἀπὸ δὲ Κύρνου νήσου εἰς Σαρδὼ νῆσον*, *A Corsica insula in Sardiniam* est tertiae diei partis nauigatio. Plinius: (a) Sardiniam Timaeus Sandaliotim adpellauit ab effigie soleae, Myrsilus Ichnusam, a similitudine vestigii." Eadem Pausanias in Phocide, addens, primos insulae colonos fuisse Afros, qui duce Sardo eo migrarint; quae Silius carmine describit. Naturam soli promit Strabo; reliqua ex Plinio discere libet: Sardinia ab oriente patens, CLXXXVIII millia passuum; ab occidente CLXXV. circuitu DLXV millia; abest ab Africa Caralitano promontorio ducenta millia, a Gadibus quatuordecies centena." Strabo, ex Chorographo Italiae, longitudinem CCXX. latitudinem XCVIII. circumferentiam quater mille stadiorum esse perhibet.

II. Incolae Sardi Liuio, recentioribus Sardinienses. Fasti ad A. V. 495. L. Cornelius Scipio, de Poenis. SARDIN. CORSICA. et sequenti, C. Sulpicius Paterculus, cos. de Poenis et SARDEIS. A. V. 520. Sp. Caruilius Maximus, cos. DE SARDEIS. sequenti, Mu. Pomponius Matho, de iisdem. Tria populorum capita censet Plinius: *Celeberrimi in ea populorum Ilienses*, *Balari*, *Corsi*. Priores, Diodoro, *Ἰολάειοι*, *Iolaii; Βαλαρῶν καὶ Κορσῶν*, Balarorum et Corsorum meminit etiam Pausanias. Balari a re pecuaria sint nuncupati; Corsi ab situ montano et boreali. Pausanias, illos *Φυγάδας*, *κατὰ γλῶσσαν*

(a) L. III. c. 13.

τὴν Κυρνίων, *fugitiuos*, *ſecundum linguam Corſorum*, interpretatur. Noſtra originatio eſt probabilior. In Tabula INS. SARDINIA. literis minio pictis, tres vncias longa, vnam lata. Continetur grad. longit. 26 min. 4. et 27 min. 50. latit. 38 min. 55. et 41 min. 17. Longitudo maxima, ab auſtro in boream, a portu Herculis ad promontorium Erebantium, CLXXV M. P. latitudo ab Gorditano promontorio ad oppidum Feroniam M. P. C. Quod Plinius dixit, inſulam patere ab occidente CLXXV M. P. eſt eius longitudo adcurata; Strabonis latitudo XCVIII M. P. aeque bene habet. Quod etymon ſpectat, *Sardi* a Liguribus ob ſaeuitiem, quales Strabo depingit, nuncupati fuerint. *Sardegna* vocatur inſula vulgo.

§ II

Inſulae vicinae.

I. SCYLAX inter Sardiniam et Corſicam, *νῆσος ἐρήμη ἐν τῷ μεταξύ* *inſula in medio deſerta;* quam nominare omiſit. Plures eo loco intercedunt inſulae, de quibus Plinius: Sardinia minus octo millibus paſſuum a Corſicae extremis, etiamnum anguſtias eas arctantibus inſulis paruis, quae Cuniculariae adpellantur; itemque Phintonis, et Foſſae; a quibus fretum ipſum Taphros nominatur. — Habet et a Gorditano promontorio duas inſulas, quae vocantur Herculis; a Sulcenſi, Enoſin; a Caralitano, Ficariam. Quidam haud procul ab ea etiam Berelidas ponunt, et Callodem, et quam vocant Heras lutra.“ In Tabula ſunt, Aſice, Sardinia, Herculis, Bertula, Boaris, Bouenna, Cunicularia, Ruba; quas ordine depromere libet.

II. ASICE , c ; , : NIA. Velſ. *Aſice Sardinia.* Inſcriptio ſupra inſulam, apud Scheibium extrita. In Tuſcia putabamus *Aegilam* indicari; ſed rectius forſan accipi queant *Foſſae Sardiniae*, a quibus fretum ipſum, Graecis *Τάφρος*, *Taphros* nuncupatum. Ptolemaeus, *Φίντωνος*, *Phintonis*, huic vicinam habet, quam Cluuerius *Iſola di Figo*, noſtram *Iſola Roſſa*, vocari perhibet. Cum autem nulla ſit ibi ſignata inſula, erit forſan *Ὄσιγκον*, *Oſincum*, Ptolemaei, oppidum Corſicae mediterraneum; quamquam id neque ſitus, neque ipſa epigraphe poſcere videntur.

Inſula. Hercul'. Velſ. *Inſ. Hercul.* Plinius, duas inſulas, *Herculis* nuncupatas, in Gorditano promontorio agnoſcit; Ptolemaeo eſt vna *Ἡρακλέους νῆσος*, *Herculis inſula*, ad idem promontorium. Cluuerius, et cum eo Harduinus, duas aeque agnoſcunt, maiorem *Aſinara*, ſeu *Zavara*, et minorem *Iſola Piana;* illa eſt XII M. P. longa, haec duo mill. cum ſemiſſe; ſubiacet priori; ambae latere Sardiniae boreali ab occaſu.

H. Bertula. Velſ. *Inſ. Bertula.* Cellarius, aliique Cluuerium ſecuti, ad medium lateris Sardiniae occidentalis, vbi *Ceſcia di Donna*, ſtatui oportere cenſent; Danuille ſeorſim non exprimit; forſan Berelidas Plinii arbitratus; quod et mihi veroſimile videtur. Harduinus circa vocabulum adhaeret: An *Balaridas* ex Martiano rectius? ſcilicet a Balaris Sardiniae gente. — An potius *Boaridas*, ex Tab. Peuting. vt ſcopuli intelligantur duo, qui S. Antiochi inſulam obſident, *il Toro*, et *la Vacca.* An denique *Banauridas* ex Stephano, Tyrrhenicas inſulas ſic nominante?" Plures erant, hodieque ſunt, circa Sardiniam inſulae, quarum nouem Ptolemaeus recenſet; qui tamen id nominis non prodit, graecis vocabulis vſus. Forſan ἱεράκων, *accipitrum* inſula erit *Berelis* Plinii, *Bertula* Tabulae, voce Liguribus idem notante; vbi *Iſola di S. Pietro*, vna ex maioribus, latere occiduo ab auſtro, ad ſinum *Golfo di Palma;* longa eſt M. P. VII. lata II et ſemis.

III. Hs. Boaris. Velſ. *Inſ. Boaris.* Haec et ſequens erunt Βαναυρίδες, *Banaurides* Stephani, quas a Banauro Aiantis filio nuncupatas ait. Ptolemaeo, ſitu hoc, eſt Μολυβώδης νῆσος, *plumbea inſula*, ſeu *Plumbaria*, hodie *Iſola S. Antioco*, longa X M. P. lata II cum ſemiſſe; priori ab exortu vicina. Forſan in voce *Boaris* ſeu *Voaris*, plumbi ſignificatio latebit; malim tamen a *Balaris* eam deriuari.

Hs. Bouena. Velſ. *Inſ. Bouena.* Deliſleo, *Bucinna*, *Boaria;* Danuille diuidit, iisdem vocabulis vſus. Eſt inſula II M. P. et ſemis longa, *Iſola la Vacca*, et altera, mille paſſus dumtaxat patens, *il Toro*, Taurus nuncupata; quae Tabulae nominibus reſpondent, alias non occurrentibus.

Hs. [illegible]laria. Velſ. *Inſ. Cunicularia.* Cellarius, Cuniculariae Plinii, ait, ex Tabulae Cunicularia vna, ad ſinum Caralitanum ſita, cognoſcuntur. Harduinus harum alteram *Iſola de le Bizze*, ſerpentum inſula, alteram *Speragia*, vult accipi; in chartis *Serpentera* et *Cortelazzo*, duplici loco; Cuniculariae ſint in ſinu Calaritano, hodie *Golfo di Gagliari*, ad promontorium Cunicularium.

Hs. Ruba. Velſ. *Inſ. Ruraria.* Nemo huius vocabuli inſulam novit; apud Ptolemaeum, ſitu eo, ponitur Φικαρία, *Ficaria*, quam Plinius ab Caralitano promontorio ſtatuit; quae eſt *Serpentera*, latere Sardiniae ortiuo, ab auſtro. Hae fuerunt circa Sardiniam inſulae.

§ III

Oppida, manſiones.

I. APVD Ptolemaeum, praeter portus et promontoria, tricena amplius oppida, totidem fere in Hodoeporico, cenſentur; Tabula ſex modo habet,

ex his vnum cum infignibus coloniae. Nulla heic interualla, nulli viae ductus, comparent; quae tamen in Sicilia et Creta adcurate feruantur. Loca Tabulae, ab occafu progreffi, recenfebimus.

Erucis. auftrali ab occafu latere; Velf. non habet. Hodoeporicon, itinere a Tibulis Sulcos, *Erucio*, XXIV M. P. a Viniolis, XXII a manfione ad Herculem. In quibusdam *Erurio*, *Eputio*, fcribi videas. Nihil in hanc Weffelingius. Surita, Simlerum fecutus, putat *Ερίκινον*, *Ericinum* Ptolemaei huc referri, quod in mediterraneo vifitur, fere vbi Longones Hodoeporici Danuille ftatuit; qui pro Erucio, ad oram, dextra exeuntis *Coguinas* fluuii, fitu oppidi *C. Doria*, *Emporium* habet. Nobis *Erucium* aut *Eruciae* praeplacent; quod Emporii huius, qua iter ducitur, veftigia non comparent. In Tabula Erucis pro *Eruciis* olim fcriptum fuiffe arbitror.

Neapoli. Velf. *Neapoli.* Hodoeporicon, itinere a Tibulis Sulcos, inter Othocam et Metalla, *Neapoli.* Ptolemaeo, ad oram infulae occiduam, *Νεάπολις*, *Neapolis*, et incolae *Νεαπολῖται*, *Neapolitae*, Plinio Neapolitani. Seruat nomen oppidum *Napoli*, Ortelio *Caftel Napoli.* Alio itinere occurrunt Aquae Neapolitanae, ad XVI in exortum hibernum lapidem; quae in Tabula non comparent.

Sulci. Velf. *Sulci.* Eft in Hodoeporico iter a Tubulis Sulcis, item a Sulcis Nura; occurrit etiam itinere a portu Tibulis Caralis, inter Viniolas et Porticenfes, *Sulcis.* Norunt infuper oppidum, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Paufanias, Stephanus, Claudianus, alii. Paufanias, *Σύλλους* pro *Σύλκους* in vulgatis habet; Stephanus, *Σύλκοι*, *πόλις ἐν Σαρδοῖ*, *Καρχηδονίων κτίσμα*, *Sylci*, *vrbs Sardiniae*, *Carthaginenfium opus.* Ptolemaeo, *Σόλκοι*, *Solci*, forfan *Σούλκοι*, Schotti edito *Σόκλαι*, *Soclae*, et *Σαλκιτανοὶ*, *Salcitani*, Erafmo *Σολκητᾶνοι*, *Solcetani;* Straboni *Σουλχοὶ*, *Sulchi*, oppidum; Melae *Sulci;* incolae *Sulcitani*, Hirtio, Plinio, cui item *Sulcenfe promontorium.* Eft portus *Palma di Solo*, circiter medium orae orientalis.

II. Vttea. Velf. *Vttea.* Hodoeporicon, *Othoca*, itinere duplici, a Tibulis Caralis, et a Tibulis Sulcis. Weffelingius cum Simlero putant, Ptolemaei *Ὄσαιαν*, *Ofaeam*, huc pertinere; Delifle et Danuille diftinguunt. Veftigia inter Bofam et Neapolim in *Ofeo* fupereffe dicuntur. Vicina fuit colonia *Οὔσελλις*, *Vfellis*, cum qua *Vttea* cognationem habere videatur; occupat latus infulae occiduum, ex aduerfo Sulcorum.

Turribus. infignia coloniae; Velf. *Turribus.* absque infigni. Hodoeporicon, itinere a Tibulis Sulcis, *ad Turrem.* Plinio, *Turris Libyfonis;* Ptolemaeo, *Πύργος Λιβίσσωνος*, vt in MSS. vulgo *Βίσσωνος*, Schotti edito *Βισσῶνος*, *Turris Libiffonis*, *Biffonis.* Hodie, *Porto di Torre*, et in continente oppidum *Saffari*, ora infulae boreali in occafum.

Nura. fic Velf. Hodoeporicon, prope Turrem, *Nure*, quod eruditis fufpectum videtur; itinere a Sulcis Nuram, auftrali parte infulae, *Nura;* eft etiam iter a Caralis *Nura.* Surita, Noram, vult legi, contra fidem MSS.

Ptolemaeo, *Νῶρα πόλις*, *Nora oppidum.* Pausanias, in Phocide, narrat, Hispanos in Sardiniam duce Norace transuectos, vrbem *Noram* condidisse. Incolae *Norenses* Plinio. Seruat nomen oppidum *Nori*, Ortelius *Noraxio* vocat.

Caralis. sic Vess. Hodoeporicon, *Caralis*, vicibus septenis. Nominant praeterea principem Sardiniae locum, Liuius, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Pausanias, Procopius, alii. Graecis, *Κάραλις*, *Caralis*, sic etiam Latinis; Liuio tamen pluratiue *Carales.* Ptolemaeo, *Καραλιτᾶνος κόλπος*, *Caralitanus sinus;* incolae *Caralitani* Plinio, promontorium Caralitanum. Hodie *Cagliari* item *Calari*, in parte insulae australi. Haec de Sardinia.

S E C T I O III

S I C I L I A

§ I

Nuncupatio et fines.

I. NOMEN Siciliae peruetus est, Scylaci proditum: *Εἰς δὲ Σικελίαν ἀπὸ Σαρδοῦς πλοῦς ἡμερῶν δύο καὶ νυκτός*, *In Siciliam a Sardinia iter duorum dierum noctisque.* Strabo, Sicilia figuram habet triquetram, itaque et *Τρινακρία*, *Trinacria*, a tribus extremitatibus quondam, et postea sono vocis concinniore *Τρινακὶς*, *Trinacis* denominata fuit." Plinius: *Sicilia, Sicania Thucydidi dicta, Trinacria pluribus, aut Triquetra, a triangula specie.* Silius refert, primos incolas fuisse Sicanos, deinde Ligures, duce Siculo; nonnulli et Laestrygones censent, Graecosque, et Poenos, vt trilingues dicerentur. Liburnicam gentem olim Siciliam incoluisse, Appianus prae ceteris, in genealogia populorum Illyrici, non obscure significat; cum Polyphemum ex Galatea coniuge Celtum, et Illyrium, et Galam filios habuisse, hosque ex Sicilia digressos imperitasse populis, qui inde Celtae, et Illyrii, et Galatae sint adpellati, adseuerat. Terrae vbertatem Cicero et Liuius praedicant.

II. In Fastis, ad A. V. 497. A. Atilius Calatinus, praet. EX SICILIA DE POENEIS. A. V. 502. C. Aurelius Cotta, DE POENEIS ET SICVLEIS. A. V. 513. duplex ex Sicilia triumphus refertur. In Tabula SICILIA. caractere picto; longa vncias octo, sesqui vnciam lata. Procurrit a gradu longit. 30 min. 18. ad 33 min. 48. latit. 36 min. 40. ad 38 min. 18. Longa est a pro-

montorio Lilybaeo ad Pelorum CCX M. P. lata a promontorio Pachyno ad Pelorum CXXVIII. Sic Danuille in Atlante; in tabella ad commentarios Rollini, longum CCIII. latum CXL. producit. Strabo a Lilybaeo ad Pelorum ſtadia mille ſeptingenta, ſeu M. P. CCXII. Poſidonius XX ſtadia adiicit; a Peloro ad Pachynum mille centum triginta ſtadia, ſeu M. P. CXLI. cum tertia parte vnius. Plinius, a Peloro Pachynum CLXXXVI. a Pachyno Lilybaeum CC. inde Pelorum CLXX M. P. circuitu auctore Agrippa, DCXVIII. interfuſo mari auulſa XV M. in longitudinem freto, in latitudinem M. D. paſſ. iuxta Columnam Rhegiam." Ex hoc etiam loco adparet, Columnam borealius exſtitiſſe, quam vt ad oſtium Fiumarae, vbi fretum eſt VII M. P. reduci queat; vt ſuo diximus loco.

§ II

Montes, prouinciae, maria, fluuii, inſulae, portus.

I. APVD veteres montium complures cenſentur, qualis Erix, Ereta, Cratas, Camicus, Nebrodes, Aetna, Pelorus. In Tabula terni exprimuntur; ex vno eorum fluuius Himera, ex altero Anapus, ex tertio Symaetus, prorumpunt. Himera exit e iugis Cratae, vulgo *Monte maggiore*, cum vico, item *Val di Mazzara*, longum procurrentis; in Tabula ſemiuncia paullo eſt longior. Alter, ex quo Anapus prodit, eſt Pachynus; maior amnis Symaetus e iugis Nebrodis emergit, queis ab exortu vicini montes Heraei; illi *Val di Noto*, hi *Val di Monte*, dicuntur.

II. Ex promontoriis Lilybeo. inſtar oppidi. Ptolemaeo, *Λιλύβαιον πόλις καὶ ἄκρα*, *Lilybaeum vrbs et promontorium.* Plinius, Lilybaeum in Africam CLXXX M. interuallo a Mercurii promontorio; et a Caralitano Sardiniae CXC M. diſtare ait. Danuille priori diſtantia C. poſteriore CC. habet. Hodie *Capo di Marſalla*, nonnullis *Capo Lilibeo.* Ex aquis ſunt:

IGEVM MARE. caractere Romano, mixto monaſtico. Hanc vocem excipit continuo, HADRIATICVM PELAGVS. eadem literarum forma. Ptolemaeus, Siciliam circumſcribi ait, ab occaſu et borea, *ὑπὸ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους. ἀπὸ δὲ μεσημβρίας ὑπὸ τοῦ Ἀφρικανοῦ. ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν ὑπὸ Ἀδρίου πελάγους*, *mari Tyrrheno, a meridie Africano, ab oriente Hadriatico.* Vnde *Igeum* Tabulae videtur Ionio ſubſtitutum, quod Hadriatico erat contiguum. Aegaeum quippe ſeorſim ſuo exprimitur loco. Scylax Tyrrheno mari coniungit Adriam, vt Ptolemaeus quoque fecerat; pars enim Adriatici Ionium erat. Plinius ait, vrbem Atriam nomen mari Atriatico dediſſe; Euſtathius in Periegetam, ab Adria, *Ἰάονος υἱὸς Ἀδρίας*, *Iaonis filio*, homine Italo, pelagus nuncupatum eſſe; quae originatio eſt incerta. Nos, quodam loco, ab opportunitate nauigationis, et vrbem, et ante mare adpellatum cenſebamus. Fluuios videre libet.

III. **Fl. Himera.** Velf. Fl'. Himera. Norunt amnem veterum plures, Liuius, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Silius, alii. Strabo, *Ἱμέραν διὰ μέσης ῥέοντα τῆς Σικελίας, per mediam fluere Siciliam* ait *Himeram;* Ptolemaeus, inuariate, *Ἱμέρα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Himera fluuii oftia.* Liuius: Himera amnis, qui ferme infulam diuidit, finis regni Syracufani ac Punici imperii." Hic eft Himera maior auftralis, hodie *Salfo*, apud *Alizata* oppidum effluens; alius fuit Himera borealis, hodie *Termini*, apud cognominem ciuitatem in mare effufus; vt Ptolemaeus clare innuit, Himeram duplici loco promens. Pomponius Mela coniunxit: Himera, in media admodum (infula) ortus, in diuerfa decurrit, fcindensque eam vtrimque, alio ore in Libycum, alio in Tufcum mare deuenit." Sed diuerfi fontes, diuerfus eft vtriusque fluxus; borealis, qui nofter eft, ex monte Crata, auftralis ex Nebrode furgit.

Fl. Niranus. Velf. Fl'. Nirannus. Fontibus et alueo exhibet Himeram auftralem, oftio Hirminium, Elorum, Anapum. Inter duos poftremos eft *Afinarus*, amnis minutus, qui fono vocis Nirannum referre videtur; nifi *Hirannus* per H, vt prior, legi debeat, fitque Himera auftralis, ita, ad prioris diftinctionem, nuncupatus. Ab Himera potiores fluuii, Syracufas vfque, funt *Manúmuzzo*, *Franscolari*, *Maulo*, *Abiffo*, *Anapo.*

Fl. Simetus. Velf. Fl'. Simetus. Scylaci iam *Σύμαιθος ποταμὸς*, *Symaethus* Siciliae *amnis* notus; inde Thucydidi, Polybio, Virgilio, aliis, memoratus. Thucydides, caftra *ἐπὶ Συμαίθῳ ποταμῷ, ad Symaethum flumen*, in agro Leontino, pofita refert. Seruius, in Virgilium: Symaethus fluuius eft Siciliae, a rege Symaetho dictus, haud longe ab vrbe Catinenfi, circa quem funt Palici dei." Pars eius in mediterraneis *Chryfas* vocatur, hodie *Giaretta* vel *Gabel*, partim e iugis Nebrodis, partim Heraeorum, hodie *Val di Monte*, ortus. Hi erant Siciliae amnes; infulae funt:

IV. **Ins. Ostodis.** Velf. *Inf. Oftodis.* Meminerunt infulae Diodorus, Mela, Plinius, Ptolemaeus, alii. Graecis, *Ὀστεώδης*, *Ofteodes*, Latinis *Ofteodes* aeque. Mela et Diodorus, inter feptem nominant Ofteodem, cuius fitum pofterior fic depingit: (a) Poft Liparam, occafum verfus, in alto mari, infula parua eft, et deferta, quam ab euentu quodam Ofteodem, id eft, Offuariam, nominant." Plinius et Ptolemaeus *Vfticam* cum oppido ei iungunt; quae hodie quoque *Vftica* vel *Evonimo*, v M. P. longa, nuncupatur; cui a borea imminet *Ofteodes*, vulgo *li Porcelli*, II M. P. cum femiffe patens, nunc deferta. Danuille IV M. P. priorem in longum diftendit, non recta, *Vftica vel Ofteodes*, infcriptione pofita. Abeft a Sicilia in boream XXXII M. P. recte prima ab occafu in Tabula pofita.

Ins. Egilta. Velf. *Inf. Egilta.* Sunt Aegates infulae, fupra Lilybaeum promontorium, quarum praecipuae tres, Bucinna, Heraeá, Aegufa; hodie

a) L. V. c. 11.

Trapani, *Maretimo* vel *Sacca*, et *Favognana* vel *Eguſa*. Norunt Aegates, Varro, Nepos, Liuius, Mela, Silius, praeter alios. Polybio *Aeguſae* dicuntur, ab vna earum, Ptolemaeo *Αἰγοῦσα νῆσος*, *Aeguſa inſula*, adpellata. Forſan haec erit *Egira* Hodoeporici, quam Weſſelingius reperire nequiuit. Habet Plinius *Aegiliam*, ſed in mari Myrtoo, Cretam inter et Atticam; Cluuerius cum Aegina Hodoeporici, et Vſtica reliquorum, non recte commiſit.

Inſ. Brigades. Velſ. *Inſ. Brigades.* Straboni, *Ἐρικοῦσσα*, *Ericuſſa;* Plinio, *Ericuſa;* Ptolemaeo, *Ἐρικώδης*, *Ericodes.* Hodoeporici *Heracleotes* huc pertineat, vt Weſſelingius credit; nam *Heraclia* ſeorſim ponitur. Hodie *Alicur* vel antiquo nomine *Ericuſa,* trianguli figura, duum millium longa, Danuilleo trium, L M. P. ab Oſteode in exortum remota, ab Agathyrno Siciliae XXXVI.

Inſ. fi ; (ı codes. Velſ. *Inſ. Funicodes.* Strabo, *Ἐρικοῦσσα καὶ Φοινικοῦσσα, ἀπὸ τῶν φυτῶν κέκληνται*, *Ericuſſa et Phoenicuſſa, a ſtirpibus erica et palma dictae.* Plinius: Sexta Phoenicuſa, pabulo proximarum relicta. Ptolemaeo, *Φοινικώδης*, *Phoenicodes*, vt in Tabula, extritis apud Scheibium m literis. Hodie *Felicur* vel *Palmaria*, a priore X M. P. in exortum abſcedens.

V. Inſ. Dyme. Velſ. *Inſ. Dime.* Strabo, *Διδύμη*, *Didyme*, quaſi gemina, a figura nuncupata. Plinius: *Quarta Didyme, minor quam Lipara.* Nouit eam et Diodorus, Ptolemaeus, Stephanus, alii. Hodoeporicon, *Didyma.* Eſt *Salino*, *Salini*, *Didimo*, longa VI M. P. abeſt a priore in exortum aeſtiuum XXX M. P.

Inſ. Vlcani. Velſ. *Inſ. Vulcani.* Strabo *Θέρμισσαν*, *Thermiſſam*, vocat, *ἱερὰν Ἡφαίστου*, *ſacram Vulcani;* Maro *Vulcaniam;* Plinius, altera antea Theraſia adpellata, nunc *Hiera*, quia ſacra Vulcano eſt, colle in ea nocturnas euomente flammas.“ Ptolemaeus, *Ἱερὰν* et *Ἡφαίστου νῆσον* diuidit; ſed vna eſt hodie quoque *Vulcano* vel *Giera* nuncupata, XVI M. P. a Didyme in auſtrum remota, intercedente Lipara.

Inſ. Hercul'. Velſ. *Inſ. Herculis.* Hodoeporicon, *Inſula Heraclia.* Heracleotes huius ſit Ericodes Ptolemaei, vti dicebamus. *Ἰκεσία νῆσος*, *Iceſia inſula* coſmographi hunc obtinet ſitum; Danuilleo *Hiceſia*, inter Liparam et Strongylen, vbi hodie *Baſiluſo*, alias *Baſiliuzzo*, praecipua, vicinis compluribus aliis, vt *Paroretto*, *Liſſa bianca*, *Tiranavi*, *Dattolo*, *Panania.* Longum procurrit III M. P. ſecundum Danuillei rationes.

Inſ. Lipara. Velſ. *Inſ. Lipara.* Hodoeporicon, *Inſula Liparis. a Strongylo Liparis ſunt ſtadia* CCC. Scylax, *Λιπάρα νῆσος*, *Lipara inſula,* circa Hieram. Strabo: *Μεγίστη ἡ Λιπάρα, Κνιδίων ἄποικος*, *Maxima eſt Lipara, Cnidiorum colonia.* Plinius: Lipara, cum ciuium Rom. oppido, dicta a Liparo rege, qui ſucceſſit Aeolo; antea Melogonis, vel Meligunis vocitata; abeſt XXV M. P. ab Italia, ipſa circuitu paullo minori.“ Diodorus inſulam a portuum bonitate, et ſalubritate aquarum laudat. Ptolemaeo, *Λιπάρα νῆσος καὶ πόλις*, *Lipara in-*

ſula et oppidum. Hodie quoque *Lipari* inſula cum oppido, figura tetragona, longa v M. P. totidem lata; abeſt a priore. in auſtrum M. P. vii.

Iſ. Strongile. Velſ. *Inſula Strongile.* Hodoeporicon, *Inſula Strongylos a Meſſana ſtadia* cccxx. Strabo, *Στρογγύλη ἀπὸ τοῦ σχήματος*, *Strongyle a figura* nuncupata. Plinius: Tertia Strongyle, a Lipara M. paſſ. ad exortum ſolis vergens, in qua regnauit Aeolus; quae a Lipara liquidiore flamma tantum differt; e cuius fumo, quinam flaturi ſint venti, in triduum praedicere incolae traduntur; vnde ventos Aeolo paruiſſe exiſtimatum." Norunt eam veterum plures, Silius, Solinus, Ptolemaeus, alii. Hodie *Stromboli*, longa iv M. P. iii lata. Et haec quidem de inſulis dicenda erant. Supereſt,

VI. Port. Tragecynus. Velſ. *Port. Tragecynus.* ad oſtium Symaethi amnis, in ſinu Catanenſi. Eſt ad eum fluuium, viii M. P. a mari, oppidum *Murgentium*, quod cum portu Targecyno adſinitatem habere videatur; ſed potiorem flumen ipſum, *Giaretto* nuncupatum. Portus huius nemo veterum praeterea meminit.

§ III

Oppida, manſiones.

I. INITIVM ab occaſu ſumemus, oram borealem primum, deinde auſtralem perluſtraturi, facta poſtmodum in mediterranea digreſſione. Hodoeporicon octo itineribus abſoluit prouinciam, locorum numero Tabulam ſuperans; quae tamen nonnulla, in Hodoeporico deſiderata, contineat. Ab occidente, ſupra Lilybaeum, in extremo angulo, ponitur,

Depanis. inſignia municipii; Velſ. *Depanis.* Cellarius, *Drepanis*, legit, vt in Hodoeporico, itinere a Lilybaeo Tyndaridem, et ab Hiccaris Drepanis. Liuio quoque pluratiue dicitur, Plinio *Drepana*, et Stephano *τὰ Δρέπανα*, *Drepana;* Polybio et Ptolemaeo *Δρέπανον*, *Drepanum.* Virgilius, *Drepani portus;* Cicero, pupillus Drepanitanus. Eſt oppidum *Trapana*, *Trapano,* laeua exeuntis amnis cuiuspiam ripa. Ortelius diſtinguit, *Trapani del Monte*, *Trapani del valle.*

Segeſta. xiii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Aquis Segeſtanis ſiue Pintianis.* xiiii. Vrbs inde ab Thucydide nota, cui *Ἔγεστα*, *Egeſta.* Straboni *Αἰγέστα*, *Aegeſta;* Latinis plerumque *Segeſta;* Virgilio, *Aceſta;* Ptolemaeo *Σεγέστα*, *Segeſta.* Incolae Thucydidi *Ἐγεσταῖοι*, *Egeſtaei;* Straboni, *Αἰγεστέων ἐμπορεῖον*, *Aegeſtorum emporium;* Ptolemaeo, *ἐμπόριον Σεγεστάνων*, *emporium Segeſtanorum;* Plinio quoque *Segeſtani.* In pecunia veteri *ΣΕΓΕΣΤΑΙΩΝ.* et *ΕΓΕΣΤΑΙΩΝ.* *Segeſtaeorum*, et *Egeſtaeorum.* Ad laeuam Scamandri, nunc *Frido*,

amnis ripam, oppidum *Castello a mare*, interpretantur, quod Danuille XIX M. P. a Drepano remouet; rectius ad citeriorem amnem, oppido *Calatissimi*, adponetur, vt numeris Hodoeporici et Tabulae satisfaciat. Emporium Segestanum, hodie *Segestano* oppidulum, ad laeuam exeuntis Scamandri, VIII M. P. ab Segesta; Aquae Segestanae III M. P. ab vrbe, omni spatio intercepto; olim in suburbano fuerint.

Panormo. XXXVI. Velf. *Panorino.* XXXVI. Hodoeporicon, *Parthenico.* XII. *Hiccara.* VIII. *Panormo.* XVI. Thucydides, *Πάνορμον*, *Panormum*, a Phoenicibus conditam refert. Strabo: *Πάνορμος*, *Panormus habet Romanam coloniam.* Memorant praeterea Polybius, Cicero, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Silius. Plinio, *Panhormum*, neutro, adspirate. Epigraphis, COL. AVG. PANHORM. apud Sponium PANHORMITANI. in numo gentis Domitiae, PANHORMITANORVM. in domesticis *ΠΑΝΟΡΜΙΤΑΝ.* Est oppidum *Palermo*, laeua exeuntis *Oreto* amnis ripa; cuius ciuem, Rosaliam Kanislich, contubernalis noster eleganti Poemate cecinit.

Solunto. XII. sic Velf. Hodoeporicon, *Solunto.* XII. Thucydides, *Μοτύην καὶ Σολόεντα, καὶ Πάνορμον, συνοικίσαντες, Motyen, et Soloentem, et Panormum condiderunt* Phoenices; vt recto sit *Σολόεις*. Ptolemaeo praue *Ολουλὶς*, *Olulis.* Alia forma est *Σολοῦς*, *Solus*, vt Plinio, et Diodoro *Σολοῦντα*, *Soluntem*, oblique. Incolae Solentini, vt Cicero; numi *ΣΟΛΟΝΤΙΝΩΝ. Solontinorum.* Est oppidum *Solanto*, laeua *Ponte rotto* amnis exeuntis ripa.

Thermis. absque numero; insignia coloniae. Hodoeporicon, *Thermis.* XII. Numerum hunc, qui est sincerus, Tabulae auctor repetere noluit. Pindarum iam Thermarum meminisse volunt, eo, *θερμὰ νυμφᾶν λουτρὰ, calida Nympharum balnea;* scholiastes, *ἐν Ἱμέρᾳ*, *in Himera*, addit. Ptolemaeus coniungit, *Θερμαὶ Ἱμεραι, πόλις, Thermae Himerae, oppidum.* Himera, colonia Graecorum antiquissima, numis peruetustis celebrata, qua a Poenis euersa, incolae se ad Thermas contulerunt. Numus Parutae, *ΘΕΡΜΙΤΑΝ.* Colonia sub Augusto deducta, vt vetus inscriptio testatur: ORDO ET POPVLVS SPLENDIDISSIMAE COL. AVG. HIMERAEORVM THERMIT. Himera est oppidum *Termini*, dextra cognominis fluuii exeuntis ripa; ad V in occasum lapidem, laeua *Salso* amnis, in mare cadentis, oppidum *Therme.* Apud Thermas exit via mediterranea, ab Syracusa.

II. **Cephaledo.** XXIIII. sic Velf. Hodoeporicon, *Cephalodo.* XXIIII. Straboni et Diodoro *Κεφαλοίδιον*, *Cephaloedium;* Plinio *Cephaloedis;* sic Ptolemaeo, *Κεφαλοιδὶς*, *Cephaloedis.* Cicero, *Cephaledi mensis est certus;* idem ciues *Cephaleditanos* vocat. Silius, more graeco: *praecelso Cephaloedias ora profundo.* Est oppidum *Cefalu*, *Cefala.*

Halesa. XVIII. sic Velf. Hodoeporicon, *Haleso.* XXVIII. Strabo et Ptolemaeus, *Ἄλαισα*, *Alaesa;* Cicero, *Halesa;* Diodorus, *Ἄλεσα*, *Alesa;* ciuis *Halesinus*, Ciceroni. Vetus tabella Messanensis, *ΤΟΙΣ ΠΑΡΑ ΤΟΝ ΑΛΑΙΣΟΝ.*

et mox, *ΑΠΟ ΤΟΥ ΡΟΟΥ ΤΟΥ ΑΛΑΙΣΟΥ.* Halesi amnis, ad cuius exitum, ripa laeua, vrbs steterat, meminit Columella. Hodie *Tusa* oppidum, indice Cluuerio, qui Hodoeporici numerum x abundare ait; hanc doctrinam sequitur Danuille in Atlante; in tabella singulari Siciliae, interuallo Tabulae, *Alete*, Hodoeporici *Alaesa*, tamquam loca diuersa.

Calacte. XII. sic Velf. Hodoeporicon, *Calacte.* XXVI. in Regio, *Caleate;* aliis *Galeate.* Herodotus, *καλὴν ἀκτὴν*, *Pulcrum litus*, nouit, et Diodorus, *καλὴν ἀκτὴν ἐν Σικελίᾳ*, *Calen Acten in Sicilia*, memorat. Ciceroni, *Calactae;* Ptolemaeo, *Κάλακτα*, *Calacta;* in numis, *ΚΑΛΑΚΤΙΝΩΝ.* et *ΚΑΛΑΚΤΙΝΩΝ. Calactinorum;* et Ciceroni incolae *Calactini;* Plinio, vt Harduinus vult, *Galatini;* sed Galata diuersa est ab *Calacta*, vt Danuille quoque distinxit, interuallo variato; in Atlante, Tabula duce, circiter oppidum *S. Fratello;* in Siciliae tabella remotius.

Agatinno. XII. sic Velf. Hodoeporicon, *a Calacte Solusapre.* VIIII. *Agatinno.* XX. Cusani codex, *Agantinno.* Strabo, *Ἀγάθυρσον*, *Agathyrsum;* Ptolemaeus, *Ἀγαθύριον*, *Agathyrium;* Stephanus, *Ἀγάθυρνα*, *Agathyrna;* quae forma Latinis, Liuio, Silio, aliis, complacuit; Plinio *Agathyrnum.* Oppidum *S. Marco*, ad amnem eiusdem nominis, esse volunt; sic Danuille in Atlante; alias *Orlando*, remotius in boream, respicit. Tabula duce, Agatinnum circiter oppidum *Sinagra*, aut *Salvatore*, ad amnem, apud *Brolo* mari infusum, exstiterit, in mediterraneis. Videtur enim angulo illo, ad promontoria *Orlando* et *Calara* euitato, recta Messanam petisse. Et, prout Galata et Calacte loca erant diuersa, sic Agatinnum quoque et Agathyrnum situ non eodem esse poterant. Cum enim numeri Tabulae Messanam adcurate attingant, erroris argui nequeunt; si est mendum, pro XII fuerint XX M. P. Orlando respondentia.

Tindareo. XXIX. Velf. *Tindareo.* XXIX. Hodoeporicon, *Tyndaride.* XXVIIII. in Regio; in aliis XXVIII. Polybio *Τυνδαρίς*, *Tyndaris*, vt et Straboni; Ptolemaeo *Τυνδάριον*, *Tyndarium;* Plinio, *Tyndaris colonia.* Incolae Tyndaritae, numis *ΤΥΝΔΑΡΙΤΑΝ.* Aiunt, rudera superesse ad oram, sed vrbem a mari totam paene absorptam, vt praeter turrem, atque aedem sacram, *S. Maria de Tindaro* dictam, nihil reliqui videatur. Tabulae numeri ad oppidum *Fornari*, prope dextram *Oliveri* amnis, ducunt; sed et ruderibus dictis adplicari valent.

Messaria. XXXVI. (a) Velf. *Messana.* XXXVI. Hodoeporicon, itinere singulari, *a Messana Tyndaride.* XXXVI. item duplici alio, *Messana.* Vrbs inde ab Scylace nota, cui inter graecas Siciliae vrbes, *Μεσσήνη, πόλις καὶ λιμὴν*, *Messene vrbs cum portu.* Thucydides, nomen vetus *Ζάγκλη*, *Zancle* fuisse refert, a figura falcis; *τὸ δὲ δρέπανον οἱ Σικελοὶ Ζάγκλον καλοῦσι*, *falcem enim Siculi*

(a) In exemplari nostro Messana.

zanclum vocant. (a) Alterum nomen a Peloponnefiis, qui eo coloniam deduxere, inditum, quo antiqui frequentius vtuntur. Et Latini quidem *Meſſanam* conſtanter vocant vrbem Siculam, Peloponneſiacam *Meſſenen;* Graeci vtramque forma eadem. Numi *ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ* praeferunt; apud Harduinum, MESSENION. charactere latino, ſub Auguſto; vnus ab Eckhelio vulgatus, *ΜΕΣΣΑΝΑ.* Incolae *Meſſanenſes*, ante quam recepiſſent Mamertinos, quorum nuncupationem non illibentes adoptauere; Plinius: oppidum Meſſana ciuium Romanorum, qui Mamertini vocantur.“ Eſt oppidum *Meſſina*, ante paucos annos terrae motu grauiter concuſſa. Heic iter in ora Siciliae boreali finem accipit.

III. Auſtrali vero plaga Tabulae auctor a Drepanis per Lilybaeum progreditur Aetnam vſque ſeu Ineſſam. Hodoeporicon, itinere hoc, eſt longe vberius, quam Tabula, quae praecipua modo loca recenſet; alias locupletior Hodoeporico. Itaque a Drepanis haec veniunt:

Lilybeo. XVIII. inſignia coloniae; ſic Velſ. In Hodoeporico ſunt itinera a traiecto Lilybaeo, a Lilybaeo Tyndaride, a Lilybaeo Meſſana, ab Agrigento Lilybaeo; in plerisque MSS. *Lilibeo*, vocali latia. Scylax, *Λιλύβαιον ἀκρωτήριον*, *Lilybaeum promontorium*, nouit; Polybius praeterea oppidum et portum: In eo loco vrbs eiusdem nominis poſita, muris et praealta foſſa, et aquis e mari refluis munita, per quas in portus nauigari poteſt.“ Ptolemaeo, *Λιλύβαιον πόλις καὶ ἄκρα*, *Lilybaeum vrbs et promontorium.* Inſcriptiones antiquae, apud Sponium, imaginem Genii MVNICIPI LILYBITANOR. ex arg. poſ. alia, decur. SPL. COL. AVG. LILYB. item, POPVLVS LILYBITANVS. Eſt oppidum *Marſalla*, III M. P. ſupra oſtium fluuii cognominis.

Aquas Labodes. XLV. aedes quadra; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Lilybaeo Meſſanam, *Aquis Labrodis.* XLVI. in Regio, *Aquis Larodes;* in aliis, *Larodis*, *Lorodis.* Rauennas, *Aquae Labodes*, vt Tabula. Strabo, *τὰ Σελινόυντια ὕδατα*, *Aquas Selinuntias*, apud Himeram, ſalſas eſſe ait; ſed illae *κατὰ Ἱμέραν*, *apud Himeram*, longe in boream abſcedentem, non ſunt. Mela, Lilybaeum, Acragas, Heraclea, et *Thermae;* Plinius, *Thermae colonia.* Sunt prope oppidum *Sciacca*, vel *Xacca*, ad *Garbo* amnis effluxum.

Agrigento. XL. ſic Velſ. Hodoeporicon habet iter a Catana Agrigentum; quod nomen quaternis occurrit vicibus; itinere a Lilybaeo Meſſanam, *Agrigento.* XL. ab Aquis Larodis. Nouit iam vrbem Scylax: *Καμάρινα*, *Γέλα*, *Ἀκράγας*, *Σελινοῦς*, *Camarina*, *Gela*, *Agrigentum*, *Selinus.* Thucydides quoque *τοῦ Ἀκράγαντος* meminit. Plinius: *oppidum Acragas, quod Agrigentum noſtri dixere.* Incolae Acragantini, Acrigantini, Agrigentini; Ptolemaeus, *Ἀκραγαντίνων ἐμπόριον*, *Acragantinum emporium;* numi veteres, *ΑΚΡΙΓΑΝΤΙΝΩΝ.* item *ΑΚΡΑΓΑΝΤΙΝΩΝ.* Eſt oppidum *Girgenti*, *Gergenti*, laeua Acragantis ripa, IV M. P. ſupra oſtium.

(a) L. VI. p. 413.

Caluisiana. xliiii. sic Vels. Hodoeporicon, *Caluisiana.* xl. Wesselingius: Non procul absuit a mari haec mansio, a Caluisiis, vti probabile est, adpellata.“ Situm tacet; Danuilleo, *Caluisiana*, xlii M. P. ab Agrigento, dextra *Manumuzzo* fluuii ripa, circiter oppidulum *Dirillo*, vi M. P. a mari; chartae recentiores laeua amnis ripa, iv M. P. ab ostio, habent.

IV. Hible. xxiiii. Vels. *Nible.* xxxiii. Hodoeporicon, *Hyble.* xxiiii. in quibusdam *Nible.* Tres Hyblas in Sicilia nouit Stephanus, maiorem, paruam, quae et Megara, minorem, quae Ἡραῖα, *Iunonia* dicta; Cluuerius hanc esse putat. Ptolemaei Ὕβλα, *Hybla*, supra Agrigentum incidens, huc pertineat. Anastasio, *Hible*, *Hyble;* Danuilleo, *Hybla Heraea*, laeua Achatis fluuii ripa, quo agro est oppidulum *Vizini.*

Agris. xviii. Vels. *Agris.* xviii. Hodoeporicon, *Acris.* xviii. in MSS. *Agris.* Thucydides: Acrae et Casmenae a Syracusanis sunt conditae; „Ἄκραι, Acrae quidem lxx annis post Syracusas, Casmenae vero circiter xx annis post Acras.“ (a) Stephano, Ἄκρα, *Acra;* Ptolemaeo, Ἀκραῖαι, *Acraeae*, pro Ἄκραι. Liuio quoque et Silio sunt *Acrae;* ciues *Acrenses*, Plinio. Cluuerius, coenobium *S. Maria d' Arcia* interpretatur; Danuilleo *Acrae*, ad flexum Anapi recentis, inter Helori et Caciparis fontes, vbi fere est oppidum *Palazzolo.*

Siracusis. xxiiii. insignia coloniae; sic Vels. Hodoeporicon, *Syracusis.* xxiiii. Est etiam iter ab Agrigento Syracusas. Vrbs inde ab Scylace et Thucydide nota; ille, *Συρακοῦσα, καὶ λιμένες ἐν αὐτῇ δύο, Syracusae, in qua vrbe duo portus;* hic, Syracusas, *Συρακούσας*, vrbem, nihilo Athenis inferiorem, vocat. Strabo quinis quasi vrbibus constantem refert, quae sint *Nasos*, *Achradina*, *Tyche*, *Neapolis*, *Epipolae.* Colonia Corinthiorum, numis ditissima, quorum antiquissimi *ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΝ.* posteriores *ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ.* praeferunt; elegantissimi horum, qui in aduersa caput Arethusae exhibent, cum epigraphe *ΑΡΕΘΟΣΑ.* Plinius, colonia Syracusae, cum fonte Arethusa; quem Cicero adcurate describit. Est oppidum *Syracusa*, *Siragusa*, ad exitum Anapi fluuii.

AETHNA. xliiii. insignia municipii; Vels. *Aethna.* xliiii. addens Tauromenium, quod ad superiora spectat. Hodoeporicon, itinere a Thermis Catinam, *Aetna;* in Regio *Etha;* in aliis *Ethna*, *Aethna*, *Athena*, *Atna.* Strabo, Aetnenses Catana regressos, „Ἴννησαν, *Innesam*, vt montana Aetnae vocantur, habitarunt, *καὶ προσηγόρευσαν τὸ χωρίον Αἴτνην*, locumque Aetnam adpellauerunt.“ Eidem casu recto *Αἴτνη*, *Aetne;* Ptolemaeo, *Αἴτναι*, *Aetnae;* sic etiam Diodoro; Ciceroni et Plinio *Aetnenses;* numis *ΑΙΤΝΑΙΩΝ.* Danuille, *Aetna prius Inessa*, infra montis radices, ad x ab Catana milliare, vbi est *S. Nicolo* oppidum, ad amnis *Indicello* exortum.

Tauromenio. absque numero, supra montem Aetnam; Vels. inscribit oppido priori, *Tauromenio*, ob angustias loci. Olim viae ductus ab Aetna Tau-

---

(a) L. VI. p. 413.

romenium, inde Messanam, cum numeris, fuerit; quae ab vltimis Tabulae scribis sunt neglecta. Hodoeporicon, itinere a Lilybaeo Messanam, *Tauromenio.* XXXII. ab Catina hinc, inde a Messana; eodem interuallo Aetna oppidum ab Tauromenio abest; vt is numerus in Tabula desiderari videatur. Occurrit etiam itinere a Messana Lilybaeum. Scylax, *Ταυρομένιον*, *Νάξος*, *Κατάνη*, *Tauromenium*, *Naxus*, *Catana*, vrbes graecae. Quare, non recte Plinius, colonia Tauromenium, quae antea Naxos; vt viri eruditi dudum obseruarunt. Numus, COL. AVG. TAVROMEN. sit e penu Golziana; sincerior *TAYPOMENITAN.* apud Harduinum. Est oppidum *Taormina*, inter *Motta* et *Muniuffi* amnes, ad oram. Hae erant viae litorales.

V. In mediterraneis, vna est ab Thermis Aetnam; Hodoeporicon, praeter maritimas quatuor, habet per medium omnino quinque; Danuille vna plures exprimit, quae est in Tabula litoralis, a Drepano per Aquas Segestanas. Via Tabulae mediam fere Siciliam pererrat, secus Himerae vtriusque fontes, per Nabrodem montem, ad Symaethi exortum, progressa. Hae sunt in ea mansiones:

Enna. absque numero; Vess. *Enna.* Hodoeporicon, *Enna.* LII. in Neapolitano, *Cima.* Danuille, ductu recto, XLVIII numerat; LII M. P. in Tabula quoque olim fuerint, aut L dumtaxat; intercedunt quippe milliaria geographica decem. Cicero: Vetus est haec opinio, — raptam esse Liberam, quam eamdem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore; qui locus, quod in media est insula situs, vmbilicus Siciliae nominatur." (a) Eadem referens Diodorus, *τὴν Ἔνναν*, *Ennam* adpellat. Locum in arduo situm, vicinis circum pratis florentibus, describit Cicero. Ennam insulae vmbilicum etiam Callimachus dixit. Mela: Famam habet ob Cereris templum Enna; vnde Ceres Silio, *Ennaeae numina* diuae. In numo, apud Spanhemium, MVN. HENNAE. Harduinus, MVN. HENNA legit, cum interpretatione exorbitante, de munere nocturno Hadriani. Plinio, municipes *Hennenses.* Hodie *Castro Giovanni* oppidum.

Agurio. XVIII. Vess. *Agurio.* XVIII. Hodoeporicon, *Agurio.* III. Neapolitanum *Augerio.* Ad M. P. III Wesselingius addi debere X inquit; sed numeri Tabulae sunt adcuratiores; intercedunt enim fere quatuor mill. geogr. Cicero, *Agyrium*, ciuitas *Agyrinensis;* Ptolemaeus, *Ἀγούριον*, *Agurium;* Stephanus, *Ἀγύρηνα*, *Agyrena;* et Diodorus, de patria sua: *ἡμεῖς ἐξ Ἀργυρίου τὸ γένος τῆς Σικελίας οὖτος*, *nos orti Argyrio Siciliae sumus.* Numi tamen *ΑΓΥΡΙΝΑΙΩΝ.* Est oppidum *Argirone*, dextra recentis Symaethi, vulgo *Giaretta*, ripa. Nonnulli *Adranum* hunc fluminis ramum adpellant.

Centurippa. XII. Vess. *Centuripa.* XII. Hodoeporicon, *Centuripa.* XII. Quod genus neutrum putat Wesselingius, quod Graeci nonnulli *τὰ Κεντόριπα*,

---

(a) Verr. de signis c. 48.

Centoripa, pluratiue dixere. Thucydides, *ἐπὶ Κεντόριπα, Σικελῶν πόλισμα, ad Centoripa, Siculorum oppidulum.* Sic etiam Polybius dixit, instar monoptoti, vt equidem puto. Ptolemaeo, *Κεντούριπαι*, *Centuripae*, more latino; Silio, *Centuripe;* incolae *Centuripini*, Ciceroni et Plinio. Numi, *ΚΕΝΤΟΡΙΠΙΝΩΝ. Centoripinorum.* Est oppidum *Centorbi*, eadem fluminis ripa, in *Valle de Monte.*

AETHNA. xx. Vess. *Aethna.* xx. Hodoeporicon, *Aetna.* xii. Simlero xviii. aliis xvii. Regio dumtaxat xii Danuille interponit xvii. chartae quaedam recentiores xii. Montana haec plaga est, vt in Tabula omnino xx scripta videantur, si codicum Hodoeporici ratio habeatur. De oppido Aetna dictum alias. Haec de Sicilia promere licebat.

C A P V T XIV

G R A E C I A

GRAECIAE hic loci vocabulo sumimus prouincias, Illyrico, Thracia, mari Aegaeo, Ionio, Hadriatico circum scriptas, cuius praecipuae partes, aetate Antoninorum, Macedonia et Achaia fuerunt; nos in partes quinque, facilioris expositionis gratia, diuidi posse arbitrati sumus, Illyridem, Macedoniam, Epirum, Helladem, et Peloponnesum. Olim Graeca progenies insulis potissimum tenebatur, vt ex Homero colligere licet; continentem variis, diuersae originis populis, incolentibus; quorum praecipui Thraces, eorumque cognati Illyrii, et Epirotae, fuerunt; qui vsque hodie iis in partibus deprehenduntur. Strabo sane vberrimus est testis, plerosque Macedoniae agros, magnam Thessaliae partem, habuisse Thracas; et omnem prope Graeciam barbaros tenuisse olim; Graecis insulas modo, et litora, commerciis opportuna, insidentibus, coloniis serius in penitiora continentis missis. Haec praefari, pro suscepta materie, placebat.

S E C T I O I

I L L Y R I S

§ I

Nuncupatio, et fines.

I. EAM hic intelligimus Illyridem, quae scriptoribus graeca dici consueuit, ab Drilone ad Acroceraunios montes, Macedoniae corpori postmo-

dum adcenſa, quo inde a Plinii tempore continebatur; quamquam is, oram deſcribens, veterum exemplo, incolas regionis huius Illyrico nomini adſcripſit; et Strabo iam dicebat, nonnullos ſcriptorum eſſe, qui Macedoniam vſque Ionium producant. Scylax, cui populus *Ιλλύριοι*, *Illyrii* ſunt, oram hanc adcurate deſcribit; nomen apud Herodotum comparet ad A. V. 42. ante Chr. 712. in Perdiccae I rebus, quem, cum binis fratribus, Argis *ἐς Ιλλυριοὺς*, *in Illyrios*, profugiſſe, *ἐκ δὲ Ιλλυριῶν*, *ex Illyriis* transgreſſos in Macedoniam ſuperiorem, perueniſſe ad vrbem Labaeam, refert. Origo nominis peregrina; Graecis nimirum, quod aeſtuaria adcolebant, Illyrii fuere dicti; ipſi ſe in communi aliter nuncuparint; forſan *Slauinos*, more ceterorum. De his cum in regno epigraphico, et geographia veteri, quantum ſatis erat, locuti ſimus, pauca dixiſſe ſuffecerit. Tabula partem hanc Macedonico adcenſet nomini.

II. Regio patet a gradu longit. 36 min. 40. ad 39 min. 20. latit. grad. 40 min. 12. ad 42 min. 40. ſecundum rationes Danuillei, in tabella Graeciae veteris; recentiorum quippe poſitiones non conueniunt, neque partes corpori reſpondent. Longitudo, ab auſtro in boream, ab Cerauniis ad Scordum, M. P. cc. latitudo a promontorio Acroceraunio ad Citium montem, et Apſi exortum, LXXXVI M. P. Regio Albaniae nomine venit, iuri Ottomanorum obnoxia.

§ II

Montes, promontoria, inſulae, flumina, lacus.

I. BINI montium exprimuntur, alter, ex quo Genuſus, alter vero, ex quo Apſus, fluuii prodeunt, neutro nominato. Prioris tractus vnciam longus, eſt pars iugorum *Krevaſta* montis, vnde *Semno* fluuius emergit. Candauia eſt, cuius mentionem faciunt Cicero, Caeſar, Strabo, Plinius, Seneca, Ptolemaeus, alii. Tabula, inter Fanum Dianae et Pontem Seruilii, in candabia. Strabo, Egnatiam viam *ἐπὶ Κανδαουΐας*, ad Candauiam duxiſſe, ait; Plinius: *Montes Candauiae a Dyrrachio* LXXVIII *M.* Lucanus: *Qua vaſtos aperit Candauia ſaltus.* Caeſar, de Pompeio: *per Candauiam iter in Macedoniam expeditum habebat.* Straboni eſt *ὄρος Ιλλυρικόν*, *mons Illyricus;* quare non continuo ſubſcripſerim Cellario dicenti: Aſper locus et montoſus tractus, non mons vnus; per quem a Dyrrachio et Apollonia in interiorem Macedoniam, per Lychnidum, Heracleam, Lynceſtas, Edeſſam, et Pellam, ad mare ducebatur, vt deſcriptum a Strabone eſt." Id vero non dixit Strabo, niſi viam Egnatiam ab Dyrrachio et Apollonia per Candauiam ducere Theſſalonicam, quo is mons non pertinebat. Ptolemaeus, Aliacmonem *ἀπὸ τῶν Καναλουΐων ὀρέων*, *ab Canaluiis montibus*, Schotti edito *Κανουλίων*, *Canuliis*, deducit; quae vox Illyricae

origini propius accedit, quam Candauia, viam currulem, et iumentis tritam, ſignificans. Eo in primis tractu *Kraſta*, qui maior et minor eſt, cum oppidis homonymis, nuncupatur hodie.

Alter montis ductus, tres vncias patens, ex quo Apſus emergit, qui fontibus et decurſu Aoum et Celydnum exhibet, Cercetium, Lacmum, Tomarum indicat, qui ſunt montes Atintaniae; hodie *Tomerit*, cuius pars *Stymphe*, nuncupati. Cercetius Plinio, *Cerceteus* Nicandro, *Κερκετήσιος*, *Cerceteſius*, Ptolemaeo. *Λάκμων*, *Lacmon*, Hecataeo, apud Stephanum, Straboni *Λακμὸς*, *Lacmus*, ex quo Inachus et Aeas profluunt; *Tomarus* mons centum fontibus circa radices, Theopompo celebratus, inquit Plinius; Strabo: *τὸ ὄρος ὁ Τόμαρος, ὑφ᾽ ᾧ κεῖται τὸ ἱερὸν*, *mons Tomarus, ſub quo ſitum eſt templum* Iouis. Harduinus e Strabone legit *Τάμαρος*, *Tamarus;* Stephano, *Τόμαρος, ὄρος Δωδώνης, ὅ τινες Τομοῦρον, οἱ δὲ Τμάρος*, *Tomarus*, *mons Dodonae, quem nonnulli Tomurum, alii Tmarum vocant.* Hi fuere Illyrici huius montes. Promontorium,

II. **Ocrocenaurio.** in via; inſula **acrocer'.** ſic Velſ. Hodoeporicon aeque in itinere, *ad Acroceraunia.* Scylaci iam *Κεράυνια ὄρη*, *Ceraunii montes* noti; ſic eos Caeſar, Mela, Strabo, alii vocant; Plinius et Ptolemaeus Acroceraunios, *τὰ Ακροκεραύνια.* Plinius eiusdem nominis promontorium adfert: A Lacinio promontorio ſecundus Europae ſinus incipit, magno ambitu flexus, et Acroceraunio Epiri ſinitus promontorio, a quo abeſt LXXV M. paſſ.“ Et libri tertii fine: *A Drino ad promontorium Acroceraunium* CLXXII M. Hodie *Capo de la Lingvetta.* Ptolemaeus, in Epiro, *ἡ ἀκρώρεια τῶν Ακροκεραυνίων ὀρέων*, *iuga montium Acroceraunorum.* In inſulis cenſentur,

III. **Ins. acrocer'.** Velſ. *Inſ. Acrocer'.* Aut peninſulam, quam ſinus *Radina*, ad promontorium nunc relatum, efficit, aut ipſum promontorium Acroceraunium, auctor Tabulae dicere voluerit; quod inſulae huius vocabuli nemo veterum meminit. Olim tamen inſulam fuiſſe, Plinius innuit, ſcribens: (a) Epidaurus et Oricum inſulae eſſe deſierunt.“ Non raro quippe auctor Tabulae veterem ſectatur formam. Ea peninſula Vrſi vocatur hodie, ab oppido et valle cognomine, *Val d' Orſo.*

Ins. SASONIS. Velſ. *Inſ. Saſonis.* et ſeorſim, infra Zacynthum, in mari alto, **Ins. Saſonis.** tamquam a priori diuerſa. Scylax: montes Ceraunii, *καὶ νῆσος παρὰ ταυτά ἐστι μικρὰ, ᾗ ὄνομα Σασὼν*, *et inſula ibi parua eſt, cui nomen Saſon.* Strabo, inſulam *Σάσωνα*, *Saſonem*, in medio traiectu ab Epiro Brunduſium, eſſe ait; Polybius, in Ionii maris introitu ſitam. Plinio: *Saſonis, piratica ſtatione nota.* Ptolemaeo, *ἐν τῷ Ιονίῳ πελάγει Σασὼ νῆσος, in Ionio mari inſula Saſo.* Lucanus quoque, praeter alios, meminit eius. Seruat nomen

---

(a) L. II. c. 91.

Safena, *Safeno*, longa III M. P. finui *Radima* obiecta. Amnium fequentes exhibentur:

IV. Genefis. fl. in via litorali, et in mediterranea, GENESIS. fl. Velf. vtrobique habet *Genefis fl.* Eft amnis Genufus, Caefari, Liuio, Lucano, memoratus; Caefar, transducto exercitu, flumen *Genufum*, veteribus fuis in caftris contra Afparagium confedit." (a) Liuio: *Ap. Claudius circa Genufum amnem caftra habebat*; vbi vulgati *Genufuum* praeferunt. Lucano, *volucer Genufus*. In fitu difcordant iuniores; Cellarius, duce Laurenbergio, Apfo poftponit; Danuille variat, in tabella Graeciae fequitur Cellarium, in Atlante Tabulam, diuerfis vtrobique interuallis. Proximus ab Dyrrachio amnis eft *Semno*, in Candauia ortus, in adcuratioribus chartis ad quartum mill. geogr. aliae producunt fpatium, contrahunt aliae. In quibusdam, prope oftium, adiungitur a borea nobilior *Siomini* fluuius, vt apud I. C. Rhode; quod non putem effe mendofum. Ptolemaeus enim ab Dyrrachio habet *Πανύασον*, *Panyafum*, *Πανυάσου ποταμοῦ ἐκβολαί*, *Panyafi fluminis oftia;* qui non erit alius ab *Siomini.* Tabula, pro more, vno alueo ambos, cum vicinis minoribus, accepit. Effunduntur, fupra oppidum *Ianina*, oftio vno.

Hapfum. fl. in via litorali; fic Velf. Burdigalenfe, *manfio Apfos*, in via. Norunt amnem Caefar, Strabo, Plutarchus, Ptolemaeus, Lucanus. Caefar caftra ad flumen Apfum ponit, in finibus Apolloniatium." Graecis, *Ἄψος*, *Apfus;* Plutarchus, de Philippo, *τὰς περὶ τὸν Ἄψον ποταμὸν ἐμβολὰς καὶ τὰ στενὰ φυλάττων*, *oftia Apfi illasque fauces cuftodiens.* Ptolemaeus, a Panyafo, *Ἄψου ποταμοῦ ἐκβολαί*, *Apfi fluuii oftia.* Lucanus: *mollior Apfus*, Apfo geftare carinas cauffa palus, tenui quam fallens egerit vnda." Eft *Krevafta*, *Chrevafta* maior, in monte *Tomerit* brachio duplici ortus, XII M. P. a priore Ionio miftus. Ad quintum inde lapidem eft *Crevafta picol*, feu minor, quem Tabulae auctor vna fumferit. Apfus heic Genufo parallelus fluit, curfu paullo breuior ifto.

V. Lacus eft vnus LICHINDO. Velf. LIGNIDO. epigraphe in aquis; fesqui vnciam longus eft, dimidiam latus, cui oppidum homonymon imminet. Norunt lacum Polybius, Strabo, Herodianus, Stephanus; Cellarium nominare pigebat. Strabo: circa viam, quae ducit ad Candauiam, *ἅιτε λίμναι εἰσὶν αἱ περὶ Λυχνιδοῦντα*, *funt lacus circa Lychniduntem*; ad pifcium falfamenta abundanter fuppeditantes." (b) Polybius, *τὴν Λυχνιδίαν λίμνην*, *Lychnidiam paludem*, vocat. Stephanus, *Λυχνία λίμνη καὶ Λυχνίτης*, *Lychnia palus, et Lychnites.* Minor lacus, a borea, ad oppidum *Prefpa*, eft X M. P. longus, maior, ad Lychnidum, hodie *Achrida*, *Okrid*, XIII M. P. longus, V latus, infulam medio continens.

(a) L. III. B. C. c. 76. (b) L. VII p. 327.

§ III

Oppida, mansiones.

I. PER oram maritimam, quam ante reliqua lustrare libet, sola progreditur Tabula, principio et fine demtis, vbi Itineraria auxilio veniunt, non multum tamen profutura. Delisle viam quidem secus oram ducit, sed Tabulae rationem non habuerit, quod nullum ab Dyrrachio inde ad Apolloniam locum notat. Danuilleo in viarum ductibus destituimur. In Tabula, a Lisso, quod in Dalmatia posuimus, haec habentur:

Pistum. xxv. sic Vels. Delisle, *Pistus*, promontorii *Radoni* situ, quo mensura non pertingit. Alias id vocabuli apud veteres non comparet; nisi *Πιάσται*, *Piastae*, Stephani, gens Macedonica, iuxta Pontum, forsan Ionium; neque enim ad Euxinum id nominis populus memoratur. Profecto ipsa vox *Pistum* graecam redolet originem. Danuilleo, *Isanus seu Icanus*, absque oppido; quae hodierno loci fluminisque vocabulo adplicita videantur. *Hismo* est Pistum, mensura indice, ripa exeuntis fluuii laeua. Inde ad v in exortum lapidem celebris medio aeuo ciuitas *Croia*, illustris Skenderbegi herois patria, in ruinis hodie iacens, quae olim e ruderibus Pisti surrexerit.

Birratio. xxx. sic schedae; in exemplari Byrratio. insignia coloniae; Vels. *Dyrratio.* xxx. Hodoeporicon, itinere Dalmatiae, ab Scodra, *Dyrrhachio.* L. qui numerus ei interuallo permetiendo non sufficit; Tabula LXXXV censet. M. P. L ab Scodra ad Croiam pertingunt, cuius nomen vetus in Hodoeporico perierit. Dyrrachii mentio occurrit frequentius; a Brundisio traiectus Dyrrachium vsque stad. num. I. CCCC. Item, a Brundisio Dyrrachi in Macedonia, stadia M. CCCC. Strabo MDCCC. Plinius M. P. CCXXV. numerant. Scylax: *κατ' ἀντίον δέ ἐστιν τὸ Ἰλλυρικὸν ἔθνος, ἐν ᾧ ἡ Ἐπίδαμνός ἐστι, καὶ ποταμὸς παρὰ τὴν πόλιν παραῤῥεῖ, ᾧ ὄνομα Πάλαμνος, Ad Antium est Illyriorum gens, in qua Epidamnus vrbs, et amnis vrbem praeterfluit, cui nomen Palamnus.* Salmasius, apud Vossium, putat, *κατ' Οἰδάντιον* legi oportere; quod obscurius illo est. De Illyriis ante dixerat Scylax, quos heic rursus occurrere, lectorem monitum volebat. Palamnus posset pro Panyaso Ptolemaei accipi, nisi iusto remotior ab vrbe foret; *Argenta* est vicinus, inter quem et Dyrrachium visitur promontorium *Palo* nuncupatum, antiqui nominis vestigia seruans. Ciuitas, deducta ab Corcyraeis colonia, *Δυῤῥάχιον*, *Dyrrachium*, a duce, vti volunt, est adpellata, numismatico regno notissima, *ΔΥΡ. ΔΥΡΑ.* integrum nomen in pecunia non comparet; in marmoribus, DYRRACH. DYRRACHI. Est oppidum *Durazzo*, v M. P. infra ostium Argentae. Ab Dyrrachio via Egnatia in mediterranea tendit, quam postea lustraturi sumus.

Genesis. fl. absque numero, quem auctor Tabulae sequenti mansioni adponit, xv numero viae mediterraneae adiecto, qui ad sequentem quoque spectet mansionem; xx esse debere, interuallum ostendit. Vels. *Genesis fl.* Danuille amnem hunc in tabella Graeciae L M. P. ab Dyrrachio remouet, Panyasi vocabulo, imposito ei Marisco; in Atlante xx M. P. dumtaxat, Genusi nomine, prope ostium, ripa laeua, Asparagium statuens. Est ad quartum ab ostio lapidem, ripa dextra, oppidulum *Canovia*, prope laeuam exeuntis, *Joanina*, *Ianina;* alterutrum mansioni veteri respondeat. Hoc interuallo, apud Danuille, xv M. P. ab Dyrrachio, ad oram est *Petra*, inde ad xxii. prope litus, *Clodiana;* vtriusque positio ambigua; in Atlante neutrius meminit. De Clodianis postea visuri sumus; Petra Croiae ante respondeat.

Hapsum. fl. xx. sic Vels. Ab *Semno* fluuio ad *Krevasta* maiorem sunt M. P. xii. quae pro xx heic signari oportebat. Hunc enim Apsum esse, in fluuiis ostendimus. Dextra exeuntis ripa est *Krevasta* oppidum, amni homonymo adpositum, quod Hapsum seu Apsum olim nuncupatum fuerit. Si numerus xv. supra memoratus, huc refertur, laeua fluuii ripa mansio constiterit vetus.

Apollonia. xviii. sic Vels. Hodoeporicon, ab Aulona, *Apollonia.* xxv. Scylax: „Ἐκ δὲ Ἐπιδάμνου εἰς Ἀπολλωνίαν πόλιν Ἑλληνίδα ὁδὸς ἡμερῶν δύο. ἡ δὲ Ἀπολλωνία ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἀπέχει στάδια ν'. καὶ ποταμὸς Αἴας παραῤῥεῖ τὴν πόλιν. Ex Epidamno autem in Apolloniam, vrbem graecam, duorum dierum via; Apollonia vero abest a mari stadia L. et fluuius Aeas vrbem praeterlabitur.“ Herodotus, Ἀπολλωνίην τὴν ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ, *Apolloniam in sinu Ionio* vocat. (a) Colonia Corinthiorum, vti Dyrrachium, erat, pecunia veteri teste, in qua *ΑΠΟΛΛΟΝΙΑΤΑΝ.* et *ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ.* in drachmis *ΑΠΟΛ.* primis elementis notatur. Hodie oppidulum *Pollonia*, prope dextram *Lao* amnis, alias vrbi cognominis, ripam, vi M. P. a mari. Ab Apollonia pars viae in mediterranea tendit, Nicopolim versus; in ora sequitur,

Aulona. xvi. insignia municipii; sic Vels. Hodoeporicon, *ab Hydrunte Aulonam stad.* ī. ab Apollonia M. P. xxv. item, *a Brundusio sino ab Hydrunte traiectus Aulonam stadia num.* ī. Ptolemaeo, Αὐλὼν, πόλις καὶ ἐπίνειον, *Aulon, oppidum et nauale.* Ad quae Cellarius: qui solus ex antiquis memorauit, certo argumento, ante ipsum non longo tempore fuisse vrbem, sed fortasse nauium stationem. Meminit etiam Antoninus itinere, ab Hydrunte Aulonem, et inde per Macedoniam.“ Non debebat geographus praeterire Tabulam, in qua insignia vrbis exhibentur. Dicta est ab conualle; id enim Graecis αὐλὼν significat; hodie *Valona* oppidum, ad sinum *Radima.* In distantia chartae variant; pleraeque quatuor mill. geogr. ab Apollonia censent, cum vna, duabus, aut tribus quintis; Europae tabula non nisi tria cum tribus quintis, Ta-

---

(a) L. IX. c. 91.

bulae numeris respondens. Vt Hodoeporicon oram legisse videatur, Tabula tenuisse rectam.

Acroceraunio. XXXIII. sic Vess. Wesselingius, ex Tabula, *Acroceraunia* legit. Hodoeporicon, *ad Acroceraunia.* XXXIII. Promontorium heic Acroceraunium indicari, viae ratio et numeri ostendunt. Est in Tabula etiam acrocer'. insula, quam isthuc referri oportere, supra dicebamus. Hodie ad tertium a promontorio lapidem, ad sinum *Radima*, est oppidum *Val d' Orso,* vallis Vrsi, promontorium vero *Lingvetta*, vel *Orso*, nuncupatur. Panormus Strabonis portus, quod Surita putabat, huc referri nequit, vtpote Corcyrae vicinus. Hanc Tabulae et Hodoeporici mansionem geographorum παῖδες non repererunt. Acroceraunii iuga Illyrios ab Epirotis dirimebant.

II. Viae mediterraneae sunt a Dyrrachio Lychnidum, ab Apollonia Nicopolim; vtrobique Hodoeporicon, in altero Burdigalense quoque, se se comites adiungunt. Priorem Strabo Egnatiam adpellat viam, hac phrasi: Ab Apollonia in Macedoniam ἡ Ἐγνατία ἐστὶν ὁδὸς πρὸς ἕω βεβηματισμένη κατὰ μίλιον, καὶ κατεστηλωμένη μέχρι Κυψέλου καὶ Ἕβρου ποταμοῦ; Egnatia via est orientem versus dimensa et per milliaria distincta, lapidibus positis, vsque ad Cypselum et Hebrum fluuium." Et paullo inferius: Eodem spatio, eamdem in viam incidunt, et qui ab Apollonia, et qui a Dyrrachio proficiscuntur. Tota haec via Ἐγνατία, *Egnatia*, vocatur, prima pars ἐπὶ Κανδαουΐας λέγεται ὄρους Ἰλλυρικοῦ διὰ Λυχνιδίου πόλεως καὶ Πυλῶνος, τόπου ὁρίζοντος ἐν τῇ ὁδῷ τήν τε Ἰλλυρίδα καὶ τὴν Μακεδονίαν, ad Candauiam Illyrici montem, per vrbem Lychnidum et Pylonem, qui locus in via distinguit a Macedonia Illyricum; inde iuxta Barnuntem, et per Heracleam, Lyncestas, Eordos, ad Edessam et Pellam pergitur Thessalonicam vsque. Sunt autem haec milliaria, vt ait Polybius, CCLXVII." (a) Haec monuisse, operae pretium fore putabamus. Nunc iter ipsum ab Dyrrachio ingredi libet.

Clodiana. XV. XXVI. sic Vess. Hodoeporicon, itinere a Dyrrachio Byzantium, *Clodiana.* XLIII. itinere alio, *Clodianis.* Burdigalense, eodem ab Apollonia itinere, *mansio Clodiana.* Cellarius de via Egnatia hoc loco differit, nihil de situ loci. Wesselingius haec notat: Sic Tabula, sed XXXI M. P. a Dyrrachio. Quae sit, in dubio est; Ampl. Menso Altingius ad Candauiam montem et *Clodianas Pylas* vero nomine fuisse in notis MSS. ad Tabulam censuit; immo Pylonem Polybio apud Strabonem vocari; quae mihi parum certa visa sunt." Oritur quidem *Argenta* fluuius, apud quem Clodiana erant, e iugis Candauiae; sed saltus montium, qui Illyrios a Macedonibus dirimebant, abscedunt longius in exortum. Mensuris vtrimque spectatis, oppidum *Petrella*, ripa Argentae recentis dextra, Clodianis respondet. Danuilleo heic *Parthus* est, ad

---

(a) L. VII. p. 322. sq.

sextum in austrum lapidem *Claudiana*; in tabella Graeciae, longius in austrum, prope litus, *Clodiana*, vbi *Canovia* in chartis. Abest *Petrella* M. P. XXVIII. In Tabula numerus XV non est otiosus; significat enim accessum fluuii eo interuallo esse, deinde secus ripam eius XXVI M. P. *Clodiana* occurrere; idcirco semel positus est, cum geminari debuisset. Exmissae mansionis eo spatio nulla sunt indicia; neque hodie quaepiam in ea distantia notatur.

Scampis. XX. sic Vess. Hodoeporicon, itinere Dyrrachino, *Scampis.* XX. Apolloniensi, *Scampis.* XXII. in quibusdam, *Scambis.* Burdigalense, *mutatio ad Quintum.* XV. *mansio Hiscampis.* VI. Ptolemaeo, *Σκαμπεῖς*, *Scampis*; Hierocli, *Σκάππα*, *Scappa*; Constantino *Σκάμπα*, *Scampa.* Wesselingius putat, *Scampis* obliquum esse casum, et Ptolemaeum fuisse deceptum, qui rectum existimarit. Malcho *Καμπία*, *Campia*, in historia ecclesiastica, *Scampis.* Dubitat Wesselingius, *Quintus* in Burdigalensi lapis quorsum spectet: Aut VI M. P. inquit, vna detrahenda sunt, aut Ad quintumdecimum melius erit.“ Neutro opus est, inquam; Quintus lapis erat ab oppido Scampis, Clodiana versus, vicis non sumtis, quos auctor Itinerarii Burdigalensis vbique fere computat. Est oppidum *Iscampi*, prope dextram *Semno* fluuii ripam.

III. Genesis. fl. VIIII. sic Vess. Burdigalense, *mutatio Traiecto.* IX. Wesselingius: Fuit hic traiectus fluminis *Genusi*; Tabula Peutingerana, quae *Genesin* in hac vicinia ostendit, id docet. Forte eius in Candauia fuere fontes; e quibus egressus, circa Apolloniam, in mare Ionium deuoluitur.“ Sed longius a regione Apolloniae Genusus, hodie *Semno*, abscedit; in quo recenti is traiectus, prope *Albasano* oppidum, erat; vbi chartae nullum exhibent locum.

Ad dianam. VII. fanum deae; Vess. *Ad Dianam.* VII. Mansio haec, Dianae ab Caesare, aut Octauiano, sacrata, circiter fontem Genusi fuerit. Constantinorum aeuo forsan desolata; neque enim in Burdigalensi occurrit. Delisleo, *ad Dianam*, prope dextram Panyasi; aliis tacetur.

In candabia. VIIII. Vess. *In Candabia* VIIII. Burdigalense, *mansio Granda via.* IX. MS. *Grandauia.* Candauiam esse, recte obseruat Wesselingius; addens, Theophylacto *Bagoram* inter Bulgarica et Dyrrachina montana circa Achridem medium procurrisse, perhiberi. Hodie *Krasta maior*, *velika Krasta*, cum oppido cognomine, inter Genusi et riui Drinum petentis fontes.

Pons seruili. VIIII. Vess. *Pons seruili.* VIIII. Hodoeporicon, ab Scampis, itinere Dyrrachino, *Tres Tabernas.* XXVIII. in Regio, XXIIII. itinere Apolloniensi, *Tribus Tabernis.* XXX. Burdigalense, ab Candauia, *mutatio in Tabernas.* IX. Idem M. P. IX ab Candauia interuallum ostendit, Tabernas ad Pontem Seruilii postea constructas fuisse, ad riuum recentem, ab occasu Drino iunctum, vt recte Delisle notauit; ceteri Pontem cum Tabernis tacent. Ad montem Candauiam constitisse Tabernas, recte quidem e numeris arguit Wesselingius; sed inde Lychnidum vsque non sunt XXX M. P. vt epistolam Suggestionis ad Hormisdam ibi scriptam opinemur. In Ortelianis, circiter haec loca, est *Bitoglia*

oppidum; in recentioribus chartis campeſtria haec ſunt locis vacua; quaedam Homannianae *Bella* vicum habent.

Lignido. XVIIII. inſignia municipii; Velſ. *Lignido.* XVIII. Hodoeporicon, itinere vtroque, *Lignido.* XXVII. in Regio, itinere Apollonienſi, XXVIII. Burdigalenſe, *manſio Claudanon.* IX. *mutatio Patras.* IIII. *ciuitas Cledo.* XII. Vrbs antiqua Daſſaretiorum, Illyrici populi, teſte Liuio, qui *Lychnidum* vocat; Polybius, *Λυχνίδα*, *Lychnidem*, et Parthum, *οὔσας μὲν Ἰλλυρίδας*, vtrasque ciuitates Illyrides. Strabo, Egnatiam duci ad Candauiam montem Illyricum, *διὰ Λυχνίδιον πόλεως*, *per Lychnidium vrbem*, et Pylonem, locum in via disterminantem Illyridem et Macedoniam." Idem poſtea *Λυχνιδοῦντα*, *Lychniduntem*, adpellat. Stephanus, *Λυχνίδος*, *πόλις Ἰλλυρίας*, *Lychnidus*, *oppidum Illyriae*, genere maſculeo, et palus femineo. Eſt oppidum *Achrida*, occiduo emergentis e lacu Drini latere; Ortelio *Ocrida*, ab exortu, vbi Deliſle quoque ſignat, cum inſcriptione, *Lychnidus poſtea Iuſtiniana prima*, adiunctum falſum, vt Weſſelingius recte oſtendit. Dardanus quippe Iuſtinianus erat. Danuille ſuo poſuit loco. *Patrae* Burdigalenſis erit *Πάρθος*, *Parthus*, Polybii et Apollodori, apud Stephanum; gentile *Παρθενός*, *Parthenus*. Lychnido quippe vicinam fuiſſe, e phraſi Polybii pateſcit; et lacui quam Dyrrachio viciniorem, in epigraphica, putabamus. *Struga* oppidum, auſtrali paludis ora, numeris adcurate reſpondet. Claudanum ab occaſu vicinum fuerit, geographis neglectum.

N. - - - - - XVI. Tabulae auctor, amne Drino traiecto, ductum viae verſus alterum fluuium, qui ſit *Biſtricza*, dirigit, interrupto tractu Nicaeam vſque, in Macedonia ſitam. Numerus XVI ad iuga montis *Prilipe* ducit, qui Illyrios olim a Thracibus, poſtea Macedonibus, dirimebat. Strabo, de via Egnatia, ad Candauiam prima dicitur, inquit, *διὰ Λυχνίδιον πόλεως, καὶ Πυλῶνος, τόπου ὁρίζοντος ἐν τῇ ὁδῷ τήν τε Ἰλλυρίδα καὶ τὴν Μακεδονίαν*, quae per Lychnidium vadit et Pylonem, locum, qui in via disterminat Illyricum a Macedonia." Cellarius, in tabella, *Pelium* habet; in commentariis tacet. Deliſle, *Pelium Pylo*, ſitu non incommodo; Danuille admouet lacui; ſed in monte locum fuiſſe Strabonis verba innuunt. Oppidum *Prilipo*, aliis perperam *Pirlipe*, remotius in boream eſt, extra viam, quam vt Pylo dici queat; in quibusdam chartis oppidum *Cogni* comparet, forſan antiquae Pylonis ſitu. Pelium oppidum in Daſſaretiis nouit Liuius. Haec erat via mediterranea, a Dyrrachio in Macedoniam ducens.

IV. Altera ab traiectu et Apollonia Neapolim petebat, vni Tabulae memorata; nam Hodoeporicon oram dumtaxat legit, et cum Burdigalenſi Candauiam verſus progreditur, apud Clodiana, quae in *Petrella* conſtituimus, Tabulae iuncta. In Burdigalenſi, ab Apollonia, eo itinere, notantur: *mutatio Stefanaphana.* XVIII. *manſio Abſos.* XII. *manſio Maruſio.* XIV. *manſio Clodiana.* XIII. Hodoeporicon, *ad Nouas*, interponit, XXIV ab Apollonia, XXV ab Clodianis; cui manſioni oppidum *Dragot*, prope dextram Apſi ripam, ſitu

respondet. Danuilleo, *Stephana* XVII. inde *Mariſcus* XXIV M. P. ad oram; Deliſleo, *Stephana*, Apolloniam inter et Aulonem; quae poſitio eſt mendoſa. Progreditur enim Hodoeporicon vtrumque ab Apollonia verſus *Dragot*, a mari VI M. P. remotum, inde Petrellam, ab litore non nihil remotiorem. Vnde Fanum *Stephana* ad ripam Krevaſtae minoris, *Abſos* ad ripam Apſi, prope *Dragot*, *Maruſium* ad latus Genuſi, ex interuallis, incidunt; quo tractu in chartis non comparent loca hodie. Haec ad iter Hodoeporicorum; Tabula, ab Apollonia, ſic progreditur:

Amatria. XXX. Velſ. *Amatria.* absque numero. Deliſle, *Amatria*, XXV M. P. laeua Aei fluminis ripa; Danuille dextra Celydni procedit, ad XVIII milliare *Antigonea*, inde ad XVII *Amantia*, ſignatis. In tabella Graeciae, *Antigonia*, XVI M. P. latere amnis laeuo, *Amantia* XIV dextro. Quidquid cum Antigonia velis, quae ſecundum Caeſarem, Plinium, Ptolemaeum, in auſtrum magis abſcedit, *Ἀμαντία* Ptolemaei, in Oreſtide, poſitu cum Amantia, Tabulae *Amatria*, conuenit, oppido *Codeſi*, ripa *Vojuſha* amnis, qui Celydnus eſt, laeua. Alia fuit Amantia, ad oram ſinus *Radima*, cuius iam Scylax meminit, quam ab hac mediterranea Ptolemaeus rite diſtinguit.

Hadrianopoli. LV. ſic Velſ. Deliſle, *Phanotes ſeu Phoenice poſtea Hadrianopolis;* ſed Tabulae auctor diſcernit oppida, quod etiam Danuille facit, ſitu *Argyro caſtro* ſignata Hadrianopoli, intra ſines Chaoniae, vbi mentionem oppidi repetemus. Haec de Illyride Graeca ex Tabula promere licebat.

SECTIO II

MACEDONIA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. REGIO, quae Macedoniae poſtea adſumſit nomen, olim Thracum gentis erat; vt ex Homero, aliisque ſcriptoribus priſcis, colligere licet. Strabo, Poetae dicta ſecutus, Thracas ad Peneum vſque habuiſſe perhibet. Regni Macedonum, quod Perdiccas conſtituerat, circa Bermium montem, exigui erant fines, ſenſim deinde in vlteriora progreſſi; vt, quidquid a Peneo ad Strymonem, inter Dardanos, Illyrios, Epirotas, agrorum eſſet, Macedoniae vocabulo

acciperetur; quin vltra hos etiam terminos patebat, hinc ad Neſtum, inde ad mare Ionium. Nos, Scylacem, Strabonem, Plinium ſecuti, Strymone et Peneo, Candauia et Aegaeo, Macedoniam circumſcribemus. Scylax: *Ἀπὸ δὲ Πηνειοῦ ποταμοῦ Μακέδονες εἰσὶν ἔθνος, καὶ κόλπος Θερμαῖος, Poſt Peneum fluuium ſunt Macedones, et ſinus Thermaeus.* Abſoluta prouinciae deſcriptione: *Μετὰ δὲ Μακεδονίαν Στρυμὼν ποταμός. οὗτος ὁρίζει Μακεδονίαν καὶ Θρᾴκην, Poſt Macedoniam Strimon fluuius; hic Macedoniam et Thraciam disterminat.*

II. In Tabula, MACEDONIA. caractere latino, D et N literis monaſticis, ab Genuſo et Scampis ad Heracleam Sinticam. Numi autonomi exhibent *ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ.* Macedonum, regionis primae, et reliquarum trium, ſecundum Paulli Aemilii diuiſionem. Adparet autem, Tabulae auctorem, cum Ptolemaeo, Macedoniam ad Ionium vſque protendere; quod iam Strabonis aetate nonnulli faciebant. Secundum acceptionem noſtram, porrigitur ea ab gradu longit. 39 min. 20. ad 42 min. 14. latit. 39 min. 40. ad 42 min. 40. Longitudo ſumma a fonte Haliacmonis ad Acroathon promontorium, CCXXXV. latitudo, ab oſtio Penei ad initia Scardi montis, CCXL. M. P. Exhibet enim figuram quodammodo tetragonam, niſi quod ab Erigone latius patet. De nomine diſſeruimus alias.

§ II

Montes, ſinus, fluuii.

I. QVIDAM fluuius, in paludem Lychnitim effuſus, exit e monte, vnciam longo, cuius latere ortiuo alius, in Aegaeum delapſus, emergit; quem ſuperne Boram, inferne Candauiam eſſe putes. De hoc in Illyride dictum; de priore Liuius: *Quarta regio trans Boram montem, vna parte confinis Illyrico, altera Epiro.* (a) Ad quae Cellarius: *Bora* mons ſolius eſt Liuii, diuerſus poſitione a Vibii *Borea*, quem ad Dyrrachium locauit." Strabo in ſupplementis ad librum VII meminit *Βερτίσκου ὄρους, Bertiſci montis,* ad Scardum, quo Macedoniam ab occaſu boreali terminari ait; quem a Bora non alium eſſe arbitrere, tamquam huius deminutiuum, Illyrico prolatum ore. Etiam Ptolemaeus, *τοῦ Βερτίσκου, Bertiſci,* ad ſeptemtrionem meminit. Hodie *Dibra* vocatur, nonnullis *Driba* perperam, isque duplex, maior et minor; quem apud Erigonis fontem excipit *Prilipo*, chartis *Pirlipe.*

Alius montis tractus eſt, vncias tres cum ſemiſſe longus, ex quo Strymon exurgit, ſed qui alueo Axium exhibeat. Strabo, Bertiſco iungit *Orbelum: διὰ Βερτίσκου ὄρους, καὶ Σκάρδου, καὶ Ὀρβήλου,* Macedoniam a ſeptemtrione terminari, *Bertiſco, Scardo,* et *Orbelo,* montibus, perhibens. Plinius,

(a) L. XLV. c. 29.

ab exortu in occasum progressus: *Montes*, *Rhodope*, *Scopius*, *Orbelus.* Dirimebat Dardanos a Paeonibus; Plinius, *e Dardanis Margis;* qui est *Morava*, Seruiae flumen. Chartae montem *Argenturo*, a nobili metallo, vocant; quidam *Lyuboten*, minus recte, quod ea nuncupatio Scardo tribuitur. Sunt etiam recentiores mappae, in quibus *Kumonicza* et *Balkan* ea iuga dicuntur. Strymon oritur in Scopio, quem Thucydides *Σκόμιον ὄρος*, *ἔρημον καὶ μέγα ἐχόμενον τῆς Ροδόπης*, *Scomium montem*, *magnum et desertum*, *Rhodopae vicinum*, esse perhibet; Delisle nomina distinguit, absque necessitate. Chartis quibusdam *Kumonicza* audit, vestigia quaedam antiquae vocis seruans. Is Treres, gentem Dardanicam, a Paeonibus disiungebat, emittens praeterea Cium et Vtum, amnes Moesiae; vt in geographia ostendimus.

II. Sinus Macedonicus. Vels. SINVS MACEDONICVS. Scylaci, *Κόλπος Θερμαῖος*, *sinus Thermaeus*, aliis *Θερμαϊκὸς*, *Thermaicus.* Etiam Latini variant; Mela et Plinius, *sinum Thermaicum;* Tacitus, Toronaeum *Thermaeumque sinum;* Plinius praeterea: *In ora sinus Macedonici*, *Chalastra.* Nomen ab vrbe Therma, quae postea Thessalonica, accepit. In Tabula, nouem vncias, inter Piraeum et Thessalonicam procurrit; sed a Peneo recte incoauit Scylax. Hodie Italis, *Golfo de Salonichi;* vernacula quippe harum partium geographia caremus.

III. Amnes sunt, Drinus, Erigon, Strymon, Haliacmon, quorum aluei notantur, absque inscriptione. Primus deriuatur ex monte, cursu breui, in lacum Lychnitim prolapsus, quo auctor operis indicare volebat ramum Drini ortiuum, qui, spatio XXVIII M. P. procurrens, lacum Prespanum transit, X M. P. longum. Est in Tabula Drilonis alueus, sed e Scordo deductus; vt nexus amnis huius cum Lychniti palude veteribus videatur fuisse ignotus.

Alter amnis, ex eodem monte, ortiuis iugis, promanans, scaturigine quidem Erigonem, defluxu Haliacmonem, ostio Peneum, exhibet. Ille Erigonus, Liuio: (a) Paeoniae ea regio est, prope Erigonum fluuium, qui, ex Illyrico per Paeoniam fluens, in Axium amnem editur." Strabo, *Ερίγωνα*, *Erigonem*, ab Axio, inter Bottiaeam et Amphaxitin diuidente, adsumi ait; cui recto *Ερίγων*, *Erigon;* Cellarius, *Εριγῶνι*, penultima circumflexa, et recto *Εριγὼν*, legit. Ptolemaeus e Dalmaticis montibus deriuat flumen: *ἀπὸ τῶν ὑπὸ τὴν Δαλματίαν*, *ἀφ' ὧν ὁ ποταμὸς καλεῖται Εριγώνων*, *a montibus sub Dalmatia sitis exit fluuius Erigonon nuncupatus;* Schotti edito, *Εριγώνον*, *Erigonon;* quae forma est singularis; forsan *Ερείγωνος*, *Erigonus*, scribere volebat, more Liuii, aut *Ερίγων* Strabonis. Iam Ruscellius et Malombra, *Visztritza* recte sunt interpretati, incolis *Bisztricza*, limpidam aquam significans.

Anamo. in via; qui est Aliacmon, Haliacmon, Scylaci notus: Methone vrbs graeca, *καὶ Αλιάκμων ποταμός*, *et Aliacmon fluuius.* Strabo, post vrbem

(a) L. XXXIX. c. 53.

Dium, ὁ Ἁλιάκμων ποταμός ἐστιν, *Haliacmon fluuius eſt*, in ſinum Thermaeum ſe effundens. Ptolemaeus, inter Pydnam et Dium, Ἀλιάκμωνος ποταμοῦ ἐκβολαί, *Aliacmonis fluuii oſtia*. Malombrae, *Pelecas;* hodie *Ienicora* vel *Platamone*, chartis.

Penei quoque meminit Scylax: Ἀπὸ δὲ Πηνειοῦ ποταμοῦ Μακεδόνες εἰσὶν ἔθνος, *poſt Peneum fluuium ſunt Macedones.* Strabo ὁ Πενειὸς διὰ μέσης ῥέων, *Peneus per mediam fluit* Theſſaliam. Ptolemaeus, in Pieria, poſt Pharybum amnem, Πηνειοῦ ποταμοῦ ἐκβολαί, *Penei fluminis oſtia.* Malombrae *Salampria*, quod nomen hodie quoque tenet.

Eſt inter Alorum et Beroeam, in Tabula, acerdos. incidens ad amnem *Devoda*, Ortelio, qui Caſtorium petit. Deliſleo eſt *Acerdus* ſiue *Arcadus*, locus; Danuilleo, *Aſcordus*, fluuius; quod ex Tabulae *Acerdo* ſit formatum. Eſt ad eum fluuium *Sarigiole* oppidum, quod veteris vocabuli ſonum ſeruare videatur.

Ad XVI ab Theſſalonica lapidem, Callicum. in via notatur, quae manſio incidit ad fluuium *Calico*, Scylaci Δῶρος, Herodoto Χείδωρος, *Doros*, *Chidorus;* Apollodoro, Ptolemaeo, aliis, Ἐχέδωρος, *Echedorus;* de quo Etymologici magni auctor, apud Voſſium: Ἐχέδωρος ποταμὸς Μακεδονίας, ὁ πρότερον Ἡδωνὸς καλούμενος, ὁ ἔχων, ὥς φασι, δῶρα, *Echedorus fluuius Macedoniae, qui ante Hedonus dicebatur, habens, vt aiunt, dona;* auri lauacra, vt poſtea refert. Vox Thracia limoſum ſignificat.

§ III

Oppida, manſiones.

I. ORAM ſinus Macedonici, Tabulae ductu, perſequemur ante, quam in penitiora procedamus. Hodoeporicon, itinere ab Aulona, per Theſſaliam et Macedoniam, ſocium ſe praebet, paucis manſionibus, hoc tractu, in medium prolatis. Initium ab Lariſſa, quae dextram Penei tenet, Theſſaliae adcenſa, ducere libet, hoc pacto:

Olympū. XV. ſic Velſ. Viam hanc Deliſle ripa Penei laeua recte ducit, quem iuga Olympi ad mare vſque proſequuntur. Strabo, τὸν Μακεδονικὸν Ὄλυμπον, *Macedonicum Olympum*, vocat; plures enim huius vocabuli montes fuerunt. Mela: Olympus, Pelion, Oſſa, montes Gigantum fama belloque memorati." Maro, *frondoſum Olympum*, adpellat; Horatius, opacum, piniferum. Seruat nomen *Olympo;* numeri ad oppidum *Lycoſtomon* ducunt, prope laeuam Penei, vbi Deliſleo et Danuilleo *Gonnus* ponitur, ſed huic ad ipſam ripam, a qua *Lycoſtomon* III M. P. abſcedit.

Stenae. x. sic Vels. Hoc interuallo incidit Tempe locus, de quo Plinium et Liuium, prae ceteris, audire libet; ille, de Peneo: In eo cursu Tempe vocantur quinque mill. passuum longitudine, et ferme sesqui iugeri latitudine, vltra visum hominis attollentibus se dextra laeuaque leuiter conuexis iugis. Intus sua luce viridante adlabitur Peneus, viridis calculo, amoenus circa ripas gramine, canorus auium concentu." (a) Liuius horrorem potius loci, ad Tabulae sensum, depingit: (b) Sunt Tempe saltus, etiamsi non bello fiat infestus, transitu difficilis; nam praeter angustias per quinque millia, qua exiguum iumento onusto iter est, rupes vtrimque ita abscissae sunt, vt despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit; terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis." Danuille, cum praecessore, *Tempe*, laeuo amnis latere, hoc tractu, signant. *Stenae* mansio, ab angustiis rupium nuncupata, ad Penei ostium, e numeris, incidit; cuius rationem nemo geographorum habuit. Ortelianae, eo situ, habent oppidum *Pidanemo.*

Sabatium. xv. sic Vels. Mensura pertingit ad exitum amnis parui, qui *Apilas* Plinio dictus videatur, cuius ostio, ripa dextra, Danuille Heracleum adponit. Scylax, a Peneo: *Πρώτη πόλις Μακεδονίας*, *Ἡράκλειον*, *Prima vrbs Macedoniae*, *Heraclium.* Plinius: *In ora Heraclea*, *flumen Apilas.* Heraclea, quam Harduinus cum Asopo fluuio isthuc transferri voluit, ad sinum Maliacum refertur. Ptolemaeus, Heracleam hanc Macedonicam, non adfert; vt euiluisse videatur, *Sebatio*, quod ab sacro Herculi loco nomen acceperit, ei substituto. Hodie is ager est locis vacuus; Ortelio, *Capo Verlichi* promontorium.

II. Dium. xii. Vels. *Binin.* xii. Hodoeporicon, a Larissa, *Dio.* xxiiii. Scylax: *Ἡράκλειον*, *Δίον*, *Πύδνα*, *Heraolium*, *Dium*, *Pydna.* Thucydides, *Δῖον*, *Dium* oppidum, *ὑπὸ τῷ Ὀλύμπῳ*, *sub monte Olympo* Macedoniae, Thessalos versus, situm." (c) Polybius, *γυμνάσιον*, *gymnasium* vrbis cum muris ab Aetolis euersum memorat. (d) Liuius, vrbem non magnam, sed ornatam publicis locis, et multitudine statuarum, munitamque egregie, perhibet. (e) Plinio: coloniae, *Bullidensis et Diensis.* In pecunia Antonini Pii, COL. IVL. AVG. DIENSIS. Complures scriptorum meminerunt loci; cui hodie *Standia* nomen, dextro Baphyrae, Ptolemaeo *Φαρύβου*, *Pharybi*, amnis exeuntis latere. Hodoeporicon recta progressum videtur.

Hatera. xii. sic Vels. Delisle, *Hatera*, infra Dium; rectius Danuille, sinistra effluentis Mytis amnis, vt hic eum vocat; quem alias non reperio, neque Hateram Tabulae, neque locum recentiorem ei respondentem.

Anamo. xii. Vels. *Anamo.* xii. Est breuiatum Aliacmonis vocabulum; eo enim pertingit mensura. Nullam ei adsitam vrbem norunt veteres; hodie est

(a) L. IV. c. 15. (b) L. XXXIII. c. 35. (c) L. IV. p. 305. (d) L. IV. c. 62.
(e) L. XLIV. c. 7.

oppidum *Platamone*, fluuio homonymon, dextra exeuntis ripa; quod olim exstitisse, mansionis nomine, a vero non videtur alienum. De amne superius dictum.

Bada. VII. Vess. *Bada*. VII. Pydna est, inde ab Scylace nota, militari vsu expressa, tamquam *Vada* dicas. Scylax: *Πύδνα*, *πόλις ἑλληνὶς*, *Pydna vrbs graeca*. Strabo, Perseum *ἐν τῷ πρὸ τῆς Πύδνης πεδίῳ*, *in campo ad Pydnam*, a Paullo Aemilio, fusum fugatumque memorat; eadem Liuius et Paterculus referunt. Incolae *Πυδναῖοι*, *Pydnaei;* qua forma et Latini vtuntur. Apud Strabonem, in excerptis libri VII legitur, *πόλις Πύδνα*, *ἡ νῦν Κίτρον*, *vrbs Pydna*, *quae nunc Citrum;* quod recentiore manu additum videatur, vt multa in illis excerptis seu supplementis comparent. Theageni, apud Harduinum, *Κύδνα*, *Cydna;* Melae Pomponio, *Cydne*. Danuille, *Pydna postea Citrum*, sinistra Leuci ripa, prope ostium, situ oppidi *Chitro*.

Arulos. XII. (a) Vess. *Arulos*. XX. Posterior numerus est sincerus. Si XII recte haberet, ad Methonem perduceremur; quae in Tabula non comparet. Scylax: Aliacmon fluuius, *Αλωρὶς πόλις καὶ ποταμὸς Λυδίας*, *Aloris vrbs*, *et fluuius Lydias*. Straboni, *ἡ Ἄλωρος Βοτταϊκὴ*, *Alorus Bottaica*, seu Bottiaea. Stephano, in intimo recessu Thermaei sinus, *Ἄλωρος πόλις Μακεδονίας*, *Alorus vrbs Macedoniae*. Quare non recte Plinius, *intus Aloritae;* nisi ciuitatem heic intellexit, vt Harduinus monet; paullo enim ante ipse Plinius: *In ora*, inquit, *oppida*, *Pydna*, *Aloros;* in MSS. *Pygna*, *Doros;* in editis antiquis *Phina*, *Oloros;* lectionem e Graecis restituit Harduinus. Eo positu est oppidum *Lepsti*.

Acerdos. XV. Vess. *Acerdos*. XII. Delisleo, *Acerdus siue Arcadus*, oppidum prope dextram Astraei; Danuilleo *Ascordus* fluuius, absque loco cognomine. Si fluuius erat, Danuille non est perperam hariolatus; quamquam in chartis recentioribus nonnullis longius is amnis in mediterranea remouetur; meliores numero Tabulae respondent. Fluuius Ortelio *Devoda*, recentioribus *Bisztricza* vocatur, Castorium, seu Astraeum, a meridie influens, cuius recentis ripa dextra, non procul *Sariggiole* oppidum est, sed ad XXXV ab Aloro lapidem. Ortelius, eo tractu, oppidum *S. Zorzi* habet; quod cum veteri voce cognationem habeat.

Beroea. XII. sic Vess. Hodoeporicon, a Dio, *Beroea*, XVII. pro LVII. idque ductu recto. Numerus XVII ostendit iter hoc, iniuria temporum esse vitiatum, omissis mansionibus, earumque numeris; qui hiatus non nisi ope Tabulae, quae heic integra est, restitui valeat. A Pydna Alorum XVII censa in Hodoeporico fuerunt. Hunc Itinerarii hiatum a nullo eruditorum, ne a Wesselingio quidem, esse obseruatum, mirere. Thucydidi, *Βέῤῥοια*, *Berrhoea;* Straboni, *ἡ Βέροια*, *πόλις ἐν ταῖς ὑπωρείαις κεῖται τοῦ Βερμίου ὄρους*, *Beroea ad radices montis Bermii sita est*. Actis Apostolorum, *Βεῤῥοία*, *Berrhoea;* Iornandi et

(a) In exemplari nostro XX.

Rauennati *Bereum*. Gentile, Polybio *Βεροιεὺς*, *Beroeenſis*. In pecunia Auguſtorum, *ΒΕΡΟΙΑΙΩΝ*. Eſt oppidum *Veria*, dextro *Caſtorie* amnis latere.

III. Pella. xxx. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere a Dyrrachio Byzantium, *Pella*. xxviii. ab Edeſſa. Burdigalenſe, *ciuitas Pella*, *vnde fuit Alexander Magnus Macedo*. Vrbs inde ab Herodoto nota: Bottiaeidis, inquit, anguſtum ad mare ſpatium *πόλις Ἰχναί τε καὶ Πέλλα ἔχουσι*, *Ichnae et Pella vrbes occupant*. (a) Poſitum deſcribit Liuius: (b) Sita eſt in tumulo, vergente in occidentem hibernum; cingunt paludes inexſuperabilis altitudinis aeſtate et hieme, quas reſtagnantes faciunt lacus." Strabo, in excerptis: Erigon et Ludias amnes; a Ludiae autem oſtio ad Pellam aduerſo amne nauigatur per cxx ſtadia." Pomponio, *Pelle*; numis autonomis, *ΠΕΛ. ΠΕΛΛΗΣ*. Auguſtalibus, COL. IVL. AVG. PELLA. Eſt oppidum *Ienitza*, ex aduerſo effluentis Erigonis in Axium, ſeu Biſtricae in Vardarum. Apud Pellam exit via mediterranea a Lychnido, quam poſtea viſuri ſumus.

Teſſalonice. xxvii. inſignia vrbis, muris turribusque munitae; Velſ. *Teſſalonice*. xxvii. Hodoeporicon, *Theſſalonica*. xxvii. itinere Aulonenſi, *Theſſalonica*. li. a Beroea; in quibusdam *Theſſalia*, *Theſalia*. Burdigalenſe, *mutatio Gephira*. x. *mutatio ad Decimum*. x. *ciuitas Theſſaloniea*. x. Vrbs inde ab Scylace et Herodoto ſcriptoribus memorata. Scylax: *Ἄξιος ποταμὸς*, *Δῶρος ποταμὸς*, *Θέρμη πόλις*, *Axius fluuius*, *Dorus fluuius*, *Therme oppidum*. Sic Herodoto et Thucydidi vocatur. Caſſander vxoris Theſſalonicae nomen vrbi dedit, Tzetza in Chiliadibus teſte. Numis, *ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ*. *ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ*. In marmore Romano, C. Iulius Pudens, miles, THESSALONICA. Hodie *Salonichi*, Thracibus *Solun*. Danuille, *Gephira*, *γεφύραν τοῦ Ἀξίου*, pontem in flumine Axio, infra confluxum Echedori, dextra Axii ripa, ſignat; *Bardar* vicus in quibusdam chartis notatur. Decimum ab Theſſalonica lapidem, geographis neglectum, ad oram ſinus fuiſſe putes; in mappis nonnullis *Granaca* vicus conſpicitur, forſan huc referendus. Apud Theſſalonicam exit via mediterranea a Stobis, de qua poſtea diſſeremus.

Meliſſirgin. xx. Velſ. *Meliſirgin*. absque numero. Hodoeporicon, itinere Dyrrachino, *Melliſſurgin*. xx. itinere Aulonenſi, xxi. Burdigalenſe, mutatio *Duodea*. xiii. *mutatio Heracleuſtibus*. xiv. Melliſſurgis, locum mellificum, ab apium cultura, *Μελισσουργὶς*, vt Suidas exprimit, ſignificans, oppido *Ravanak*, laeua Chabrii amnis ripa, reſpondeat. In hunc agrum incidit *Μόρυλλος*, *Moryllus*, Ptolemaei, forſan idem cum Meliſſurgi locus. Sunt et vici hac regione mediterranei, *Giſſo*, *Sidero*, ſed in tabula Homanni mendoſa; qui, neſcio, vtrum mutationibus Duodeae et Herculis viae reſpondeant. Vocabulum *Heracleuſtibus* Weſſelingius recte in *Ἡρακλέους στίβος*, *Herculis via*, reſoluit;

(a) L. VII. c. 123. (b) L. XLIV extr.

quocum *Ἐννέα ὁδοὺς*, *Nouem viae*, Herodoti, Thucydidis, aliorum, cognationem habeant. Incidit quippe mutatio haec in montem Bernum, mediam Chalcidicam diuidentem, pari prope Thessalonicam inter et Amphipolim, quae Nouem viarum nomine veniebat, interuallo, si recta progredi velis.

Apollonia. XVIII. Vess. *Apollonia.* XVIII. Hodoeporicon, *Apollonia.* XVII. Burdigalense, *mansio Apollonia.* XI. Scylax, *Βολβὴ λιμνὴ*, *Ἀπολλωνία ἑλληνὶς*, *Bolbe lacus*, *Apollonia vrbs graeca.* Plinius: regio Mygdoniae subiacens, in qua recedens a mari Apollonia." Stephanus, *Ἀπολλωνία Μακεδονίας*, *Apollonia Macedoniae;* Ptolemaeus Mygdoniae adscribit, in occasum retrahens. Est oppidum *Polina*, laeua amnis, forsan homonymi, recentis ripa; Danuille Chabrium vocat, quem Ptolemaeus in Thermaicum sinum deriuat; neque recte ab amne remouet Apolloniam; quod loci nomen et interualla situm a nobis descriptum exposcunt.

Amphipoli. XXX. Vess. *Amphipoli.* XXX. Hodoeporicon, *Amphipoli.* XXX. Burdigalense, *mutatio Peripidis.* XI. *mutatio Pennana.* X. *ciuitas Amphipolim.* X. Danuille, *Euripedis sepul.* ora lacus Bolbes occidua, ad ostium *Bormiscus;* heic oppidum *Peschiera* est hodie, illi *Costore* Homanni conueniat. Amphipolim Thraciae adscribimus, quam Strymon a Macedonia dirimebat.

IV. Mediterraneae viae sunt a Lychnido, Scupis, et Stobis; illa per Heracleam Sinticam et Pellam ducit Thessalonicam, quae Straboni Egnatia nuncupatur; ista Stobos vsque progreditur; haec Serdicam, Thessalonicam, Pellam adit. Hodoeporicon vtrumque Egnatiam tenet, ceteris destitutum. Itinere Dyrrachino mansimus in Pylone, iugis Candauiae, vbi tractus viae cum numero desideratur, Nicaeam vsque; vt priori sectione dicebamus. Itaque succedit,

Nicea. absque numero; insignia municipii; sic Vess. Hodoeporicon, itinere Dyrrachino, *Nicia.* XXXIIII. in Regio, XXIIII. itinere ab Apollonia, *Scirtiana.* XXVII. *Castra.* XV. in Regio, *Castra.* VI. Burdigalense, ab Cledo, seu Lychnido, *Finis Macedoniae et Epiri mutatio Brucida.* XIII. *mutatio Parambole.* XIX. Nicaea ab situ Pylonis abest M. P. XVI. qui numerus in Tabula geminari debet; quo pacto XXXIV in Hodoeporico rectum est. Delisleo, *Nicaea*, IV M. P. a Pylone; rectius Danuilleo, situ oppidi *Nikia*, laeuo exorientis aluei Bistricae occidui latere, in Atlante; in tabella Graeciae, retrahit in occasum, ad flumen Astraeum. Cellarius hanc Nicaeam praeterit, quem sequitur Wesselingius; tacet et Ptolemaeus. Stephanus, inter ceteras huius vocabuli vrbes, *Νίκαια*, inquit, *τρίτη ἐν Ἰλλυρίδι*, *tertia in Illyride Nicaea;* quia huic proxima, et forsan aliquando iuris Illyrici erat. Municipii iura locum habuisse sub Antoninis, Tabula ostendit; quod Ptolemaeo non innotuerat. Cum Stephanus Illyricam vocet, victorias aduersus Philippum et Perseum respiciat nuncupatio vrbis. *Brucida* Pyloni, *Scirtana* Nicaeae, fuerint vicinae; queis respondentia loca nominare nequimus. Strabo, a Pylone, habet *Βαρνοῦντα*,

Barnuntem, quae forsan *Parambole* erit. Charta Homanniana, Graeciam septemtrionalem hodiernam exhibens, an. 1770 vulgata, est longe mendosissima; vt mirum sit, geographia ab Danuilleo ante hos 30 annos in meliorem formam redacta, compilatorem tabulae huius adeo caecutire potuisse.

Heraclea. XI. insignia municipii; sic Vess. Hodoeporicon, itinere Dyrrachino, ab Nicaea, *Heraclea.* XI. itinere Apolloniensi, ab Castris, *Heraclea.* XII. Burdigalense, a Parambole, *ciuitas Heraclea.* XII. Strabo, de via Egnatia, a Pylone: *ἐκεῖθεν δ' ἐστι παρὰ Βαρνοῦντα διὰ Ἡρακλείας, καὶ Λυγκιστῶν, καὶ Εορδῶν, εἰς Ἔδεσαν καὶ Πέλλαν μέχρι Θεσσαλονικείας,* inde iuxta Barnuntem, per Heracleam, Lyncestas, Eordos, ad Edesam et Pellam pergitur Thessalonicam." Ptolemaeo, in Lyncestide, *Ἡράκλεια, Heraclea.* Stephanus, inter complures id vocabuli vrbes, *ιέ. Πιερίας, quintadecima Pieriae;* nisi eam in ora, cum Scylace et Plinio, intellexit. Pieria olim latius patebat; et Stephanus saepe vicinas prouincias miscet. Danuille, in Atlante, situ oppidi *Xenoxua*, dextro recentis Bistricae occidui latere, posuit recte; in tabella Graeciae, Astraei ripae, cum Nicaea, admouit. Homanno, *Xenexna*, Ortelio *Gennesa*, incolis forsan *Xenexna*, Hungaro scribendi more *Zsenezsna.* Apud Heracleam exit via a Stobis, quam postea lustrabimus.

Cellis. XXXII. sic Vess. Hodoeporicon, *Cellis.* XXXIIII. in Regio, XXIIII. altero itinere, XXXIII. Neapolitano, XXIII. Burdigalense, *mutatio Melitonus.* XIII. *mutatio Grande.* XIIII. *mansio Cellis.* XIV. Liuio, *Celetrum,* dicitur: oppidum Celetrum in peninsula situm; lacus moenia cingit; erat in Orestide, Dassaretiis finitima. (a) Hierocles, *Κόλλη, Colle*, MS. *Κέλλη, Celle.* Cellarius adscripsit Illyridi; positum Danuille reperit in oppido *Kiofter*, seu *Castorie,* ad lacum et amnem cognominem, qui deinceps *Bistricza* vocatur. In tabella Graeciae, Cellas inferius ponit, Celetro praetermisso. Mensura Tabulae XLV M. P. positionem eximie firmat, in qua numeri sunt, oscitantia scribarum, permutati. Quibus positis; Orestidem quoque ad Astraeum in Macedonia, non ad Aoum in Illyride, vt vulgo geographis notatur, habebimus.

Edessa. XLV. Vess. *Edessa.* XLV. Hodoeporicon, itinere Dyrrachino, *Edessa.* XXVIII. in quibusdam, *Edissa*, *Cedissa;* itinere Apolloniensi, *Edessa.* XXXIII. Burdigalense, *mutatio ad Duodecimum.* XVI. *ciuitas Edissa.* XII. Numeros in Tabula esse permutatos, supra monebamus; nam ab *Kiofter* Edessam sunt mill. geogr. septem, seu M. P. XXXV. Tabula tribus minus, Hodoeporicon duobus, censent, quae in vicos abierint. Sunt numi loquentes peruetusti Edessae; sed, qui vrbis ante Polybium meminisset, non reperi. Is *Ἔδεσαν*, *Edesam,* vocat, vti Strabo quoque; Ptolemaeus *Αἴδεσσαν*, *Aedessam;* nonnulli, fabulas secuti, *Aegas* dixerunt, vt Nepos, Iustinus, Diodorus. Est oppidum *Edessa*, laeuo Erigonis seu Bistricae latere, supra confluentem Astraei XV M. P.

(a) L. XXXI. c. 40.

Pella. xIv. sic Vess. Hodoeporicon, *Pella.* xxvIII. itinere alio, *Diocletianopolis.* xxx. Burdigalense, *mutatio Scurio.* xv. *ciuitas Pelli.* xv. Sunt ab Edessa Pellam mill. geogr. quinque, cum duabus quintis, seu M. P. xxvII. In Tabula, scribarum culpa, numerus prior est iteratus; subsequente xxvII. qui huc quoque referri debet. Pellam vrbem retulimus alias. De Diocletianopoli, et Scurio, disputat Wesselingius, nihil definiens. Ego, absque machina et ambagibus, via Egnatia progressus, eo interuallo deprehendo Pellam, quam Diocletianus ab se nuncupari voluerit. *Scurium* est Κυριὸς, *Cyrius*, Ptolemaei, hodie *Bistricza*, ad confluxum Erigonis cum Astraeo. Vtrum *Cyrnus* Diodori, quam Wesselingius Κύῤῥος, *Cyrrus*, vocari iubet, huc pertineat, contendere nolim; loca mihi diuersa videntur.

V. Altera in mediterraneis via est ab Scupis Dardaniae ad Stobos Paeoniae directa, quam e vetustate vna seruauit Tabula; neque enim Hodoeporicon hanc Macedoniae plagam, Dardanis vicinam, adiit. Vtriusque vrbis, *Skopje* et *Stobi*, vocabula superant, illius ad Axium recentem, huius ad amnem Axio ab occasu mixtum; quare, viam secus Axii ripam processisse, vt Delisle quoque notauit, opinari licet. Itaque a Scupis, Tabulae *Scunis*, haec sequuntur:

N.----. xxI. aedes quadra, amplior, quali praetoria et aquae signari solent; sic Vess. Delisleo, *Aquae*, ripa laeua, Danuilleo dextra. Est oppidum *Bagni*, latere amnis sinistro, ex aduerso confluentis riui cuiuspiam, a Dibra defluentis. *Bagn*, seu *Bany*, scaturiginem notat, vox Italis quoque vsitata. Inscriptio loci fuerit, pro more, Aquis.

Anausaro. xII. Vess. *Anausaro.* xII. Delisle, *Anausarus*, ripa laeua; Danuille, ad confluxum riui, a borea decurrentis, laeua Axii ripa, *Bylazora*, ex Polybio, cuius haec sunt: Philippus, κατελάβετο Βυλάζωρα μεγίστην οὖσαν πόλιν τῆς Παιονίας, *Bylazora*, *maximam Paeoniae vrbem*, occupat; quae ita opportune imminet illis locis, per quos e Dardanica aditur Macedonia, vt ea capta omni propemodum metu de Dardanis liberaretur." (a) Liuius haec modo: vastatis proximis Illyriis, in Pelagoniam eadem celeritate vertit iter; inde Dardanorum vrbem, sitam in Macedonia, transitum Dardanis facturam, cepit." (b) Quare, si Anausarus, seu Anasaurus, est *Bylazora*, vox Dardanis candidam auroram significans, situm eius recte notauit Danuille; praecessor eius Delisle distinguit loca, Homannus eo agro *Kaprulih* habet; sed *Krupulik* est inferius, et ea charta est perquam mendosa; in melioribus ager is est locis vacuus.

Ad fines. xxxII. Vess. *Ad fines.* xxxv. Delisleo; *Fines.* ripa laeua; etiam Danuille, ad confluxum amnis, a borea venientis, oppidi *Doja* situ. Fines Dardanorum Paeonumque, per iuga montis Borae, heic fuisse, e supra

---

(a) L. V. c. 97. (b) L. XXVI. c. 25.

dictis colligere licet; quos Danuille hoc tractu rite ſignauit; nam Deliſlei tabulae multis ſunt refertae naeuis.

Ad hercule. VIII. Velſ. *Ad Hercule.* VIII. Deliſle, *ad Herculem*, ripa laeua; Danuille, miſſo Hercule, Praeſidium eo interuallo ſtatuit. Manſio haec fuerit ad montem *Prilipe*, haud longe a fontibus amnis, Stobos praefluentis, vbi Danuille, in Atlante, Praeſidium ponit. In chartis recentioribus nihil eo comparet agro; apud Ortelium *Vodana*, *Slarichno*, ibi viſuntur.

Preſidio. VIIII. Velſ. *Preſidio.* VIIII. Deliſle, *Bylazora ſiue Praeſidium*, ripa Axii laeua; ſic in tabella Graeciae Danuille, Bylazora ſuperius poſita; in Atlante rectius amni Stobenſi admouet Praeſidium. Eius latere dextro recentis eſt oppidum *Prilipe*, quod ſignificatu cum *Bylazora* intime conuenit; ſed ſitus vrbis ſupra dictus ſententiae veterum magis reſpondet. Hoc praeſidium erat Romanum, absque inſignibus; Bylazora olim interierit, in Anaſaurum poſtea conuerſa.

Ad cephalon. VIIII. Velſ. *Ad Cephalon.* VIIII. Deliſle, *ad Cephalum*, ripa Axii laeua; Danuille praeterit. Locus ab inſigni capitis, forſan bubuli, nuncupatus, amni Stobenſi adſitus fuerit, olim deſolatus.

Gurbita. XIII. ſic Velſ. Deliſleo, *Gurbita*, inter Axium et Stobenſem fluuium. Ptolemaeo, ſitu Gurbitae *Ανδάϱιστος*, *Andariſtus;* quae tamen loca committere non auſim, neque *Rundrico* Ortelii iſthuc referre; quod ea oppida diuerſum habere ſitum poterant; apud Ortelium poſitio locorum eſt dubia, et plerumque erronea. Ad amnem Stobenſem fuiſſe Gurbitam, interualla oſtendunt.

Stopis. VIII. inſignia municipii; ſic Velſ. Norunt Stobos, Liuius, Plinius, Ptolemaeus, Vlpianus, Hierocles, epigraphae, numi. Ptolemaeo, *Στόβοι*, *Stobi;* Hierocli, *Στόλοι*, *Stoli.* Plinius: *Oppidum Stobi ciuium Rom.* In marmore quodam, L. Valerius Maximus, STOBIS. In pecunia Domitiani, MVNICIP. STOBENSIVM. Elagabali, STOBENVM STOBENIVM. Eſt oppidum *Stobi*, laeua amnis, Axium, ſeu Vardarum petentis ripa, XXX M. P. ſupra confluentem.

VI. A Stobis via in tres diuiditur partes, vna Serdicam, altera Idomenen, tertia Heracleam Oreſtidis, petunt; quarum binae poſteriores Theſſalonicae concurrunt. Has ordine, quo recenſae ſunt, perluſtrare libet. Serdicam verſus occurrit,

Tranupara. XXX. ſic Velſ. Habent Deliſle, Danuille, Haſius; quorum alter variat, in tabella Graeciae, ad lacum quemdam, amni ab Aſtibo decurrenti iunctum, qui in chartis recentioribus non comparet; in Atlante, ad laeuam Axii collocat. Numeri ducunt ad fluuium Aſtibanum, X M. P. ſupra confluxum cum Vardaro, vbi nullus comparet locus. Neque Tranuparae meminit alter. E numeris Ptolemaei, *Τέϱπυλλος*, *Terpyllus*, Mygdoniae iſthuc quadraret, ſed vocabula diſcrepant. Eſt autem Tranupara vox oris Threicii, quae cum Traiano nexum habere videatur.

Astibo. xx. Vell. *Astibo.* xx. A via militari, tamquam *Στίβος*, nomen acceperit; nisi graece inuium dici malis. Delisle, eiusque adseclae, Hasius, et Danuille, habent; sed Hasius asterisco notat locum desolatum, cum oppidum *Istib*, laeua amnis Axium petentis ripa, situ antiquae vrbis, consistat; Danuille dextra signat. Vtrum *Ἄσσορος*, *Assorus*, Ptolemaei, in Mygdonia, isthuc referri queat, terminare non ausim; quod voces sono dissident. Pautalia, quae ad I. inde lapidem sequitur, in Moesiam cadit, cui *Giustendil* oppidum, dextro recentis *Eszker* latere, situ respondere, in ea prouincia ostendimus. Altera a Stobis via Thessalonicam ducens, sic habet:

VII. Antigonia. xii. Vell. *Antigonia.* xii. Norunt oppidum, Plinius, Ptolemaeus, Stephanus; iste iungit Stobis, *mox Antigonea;* ille, in Mygdonia, *Ἀντιγόνεια*, *Antigonia;* hic inter plures homonymas vrbes, *τρίτη Μακεδονίας*, *Ἀντιγόνου κτίσμα τοῦ Γονάτου*, *tertia Macedoniae*, *ab Antigono*, *Gonatae filio, condita.* Danuilleo, in Atlante, laeua Stobeni amnis, in tabella Graeciae dextra; ad ripam fuisse, viae ratio innuit; hodie nullus comparet ibi locus.

Stenas. xi. Vell. *Stonas.* xi. Delisleo, *Stonae*, dextra memorati amnis, ad lacum, qui heic non visitur; Hasio laeua Axii; Danuille praeterit. Ad ripam Stobeni amnis fuisse Stenas aut Stonas, ex viae ductu arbitrere.

Idomenia. xii. sic Vell. Memoratur Thucydidi, Ptolemaeo, Stephano, iste, *Εἰδομένην*, *Idomenen*, vi cepit, Gortyniam deditione; et pluratiue, *ἐν Ἰδομέναις*, *in Idomenis;* ille, *Ἰδομένη*, *Idomene;* hic vtraque forma, *Εἰδομένη*, *Idomene*, et *Ἰδομεναὶ*, *Idomenae*, tamquam diuersae. Habent Delisle et Hasius, situ non recto; Danuille, *Idomene*, in confluxu Stobeni et Vardari amnium, vbi hodie quoque oppidum *Idomeni.*

Tauriana. xx. sic Vell. Delisle, *Tauriana*, prope lacum *Osztrovo;* Danuille et Hasius praetereunt. Fuerit laeua Axii, viii M. P. supra paludem *Osztrovo*, in quam *Calico* amnis exoneratur. Homannus circiter haec loca habet vicum *Bardar*, qui vtrum Taurianae respondeat, nescio; charta enim mendosa est; adcuratiores locis hoc tractu carent.

Gallicum. xviii. sic Vell. Signant *Gallicum* hoc, cuius veteres non meminerunt, Delisle, Danuille, Hasius; et iste quidem in *Calico* et *Veratasar* amnium confluente, ripa laeua. Habet Ptolemaeus oppidum in Mygdonia *Καλίνδοιαν*, *Calindoeam*, quod mihi cum Gallico Tabulae conuenire videtur. Delisle, numeros Ptolemaei secutus, *Alindoia* seu *Calindaea*, superius, ad Axium, notat. Inde xvi M. P. Thessalonicam vsque rite distribui possunt. Via a Stobis tertia aeque Thessalonicam petit, sed per Heracleam, hac serie:

VIII. Euristo. xii. sic Vell. Europum quis esse putet, cuius Plinius et Ptolemaeus ad Axium meminerunt; sed viae ratio *Cyrrhum* exposcit, quam Danuille situ *Filurina* oppidi, Ortelio *Florina*, medio fere Erigonem inter et Stobenum amnem spatio, recte posuit. Thucydides, in reliquam progressus est

Macedoniam, quae ad finiftram *Πέλλης καὶ Κύῤῥου*, ***Pellae et Cyrrhi***, iacet. (a) Inde Plinii *Cyrrheftae*, in Macedonia. Weffelingius, Diodori *ἐν Κύρνῳ τῆς Ἀθηνᾶς*, *templum Mineruae in Cyrno*, vult *ἐν Κύῤῥῳ*, *in Cyrrho*, legi; vnde *Ἀθηνᾶς Κυῤῥέστιδος*, *Mineruae Cyrrheſticae*, apud Strabonem et Stephanum mentio. Ptolemaei *Κυριὸς*, *Cyrios*, in Emathia, cum *Scurio* Burdigalenfis, longius in auftrum, ad Erigonis et Aftraei confluxum, fito, cognationem habeat; vt fupra monebamus Quae fi recte habent, in Tabula numeri fint permutati; nam XXIIII M. P. quae fequuntur, Stoborum a Filurina diftantiae conueniunt. Delifleo *Andariftus forte Euriftus*, prope dextram Erigonis, quem non dum attigimus.

Ceramie. XXIIII. Velf. *Ceramie.* absque numero. Strabo, ad Erigonem, *ἐπὶ τῷ Ἐριγῶνι*, vrbes Deuriopum frequentatas ait, quales *τὸ Βρυάνιον*, ***Bryanium***, Alalcomene, Stymbara." (b) Danuille, verba geographi fecutus, laeuo Erigonis latere Bryanium pofuit, XII M. P. fupra confluentem Aftraei. Qui fi recte hariolatus eft, *Ceramie* Tabulae erit Bryanium Strabonis. Propius quidem Cyrios Ptolemaei cum Ceramie conueniret; fed id oppidum alteri loco adcommodatius eft. Homannus, Hafium fecutus, *Ceramie* cum afterifco ad recentem Aftraeum, fupra Heracleam, fignat; rectius Danuille notauit. Ortelius eo agro *Coiari* et *Novigradi* habet, quorum alterutrum Ceramiis refpondeat.

Heraclea. XI. fic Velf. Ab Erigone ad alueum occiduum eiusdem, vbi Heracleam oppido *Xenoxua* adplicuimus, XI M. P. rite diftribuuntur. De Heraclea hac Lynceftide fuperius dictum erat.

IX. Supereft via ab Heraclea Sintica Philippos, aeque duplex, altera per Scotufam, per Euporiam altera; vtramque fignat Delifle; quaedam loca et Danuille cum Hafio exprimunt. Itinera haec vna e vetuftate feruauit Tabula, in qua prius fic habet:

Heraclea fantica. infignia municipii; ponitur tamquam viae ab occafu hac parte terminus, nullum cum vlterioribus nexum habens. Sinti, antiquus Threicii generis populus, Homero *Σίντιες ἄνδρες*, ***Sinties viri***, quorum ager *Σιντική*, *Sintice* vocatur Thucydidi, qui Sintos inter et Paeonas Cercinam montem diuidere ait. Vrbem norunt, Caefar, Liuius, Plinius, Ptolemaeus, alii. Caefari *Heraclea Sentica;* fed qui ibi forfan Lynceftidem refpexit; (c) *Heracleam Senticam, quae eft fubiecta Candauiae*, nominans; quae verba Lynceftidi conueniant. Liuius: *Heraclea, quam Sinticen adpellant.* (d) Plinio, *Heraclea Sintica;* Ptolemaeo, *Ἡράκλεια Σιντική*, *Heraclea Sintice;* Hierocli, *Ἡράκλεα Στρυμοῦ*, feu *Στρύμονος*, *Heraclea Strymonis.* Danuille XX M. P. fupra

---

(a) L. II. p. 170. (b) L. VII. p. 327. (c) L. III. c. 79. (d) L. XLV. c. 29.

Serras, dextro *Marmora* amnis, quem Pontum vocat, latere ſignat Heracleam; qui locus hodie deſolatus eſt. Homannus cum Haſio ad Strymonem referunt; Danuilleo praeiuit Deliſle. Sequitur itinere priori,

Scotuſa. IIII. ſic Velſ. Ptolemaeo, in Odomantica, *Σκότουσα*, *Scotuſa*, Harduinus *Σκοτοῦσσα*, *Scotuſſa*, legit, diuerſa a Pelaſgiotide. Incolae Plinio *Scotuſſaei*. Danuille, ab Heraclea Strymonem verſus, in exortum aeſtiuum, ponit, quo ductus argumento, ignotum; quod nullus ibi comparet locus, numeri autem et viae ratio, Scotuſam ripae *Marmora* fluuii admoueri debere, ſuadent.

Sarxa. XVIII. ſic Velſ. Deliſleo, *Sarxa*, laeua Strymonis ripa; Danuilleo, *Serrae*, ſiniſtro *Marmora* amnis latere, vbi hodieque oppidum homonymon ſignari videas, numeris loco reſpondentibus. Hierocli *Σέῤῥαι*, *Serrae*, in Macedonia, Heracleae iunctae; conciliis *Σεῤῥῶν*, *Σεῤῥαίων πρώτης Μακεδονίας*, *Serrorum*, *Serraeorum Macedoniae primae*. Poſtea inclaruerit oppidum, quod antiquiores eius non meminerunt.

Strymon. XIII. ſic Velſ. Deliſle oppidum huius nominis laeua Strymonis notat; Danuilleo *Gazorus* ibi eſt, ex aduerſo *Tricala* oppidi. Tabula infra illud amnem traiecerit; qui ager iam in cenſu Thraciae reputatur, quam iuga montis Scomii, deinde Meſſapii, a Macedonia dirimebant. Reliqua huius itineris loca in Thracia dicemus.

X. Altera ab Heraclea Sintica via procedit per Euporiam, et binas praeterea manſiones, Philippos vſque, LII M. P. interuallo, tribus ſcilicet minus, quam priore; Deliſle, ductum Tabulae ſecutus, ab occaſu, tractu longiore, progreditur; ſed recta Tricalam petiſſe iter, oſtendunt numeri. Proinde *Serrae* et *Marmora* oppida laeuorſum relinquuntur. Sic autem ab Heraclea manſiones ſe ſe excipiunt:

Euporea. XVII. Velſ. *Eŭporea*. XVII. Ptolemaeo, *Εὐπορία*, *Euporia*, in Biſaltis. Habet Deliſle, ſitu non incommodo; Danuille praeterit. Ex numeris incidit inter Serras et Tricalam, paullo borealius, ad pedem Meſſapii montis; vbi nullus hodie ſignatur locus.

Graero. VIII. ſic Velſ. Deliſleo, *Graerus*, prope dextram Strymonis. Sunt apud Ptolemaeum *Βέργα*, *Berga*, Biſaltiae, *Βαῖρος*, *Baerus*, et *Καραβία*, *Carabia*, Mygdoniae, oppida vicina; reſpectu Euporiae, Berga Graero reſpondere videtur. Eſt oppidum *Tricala*, ripa Strymonis dextra, in cenſu Thraciae; vbi et Truilum, quod ſequitur, referemus. Haec erat Macedonia, terrarum imperio potita quondam, vt inquit Plinius, oppidis et vrbibus frequens, hodie in ſqualore ſepulta ac deſolata cubans.

SECTIO III

EPIRVS

§ I

Nuncupatio et fines.

I. NOMEN *Ἤπειρος*, *Epirus*, iam Poetarum patri Homero innotuit; quae vox continentem ſignificat, ab incolis Scheriae ſeu Corcyrae ei regioni impoſita. Idem Vates partem eius terram Theſprotum adpellat; nouit Ephyros et Sellos, prouinciae incolas. De origine et claſſibus populorum Epiri et vicinorum Strabonem audire libet: (a) Thraces, et Illyrii, et Epirotae etiamnum Graeciae cingunt latera; quod ipſum quondam magis fuiſſe, quam nunc, liquet; quando hodie eius prouinciae, quae citra controuerſiam eſt Graecia, multas partes barbari obtinent. Macedoniam nimirum Thraces, et quasdam Theſſaliae partes; ſupra Acarnaniam et Aetoliam ſita, Theſproti, Caſſopaei, Amphilochi, Moloſſi et Achamanes, nationes Epiroticae." Polybius, apud eumdem, LXX vrbes Epirotarum a Paullo Aemilio euerſas memorat, quarum ne veſtigia quidem ad ſua tempora ſuperarint. Ceterum e geographo id collegeris, Epirotas genere ab Graecis, Thracibus et Illyriis fuiſſe diuerſos, vtpote barbaros; qui procul dubio erunt, quos hodie quoque Epirotas, Arnautos, Albanenſes, Clementinos vocamus, ab Graecis Illyriisque lingua diuerſos.

II. Epirum Scylax non memorat, ſed Oricios, Illyriis aduerſos, deinde Chaones, Theſprotios, Caſſopos, Moloſſos; quos a Strabone Epirotis adcenſos vidimus; deinde Ambraciam, Acarnaniam, Aetoliam, et reliquas Graeciae proprie dictae prouincias; quas et nos ſuo dicemus loco. In Tabula, prauato a poſtremis eius architectis vocabulo, EPIRVM NOVVM. literis minio pictis, ab Aulone ad Nicopolim, cui epigraphae Aous fere parallelus ab exortu praetenditur. Inſcriptio haec ex aetate Theodoſiorum eſt, qua in ſex Macedoniae prouinciis duae Epiri cenſebantur, *vetus* et *noua*; neutrum Tabulae genus,

---

(a) L. VII. p. 321.

ore prorſus barbaro prolatum, eſt inuſitatum. Fines Epiri, ab occaſu ora maris Ionii; a ſeptemtrione Ceauniorum, deinde Cercetii iuga; ab exortu Pindus; ab auſtro ſinus Ambracius et Corcyra. Expanditur a gradu longit. 37 ad 39 min. 42. latit. grad. 39 min. 20. ad 40 min. 30. Maxima longitudo eius a Chimera ad fontem Phoenicis, M. P. CLXX. latitudo ab oſtio Inachi ad fontem Apſi, M. P. C. ſecundum rationes Danuillei. Strabo a Cerauniis montibus ad os Ambracii ſinus MCCC ſtadia, ſeu M. P. CXL numerat. Pars potior *Chimera* vocatur.

§ II

Montes, promontoria, inſulae, fluuii, portus.

I. EX montibus ſunt Ceraunii ſeu Acroceraunii, Cercetius, et Idomeus; priores in Illyride promſimus, quorum iuga per Chaoniam discurrunt, ad Panormum, et Onciſmum portus, Strabone teſte; hodie *monte della Chimera* Italis. Idomeus inter Acheloum et Inachum fluuios protenditur a Peneo ad ſinum Ambracium. Omnia haec iuga vno tractu expreſſit Tabulae auctor, ex eo Aoum Illyridis deducens, qui proprie in Lacmo, *Stymphe* hodie, veteri vocabulo *Στύμφη* Straboni, *Τύμφη*, *Tymphe*, Stephano, originem ſumit. Idomei, et vicini Pindi, tractum chartae recentiores *Melzovo* adpellant.

Mons Tomarus, Tmarus, Tamarus, Straboni, Plinio, Solino, Stephano memoratus, cui ab occaſu Celydni fontes, ab exortu Dodonaei Iouis templum erat ſubiectum, in tria praecipua diuiditur iuga, inter Xanthum, Thiamin, et Acherontem amnes procurrentia. Strabo, *ὁ Τόμαρος, Τάμαρος, ἢ Τμάρος, ὑφ' ᾧ κεῖται τὸ ἱερὸν, Tomarus, Tamarus, vel Tmarus, ſub quo templum eſt ſitum.* Plinius: Moloſſi, apud quos Dodonaei Iouis templum, oraculo illuſtre; Tomarus mons centum fontibus circa radices, Theopompo celebratus." Amni Celydno eſt *Vojusha* nomen; mons vocabulo Chimerae continetur.

II. Hs. Crocira. ſic Velſ. fanum Iouis Caſſii. Homerus, *Σχερίην*, *Scheriam*, nuncupat; ad quem ſcholiaſtes: vocatur Phaeacum inſula, quae poſtea dicta eſt Corcyra; antiquiſſimum vero nomen fuit *Δρεπάνη*, *Drepane*. Graecis, *Κέρκυρα*, *Cercyra;* Scylaci tamen *Κόρκυρα*, *Corcyra*, in qua vrbs graeca, cum tribus portubus, vergit magis ad Theſprotiam, quam ad Chaoniam. His addere Plinium iuuat: (a) Inſulae ex aduerſo Theſprotiae, a Buthroto duodecim mill. paſſ. eadem ab Acroceraunis quinquaginta mill. cum vrbe eiusdem nominis Corcyra; liberae ciuitatis et oppido Caſſiope, temploque Caſſii Iouis, paſſuum nonaginta ſeptem mill. in longitudinem patens; Homero dicta

---

(a) L. IV. c. 19.

Scheria et Phaeacia, Callimacho etiam Drepane." Fani Iouis Caſſii meminit etiam Suetonius in Nerone. Hodie nomen inſulae *Corfu*, ab arce κορυφῷ apud Nicetam dicta; eſt enim in loco edito; oppidum vero *S. Maria di Caſſiope*, tamquam *Κασσίου ὄπη*, *Caſſii* Iouis *foramen;* vt Harduinus interpretatur. Longa eſt inſula, ſecundum Danuille, XLV M. P. lata apud Caſſiopen XX. Plinius oram legerit, cum XCVII M. P. longam adſeruit.

III. Fluuii minutiores ſunt in Epiro plures, quorum ne veteres quidem omnium prodidere nomina; ab Corcyra, Xanthus, Thiamis, Cocytus, Acheron, Auas, Arachtus, Inachus, Achelous; quorum poſtremus cum alueo notatur, qui recens modo fines Epiri ortiuos tranſit, reliquo defluxu Acarnaniae adſcribitur. Portus bini comparent, ad Corcyram vnus, alter ad Acherontis oſtium.

Port. latere inſulae ortiuo; Velſ. *Port.* Apud Oricum portus meminit Caeſar, in quo tres cohortes praeſidio conſiſtebant. (a) Apud Corcyram autem, vbi noſter conſtitiſſe videtur, tres nouit Scylax: Circa Chaoniam Corcyra inſula eſt, et vrbs graeca in ea, *λιμένας ἔχουσα τρεῖς κατὰ τὴν πόλιν τούτων ὁ εἷς κάλλιστος*, *habens tres portus*, *quorum vnus pulcerrimus eſt.* Vrbem intelligit inſulae cognominem, quae oram portubus in primis idoneam tenebat. Strabo, ab Chaonibus ad ſinum Ambracium, oram MCCC ſtadia procurrere, eoque interuallo *Πάνορμός τε λιμὴν μέγας*, *ἐν μέσοις τοῖς Κεραυνίοις ὄρεσι. καὶ μετὰ ταῦτα Ὄγχισμος λιμὴν ἄλλος*, *Panormus eſt*, inquit, *portus magnus*, *in mediis Ceraunìis montibus; et mox alius Onchiſmus*, *cui occiduae extremitates Corcyrae opponuntur; καὶ πάλιν ἄλλος*, *Κασσιόπη*, *rurſumque alius*, *Caſſiope*, a quo ad Brunduſium ſtadia ſunt MDCC. totidemque ad Tarentum, ab alio promontorio, quod magis quam Caſſiope ad auſtrum vergens, Phalacrum dicitur." *Sidari* huic promontorio nomen. Danuille, praeceſſorem Deliſleum ſecutus, omnia haec Strabonis rite ſignauit; ſed portuum Scylacis oblitus eſt.

Ciclis limen. in via, ad XX ſupra Nicopolim lapidem; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Glycis limen.* Scylax, oram Theſprotiorum bonos portus habere, ait; quorum vnus nomine *Ἔλαια*, *Elaea;* qui ſit Strabonis *Πηλώδους λιμὴν*, *Pelodis portus*, ſeu coenoſus, ad oſtium Xanthi. Ptolemaeus diſtinguit, *Ἐλαίας λιμὴν*, *Elaeas portus*, et *Πηλώδης λιμὴν*, *Pelodes portus;* ſed oppidum *Ἐλαιοῦς*, *Elaeus*, in Chaonia, neſcio, an recte a portu tam longe remoueatur; quod Cellarius nusquam ab aliis memoratum, ait. Poſt Sybota inſulas, Straboni ſunt, *ἄκρα Χειμέριον*, *καὶ Γλυκὺς λιμὴν*, *εἰς ὃν ἐμβάλλει ὁ Ἀχέρων ποταμός*, Chimerium promontorium, et Glycys portus, in quem influit Acheron amnis, ex Acheruſia palude, aliique complures, ita vt dulcis aquae ſinus fiat." (b) Danuilleo, *Glykis lime*, rectius ſignatur, quam Deliſleo; chartis hodie *Glykeon* ſeu *Vlike*

(a) L. III. B. C. c. 8. (b) L. VII. p. 324.

§ III

Oppida, manſiones.

I. BINAE modo viae ſunt in hac regione montana, quarum altera tenet oram, altera per mediterranea progreditur, magnis nonnumquam locorum interuallis. In priore comitem ſe Hodoeporicon praebet; poſteriorem vna ſeruauit Tabula. In hac ab oppido et promontorio Acroceraunio, quod in Illyride poſuimus, haec habentur:

Phenice. xli. Velſ. *Phenice.* xli. Hodoeporicon, itinere ab Aulona in Epirum et Theſſaliam, per loca maritima, *Phoenice.* XLI. in aliis, *Poenice*, *Phenice.* Meminerunt oppidi, Polybius, Liuius, Strabo, Ptolemaeus, Hierocles. Polybio, *τῆς Ἠπείρου Φοινίκη*, *Epiri Phoenice.* (a) Liuio: *Phoenice vrbs eſt Epiri.* (b) Strabo: ſupra ſinum, qui iuxta Buthrotum eſt, ſita eſt Poenice." Ad quae Cellarius: At in Tabula Peutingeri vetuſtiſſima inter Phoenicen et Buthrotum eſt ſpatium LVI milliarium, vt Buthrotum pro Panormo irrepſiſſe videatur." Ptolemaeo, in Chaonia, *Φοινίκη*, *Phoenice;* Hierocli, in Epiro veteri, forma eadem. Eſt oppidum *Gramata*, laeuo effluentis riui cuiuspiam latere; Danuille dextro poſuit, XX M. P. ab Chimera; cuius a Tabula praeteritae nomen ſuperat. Deliſle, *Phanotes ſeu Phoenice*, *poſtea Hadrianopolis*, in mediterraneis; quae non bene cohaerent.

Rutharoto. lvi. ſic Velſ. Cellarius emendat, *Buthroto*, quod ex Hodoeporico ſumſiſſe videtur, cum in Tabula, etiam a Velſero edita, *Rutharoto* ſcribatur. Hodoeporicon, *Butroto.* LVI. Monet Surita, in vetuſtis Caeſaris, Ciceronis, et Plinii codicibus, *Butrotum*, absque adſpiratione, legi. Strabo: *Βουθρωτὸν ἐποίκους ἔχον Ῥωμαίους*, *Buthrotum colonos Romanos habet.* Numi, AVGVSTVS BVTHR. item, C. A. BVT. EX DD. Stephano, *Βουθρωτός*, *Buthrotus*, peninſula circa Corcyram; Ptolemaeo, *Βουθρωτὸν κόλπος*, *Buthrotum ſinus.* Incolae *Buthrotii*, Ciceroni, *Buthrotia* cauſſa, *Buthrotius* ager. Eſt oppidum *Butrinto*, Ortelio *Butintra*, in peninſula, quam Xanthus amnis in lacum influens, III M. P. ſupra mare, efficit, ſitum. Intermedia loca Itinerariis praeterita, ſunt Photice, *Sopoto;* Panormus, *Panorma;* Onciſmus, *Agioi Sarante.*

II. Ad dianam. VIII. fanum Deae. Velſ. *Ad Dianam.* VIII. Deliſleo et Danuilleo, *ad Dianam;* ſed huic XVIII M. P. a Buthroto. In chartis recentioribus, omne ſpatium inter *Butrinto* et *Glykeon* quinque mill. geogr. cum vna quinta comprehendit, ſeu XXVI M. P. Danuille XXXII numerat, Hodoeporicon

(a) L. II. c. 5. (b) L. XXIX. c. 12.

ſecutus. Fano Dianae, quod alias non reperio, reſpondet oppidum maritimum *Comenizze;* vnde ad v in exortum lapidem *Margaritim* oppidum conſpicitur; quod Dianae nuncupationi conuenit.

Ciclis limen. XIII. Velſ. *Ciclis limen.* absque numero. Hodoeporicon, *Clycis limen.* XXX. a Butroto; in Regio, *Clicis limen;* Neapolitano, *Clitis limen;* Weſſelingius, ex Tabula, *Clicis* legit. Straboni, ad Chimerium, ſeu hibernum, promontorium, *Γλυκὺς λιμὴν*, *Glycys*, ſeu dulcis, *portus*, ab aqua dulci, vnde et ſinui nomen, vbi portus *Fanari* hodie. Meminit eius et Dio Caſſius. (a) Eſt oppidum *Glykeon*, ſupra Acheruſiam paludem, in quam Acheron fluuius ſe exonerat, ripa exeuntis dextra. Danuilleo heic *Cychirus;* ad mare, vbi *Parga* oppidum, *Glykis lime*, ponitur. Ego manſionem ſuperne fuiſſe puto, portum inferne.

Actia nicopoli. XX. Velſ. *Acta nicopoli.* XX. Hodoeporicon, *Actia Nicopoli.* XX. Simlerus, vel *Actianopolis;* in Regio, *Ctia Nicopoli;* Neapolitano, *Aciuam popolim;* in quibusdam, *Acuniani popolim*, *Accianinopoli.* Rauennas, *Actia Nicopoli.* Opus Auguſti Imp. in memoriam victoriae, de Antonio et Cleopatra relatae, e ruinis vicinarum vrbium, conditum; cuius Strabo, Plinius, Tacitus, Pauſanias, Ptolemaeus, Dio, Stephanus, alii meminerunt. Plinio, colonia Auguſti Actium, cum templo Apollinis nobili, ac ciuitate libera Nicopolitana." Tacito, *colonia Romana.* Notitia epiſcopatuum Graeciae, *Νικόπολις, ἡ νῦν Πρέβεζα*, *Nicopolis, quae nunc Prebeza.* Hodie, *Preveſa vecchia*, v M. P. in exortum ab vrbe cognomine, prope dextram effluentis Auantis; vt recte ſignauit Danuille. Apud Actium concurrunt viae mediterraneae ab Ilio et Lariſſa, quas mox luſtraturi ſumus. Sequitur in ora Dioryctus, trans fretum, in Leucadia; quam ſuo dicemus loco.

III. Itinera mediterranea duo ſignantur, eaque vtcumque prolixa, ſed manſionibus paucis frequentata; vnum eſt ab Apollonia, ſecus Celydnum fluuium, Nicopolim; alterum ab Actio Lariſſam, intermedia manſione nulla. Prius ab Apollonia habet Amantiam M. P. XXX. quam Illyridi adſignauimus; inde venit,

Hadrianopoli. LV. ſic Velſ. E numeris incidit oppidum in *Argyro caſtro*, ripa Celydni, *Vojuſha*, amnis dextra; et videtur vocabulum ex Hadrianopoli deminutum. Ptolemaeo in mediterraneis Chaoniae eſt oppidum *Ελαιοῦς*, *Elaeus*, vt obliquae vocis terminatio ſit Eleuntis; forſan *Αἰλαιοῦς*, *Aelaeus*, ſcribi debebat, vt ad Hadrianum referretur; niſi oppido ſequenti aptius reſpondeat. In quodam marmore Dyrrachino, Calocerus Gubernii filius, ortus in AELIA EPHYRA. quae forſan cum Hadrianopoli cognationem habebit. Erat etiam ager in vicina Theſprotide *Elaeatis* dictus, Thucydide teſte, in quo vrbs

(a) L. L. c. 12.

Εφύρη, *Ephyra*, eidem memorata. Id olim loci fuerit nomen, vt ex *Argyro* opinari licet. Nonnulla de manſione hac et in Illyride protulimus.

Ilio. xxiiii. Velſ. *Ilio.* xxiiii. Numeri ad exortum Celydni ducunt, vbi Danuille quoque *Ilion* poſuit; Deliſleo *Eleus* eſt, ex Ptolemaeo; de quo paullo ante diſſeruimus. Si *Ελαιοῦς*, *Elaeus*, Schotti edito *Ελαιὸυς*, reapſe huc pertinet, olim *Αἴλιον*, *Aelium*, fuerit nuncupatum, ab eodem Imperatore Hadriano, qui hanc viam inſtituerit. Inde coſmographus Elaeunta, Thucydidem reſpiciens, Tabulae architecti poſtremi *Ilium*, procuderint.

N. ----. xii. ſic Velſ. Occurrunt iuga montis, et fons *Vojuſſa*, ſeu Celydni, amnis; altero montis latere ſurgunt Thyamis et Acheron, ſinum Corcyrenſem petentes. Numerus traiectum montis deſignet, cum nullus addatur locus. Interualla porro Tabulae ſunt hoc itinere adcurata. Conſequitur,

Actia nicopoli. xlv. Velſ. *Actanieopoli.* xlv. Auctor itineris, monte Ceraunio, qui heic *Stymphe* dicitur, traiecto, ſecus Acherontis ripam proceſſit, Pandoſiam vſque, deinde flexit verſus Auantis oſtium, prope quod Nicopolis conſiſtebat, ad quam numerus xlv a monte praedicto adcurate ducit. De vrbe dictum ſuperius. Reſtat via,

Ab actia nicopori. Lariſſa. vſq. Milia. Lxx. Velſ. *Ab actia nicopori. Lariſſa. vſqi. Milia.* abſque numero. lxx M. P. id ſpatium metiuntur adcurate. Fuerit vetus via militaris, quae traiectis Pindi, *Melzovo* hodie, iugis, dextra Penei progreſſa, petebat Lariſſam; de qua ſequenti ſectione agemus. Viae ductum Deliſle non ſignauit, Lariſſa cx M. P. a Nicopoli remota; Danuille diſtantiam expreſſit rectius. Haec de Epiro dicere licebat.

S E C T I O IV

H E L L A S

§ I

Nuncupatio et fines.

I. OLIM in populos diuiſa regio ſuis parebat dynaſtis; vt ex Homero colligere licet. Scylax Graeciam proprie dictam a ſinu Ambracio incipit: *Εντεῦθεν ἄρχεται ἡ Ἑλλὰς, συνεχὴς εἶνα μέχρι Πηνειοῦ ποταμοῦ, καὶ Ομολίου Μαγνητικῆς πόλεως*, *Hinc Graecia contigua eſſe incipit, vſque flumen Peneum, et Homolium Magneſiae ciuitatem, quae eſt ad fluuium.* In ea cenſet Acarna-

niam, Aetoliam, Locros, Phocenſes, Boeotos, Megarenſes, Corinthios. Plinius, de tertio Europae ſinu: In eo, inquit, Epirus, Acarnania, Aetolia, Phocis, Locris, Achaia, Meſſenia, Laconia, Argolis, Megaris, Attica, Boeotia; iterumque alio mari eadem Phocis et Locris, Doris, Phthiotis, Theſſalia, Magneſia, Macedonia, Thracia. Omnis Graeciae fabuloſitas, ſicut et literarum claritas, ex hoc primum ſinu effulſit." (a) Homerus, cum omnes in vniuerſum Graecos adpellare vult, *Danaos*, *Achiuos*, *Argiuos*, nuncupat; nonnumquam *Πανελλήνων* et *Παναχαιῶν* vocabulis vtitur; qua de re, cum alii complures, tum academici Georgiani diſſeruere copioſe.

II. Tabula ſinum quidem, quo Graecia continetur, adcurate exprimit, absque inſcriptione; et, quod viarum, manſionumque rationem ſpectat, in Peloponneſo eſt fertilior, quam in Hellade. Fines huius, ab occaſu iuga Pindi; a borea Peneus; ab exortu mare Aegaeum, eiusque ſinus Pelaſgicus, Maliacus, Opuntinus, hodie *Zeitan*, *Talanta*, *Negroponte;* ab auſtro Saronicus et Corinthiacus ſinus. Patet ab gradu longit. 38 min. 18. ad 41 min. 50. latit. 38 min. 8. ad 39 min. 42. Summa longitudo, ab Anactorio Acarnaniae ad Sunium promontorium, M. P. CCXXVIII. latitudo a rupibus Scironidum, in iſthmo Corinthiaco, ad effluxum Curalii in Peneum, vbi hic in boream flectitur, M. P. CXL.

§ II

Montes, *inſulae*, *maria*, *ſinus*, *fluuii.*

I. VNVS montium, quatuor vncias longus, exprimitur, ex quo terni promanant fluuii, ſinum Corinthiacum petentes, qui ſunt Achelous, Euenus, Hyletus; ille ex Pindo, iſte Tymphreſto, hic ex Corace montibus emergunt. De priore Strabo: (b) *Ἡ δὲ Πίνδος ὄρος μέγα*, *Pindus mons eſt magnus*, qui ſeptemtrionem verſus Macedoniam habet, ab occaſu Perrhaebos, a meridie Dolopes; ipſe vero Theſſaliae eſt." Plinius: *Ceſtrini*, *Perrhaebi*, *quorum mons Pindus.* Ea iuga, ex quibus Achelous deſcendit, *Melzovo* dicuntur hodie; quae eſt vox expreſſione Threicia, origine graeca. Strabo amnem Theſſaliae Sperchium *ἐκ Τυμφρορηστοῦ*, *ex Tymphroreſto*, deriuat; interpres, ex *Tymphreſto* habet, vt Danuille quoque in tabella Graeciae exhibuit. Strabo addit, Aeoliae *μέγιστον ὄρος τὸν Κόρακα συνάπτοντα τῇ Οἴτῃ*, *maximum montem eſſe Coracem*, *Oetae conterminum.* (c) Regioni hodie *Livadiae* nomen, monti forſan *Vedrinicza*, cum oppido apud Ortelium; in recentioribus chartis vocabula horum montium non produntur.

(a) L. IV. Init. (b) L. IX. p. 434. (c) L. X. p. 450.

II. AECIVM MARE. in medio prioris vocis CI erosis. Vels. AECIVM MARE. ex aduerso Cherronesi Thraciae. Plinius: Aegaeo mari nomen dedit scopulus, inter Tenum et Chium verius, quam insula, Aex nomine a specie caprae, quae ita Graecis adpellatur, repente e medio mari exsiliens. Cernunt eum a dextra parte Andrum nauigantes ab Achaia, dirum ac pestiferum. Aegaei pars Myrtoo datur. — Romani omnia haec maria duobus nominibus adpellant; Macedonicum, quacumque Macedoniam aut Thraciam attingit; Graeciense, qua Graeciam adluit. Nam Graeci et Ionium diuidunt in Siculum et Creticum, ab insulis. Item Icarium, quod est inter Samum et Myconum. Ceteris nomina sinus dedere." Graecis, *Αἰγαῖον πέλαγος*, *Aegaeum pelagus*, quod nomen vniuerso mari Ptolemaeus tribuit. Auctor Tabulae PELAGVS literis semiuncialibus, vsque huc protendit, quam vocem praecessit *Hadriaticum*, quo nomine Ionium quoque sumtum esse, nihil dubita; de quibus suo dictum loco. Etymon Aegaei, Festus a crebris insulis, quae procul adspicientibus speciem caprarum exhibeant; Suidas ab Aegaeo Thesei patre, qui in eo perierit; scholiastes Apollonii, vt Plinius, *ἀπὸ νήσου Αἰγῶν καλουμένης*, *ab insula Caprarum nuncupata*, deriuant.

III. Insulae circa Graeciam sunt numerosae; Tabula, in Ionio mari octo, in Aegaeo quatuordecim, nouit. Recensentur eae serie non nihil turbata, cum Cephalenia Leucadiae praeponatur; nos tamen ordine Tabulae seruato eas dabimus, de situ cuiusuis distincte endmonituri.

Hs. Cephalania. templum Iouis. Insula vnciam longa, speciem cordis praefert; Vels. *Ins. Cephalania.* Inferius, in mari alto, iuxta Calliopam, Hs. Cephalena. scribarum oscitantia, repetitur, tractu modico, vbi alia fuerit epigraphe. Scylax, in Acarnania, post Ithacam, *νῆσος Κεφαληνία*, *insula Cephalenia.* Homero *Σάμη*, *Same*, Ithacae iuncta. Thucydidi, Polybio, Straboni, *Κεφαλληνία*, *Cephallenia*, consona geminata, aliis simplice. Strabo situm insulae depingit: (a) Sita est Cephallenia iuxta Acarnaniam, distans a Leucata circiter L stadia, alii XL dicunt; a Chelonata XXC fere; ambitus eius est stadiorum prope CCC. paullum versus ortum solis porrigitur, montosa; *μεγίστον δ' ὄρος ἐν αὐτῇ Αἶνος, ἐν ᾧ τὸ τοῦ Διὸς Αἰνησίου ἱερὸν*, mons in ea maximus Aenus, in quo templum Iouis Aenesii; quo loco arctissima est insula, humilem producit isthmum, ita vt saepe a mari in mare illabatur." De templo Iouis Aenesii etiam scholiastes Apollonii e Strabone refert. Olim quatuor oppida, praeter fanum, habebat; hodie XV numerantur. Longum procurrit, secundum Danuille, XLVII M. P. latum XXXII. Plinius: *Cephalenia quondam Melaena dicta, vndecim millibus pass. abest, circuitu patet* XLIV. Interuallum XI M. P. a Leucadia est; nam a Paxo XXXV M. P. abscedit. Insulae nomen hodie *Cefalogna*, *Cefalonia*, monti idem, quod olim; templi situm occupat oppidum *Borgo.*

(a) L. X. p. 456.

Hs. Zachintus. Velſ. *Inſ. Zachintus.* tractu ſemiunciali. Scylax, in Elide: Circa hanc regionem ἐστὶ νῆσος Ζάκυνθος, *eſt inſula Zacynthus*, in qua vrbs cum portu." Homero quoque nota; Liuio, Zacynthus, parua inſula, Aetoliae propinqua. Strabo, ambitum eius ſtadiorum CLX amplius; a Cephallenia diſtare LX ſtadia; eſſe ſiluoſam, et fertilem, cum vrbe eiusdem nominis, refert. Longum procurrit X M. P. latum VII abeſt a Cephallenia M. P. XX. ſecundum Danuille; aliis longa XV. lata X M. P. Plinius: *Cephalenia a meridiana parte abeſt* XXV *M. mons Elatus ibi nobilis, ipſa circuitu colligit* XXXVI. M. Quibus addit, *Zacynthus aliquando adpellata Hirie.* Quare Strabonis numeri mendo non carebunt, vt Harduinus cum Caſaubono obſeruat. Hodie *Zante* inſula cum oppido principe, praeter quod alia quinque cenſentur.

Hs. Paxus. Velſ. *Inſ. Paxus.* Graecis Παξοὶ, *Paxi*, *Paxae*, Polybio, Plutarcho, Plinio, Dioni, aliis. Polybius: περὶ τοῦ καλουμένους Πάξους, *iuxta Paxos ita nuncupatos.* Plinius: ad Leucadiam Paxoe duae, quinque M. diſcretae a Corcyra." Alii *Paxae*, *Paxooe*, legi volunt. Inferius autem: *a Paxo Cephalenia vndecim millibus paſſ. abeſt.* Quo loco maiorem intellexerit, IV M. P. longam, cum altera, ab auſtro vicina, vix II M. P. procurrat; ſed XI M. P. Paxo conuenire nequeunt, recte autem ex aduerſo Taphiae; proximam enim inſulam Cephaleniae eo ſumſerit loco Plinius. Hodie *Paxo*, *Anti Paxo;* aliis *Paxu*, vocantur inſulae.

Hs. Calliopa. Velſ. *Inſ. Calliopa.* Plinius inſulas hoc tractu ſic recenſet: Inter Leucadiam et Achaiam permultae, quarum Teleboides eaedemque Taphiae, ab incolis ante Leucadiam adpellantur Taphias, Oxiae, Prinoëſſa, et ante Aetoliam Echinades, Echialia, Cotonis, Thyatira, Geoaris, Dionyſia, Cyrnus, Chalcis, Pinara, Myſtus. Ante eas in alto Cephalenia, Zacynthus, vtraque libera; Ithaca, Duliehium, Same, Crocylea." (a) Neque ipſe, neque alius, *Calliopam* nouit; quae ſi recte habet, ſitu expoſcente, *Dulichium* erit, inſularum hac regione praecipua. Nomen variabat; Graecis, ab Homero, *Δουλίχιον*, *Dulichium;* ſic Latinis quoque; Strabonis aetate *Δολίχναν*, *Dolichnam*, dicebant; Stephanus, *Ὀξεῖαν*, *Oxeam*, quoque nuncupatam ait. Longa eſt XX. lata VI M. P. interiacet Ithacae et Cephaleniae, vulgo *Theaki*, aliis *Theakiki*, cum binis oppidis; veteres ſcopulum maris Ionii eſſe putabant. Habet Danuille, ſupra Corcyram, inſulas duas, *Othronos* vel *Calypſus* inſcriptas; quae iſthuc minime pertineant. Noſtra ſeu ab ſitus pulcritudine, ſeu Muſae eius nominis cultu, ſeu ob memoriam Vlyſſis, Ithacae vicinae domini, *Calliope* fuerit adpellata. Ceterum ſcribae quoque hallucinari poterant, qui Cephaleniam alte-

(a) Quodam loco, Naxum refert alias *Callipolin* adpellatum; (b) quo Tabulae auctor, qui et Naxum e vetuſtis chartis ad Sardiniam retulit, reſpexiſſe videtur.

(b) L. IV. c. 22. extr.

ram, et Sasonis alteram, huic Calliopae vicinas, fecerunt, pro Taphia et Cyrno fortasse, hodie *Megalonisi* et *Candellaro*.

Port' long' in Naxo insula. Vels. *Port' long' in Naxo insula.* Figura hemicycli, quali portus notari solent, Galliatae, seu Galatae proxima, ex aduerso Laboniae fluuii Liguriae. Auctor Tabulae, veteres secutus, hunc insulae situm dederit, quae alias inter Cycladas, Graeciae insulas, in mari Aegaeo, comparet. Apud Scylacem, in Africa, post Vticam et Hipponem, in occasum haec legas: Collops magnus, *Ψέγας πόλις, καὶ ἀπαντίον αὐτῆς νῆσοι Ναξικαὶ πολλαὶ, Πιθηκοῦσαι καὶ λιμὴν, ex aduerso eius multae insulae Naxicae, Pithecusae cum portu.* Naxicae hae insulae ab Naxo Siciliae fuerint adpellatae, quae in Tauromenium abiit postea; neque enim alia situs haec illius ratio subest. Naxum in Cycladibus nouit Scylax, quae cum Dia prius nuncupata fuerit, forsan Homero quoque, in Odyssea, est memorata. (a) Plinius, vbi de Paro dixit: Ab ea septem mill. quingentis Naxus, a Delo XVIII. cum oppido, quam Strongylen, dein Dian, mox Dionysiada a vinearum fertilitate, alii Siciliam minorem, aut Callipolin adpellarunt. Patet circuitu septuaginta quinque mill. pass. dimidioque maior est quam Paros." (b) Diam, *Δίαν*, fuisse nuncupatam, Diodorus quoque, (c) et ex Callimacho scholiastes Apollonii, (d) perhibent. Quare Homeri quoque Dia isthuc referetur potius, quam ad ignobilem Cretae insulam. Sunt et numi *ΝΑΞΙΩΝ* inscripti, quos eruditi huc referri oportere arbitrantur. Seruat nomen *Naxos*, longa ab austro in boream mill. geogr. tria cum semisse, lata duo cum tribus quintis.

Ango portus. Vels. *Ango portus.* Epigraphe, laeua parte insulae Naxi, ad conuexam eius flexionem. Portum fuisse longum, ingressu angusto, occidua forsan insulae ora, sub monte Zia, loco portui idoneo, ex Tabula vna discimus. In chartis recentibus paullo supra iuga montis memorati rudera templi Bacchi notantur; vt recte Dionysiada a vinearum fertilitate, Plinio teste, adpellatam arbitrere. Solinus Libero Patri hospitum fuisse perhibet. *Naxia* oppidum australem insulae ab exortu agrum tenet.

IV. Ins. Leucadia. Vels. *Ins. Leucadia.* Olim peninsulam fuisse, ex Homero, Thucydide, Strabone, Plinio, colligere licet; quorum hic: Dein sinus, inquit, ac Leucadia ipsa peninsula, quondam Neritis adpellata, opere adcolarum abscissa a continenti, ac reddita ventorum flatu congeriem arenae adcumulantium, qui locus vocatur Dioryctus, stadiorum longitudine trium." (e) Eadem tradit Liuius. (f) Straboni, *Λευκὰς*, *Leucas*, vrbs et peninsula; Thucydides vrbem *Λευκάδα*, *Leucadem*, insulam *Λευκαδίαν*, *Leucadiam*, vocat; quod et Latini faciunt. Scylaci *πόλις Λευκὰς καὶ λιμὴν*, *vrbs Leucas et portus*,

---

(a) Odyss. λ. 324. (b) L. IV. c. 22. extr. (c) L. IV. p. 265. (d) L. IV. Argon. v. 425. 431.
(e) L. IV. c. 2. (f) L. XXXIII. c. 17.

Λευκάτα ἀκρωτήριον, *Leucata promontorium;* quibus addit: *Αὔτη δ' ἔστι νῦν νῆσος τὸν ἰσθμὸν ἀποτεταφρευμένη*, *Ea nunc insula est*, *isthmo perfosso.* Longa est xxiv. lata x M. P. hodie *Leucadia* vel *S. Maura*, trium oppidorum.

Hs. Itace. Vels. *Ins. Itace.* apud Scheibium postremae ce sunt extritae. Ithaca, Vlyssis patria, Homero, Poetarum, et omnis literaturae amoenioris, patri celebrata. Graecis *Ἰθάκη*, *Ithace*, *ἐν ᾗ ὁμώνυμος πόλις*, *in qua vrbs eiusdem nominis*, Ptolemaeo; *πόλις καὶ λιμὴν*, *vrbs et portus*, Scylaci. Oppidum sub Neio monte situm erat, Poeta teste. Mela, Dulichium et inter non ignobiles Vlyssis nomine Ithaca maxime illustris." De situ Plinius: A Cephalenia Ithaca xv millia distat, in qua mons Neritus; tota vero circuitu patet xxv millia passuum." Longum procurrit octo mill. latum medio tria. Est insula *Iotaco*, x M. P. a litore Acarnaniae, quae hodie *Liuadia* vocatur.

Hs. Cynura. Vels. *Ins. Cynura.* Est apud Thucydidem, *Κυνουρίας γῆς καλουμένης*, *Cynuriae regionis nuncupatae*, in Argolidis confinio, memoria, cum duobus oppidis, Thyrea et Antena; quae huc facere nequeunt. Plinio, inter Echinadum insulas, *Cyrnus*, vt supra vidimus. Danuilleo *Carnus*, Scylaci *Κάρνος*, supra Ithacam, litori proxima, ex aduerso Alyziae oppidi, de quo inferius dicturi sumus; longa M. P. vii. lata ii. hodie *Candello.*

Hs. Cyrona. Vels. *Ins. Cyrona.* Apud Scheibium inscriptio haec cum priore vni adponitur insulae; Velserus duas notat. Haec sit Plinii *Geoaris*, quam Harduinus ex Mela, putat *Gyaros* legi debere, et inter insulas Aegaei referri; quod Plinii phrasis vetat. Est ad ostium Acheloi, *Natolica*, inter Echinades; inferius, inter Oxias quatuor *Curzolari;* quae sono vocis et situ, cum Cyrona cognationem habeat. Hae erant insulae maris Ionii; in Aegaeo, Graecis vicinae sunt complures, quas Tabulae serie recensebimus.

V. Hs. Cytera. Vels. *Ins. Cytera.* Cythera insula, xl stadiis a promontorio Malea distans, australe Peloponnesi latus occupat, inde ab Scylace nota; cui *Κύθηρα νῆσος καὶ πόλις*, *Cythera insula et oppidum.* Norunt eam insuper, Thucydides, Polybius, Strabo, Virgilius, Ouidius, Plinius, Ptolemaeus, alii. Cordis figuram praefert, longa xv M. P. lata xi. hodie *Cerigo* cum oppido cognomine; abest a Taenaro promontorio xxii M. P. a Malea xv. In Tabula, loco alieno, Thessalonicae vicina ponitur.

Hs. Diabate. Vels. *Ins. Dianate.* Est insula Dia, *Δία*, Matio Cretae opposita, cuius Strabo, Plinius, Ptolemaeus, meminerunt; hodie *Standia*, quam vocem putat Harduinus ex *εἰς τὴν Δίαν* esse conflatam. Longa est vi M. P. lata iv. Et haec loco non suo consistit, infra priorem, ad Cretam repetita. Si tamen situs non ineptus est, ad insulam *Pori*, aut *Cerigotto*, inter Cytheram et Cretam, medio fere spatio refertur. Si nomen *Diabate* rectum est, tamquam *Διάβασις*, transitum significabit, a Creta nimirum, a cuius litore v M. P. abest.

Hs. Dicaris. Vels. *Ins. Dicaris.* ad Cretam, Carisia. Vels. *Carisia.* Situs harum insularum est diuersus, vocabula tamen adfinia, quae *Chrysen*

Plinii et Melae designent. Ille: *Contra Hierapytnam Chrysa*, *Gaudos;* quarum haec *Gaidaronisia*, illa *Christiana*, vocantur, australi, ab exortu Cretae regione. Si diuidere insulas libet, erit prior Dicaris, forsan *Garabus*, cum oppido cognomine, occidua Cretae ora, vbi *Corgiae* duae Delisleo notantur, a promontorio *Coryco* seu *Corycia*, forsan, quod nonnihil australius occurrit, cuius Ptolemaeus et Stephanus meminerunt. Habet etiam Plinius *Caresam*, MSS. *Coresum:* At in Hellade, etiamnum in Aegaeo, Lichades, Scarphia, Caresa, Phocaria, compluresque aliae, ex aduerso Atticae, sine oppidis, et ideo ignobiles." (a) Quare a geographis neglectae. Has nisi e vocabulis recentioribus, aut situ Tabulae, nosse non licet; sed in hac, ignorantia eorum, qui postremum operi praeerant, multa confusa, nomina autem vetusta seculorum decursu mutata sunt; vt insulas veteres nominare sit perquam arduum. Quaedam *Corsi* nuncupata, Cytherae ab exortu adhaeret; alia superius, Epidauro Laconiae opposita. *Caravi*, quae positu Plinii Caresae respondere queat, XXXXII M. P. a Neapoli, veteri Epidelio, in exortum remota. Focaria sit *Falconera*, XVIII a priore in orientem M. P. abscedens.

Ins. Stira. Vels. *Ins. Stira.* Est insula *Thera*, Graecis Θήρα, Straboni, Plinio, Senecae, Ptolemaeo, aliis memorata. Strabo, Thera Cyrenaeorum metropolis, Lacedaemoniorum colonia." Plinius, inter Cycladas Olympiadis CXXXV anno quarto Thera et Therasia, enatae produntur. (b) Seneca, *Theren*, more graeco, nuncupat. Hodie *Santorin*, cum tribus oppidis, longa X lata VII M. P. cui ab occasu *Cameni*, et *Therasie*, insulae paruae, adhaerent.

Ins. Milos. Vels. *Ins. Milos.* Est insula *Melos*, inde ab Herodoto nota, Straboni praeterea, Plinio, Ptolemaeo, Festo, Stephano, aliis, memorata. Graecis Μῆλος, *Melos*, incolae Μήλιοι, *Melii*, Herodoto; Μέμαλις, *Memalis*, et Μεμβλὶς, *Memblis*, Hesychio. Veteres η vocalem sono ad *i* magis quam *e* inclinante, expressisse, Tabula isthic ostendit. Plura eius nomina recenset Plinius: Melos cum oppido, quam Aristides Byblida adpellat, Aristoteles Zephyriam, Callimachus Mimallida, Heraclides Siphnum, et Acytón." Hodie *Milo*, cum oppido cognomine, et tribus aliis; longa XIV lata XI M. P. Hae erant insulae per Hadriaticum pelagus in Tabula distributae; in Aegaeo sequentes notantur.

VI. Carisia. Vels. *Carisia.* apud Scheibium - risi - tantum legi potest. Ponitur ex aduerso Gortynae oppidi Cretae, quod australem insulae partem tenet; quae *Chrysa* sit, necessum est, vt superius dicebamus; hodie *Christiana*, cui vicina *Cusonisa*, XVII M. P. ab Gaudo in exortum.

Diabate. sic Vels. apud Scheibium deest hoc loco, sed inter superiores comparet. Diam esse, monuimus non ita pridem; hodie quoque *Stand - Dia*

(a) L. IV. c. 20. (b) L. II. c. 89.

inſulae nomen eſt; quam vocem rectius ex Threicio *Stan*, ſtatione nauium, quam cum Harduino *εἰς τὴν Δίαν*, interpretere. Intra has binas ſuperne ſignatur inſula absque inſcriptione; forſan *Aegilia*, Cytheram inter et Cretam.

Parpaton. Velſ. *Parpaton.* apud Scheibium **rpa** ſunt extritae. Eſt inſula *Carpathus*, in cenſu Aſiae, Homero *Crapathus*, Strabone teſte: *Κάρπαθος, ἣν Κράπαθον εἶπε Ὅμηρος.* Scylaci, *τρίπολις*, trium oppidorum; Ptolemaeus vnum nouit. Plinio: *Carpathus, quae mari nomen dedit.* Hodie *Scarpantho*, deſolata, Rhodum inter et Cretam, ab hac XLV. ab illa XXX M. P. remota.

Zerrios. ſic Velſ. apud Scheibium vox tota euanuit. Eſt inſula *Seriphus*, *Σέριφος*, inde ab Herodoto nota. Hodoeporicon, *Seriphos.* Ouidius, *Seriphon*, oblique vocat. Tacito, *ſaxum Seriphium.* Incolae *Σερίφιοι*, *Seriphii*, Herodoto, qui partes Graecorum contra Xerxem tuebantur. Hodie *Serpho*, cum oppido cognomine, longa IX. lata V M. P. Cythnum inter et Melon, ab hac XXV. ab illa VI M. P. abſcedens.

Thaas. Velſ. *Thas.* apud Scheibium **as** modo integre legitur, cum veſtigiis priorum. Si recte habet inſcriptio, erit *Thaſus*, loco prorſus alieno poſita; clara litoris Threicii inſula, inde ab Herodoto nota, pecunia veteri, et vino generoſo, diues. Graecis, *Θάσος*, *Thaſos;* Polybio, et nonnullis, *Θάσσος*, *Thaſſos;* numis *ΘΑΣΙΩΝ*. Antiquum nomen *Χρυσῆ*, *Chryſe*, Euſtathius, in Periegetam, fuiſſe ait; Plinius, *Aëria* et *Aethria*, Ptolemaeo, *Θαλασσία*, *Thalaſſia.* Seruat nomen *Thaſos*, longa XII. lata VIII M. P.

Synas. Velſ. *Synas.* apud Scheibium **S----s.** mediis deletis. Eſt inſula *Siphnus*, *Σίφνος*, Straboni, Melae, Plinio, Ptolemaeo, Hodoeporico, Stephano, aliis memorata. Plinius, antiquum nomen *Meropia* fuiſſe perhibet; Stephano *Μερόπη*, *Merope*, circuitu XXVIII M. P. teſte Plinio. Hodie *Siphante*, cum oppido *Earo*, longa XII. lata VI M. P. Seriphum inter et Melon, ab hac XVII. ab illa XI M. P. diſſita.

Dionis. Velſ. *Dionis.* Cellarius: Tabula Peutingeriana ad orientalem partem Cretae duas inſulas habet, quarum alteri adſcriptum *Dioniſa*, alteri *Dionis.* ſine dubio ſcripturae forma breuiata. Hae ſunt illae inſulae *Dionyſiades* dictae, de quibus Diodorus Siculus memorat, (a) Cretenſes inde probare velle, apud ſe Bacchum natum eſſe, quod prope Cretam duas inſulas in gemellis, quos vocant, ſinubus excoluerit, easque de nomine ſuo Dionyſiades adpellarit." Ego, e ſerie Tabulae, puto eſſe inſulam *Ios*, de qua Strabo: aequali ſpatio ab Anaphe et Theraſia abeſt parua inſula *Ἴος*, *Ios*, in qua quidam Homerum Poetam funeratum dicunt." Plinius: Diſtat Ios a Thera XXV millibus paſſuum. Stephanus, matrem Homeri inde fuiſſe ſcribit. Tabulae auctor Diam, inſulam, aut Dion promontorium, aut inſulam ſuperius vicinam Donuſam,

---

(a) L. V. c. 75.

respexerit; aut, quod vulgo *Dionis* reapse dicebatur insula non magna quidem, sed clara. Hodie *Nio,* longa VII. lata III M. P. a Naxo XIII. ab Thera XII M. P. remota. Hae insula, ab Carisia inde, vna serie in Tabula comparent, quas tamen situ diuerso exstitisse ostendimus. Serie altera sunt quinque, quarum prima nomine caret; quod, cum certum ordinem auctor operis non teneat, rescire non licet. Plures enim sunt hoc mari insulae, quas ipse reticuit. Sequitur,

VII. **Icaria.** Vels. *Icaria.* Scylaci, Ἴκαρος δίπολις, *Icarus duorum oppidorum;* eadem forma Thucydides vtitur, et Plinius; Straboni, Melae, Ptolemaeo, Hodoeporico, Ἰκαρία, *Icaria.* Et Strabonis quidem aetate ἔρημος, *deserta,* fuit, pascua tamen bona habebat, quibus Samii vtebantur; ambitus eius CCC stadiorum. Plinius, a Naxo decem et septem mill. pass. Icaros, quae nomen mari dedit, tantumdem ipsa in longitudinem patens, cum oppidis duobus, tertio amisso; ante vocata Doliche, et Macris, et Ichthyoessa. Sita est ab exortu solstitiali, Deli, quinquaginta mill. pass. Eadem a Samo triginta quinque mill.“ (a) Hodie *Nicaria,* XVII M. P. longa, VIII lata. Scylax CCC stadia longam dicebat, qui est ambitus insulae, Strabone teste. Refertur ad Asiam.

Lisbos. secunda extrita; Vels. *Lesbos.* Scylaci, Λέσβος νῆσος Αἰολίς, *Lesbus ab Aeolibus habitata.* Plinius, clarissima Lesbos, antea adpellata Lasia, Pelasgia, Aegina, Aethiope, Macaria;“ quorum nonnulla interpretatur Diodorus. Strabo, longam stadia DLX. circuitu MD. esse perhibet. Hodie vocatur *Mitylene,* ab oppido cognomine, longa XLV M. P. lata XX. quare Strabo oram legerit LXX M. P. censendo. Abest a continente Aeolidis M. P. VIII.

Micale. sic Vels. apud Scheibium **M.‑‑‑lo.** mediis extritis. Si epigraphe recte habet, auctor Tabulae promontorium Mycalen acceperit pro Samo insula, freto VII stadiorum diremta. Scylax, πρὸ τῆς Μυκάλης Σάμος ἐστὶ νῆσος, *ante Mycalen Samos insula est sita.* Mons *Mycale* notus inde ab Herodoto et Thucydide. Plinius, de Samo: Ioniae ora habet Samon liberam, circuitu octuaginta septem M. P. aut, vt Isidorus, centum. Partheniam primum adpellatam Aristoteles tradit; postea Dryusam; deinde Anthemusam.“ Insulae nomen *Samos,* promontorio *S. Maria Mycale,* freto *Bogas;* patet ab occasu in orientem aestiuum M. P. XXX. latum XV.

Dionisa. Vels. *Dionisa.* Virgilio, Pomponio Melae, *Donyssa,* alii *Donysa* legunt; Plinio et Tacito *Donusa;* Stephano, Δονουσία, νῆσος μικρὰ Ῥόδου, *Donusia, insula parua Rhodi,* in quam Dionysius ex Naxo Ariadnen transportauit, cum pater eius Minos eam persequeretur; quare videtur Διονυσία dici debere; corrupte Δονουσία. Seruius ad Virgilium, marmore albo notam perhibet. Cellarius hanc Tabulae insulam Cretae admouit; vt supra dicebamus. Harduinus, apud Plinium, legi vult, Telos, vnguento nobilis, a Callimacho

(a) L. IV. c. 23.

Agathuſſa adpellata: Donuſa, Patmos. Alii autem, *a Callimacho Agathuſſa adpellata Donuſa;* hodie quoque *Agathoniſi* binae inſulae, a Patmo in exortum XXII M. P. a Mycale in auſtrum X remotae; quarum maior longa V. minor III M. P. Heic et Deliſle Dionyſam poſuit. Quae ſi recte habent, non ea Rhodi, vt Stephanus dicebat, ſed Sami inſula erit. Hae altera fuerunt ſerie; in tertia numerantur ſequentes.

VIII. *Zephice.* ſic Velſ. apud Scheibium, ꝛH. ꝛ - - - literis eroſis. Plinius: natura abstulit inſulas mari, iunxitque terris: Antiſſam Leſbo, Zephyrium Halicarnaſſo, Aethuſam Myndo.“ (a) Strabo: Halicarnaſſus regia dominorum Cariae, quondam *Ζεφύρα*, *Zephyra*, dicta. (b) Stephanus, *Ζεφύριον*, *ἡ Ἀλικαρνασσὸς τῆς Καρίας*, *Zephyrium*, *quae Halicarnaſſus Cariae.* Sed auctor Tabulae Scyrum accipi voluerit; ſurſum enim tendit; et Zephyra non amplius inſula erat. Ad haec, vox olim iam eroſa videtur; vt Velſerum ex ingenio ſuppleſſe putes. Graecis *Σκύρος*, *Scyros*, Thucydidi, Straboni, Plutarcho, Ptolemaeo, aliis. Valerius Maximus, de Theſeo Athenienſium rege: Huius ſubmoti ab Athenienſibus, Scyros, exule minor inſula oſſa mortui cepit.“ Ptolemaeo, *Σκύρος νῆσος καὶ πόλις*, *Scyrus inſula et oppidum.* Hodie quoque *Scyro*, nonnullis *S. Georgo di Schiro*, aliis *Sciro*, longa XII. lata V M. P. abeſt ab Euboea in exortum XXX M. P.

Lemnos. Velſ. *Lemnos.* Inſulae, ad Thraciam ſpectantis, meminit Poetarum pater Homerus. Graecis *Λῆμνος*, Latinis Lemnus. Plinius, Ptolemaeus, Stephanus, duas vrbes tribuunt inſulae, Myrinam et Hephaeſtiam. Ille, ab Imbro: *Lemnos* XXII M. *quae ab Atho* LXXXVII M. P. *circuitu patet* CXII M. P. Eſt inſula *Stalimene*, quadram exhibens figuram, latere boreali XV. auſtrali XIII. todidem ceteris conſtantibus. Abeſt a promontorio Athos XXXVIII. ab Samothrace XXV M. P. a litore Troadis XXXV.

Coria. Velſ. *Coria.* Sunt Plinio inſulae Coraſiae, quas alii *Cruſſie*, alii *Tragoniſi*, ad Myconum, interpretantur; Deliſle *Acaries*, apud Naxum. Et videtur auctor Tabulae hanc inſulam e nobilioribus vnam ſignare voluiſſe, Apollonio, Maroni, Straboni, Plinio, Ptolemaeo, Agathemero, aliis memoratam. Apollonius *Δίαν* ſeu *Δίην*, *Diam*, *Dien*, vocat; vbi ſcholiaſtes: Diae, id eſt, in Naxo; nam antiquum Naxi nomen fuit Dia.“ (c) Plinius, a Paro ſeptem millibus quingentis Naxus; a Delo XVIII cum oppido; quam Strongylen, dein Diam, mox Dionyſiada a vinearum fertilitate, alii Siciliam minorem, aut Callipolin adpellauerunt.“ Numi veteres, *ΝΑΞΙΩΝ. Naxiorum.* Seruat nomen *Naxos*, longa M. P. XVII. lata XV. vicinam ab occaſu habet Parum et Oliarum, ab hac XX M. P. Siphnum. Hae fuerunt ſerie tertia; quas conſequuntur,

(a) L. II. c. 91. (b) L. XIV. p. 656. (c) Ad L. IV. Argon. v. 435.

IX. **Leuce.** Velſ. *Leuce.* ſed praeponit *Inſ. Lemnos.* quae repetitio apud Scheibium abeſt. Plinius de Leſbo locutus: *Inſulae adpoſitae, Sandaleon, Leucae quinque; ex iis Cydonea, cum fonte calido.* Hodie oppidum in continente *Chidognis*, inſulae vicinae *Muſconiſi* vocantur; quarum maior v M. P. longa, minor IV. reliquae paruae. Deliſle ſuperius, ad Smyrnaeum ſinum, vnam modicam eo vocabulo inſignit. *Leuce* Hodoeporici, ad Cythnum, eſt alia; vti Plinii duae, altera contra Itanum promontorium, altera contra Cydoniam Cretae. Velſerus addit vnam ſine nomine, quae apud Scheibium non comparet.

Hicaria. Velſ. *Hicaria.* apud Scheibium, **Hic** --- modo legi poſſunt. Plinius, in Ceramico ſinu Priaponneſos, Hiponneſos, *Pſyra.* Deliſle Pſyram poſuit ad Chium, vbi duae inſulae, v M. P. in occaſum, *Ipſara*, et *Antipſara* conſpiciuntur, illa v M. P. longa, haec tria; quae ſono vocis Pſyrae Plinii reſpondeant. Neque enim omnes inſulae, quae ibi recenſentur, in ſinu Ceramico exſtabant. In Tabula videtur inſulae nomen olim vitium paſſum; Icariam quippe ſupra habuimus, et heic inſulae Chio vicinae deſcribuntur.

Chio. Velſ. *Chios.* Graecis, *Χῖος*, *Chios;* qua forma et Latini quandoque vtuntur; nota Periegetae, Straboni, Plinio, Melae, Stephano, Heſychio, aliis. Plinius, dicta Samo: Par claritate ab ea diſtat XIIII M. paſſuum, cum oppido Chios libera, quam Aethaliam Ephorus priſco nomine adpellat, Metrodorus et Cleobulus Chiam a Chione Nympha; aliqui a niue; et Macrin, et Pityuſam. Montem habet Pellenaeum, marmor Chium; circuitu CXXV mill. paſſuum colligit, vt veteres tradidere, Iſidorus IX millia adiicit. Poſita eſt inter Samum et Leſbum, ex aduerſo maximè Erythrarum." Strabo circuitu DCCCC ſtadia, ſeu CXII M. P. cum ſemiſſe, numerat. Hodie *Scios*, longa XL M. P. lata XVII. Abeſt a Leſbo XL M. P. a Samo LV. a peninſula Clazomene IX M. P.

Delo. Velſ. *Delo.* Norunt inſulam Cicero, Dionyſius, Virgilius, Ouidius, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Stephanus, alii. Plinius: Ipſa longe clariſſima, et Cycladum media, ac templo Apollinis et mercatu celebrata Delos. — Hanc Ariſtoteles ita adpellatam prodidit, quoniam repente adparauerit enata. Aegloſthenes Cynthiam, alii Ortygiam, Aſteriam, Lagiam, Chlamydiam, Cynethum, Pyrpilen, igne ibi primum reperto. Cingitur quinque millibus paſſuum; adſurgit Cyntho monte." (a) Plura Stephanus promit. Hodie *Dili*, eique ab occaſu vicina, non nihil maior, *Sdili*, Plinio *Rhene*, IV M. P. longa, Delos II cum ſemiſſe.

Lime. Velſ. *Lime.* Eſt inſula *Cynthus*, Liuio, Ouidio, Straboni, Melae, Plinio, Ptolemaeo, Stephano, aliis memorata; Graecis *Κύϑνος*, *Cythnos;* quae forma et Latinis placuit. In hac Pſeudoneronem adparuiſſe, Tacitus ſcribit. (b) Stephanus *Κύϑνος*, *Cythnus*, inſula iuxta Dryopidem Cycladum, a Cydno

(a) L. IV. c. 22. (b) L. II. Hiſt. c. 8.

conditore; vocabatur et Ophiuſa, et Dryopis.“ Nonnulli *Cairo* interpretantur, qui eſt portus inſulae Andri; Deliſleo eſt *Thermia*, vti Danuilleo quoque, Ciam inter et Seriphum, cum duobus oppidis et portu, longa XII. lata VI M. P. abeſt a Ceo X. a Seripho VII M. P. Hae erant inſulae Graecorum, in mari Ionio et Aegaeo, in Tabula expreſſae, quas ad hanc Helladis ſectionem referre placuit; etſi nonnullae ad vicinas regiones ſpectant, vt ſuo monebimus loco. Sunt praeterea quaedam extra hunc cenſum, quae a nobis referentur alias. Sequuntur ſinus et amnes.

X. **Sinus Corinthus.** Velſ. SINVS CORINTHVS. Scylaci eſt *ὁ Δελφικὸς κόλπος*, ſinus Delphicus, in Aetolia; qui addit: *στόμα δὲ τοῦ κόλπου τούτου ἐστὶ στάδια ι. os huius ſinus eſt ſtadiorum decem*, et in eo fanum, et Naupactus vrbs.“ Menſuram oſtii ſinus Danuille adcurate ſignauit. Poſtea, vrbe Corintho inclareſcente, *τοῦ Κορινθιακοῦ κόλπου*, *Corinthiaci ſinus* nomen accepit, quo Strabo, Plinius, Ptolemaeus, alii vtuntur. Initium eius, Acheloi oſtium a quibusdam ſumi Strabo perhibet; ab aliis Eueni; ibi enim vtrimque litora ad ſe notabiliter inuicem inflectuntur, ac magis inde magisque coeunt, donec tandem apud Rium, et Antirrium adeo concurrunt, vt quinque dumtaxat ſtadiorum freto diuidantur.“ Forſan quindecim dicere voluit, aut cum Scylace decem. Hodie *Golfo de Lepanto*, vel *Corintho*, Italis. Ex altera parte, ab exortu,

Milas Colpus. Velſ. MILAS COLPVS. Strabo, de Graecia locutus: Sinus, inquit, ſunt Meſſaniacus, Laconicus, Argolicus, Hermionicus; *καὶ ὁ Σαρωνικὸς, οἱ δ' Σαλαμινιακὸν καλοῦσιν, tum Saronicus, quem alii Salaminiacum dicunt.* (a) Et continuo: horum alios Africum, alios Creticum, et Myrtoum, maria implent; *τινὲς δὲ καὶ τὸν Σαρωνικὸν πόρον πέλαγος ὀνομάζουσιν, ſunt qui Saronico etiam maris nomen tribuant.* Etymon prodit Plinius: (b) ſinus Saronicus, olim querno nemore redimitus, vnde nomen; ita Graecia antiqua adpellante quercum.“ Firmant ſcholiaſtes Callimachi, et Heſychius, *Σαρωνίδας* antiquis *δρῦς* fuiſſe nuncupatas, perhibentes. Tabulae auctor militarem loquendi modum ſecutus, ex Salaminiaco fecit *Milas;* niſi Maliacum, aut vtrumque dicere voluit; Scylaci, *ὁ κόλπος Μηλιεὺς, ſinus Meliacus*, et alius *Μαλιεὺς, Maliacus;* quo auctor Tabulae reſpexerit. Floro, *ſinus Maleus*, ad promontorium Maleam, paruus; niſi mare intelligat. Hodie *Golfo d' Engia*, aliis *di Egina*, ab inſula in eo ſita. Fluuii ſequuntur.

XI. **Aciloum. fl.** in via, cum alueo; Velſ. *Aciloum Fl.* Homero, *κρείων Ἀχελώϊος, rex Acheloius.* (c) Scylax, de vrbe Alyzia locutus: Circa hanc eſt Carnus inſula, et vrbs Aſtacus cum portu, *καὶ ποταμὸς Ἀχελῶος, et fluuius Achelous*, et vrbs Oeniadae; in has vrbes nauigatio eſt ſecundum Acheloum,

---

(a) L. III. p. 335. (b) L. IV. c. 9. (c) Iliad. φ. 191.

κατὰ τὸν Ἀχελῶον. Strabo quoque *τοῦ Ἀχελώου ὁρίζοντος Ἀκαρνᾶνας καὶ Αἰτωλούς*, *Acheloi*, *Acarnanas Aetolosque dirimentis*, frequentius meminit; (a) quodam loco: *ἐκαλεῖτο δὲ Θόας ὁ Ἀχελῶος πρότερον*, *Achelous quondam Thoas fuit adpellatus.* Plinius: Amnis Achelous e Pindo fluens, atque Acarnaniam ab Aetolia dirimens, et Artemitam insulam adsiduo terrae inuectu continenti adnectens." (b) Hodie *Stonapro*, *Aspro potamo*, *Stanapra*, in iugis *Melzovo* montis ortus.

Evvenos. fl. in via, cum alueo; Velf. *Euveno Fl.* Graecis, *Εὔηνος*, *Euenos;* sic et Melae; Plinio, *flumen Euenum.* Strabo cursum eius sic describit: (c) *Εὔηνος*, *Euenus* fluuius oritur ex Boiacis, qui sunt in Ophiensibus Aetolica natio, vt et Eurytanes, et Agraei, et Curetes, atque alii; fluit autem initio non per Curetiam, quae cum Pleuronia est eadem; sed per orientem potius regionem, praeter Chalcidem et Calydonem, deinde in campestria antiquae Pleuronis reflexus, cursu versus occasum mutato, ad ostia et meridiem se conuertit; *ἐκαλεῖτο δὲ Λυκόρμας πρότερον*, ante Lycormas fuit nuncupatus." In quibusdam codicibus *Λυκάρνας*, *Λυκέρνας*, *Lycarnas*, *Lycernas;* cuius et alias meminit scriptor. Exit e Tymphresto monte, finibus Thessaliae, accipit alterum, a lacu Trichonide fluentem, apud Chalcidem sinui infusus; hodie *Fidari* nomen gerit.

Calidon. fl. in via, cum alueo; Velf. *Calidon Fl.* *Καλυδών*, *Calydon*, vrbs erat, laeuo Eueni latere, VIII M. P. supra ostium, Scylaci iam nota. Quare auctor Tabulae aut illum Eueni ramum occiduum, aut subsequentes fluuios minores, in sinum Corinthiacum se se effundentes, qualis Hylaetus, sinui Crissaeo immersus, hoc alueo sumi voluerit; maius operae pretium facturus, si nomina amnium illorum, quae ne hodie quidem produntur, expressisset. Forsan Cesissum, ex Pindo decurrentem in Copaidem lacum, *Copa* hodie, respexit; profecto is fluuius hac regione est praecipuus, nomen vetus retinens. Haec de amnibus; oppida persequamur.

§ III

Oppida, mansiones.

I. TRIBVS viis vniuersam regionem absoluit Tabulae auctor; vna est a Nicopoli, per Dioryctum, Megaram; altera ab Larissa Elatiam; tertia ab Elatia Megaram; et seorsim tractus viae ab Eleusi Athenas et Piraeum. Initium a Larissa sumere libet, Elatiam vsque, quae pars est borealior ceteris, deinde in austrum facturi gradum. Prima igitur est Larissa, hoc pacto:

(a) L. VIII. p. 335. (b) L. IV. c. 2. (c) L. X. p. 451.

Larissa. insignia municipii; Vels. *Larissa.* Hodoeporicon, itinere Aulonensi, *Larissa.* Norunt vrbem Thessaliae nobilem, Scylax, Polybius, Caesar, Liuius, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Lucanus, Solinus, alii. Scylaci, *Λάρισσα*, vti posterioribus quoque; Polybio *Λαρίσσῃ*, *Larisse.* Solinus, in egregiis oppidis Larissam Thessalam numerat. Incolae *Larissaei*, Caesari; numis antiquis *ΛΑΡΙΣΣΑΙΩΝ.* Liuius Larissenses dixit. *Larissa* et hodie vocatur, dextra Penei ripa, IV M. P. ab effluxu Apidani in exortum.

Crannona. XV. sic Vels. Scylaci *Κραῖνον*, *Craenon*, pro *Κράνων*, vt posteriores dicunt, Liuius, Plinius, Plutarchus, Stephanus, alii; oblique *Κράνωνι*, *Κράνωνα*, *Cranoni*, *Cranonem;* Liuio etiam *Crannona*, geminata consona: *via, quae inter Sycurium et Crannona est.* (a) De situ Stephanus: *Κράνων*, *Cranon*, vrbs Thessaliae Pelasgiotidis, in locis, quae Tempe adpellantur, *ἐν τοῖς Τέμπεσι*, sita, auctore Hecataeo in Europa; distat centum stadiis a Gyrtone, vt Strabo (in deperditis) perhibet.“ Epitheton *Cranonius*, Liuio. Eo situ est oppidum *Satagli,* VIII M. P. a Pharsalo, *Farsa* in exortum hibernum.

Falera. XXXVIII. Vels. *Falera.* XXXVIII. Plinio, *Phalera portus*, apud Piraeeum, Stephano *Φαληρὸν*, *Phaleron*, Herodoto *Φαληρὸς*, *Phalerus*, qui condito ab Themistocle Piraeeo, vicus et nauale Atheniensium erat, huc minime quadrans. *Φάλαρα*, *Phalara*, autem Polybio, Liuio, Plinio, est oppidum in sinu Maliaco, quod mensura duce huc pertinet; in Liuianis etiam *Phalera* legitur, vt in Tabula. Stephanus: *Φάλαρα, πόλις Θετταλίας, πλησίον Λαμίας*, *Phalara*, *oppidum Thessaliae*, *prope Lamiam.* Harduinus, qui alias recentiori vocabulo vrbes reddere consueuit, heic tacet; Cellarius perraro tabulas consulit. Hodie is ager locis vacuus est, vbi Phalara III M. P. supra ostium Acheloi, Sperchio misti, exstabat; Ortelio *Antipatra* eo agro ponitur; forsan a *Neopatra* diuersa, quae in mediterranea recedit.

Thapedon. XXVII. Vels. *Thapedon.* XXVII. Aut Thebae in hoc vocabulo latebant, aut Aphetae, iis vicinae, aut vtraeque, binis vocibus in vnam compactis, ignorantia architectorum Tabulae postremorum. Fuerit via a Phalara Thebas, inde Aphetas, ibi XI. heic IX M. P. interuallo; quae cum alia, Thermopylas, et Elatiam ducente, scribarum culpa sit commissa, nominibus etiam confusis. M. P. XXVII. quae heic ponuntur, conueniunt spatio ab Aphetis, per Thebas, et Phalaram, ad Thermopylas; quae res supra dicta firmat; alter numerus ad Elatiam adcurate ducit. *Ἀφέται*, *Ἀφεταὶ*, *Aphetae*, locus erat, ex quo Argonautae in mare sint egressi. Strabo, a Pegasis: In proximo etiam *Ἀφέται*, *Aphetae* sunt, quasi emissarium, *ὡς ἂν ἀφετήριον τῶν Ἀργοναυτῶν*, *Argonautarum.* Diodorus, *Ἀφετὰς τῆς Μαγνησίας*, *Aphetas Magnesiae* nuncupat. Herodotus quoque locum nouit. Hodie is ager est desolatus, Thebis quoque excisis;

(a) L. XLII. c. 64.

chartae recentiores promontorium *Surbis* notant; Ortelio *Cardica* oppidum ilthic ſtatuitur.

II. Thermopylas. XXVII. Velſ. *Thermopylas.* XXVIII. Numerus hic a Thebis cenſeri debet; nam ab Aphetis ad Thermopylas ſunt M. P. XXXII. ſecundum Danuille, a Phalara vero XII M. P. Thermopylarum, *Θερμοπυλέων*, anguſtias, prae ceteris, deſcribunt Herodotus, et Liuius; hic inter alia: Hoc iugum, inquit, ea aſpreta rupesque interiectas habet, vt non mondo exercitus, ſed ne expediti quidem facile vllos ad transitum calles inueniant. Extremos ad orientem Oetam vocant, quorum quod altiſſimum, Callodromum adpellatur; in cuius valle ad Maliacum ſinum vergente iter eſt non latius, quam ſexaginta paſſus. Haec vna militaris via eſt, qua traduci exercitus, ſi non prohibeantur, poſſint; ideo Pylae, et ab aliis, quia calidae aquae in ipſis faucibus ſunt, Thermopylae locus adpellatur." (a) Quibusdam locis adeo eſt arcta, vt vnum modo vehiculum capiat; vnde *ἁμαξιτὸς μόυνη* dicta Herodoto. (b) Seruant nomen Thermopylae in chartis recentioribus, ad alterum infra Aſopi oſtium lapidem.

Scarpias. VII. ſic Velſ. Norunt oppidum, Liuius, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Appianus, Stephanus, alii. Graecis *Σκαρφία*, *Σκάρφεια*, Liuio *Scarphea*, Plinio *Scarphia.* Stephanus, Scarphea, oppidum Locridis, *τῶν Θερμοπυλῶν ἐγγὺς*, *prope Thermopylas.* Strabo, *Σκάρφη*, *Scarphe*, decem ſtadiis a mari abeſt, in ſublimi loco poſita." Ita eam Danuille quoque ſignauit; numeris Tabulae a promontorio Thermopylarum ſitui reſpondentibus. In chartis recentioribus, *Broio caſtro* eo ponitur agro; Ortelius *Cleuta* et *Longiton* eo tractu habet.

Elatta. XX. inſignia municipii; Velſ. *Elata.* XX. Norunt vrbem, Liuius, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Appianus, Libanius, Stephanus, alii. Graecis *Ελάτεια*, *Elatia*, *Elatea;* Plinio *Elatea;* Liuio *Elatia;* Pauſaniae, *Ελάτεια*, *Elatia*, omnium, quae in Phocide ſunt, vrbium, exceptis Delphis, multo eſt maxima. (c) Idem paullo ante: ſita eſt, inquit, *κατὰ Ἀμφίκλειαν*, *contra Amphicleam.* In Tabula ſcriptum fuerit *Elatia*, elatta. literis tt in tt conuerſis. Danuille XV M. P. ab Scarphia remouet Elatiam, laeuo Cephiſſi lateri impoſitam; in chartis recentibus, eo ſitu, eſt oppidum *Turochoria;* apud Ortelium *Iellen*, ſupra Parnaſſum. Ab Elatia flectitur via ſiniſtrorſum, veluti occaſum petitura, reapſe autem in auſtrum abit, hoc pacto:

Ceroni. XXV. ſic Velſ. Eſt Chaeronia ſeu Chaeronea, Graecis *Χαιρώνεια*, cuius Thucydides, Strabo, Plinius, Plutarchus, Ptolemaeus, Aelianus, Stephanus, alii meminerunt. Erat Plutarchi patria, clade a Philippo Graecis illata notior. Stephanus ad fines Phocidis, Thucydides in extremis Boeotiae apud Phanotidem, quae Phocidis eſt, conſtituunt. Danuilleo, *Cheronea*, dextro amnis

(a) L. XXXVI. c. 15. (b) L. VII. c. 176. (c) Phocic. c. 34.

Cephiſſum petentis latere, vı M. P. ſupra oſtium, vııı M. P. a Libadea, hodie *Livadia*, in exortum. Ortelio vel haec, vel ſubſequens, *Cornia.*

II. **Cronias** vıı. ſic Velſ. Eſt *Κορώνεια*, *Coronea*, inde ab Homero nota, in primis Nepoti, Diodoro, Straboni, Plutarcho, Plinio, Ptolemaeo, aliis. Strabo, *ἡ Κορώνεια*, *Coronea* ſita eſt edito loco prope Heliconem.“ Addit paullo inferius, Coroneam a Boeotiis, poſt bellum Troianum, eſſe occupatam; *οἱ μὲν οὖν ἐν τῇ Κορωνείᾳ Κορώνιοι, οἱ δ' ἐν τῇ Μεσσηνιακῇ Κορωνεῖς λέγονται, huius Coroneae ciues Coronei, Meſſeniacae Coronenſes vocantur.* (a) In ſuperioribus, de Cephiſſo, haec narrat: Is per Elateam fluens, Phocicarum vrbium maximam, ac per Parapotamios, et Phanotes, ipſa quoque Phocidis oppida, ad Chaeroneam Boeotiae pergit; deinde per agrum Orchomeni, *καὶ τῆς Κορωνιακῆς εἰς τὴν Κωπαΐδα λίμνην ἐξήεισι, et Coroniacum, in Copaidem exit paludem; καὶ ὁ Περμησσὸς δὲ καὶ ὁ Ὀλμειὸς, Permeſſus quoque et Olmeius* fluuii ex Helicone confluentes, in eamdem Copaidem paludem, prope Haliartum, incidunt.“ (b) Danuille, intra alueos prioris, in edito, vı M P. ſupra oſtium, Coroneam ponit; qui ager hodie eſt locis vacuus; Ortelii *Cornia* huc ſpectet.

Plateas. xxvıı. Velſ. *Plateas.* xxııı. Plataeae, Plataeeae, *Πλαταιαὶ*, vetuſtioribus, Homero, Herodoto et Thucydidi, *Πλάταια*, *Plataea*, ſingulari; vrbs clade Mardonii, et victoria Graecorum aduerſus Perſas illuſtris. Strabo, de ſitu: Plataeae, quas ſingulari numero Poeta dixit, ſub Cithaerone monte ſunt, iuxta viam, quae Athenas et Megaram ducit.“ Et paullo inferius: *παραῤῥεῖ τὰς Πλαταιὰς ὁ Ἀσωπὸς, praeter Plataeas fluit Aſopus.* (c) Danuille xxıv M. P. interuallo ab Coronea ſtatuit, non ad Aſopum, vt Strabo dicebat, ſed ad caput amnis, Leuctra praefluentis, in ſinum Corinthiacum effuſi, ıv M. P. a recenti Aſopo in occaſum; vbi fere Ortelii *Eialia*, a Thebis Boeotiae in occaſum hibernum xı M. P.

Eleuſina. xl. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Eleuſina.* xııı. ab Athenis. Scylaci *Ἐλευσὶς τῆς Ἀττικῆς*, *Eleuſis Atticae.* Herodoto, oblique, *ἐν Ἐλευσῖνι*, *in Eleuſine.* Melae et Plinio, *Eleuſin*, recto caſu, obliquo Eleuſine. Ciceroni, *Eleuſina ſancta.* Epitheton, *Eleuſinia ſacra*, Spartiano. Cellarius ait, iuxta dextram Cephiſſi Eleuſinem eſſe; a quo ıx M. P. in occaſum abeſt. Danuille xıx M. P. a Plataeis remouet; quapropter in Tabula xʟ aut aliam indicabit ab Coronea Eleuſinem viam, aut memoria lapſus ſcriba, id interuallum ſubſtituit numeris Plataeae. In Hodoeporico, itinere a Nicopoli, poſt Euenum, Delphi. xʟ. Phocide. xʟ. Theſpias. xʟ. Megara. xʟ. Quae via olim in Tabula quoque exſtiterit, vnde quadragenarius iſthuc ſit deriuatus. Hodie oppidulum *Lepſina*, Ortelio Salinae. Ab Eleuſina viae pars Megaram, pars Athenas ducit, hoc pacto:

(a) L. IX. p. 411. (b) Ib. p. 407. (c) L. IX. p. 412.

IV. **Athenas.** XIII. inſignia vrbis liberae. Velſ. *Athenas.* XIIII. Hodoeporicon, *Athenis.* XIII. Homero, *Ἀθῆναι*, *Athenae*, *vrbs bene condita*, *latas vias habens.* Praeconia vrbis paucis complexus Cicero, pro Flacco: Adſunt Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras diſtributae putantur." Plinius: Libera haec ciuitas, nec indiga vllius praeconii amplius; tanta claritas ſuperfluit." Olim Cecropiam fuiſſe nuncupatam, idem ait. Mineruae cultum numi quoque cum noctua oſtendunt. De amplitudine vrbis disputat Weſſelingius, ad Hodoeporicon. Hodie *Athiniah*, Cephiſſum inter et Iliſſum amnes, ab confluxu et oſtio V M. P. in exortum.

Pyreo. V. absque viae ductu; Velſ. *Pyreo.* V. *Πειραιεύς*, *Piraeeus* portus omnium clariſſimus, antiquis, Thucydidi in primis, celebratus, quem Themiſtocles conſtruxit, Nepote, in eius vita, teſte: *huius conſilio triplex Piraeei portus conſtitutus eſt.* Notus Ciceroni, Catullo, Ouidio, Propertio, Pauſaniae, Statio, aliis. Thucydides: Longi muri *πρὸς τὸν Πειραιᾶ*, *ad Piraeum* vſque, quadraginta ſtadia habebant, quorum exteriora cuſtodiebantur, et Piraei cum Munychia vniuerſus ambitus ſexaginta ſtadia." Stadia XL efficiunt adcurate M. P. V. vt Tabula habet, et Danuille ſignauit, menſura ad oſtium Cephiſſi pertinente. Nomen et hodie *Pireo* gerit. Vlterius via haec non procedtt. Megaram verſus ſic habet:

Megara. XV. inſignia vrbis liberae; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Megara.* XIII. ab Eleuſina, XL a Theſpiis. Scylaci, *Μεγαρεῖς ἔθνος*, *Megarenſes*, cum vrbibus quatuor, nominis alterius. Thucydidi, aliisque Graecis, *τὰ Μέγαρα*, *Megara*, pluratiue; ſic Pauſaniae, Liuio, Iuſtino; Velleius et Plinius ſingulari vtuntur; ille, Megaram, mediam Corintho Athenisque vrbem condidere; hic, *regio adpellatur Megaris a colonia Megara.* Vrbs impoſita colli, vnde *Νίσου λόφος*, *Niſi collis*, Pindaro. Numi *ΜΕΓΑΡΕΩΝ.* praeferunt. Seruat nomen vrbs *Megara*, III M. P. a mari, prope laeuam torrentis, ſinum Saronicum petentis.

V. Apud Megaram prodit via a Nicopoli Epiri, ſecus oram maritimam progreſſa; quam Hodoeporicon quoque ex parte tenet. De altera, quae a Nicopoli Lariſſam ducebat, ſub hac inſcriptione, *Ab Actia Nicopoli Lariſſa vſq. Milia* LXX. in Epiro dictum. Itaque, in ora, a Nicopoli, comparet,

Perdioricto XV. Velſ. *Perdioricto.* XV. *Διόρυκτος*, *Dioryctus* erat nuncupatum oppidum *Νήρικον*, *Nericum*, Homero memoratum, quod Corinthii, iſthmo perfoſſo, ibi condidere, vbi ante iſthmus erat; Scylace, Polybio, Liuio, aliis adſerentibus; cui ab ſuffoſſione adhaeſit nomen. Corinthii, inquit Strabo, (a) *τῆς Χεῤῥονήσου διορύξαντες τὸν ἰσθμὸν, ἐποίησαν νῆσον τὴν Λευκάδα*, *iſthmo peninſulae perfoſſo Leucadem inſulam effecerunt.* Plinius: Leucadia peninſula, quondam Neritis adpellata, opere adcolarum abſciſſa a continenti, ac reddita

---

(a) L. X. p. 452.

ventorum flata, congeriem arenae adcumulantium; qui locus vocatur Dioryctos, ſtadiorum longitudine trium; oppidum in ea Leucas; quondam Neritum dictum.“ (a) Danuille, Tabulam praeterea ſecutus, ad freti anguſtias, vbi iſthmus erat, *Leucas* in inſula, *Dioryctos* in continente, mille paſſ. interuallo, ſignat, menſura a Nicopoli rite reſpondente. In chartis recentioribus, Leucadis locum *Porto Demala*, Diorycti *Aſio*, oppida occupant. Erat autem a Nicopoli via per fretum ſinus Ambracii, apud Anactorium, non integrum mill. paſſ. latum, recta ad Dioryctum tendens; Danuille, ductu recto xv M. P. numerat; chartae recentiores minus duobus, quae in flexus abierint.

Haliſſo. xv. Velſ. *Haliſſo.* xx. Scylax, ab Dioryeto, ſequitur *πόλις Ἀλιττία*, *vrbs Alittia*, circa quam et Carnus inſula. Thucydidi, *Ἀλυζία*, *Alyzia*, et Straboni, xv ſtadiis a mari. Stephano, *Ἀλύζεια πόλις Ακαρνανίας*, *Alyzia vrbs Acarnaniae.* Cicero, ad Tironem, Patris relictum: (b) Tertio die abs te Alyziam acceſſeramus; is locus eſt citra Leucadem ſtadia cxx.“ Plinio, *Alyzea;* Ptolemaeo, *Ἀζύλεια*, *Azylia*, per metatheſin. Stadia cxx efficiunt omnino M. P. xv quot in Tabula ponuntur. Danuilleo, *Alyzia*, rite ſignata, ſitu portus *Candello*, ad inſulam cognominem, quae Scylaci *Κάρνος*, *Carnus*, Plinio *Cyrnus*, vocatur.

Aceloum fl. xxxiiii. ſic Velſ. Hodoeporicon, a Nicopoli, *Achelou fluuium.* xxv. Vaticano, *Achelan Fluuiusze.* Pro xxv ſcribendum lxv. vt Tabula docet; quod Weſſelingius non obſeruat. Flumen *Acheloum*, inde ab Homero notum, cui *Κρείων Ἀχελώϊος*, *rex Acheloios*, vocatur. Traiectus amnis fuerit ſupra oſtium vii circiter M. P. vbi Paeanion Danuille notat; hodie nullus comparet locus. De flumine, cui *Stonapro* nomen, dictum ſuperius.

Evvenos. fl. x. Velſ. *Euvenos Fl.* x. Hodoeporicon, *Eueno.* xx. Simlerus, *Evveno*, *Euenus;* alii, *Euveno*, *Euvenno.* Strabo, *ὁ Εὔηνος*, *εἰς ὃν ἀπὸ τοῦ Ἀκτίου στάδιοι ἑξακόσιοι ἑβδομήκοντα*, *Euenus fluuius, ad quem ab Actio ſtadia* dclxx. id eſt, M. P. lxxxiii. cum tribus quartis; recto ductu ſunt M. P. l. vt heic oram geographus legiſſe videatur. Abeſt Actium a Nicopoli x M. P. Tabula a Nicopoli ad Euenum lxxxiv numerat; qui cenſus cum Strabonis calculo congruit. De amne ſuperius dictum. Traiectus fuerit circiter vii M. P. ſupra oſtium, vbi Danuille Calydonem Plinii poſuit, agro hodie locis vacuo. Melae, Euenos et Calydon, oppida.

VI. Calidon. fl. x. Velſ. *Calidon Fl.* x. Strabo: Poſt Euenum mons Chalcis, quem Artemidorus Chalceam adpellat; deinde Pleuron; poſt Lycirna pagus, ſupra quem ad xxx ſtadia *ὑπέρκειται Καλυδὼν ἐν τῇ μεσογαίᾳ*, *iacet Calydon in mediterraneo;* apud Calydonem fanum eſt Lathraei Apollinis; ſequitur mons Taphiaſus. (c) Plinius, compendio vſus: Aetoliae oppidum Calydon eſt

(a) L. IV. c. 2. (b) L. XVI. ep. 2. (c) L. X. p. 459.

ſeptem millibus quingentis paſſ. a mari, iuxta Euenum amnem.“ (a) Quae uerba Danuille preſſius ſecutus, laeua Eueni ripa, eo interuallo, oppidum poſuit. Harduinus, nunc oppidum *Galata* ſiue Calata, a Naupacto boream verſus diſſitum v fere mill. paſſ. eſſe ait. In chartis recentioribus abeſt *Galata* XVII M. P. a Lepanto in occaſum, ad oram ſita, quae Calydoni reſpondere nequit. Eſt ad VIII fere in exortum milliare, oppidum *Caſtro di Romili*, in cuius vicinia Calydonem eſſe oportebat, ad riuum quemdam, in lacum maritimum effluentem. Ortelius, eo fere ſitu, habet *Neocaſtro.* Forſan riuo illi *Calydon* erat nomen, quod in Tabula ſſ. particula additur; niſi ſcribae errarint.

Naupactos. IX. Velſ. *Naupactos.* IX. Scylax, de ſinu Corinthiaco, quem Delphicum vocat, locutus, in eo fanum, inquit, *καὶ Ναύπακτος πόλις*, et *Naupactrs oppidum.* Notum etiam Liuio, Straboni, Plinio, Ptolemaeo, aliis. Etymon prodit Strabo: Naupactus Antirrhio vicina, *ἀπὸ τῆς ναυπηγίας*, a nauibus ibi compactis nominata.“ Ptolemaeus Locris adcenſet, vetuſtiores Aetoliae. Hodie vrbs *Einebachti*, vel *Lepante*, *Lepanto;* numeris Tabulae huc rite ducentibus. Hodoeporicon ab Eueno in mediterranea abit, *Delphos* verſus, inde Megaram, hoc pacto: *Delphi.* XL. *Phocide.* XL. *Theſpias.* XL. *Megara.* XL. Traiectus Eueni amnis erat XX M. P. ſupra oſtium; vt adeo ab Acheloo diuerſa procedere coeperint via. *Phocide.* XL. eſt mendoſum; poni debebat *Phocidis*, absque numero. Megara a Theſpiis non XL ſed XX M. P. abeſt. Perſequamur Tabulam.

Euanthia. IIX. Velſ. *Euanthia.* IIX. Norunt vrbem, Scylax, Plinius, Pauſanias, Hellanicus apud Stephanum, Ptolemaeus, alii. Scylaci *Εὔανθις*, *Euanthis;* Plinio, *Oeanthe;* Hellanico, *Οἰάνθη πόλις Λοκρῶν*, *Oeanthe vrbs Locrorum;* Pauſaniae *Οἰάνθεια*, *Oeanthea*, mari proxima; cui finitima Naupactus. Ptolemaeo *Εὐανθία*, *Fuanthia*, vt Tabulae. Oppidum *Pentagii* eſſe, Harduinus perhibet, quod in chartis recentioribus abeſt, vicino *Pſaromathia* promontorio. Danuilleo, *Oeanthe*, XX M. P. a Naupacto, in iſthmo peninſulae paruae; vnde numerus Tabulae aut vitiatus erit, aut omiſſa manſio *Erythrae*, ad octauum a Naupacto lapidem ſita.

Anticirra. XV. Velſ. *Anticirra.* XV. Strabo, *Ἀντίκιῤῥα*, *Anticirrha*, vt Tabula; Ptolemaeus, *Ἀντίκυῤῥα*, *Anticyrrha;* Pauſanias, ſimplice, *Ἀντίκυρα*, *Anticyra;* ſic Liuius, Horatius, Plinius, alii. Gentile, *Ἀντικυρεύς*, *Anticyreus*, Pauſaniae. Danuilleo, *Anticyrrha;* in iſthmo peninſulae, X M. P. ab Cyrrha, in exortum, ſitu caſtelli *Aſproſpitia;* vbi Cyrrha erat, ad promontorium Cirphis, ibi hodie promontorium *Tramachi.* Tabulae numeris ad Criſſam, in ſinu cognomine, hodie *Salona*, pertingit; inde pari interuallo *Anticirrha;* vt ea manſio cum numero exmiſſa videatur. Deliſle compendium ſecutus, ab Euanthe

(a) L. IV. c. 3.

rectam ducit ad Cyrrham, inde Anticyram, per ſinum Criſſaeum; ſed ne ſic quidem Tabulae mendum abſolui poteſt; quod ab Euanthia ad Anticirrham XXII M. P. recto ductu numerantur; et Tabulae auctorem mare ſulcaſſe non crediderim. Id enim, cum euenit, exprimere ſolet; vt in Peloponneſo viſuri ſumus. Iter hoc per continentem ducebat, a poſtremis Tabulae architectis vitiatum.

Cruſa. XII. Velſ. *Eruſa.* XII. Scylax: Phocenſes ſequuntur Boeotii, vrbesque hae: *Κορσιαὶ, Σφάσις, καὶ λιμὴν Εὔτρητος, Corſiae, Sphaſis, et portus Eutretus.* Pauſanias, apud Stephanum: Ex Cyrtonibus, ſuperato monte, oppidulum eſt Corſia, *πόλισμά ἐστι Κορσεία.* Stephanus, *Χορσία, Chorſia* legit; quod Pinedo praeplacet; illud Voſſio; neuter obſeruat, *Creuſam* aliis dictam, Liuio, Straboni, Ptolemaeo, et ipſis Pauſaniae et Stephano, qui vrbis nomen geminarint. His *Κρέουσα, Creuſa* eſt, Pauſamiae *Κρευσὶς, Creuſis,* oblique *Κρευσίδι, Creuſidi.* Strabo, Theſpiae nauale habent *Κρέουσαν, ἣν καὶ Κρεουσίαν καλοῦσιν, Creuſam, quam et Creuſiam dicunt.* Stephano *Κρεῦσις, πόλις Βοιωτίας, Creuſis oppidum Boeotiae.* Danuilleo, *Creuſa,* XXVIII M. P. ab Anticyrrha, ad ſinum hodie *Calaneſia* dictum, circiter oppidum *Cacas.* In diſtantia non conueniunt chartae, aliis XII. vt in Tabula, aliis XXV M. P. interponentibus; vt numerum Tabulae condemnare non auſim. Videtur Danuille ſpatium ampliaſſe, quod apud Deliſleum contractius eſt.

Pache. XX. Velſ. *Pache.* XX. Scylax: Poſt Boeotos ſequuntur Megarenſes, et vrbes Aegoſthena, *Πηγαὶ, τεῖχος Γεράνεια, Ἄρις, Pegae, munimentum Gerania, Aris.* Eadem forma vtuntur Thucydides, Ptolemaeus, Stephanus, Pauſanias; *Παγαὶ, Pagae,* Straboni et Plinio; cui etiam Pagaei ciues, *Pagae, vnde Peloponneſi proſilit ceruix;* et inferius: *Megara e regione Pagarum.* (a) Danuilleo, *Pagae,* auſtrali ora ſinus memorati, ſupra Onciorum iuga; vbi a recentioribus *Lutra* oppidum ponitur; quod ſi Leuctra eſt, ad ſuperiora referri debet, ad VI a Theſpiis lapidem, vt Danuille ſignauit. Ortelio, tractu hoc, *Oſta* et *Policaſtro* oppida notantur. Tabulae numeri hac ſinuoſa regione, bene habent; recta per ſinum ſunt VIII M. P. ab Creuſa ad Pagas.

Megara. XV. ſic Velſ. Hodoeporicon, a Theſpiis, *Megara.* XL. Numerus Tabulae eſt adcuratus; in Hodoeporico XX reponi deberent; tanto enim ſpatio Megara a Theſpiis abeſt, vt ſuperius monebamus. Id Weſſelingius obſeruare omiſit. De Megara, vrbium in Tabula, ante Peloponneſum poſtrema, itinere alio dictum. Atque haec de Graecia fari licebat.

(a) L. IV. c. 4. 11.

SECTIO V

PELOPONNESVS

§ I

Nuncupatio et fines.

I. HOMERO *Ἄργος*, *Argos*, dicitur, a cognomine principe, vt Conſtantinus interpretatur, cuius haec ſunt: (a) Apio regnante, vocabatur Apia; ſub Pelaſgo indigena, Pelaſgia; ſub Argo vero etiam ſimiliter Argos adpellata eſt; tandem ſub Pelope, Peloponneſi hoc proprium nomen accepit.“ De origine incolarum Strabonem audire libet: (b) De Peloponneſo, *περὶ τῆς Πελοποννήσου*, Hecataeus Mileſius tradit, eam ante Graecos fuiſſe habitatam a barbaris. Et quidem tota fere Graecia antiquitus barbarorum fuiſſe ſedes videtur, quod ex his ratiocinari licet, quae memoriae prodita ſunt. Nam et Pelops e Phrygia ſecum adduxit populum in denominatam ab ipſo Peloponneſum; et Danaus ex Aegypto; et Driopes, Caucones, Pelaſgi, Leleges, aliique eorum ſimiles, intra iſthmum ſita obtinuerunt; quin imo et ea, quae ſunt extra iſthmum. Atticam enim Thraces, qui cum Eumolpo venerant, poſſederunt; Daulidem Phocidis Tereus; Cadmeiam Phoenices, Cadmi comites; ipſamque Boeotiam Aones, Tembices, atque Hyantes.“ Ex his Phryges et Leleges Threiciae originis fuiſſe, alias oſtendimus. Medio aeuo, in Peloponneſo, Slauorum nomen celebre fuit; neque hodie familiae eorum ibi deſunt. Folium platani referre, poſt Periegetam, tradiderunt plures. Plinius: Peloponneſus, Apia ante adpellata, et Pelaſgia, peninſula haud vlli terrae nobilitate poſtferenda, inter duo maria, Aegaeum et Ionium, platani folio ſimilis, propter anguloſos receſſus, circuitu DLXIII M. paſſ. colligit, auctore Iſidoro. Eadem per ſinus paene tandumdem adiicit. Anguſtiae, vnde procedunt, Iſthmos adpellantur.“ (c)

II. Sinus praecipui ſunt, Corinthiacus, Cypariſſius, Meſſeniacus, Laconicus, Argolicus, et Saronicus; prouinciae, Achaia, Elis, Arcadia, Meſſenia, Laconia, Argolis. In Tabula exerte ponuntur ACHAIA. ARCADIA. LA-

(a) L. II. Themat. c. 6. (b) L. VII. p. 321. (c) L. IV. c. V.

CONICE. quas paragrapho ſequenti recenſebimus. In Faſtis Romanis, ad A. V. 609. L. Mummius Achaicus, procoſ. DE ACHAEIS ET CORINTHIEIS. A. V. 673. L. Cornelius Sulla, dict. EX GRAECIA. Aſia, Ponto, et rege Mithridate. Achaiae nomen in epigraphica quoque occurrit, non item Arcadiae et Laconicae. Fines Peloponneſi, ab occaſu, mare Ionium, cum ſinu Cypariſſio; a borea, ſinus Corinthiacus, cum Iſthmo; ab exortu mare Aegaeum, cum ſinu Sarónico et Argolico; a meridie ſinus Meſſeniacus et Laconiſus. Patet a gradu longit. 38 min. 52. ad 41 min. 22. latit. 36 min. 34. ad 38 min. 31. Longum procurrit a promontorio Chelonite, oſtio Selleis fluuii, ad Scyllaeum promontorium, CLV M. P. latum a Taenaro ad Rhium, vno minus, ſecundum rationes Danuillei.

§ II

Prouinciae, montes, maria, ſinus, inſulae, Iſthmus, portus, fluuii.

I. QVINQVE prouinciis vniuerſa Peloponneſus abſoluitur, Achaia, Elide, Meſſenia, Laconica, Arcadia, et Argolide. Tabula tres dumtaxat exprimit, Achaiam, Arcadiam, Laconicam; quod anguſtiae ceteras adferre non patiebantur. Hodoeporicon ex Peloponneſo nihil habet; cum in Tabula viae, vrbes, oppida, ſingillatim exhibeantur. Libet heic prouincias recenſere.

ACHAIA. literis pictis, iuxta ſinum Corinthiacum; Velſ. Achaia. Achiuos, Achiuam terram, pro Peloponneſo, non raro adhibet Homerus; τῆς *Ἀχαΐας* vocabulum apud Poetam non occurrit, prout neque Peloponneſi. Scylax *Ἀχαιῶν* et *Ἀχαΐας χώρας* vocabulis vtitur, poſt Corinthum et Sicyonem, periplum ſecutus. Plinius: Achaiae nomen prouinciae ab Iſthmo incipit; antea Aegialos vocabatur, propter vrbes in litore per ordinem diſpoſitas". (a) Ptolemaeus Achaiam ab Acheloo incipit, extra Peloponneſum; quo is vocabulo Helladem accipit, in eaque Locros, Boeotiam, Atticam, recenſet; quae ſignificatio latius ſumitur; ab hac Achaia Peloponneſiacam *ἰδίως Ἀχαΐας*, *Achaiae proprie dictae* nomine diſcernit. De Hellade priore ſectione dictum. Achaiam noſtram, *Αἰγιαλὸν* quondam nuncupatam, etiam Pauſanias, in Eliacis tradit. Graecis quippe *αἰγιαλὸς* dicitur litus. In chartis recentioribus *Chiarenza* vocatur regio, latine *ducatus Clarentiae*, a praecipua ciuitate *Chiarenza*.

ARCADIA. auſtrali peninſulae parte, literis pictis; Velſ. Arcadia. Canit *Ἀρκαδίην* Homerus. (b) Aiunt, ſub belli Troiani tempora iisdem terminis

---

(a) L. IV. c. 5. (b) Iliad. *β*. 603.

circumſcriptam fuiſſe, quibus poſtea Strabo, Plinius, Ptolemaeus, in mediterraneis totam conſtituunt. Mediterranea eius, inquit Plinius, Arcadia maxime tenet, vndique a mari remota, initio Drymodes, mox Pelaſgis adpellata. (a) Olim tamen ad mare ſpectaſſe, Scylax perſpicue docet: „Poſt Elin ſequitur *Ἀρκαδία*, *Arcadia; καθήκει δὲ ἡ Ἀρκαδία ἐπὶ θάλατταν κατὰ Λεπρέων ἐκ μεσογείας*, pertingit autem Arcadia a tractu mediterraneo vſque mare ad Lepreum." Non igitur iidem termini olim fuere, qui poſtea. De diuerſis Arcadiae nominibus, et etymologiis, tractat Stephanus; oppida Plinius enumerat tricena. Hodie regioni *Braccio di Mania*, vel *Maina*, alias *Tzakoni*, nomen.

Lacedemonie. literis miniatis, Vel. LACONICE. Homerus, *Λακεδαίμονα*, *Lacedaemonem* vocat; (b) in quem Euſtathius: *Λακεδαίμονα τὴν χώραν λέγουσι. τὴν δὲ πόλιν Σπάρτην καλοῦσι*, *Lacedaemonem regionem dicunt*, *vrbem Spartam*. Eadem Pauſanias, in Laconicis, tradit. Scylax quoque, *Λακεδαίμων ἔθνος*, *gens Lacaedemon*. Apollodorus, apud Stephanum, *κατὰ συγκοπὴν Λάκων*, *per ſyncopen Lacon* dici Lacedaemona, perhibet. Inde epitheta, *Λακωνικὸς*, *Λακωνικὴ*, *Laconicus*, *Laconice*; qua forma auctor Tabulae, tamquam ſubſtantiuo, aetatis illius more, vtitur. Strabo Lacedaemonis et Laconum vocabula prodit, non Laconiae aut Laconicae; Plinius vtrumque habet, alterum ſubſtantiale, epitheton alterum: *a Taenaro ager Laconicus*, *liberae gentis*. Femineum, *Λάκαινα*, *Lacaena;* quod etiam Strabo refert. Ptolemaeo, prouincia *Λακωνικὴ*, *Laconice*, ſeu Laconica. Hodie *Saccania;* quae tria prouinciarum nomina recentiora, Tabulae auctoritatem firmant; ſed forſan ab aetate Theodoſiorum pendentem.

II. Marium Ionii et Aegaei, ſinuum Corinthiaci, Saronici et Maliaci, ſectione priori meminimus. Inſularum praecipuae ſunt, ab occaſu Zacynthus, ab auſtro Cythera; quas e Tabula deſcripſimus ibidem. Promontoria in Peloponneſo ſunt complura; nullum tamen ſingillatim nominatur, vno expreſſo. Iſthmus, fluuii, montes, ſuperant.

Montes terni exprimuntur, cum duobus fluuiis; vnus illorum eſt, ex quo Alpheus profluit amnis; qui cum plures habeat ramos, plures quoque montes reſpicit; qualis Pholoë, ex quo Erymanthus; Cyllene, ex quo Aroanius et Ladon; Maenalus, ex quo Heliſſon, prodeunt. *Φολόη*, *Pholoë*, mons ab occaſu, Scolli iunctus, Ouidio, Straboni, Plinio, Ptolemaeo, Statio, memoratus, procurrit verſus inſulam Zacynthum, cuius nomen in chartis non comparet. De altero, Strabo: *μέγιστον ὄρος ἐν αὐτῇ Κυλλήνη*, *maximus mons in ea* (Arcadia) *Cyllene*. Pauſanias, *ὄρος ὑψηλότατον ὀρῶν τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ Κυλλήνη*, *altiſſimus montium Arcadiae eſt Cyllene*. in vertice, *Ἑρμοῦ Κυλληνίου*, *Mercurii Cyllenii* templum. Norunt montem praeterea, Virgilius, Ouidius, Mela, Plinius, ſcholiaſtes Pindari, alii. Pomponius: montes in Arcadia ſunt, Pholoë, Cyllenius,

(a) L. IV. c. 10. (b) Iliad. *β*. 581—590.

Parthenius, Maenalus. *Μαίναλον ὄρος Ἀρκαδίας*, *Maenalus mons Arcadiae*, ſcholiaſtes Pindari inquit; norunt eum Strabo quoque, Mela, Plinius, alii. Virgilius, luſtrabo *Maenala*, more graio. Hodie *Alpheo* nomen eſt, nuncupatione a fluuio ſumta. Ei ab auſtro Lycaeus adhaeret; Plinio: *Lycaeus, in quo Lycaei Iouis delubrum;* de quo etiam Strabo et Pauſanias ſcribunt. Hos eo tractu montes auctor Tabulae exprimi voluerit.

Alter montis tractus, paullo maior priore, vnciam longus, ex quo amnis Laconiae Eurotas promanat, cuius rami aeque plures, e Lycaei, Maenali, Taygeti, et Zarecis iugis prorumpunt; ſed pars eorum potior e Maenalo deſcendit, qui cum ſit regionis eius maximus, ad mare vſque procurrit, Zareci, maritimo monti, iunctus, cui homonymon oppidum Polybius, Plinius, Pauſanias, Stephanus, memorant, hodie quoque *Zarix* nuncupatum. Taygetum Harduinus *les montagnes des Mainotes* vocat.

Tertius eſt ſesqui vncialis tractus, in mare procurrens, ad promontorium Maleam; quod rectius pro Taenaro, aut Scyllaeo accipi poſſit, ni ſitus Maleam exposceret. Scylaci *Μαλέα ἄκρα*, *Malea promontorium;* Herodoto, *μέχρι Μαλέων*, *vſque ad Maleas;* (a) loco alio, *κατὰ Μαλέην*, *iuxta Maleam.* Straboni, *Μάλεαι*, *Maleae*, pluratiue. Apud Stephanum etiam *Μάλεια*, *Maleia.* Norunt id promontorium, praeter alios, Polybius, Virgilius, Ouidius, Plinius, Mela, Ptolemaeus, Statius. Ei nomen hodie *Malio*, vel *S. Angelo;* aliud in occaſum ad VI lapidem eſt, Plataniſtus Danuilleo, hodie *Vatica*, vel *S. Georg.* Vtrumque eo tractu Tabulae auctor deſignari voluerit.

III. Fluuii exprimuntur duo, iique tota Peloponneſo principes, Alpheus et Eurotas, quorum alteri *Burotas*, alteri *Panos*, nomen; vterque in anguſto eo ſpatio fluxu ſatis prolixo, ſed alter productiore. Ille tres vncias longus, e Cyllene monte ad Olimpiam decurrit, cuius ager cum medium fere peninſulae occiduum latus occupet, in Tabula ob conſtructionem operis, in angulum deſinit. Epigraphe fluminis eſt,

fl. Burotas. in decurſu aluei; Velſ. Fl'. Burotas. Graecis, *Εὐρώτας*, *Eurotas*, inde a Pindaro et Scylace notus, Spartam ab ortu praefluit, Polybio teſte. (b) Liuius: *ad Eurotam amnem ſub ipſis prope fluentem moenibus* (Spartae) *peruenit.* (c) Exitum Strabo deſignat: *ὁ Εὐρώτας ἐκδίδωσι μεταξὺ Γυθίου, καὶ Ἀκραίων*, *Eurotae oſtium eſt inter Gythium et Acraeas.* (d) Plinius: *Mons Taygetus, amnis Eurotas, ſinus Aegilodes.* (e) Hodie *Baſilipotamo*, teſte Harduino. Surgit in Maenali iugis, fonti Alphei vicinus, XL amplius M. P. decurrens, VI M. P. ab Gythio in exortum, hodie *Colokythia*, in ſinum Laconicum, *Colochina*, effunditur. Nouiſſimi Tabulae architecti, epigraphen Eurotae, ſeu ignorantia geographiae, ſeu oſcitantia, dederunt Alpheo.

(a) L. I. c. 82. (b) L. V. c. 22. (c) L. XXXIV. c, 28. (d) L. VIII. p. 363. (e) L. IV. c. 8.

Alpheus, *Ἀλφειὸς*, iam Scylaci, in Elide, memoratus, de quo multa Poetae narrant. Plinius: Quidam odio maris ſubeunt vada, ſicut Arethuſa, fons Syracuſanus, in quo redduntur iacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens, Peloponneſiaco litori infunditur." (a) Loco alio: Piſaeorum oppidum, praefluente Alpheo amne. — Amnis Alpheus nauigatur VI paſſ. mill. prope oppida Aulona, et Leprion." (b) Hodie *Alpheo*, vel *Roſeo*, quibusdam *Carbon*, ortus in Lycaeo et Maenalo, Eurotae vicinus, acceptis Ladone, Aroanio, Erymantho, quorum hic *Dimnicza* vocatur, x M. P. ab Olympia, quam laeua adluit ripa, in ſinum Cypariſſium, cui hodie *Arcadia* nomen, effunditur.

Fl. Pannus. ſic Velſ. apud Scheibium inſcriptio deeſt. (c) Adponitur Eurotae alueo, prope exitum, qui potiorem peninſulae partem, vt in Tabula exprimitur, decurrit; ſpectat autem epigraphe ad Pamiſum, Straboni, Melae, Plinio, Pauſaniae, Ptolemaeo, memoratum. Graecis *Πάμισος*, *Πάμεισος*, *Πάνισος*, quem Strabo ſic deſcribit: Haud procul a Corona, circa medium ſinum, effunditur amnis Pamiſus, Coronam et ſequentes vrbes a dextra habens." (d) Et quibusdam interiectis: hic fluuiorum, qui intra Iſthmum ſunt, maximus eſt, quamquam a fontibus non vltra c ſtadia profluat aquae copioſus, per planitiem Meſſeniacam, et quae Macaria dicitur; abeſt ab hodierna Meſſena ſtadiis CCL." Addit, loco alio: *Ἄμαθον*, *Amathum* ab aliis dici; eſſe item fluuium *Pamiſum* paruum, iuxta Leuctrum Laconiae defluentem; de quo Meſſenii cum Lacedaemoniis, Philippo iudice, litigarint. Ptolemaeo, *Πάνισος*, *Paniſus*, audit noſter. Hos omnes, cum Eurota, vno alueo expreſſit Tabulae auctor, nomine minoris quidem curſu, ſed aqua validioris, vt Strabo teſtatur, adſcripto; quod eum non raro facere, alias obſeruauimus. Chartis *Pirnaza*, Ortelio *Spiranza*, cum Alpheo, quem *Darbon* vocat, commiſſus; a quo iugis Lycaei, ex quo et Neda, et Eurotas, profluunt, dirimitur. Danuille, alueo valido, inde ab exortu, ſecundum Strabonis dicta, expreſſit amnem. Haec de fluuiis.

§ III

Oppida, manſiones.

I. IN oppidorum Peloponneſi recenſione, Tabulam ſequemur, in qua principium ſit ab Olympia, vnde in vtramque partem via ducit ſecus oram, hinc ad Iſthmum, inde Boeam, ſinus Argolici oppidum. Duae ſunt mediterraneae, vna ab Olympia Megalopolim, altera ab Sicyone Epidaurum. Primam, quae ab Olympia Corinthum petit, ante reliquas, luſtrare libet.

(a) L. II. c. 106. (b) L. IV. c. 6. (c) In exemplari noſtro, fl. pamis'. ad oſtium.
(d) L. VIII. p. 361.

Olympia. insignia vrbis liberae; sic Vels. Olim *Pisa*, *Πίσα*, dicebatur, iam Pindaro nota. Mela: In Elide fanum delubrumque Olympii Iouis, certamine gymnico, et singulari sanctitate, ipso quidem simulacro, quod Phidiae opus est, maxime nobile." Eadem fere Plinius; Stephanus: *Πίσα*, *πόλις καὶ Κρήνη τῆς Ὀλυμπίας*, *Pisa oppidum et fons Olympiae*. Memorant praeterea vrbem, Polybius, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Pausanias, alii; regio *Πισατὶς*, *Pisatis*, incolae *Πισαῖοι*, *Pisaei*. Danuilleo, *Olympia Pisa*, laeuo Alphei latere, x M. P. supra ostium; quo situ hodie *Roseo* oppidum visitur.

Netido. absque numero; Vels. *Netide*. Videtur breuiatum ex *Chelonite*, Straboni, Melae, Plinio, Ptolemaeo, Agathemero, nota. Straboni *Χελωνάτας*, *Chelonatas*, dialecto Dorica, vti et Agathemero; Melae, Plinio, *Chelonates* promontorium; Ptolemaeo, *Χελωνίτης ἄκρα*, *Chelonites promontorium*, dialecto communi. Nonnulli, *Capo di Castel Tornese*, interpretantur; Harduinus, *Capo di Chiarenza;* numerus, qui sequitur, priori respondet, vti Danuille quoque, infra ostium Selleentis posuit. Quae si recte habent, in Tabula numerus xI desiderabitur.

Cyllene. xIIII. sic Vels. Scylax, in Elide, *Κυλλήνη πόλις καὶ λιμὴν*, *Cyllene*, *oppidum et portus*. Thucydides, *Κυλλήνην*, *τὸ Ἠλείων ἐπίνειον*, *Cyllenen*, *Eleorum nauale*, vocat. Adde Liuium, Strabonem, Melam, Plinium, Ptolemaeum. Mela heic Mercurium natum perhibet; Plinius, ab Chelonate: *vnde Cyllenen* v *M. pass.* quindecim dicere debebat, Tabula duce. Harduinus, oppidum *Chiarenza* vult esse; Danuile ibi Murtuntium, inferius, ad vI lapidem, oppido *Antravida*, Cyllenen ponit, ad numeros Tabulae rectius.

Dyme. xIIII. Vels. *Dyme*. xIIII. Scylaci postrema vrbs Achaiae, *Δύμη*, *Dyme;* quam et Polybius, Liuius, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Pausanias, laudant. Liuio, *Dymae*, pluratiue, ager Dymaeus; Plinio, *colonia Dyme*, quam Pompeius Magnus eo misit, Strabone teste. Pausanias, a Larisso, communi Achaeorum Eleorumque termino, *σταδίους ὅσον τετρακοσίους*, *stadia circiter quadringenta*, abesse refert; scripserit *τετράκοντα*, *quadraginta*, vt recte Cellarius obseruat; quae mensura est aequa. Danuilleo, *Dyme*, situ oppidi *Castro d' Achaia*, inter Piri, *Pyro*, et Larissi, *Riso*, amnium ostia, interuallo vtrimque pari V. M. P.

Pathras. xv. insignia coloniae; Vels. *Pathras*. xv. Scylaci, in Achaia, *Πάτραι*, *Patrae*. Vetus vrbis nomen, *Ἀρόη*, vel *Ἀρόα*, *Aroë*, *Aroa*, Pausania teste. Cicero eius frequens meminit. Plinius: Patrae colonia in longissimo promontorio Peloponnesi condita, ex aduerso Aetoliae, et fluminis Eueni." (a) Numi, COL. A. A. PATRENS. Harduino, *colonia prima Augusta Patrensis;* malim, *colonia Achaiae Augusta*. Seruat nomen oppidum *Patras*.

(a) L. IV. c. 6.

II. Agion. xxv. Velſ. *Agion.* xxv. Scylax, in Achaia, *Αἴγειον*, *Aegium*, ſeu *Aegeum*, Herodotus, *Αἴγιον*, *Aegium*, adpellant; eadem forma vſus iam Homerus eſt. Laudant vrbem, Liuius, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Pauſanias, alii. Melae et Plinio, *Aegion*, more graio. Incolas *Αἰγιέων*, *Aegieorum* vocabulo adficit Strabo. Liuius, Aegium a principio Achaici concilii ſemper conuentus gentis indicti ſunt." (a) Numi autonomi, *ΑΙΓΙ.* primae literae vocis *ΑΙΓΙΕΩΝ.* Chartae recentiores, *Boſzta*, *Voſtitza*, eo loco praeferunt, quo Aegium Danuille poſuit, numero Tabulae ſitui reſpondente.

Agira. xii. Velſ. *Agira.* xii. Scylaci, *Αἴγειρα*, *Aegira*, apud Voſſium *Ἄσπρα*, *Aſpra.* Norunt oppidum Herodotus, Polybius, Strabo, Plinius, Ptolemaeus, Pauſanias, alii. De ſitu Polybius: (b) Oppidum Aegira ſitum eſt in ea Peloponneſi parte, quam Corinthiacus ſinus adluit, inter Aegium et Sicyonem, collibus impoſita praeruptis et inacceſſis. Spectat eius ſitus Parnaſſum, et vicina loca in regione oppoſita, diſtatque a mari ſtadia ſeptem." Incolas *Αιγειρατῶν*, *Aegiratium* vocabulo nuncupat. Danuilleo, *Aegira*, xv M. P. interuallo, in plano, vbi nunc oppidum *Arcadia.* Sed iv M. P. citerius Aegiram oportere ſtatui, diſtantia Sicyonis expoſcit. Apud Ortelium, ea regione, *Scolo caſtro* viſitur.

Sicione. xxv. ſic Velſ. Scylax: *Μετὰ δὲ Κόρινθον Σικυὼν πόλις*, *Poſt Corinthum Sicyon ciuitas;* huius praeteruectio ſtadiorum cxx." Nota inſuper Thucydidi, Liuio, Straboni, Melae, Plinio, Ptolemaeo, Stephano, aliis. Incolae *Σικυώνιοι*, *Sicyonii*, Pauſaniae, qui extremos Argolidis populorum eſſe ait. Regio Sicyonia; Strabo: *Ἄσοπος, ὁ παῤῥέων τὴν Σικυωνίαν*, *Aſopus praeterfluit Sicyoniam*, et facit regionem Aſopiam, quae pars eſt Sicyoniae." (c) Harduinus, *Vaſilica* eſſe putat, hodie *Baſilico*, vnde Sicyon ix M. P. in exortum abeſt, vt Danuille, cum tabulis recentioribus, exhibet.

Lethi. xx. ſic Velſ. Graecis *Λεχαῖον*, *Λέχαιον*, *Lechaeum*, Corinthiorum *ἐπίνειον*, *nauale*, Polybio, Straboni, Plinio, Ptolemaeo, Pauſaniae, aliis, memoratum. Plinio *Lecheae* pluratiue. Situm depingit Strabo: (d) Orae maritimae vtriusque initia ſunt, alterius Lechaeum, alterius Cenchreae, vicus et portus, ab vrbe diſtans ad lxx ſtadia, quo portu vtuntur ad Aſiaticos, Lechaeo ad Italos. Lechaeum vero ſub vrbe iacet, non admodum frequens domiciliis. Ab vtraque parte viae, quae a Corintho Lechaeum pertingit, deducti ſunt crurum inſtar muri, ad ſtadia circiter duodecim." In chartis *Palaga* oppidum eo ſignatur loco, ſed ripa amnis laeua, cum Danuille dextra notet.

Corintho. iii. inſignia coloniae; ſic Velſ. Graecis *Κόρινθος*, antea *Ἐφύρη*, *Ephyre*, dicta; vtrumque vocabulum prodidit Homerus, omni poſtea ſcripto-

(a) L. XXXVIII. c. 30. (b) L. IV. c. 57. (c) L. VIII p. 382. (d) L. VIII. p. 380.

rum turbae celebratum. Plinius: (a) Medio interuallo, quod Isthmon adpellauimus, adplicata colli habitatur colonia Corinthus, antea Ephyra dicta, sexagenis ab vtroque litore stadiis, e summa sua arce, quae vocatur Acrocorinthus, in qua fons Pirene, diuersa duo maria prospectans." De conditore Apollodorus: (b) Sisyphus, Aeoli filius, condidit Ἐφύραν τὴν νῦν λεγομένην Κόρινθον, *Ephyram, quae nunc vocatur Corinthus.* Eadem Virgilius, Ouidius, Silius, canunt. Patria coloniarum celebrium, quae Pegasum in pecunia referunt. Numi Romani, COL. L. IVLIA. COR. item C. L. I. COR. *colonia Laus Iulia Corinthus.* Autonomi veteres *ΚΟΡ. ϘΟΡ.* aut *Ϙ* solum; quae literae cum et Corcyrae, quae colonia Corinthiorum erat, conuenire possit, disputationi apud antiquarios locum relinquunt. Situm vrbis, quam a Romanis instauratam vidit ipse, describit Strabo. Seruat nomen *Corinth*, Ortelio *Coranta.*

III. Apud Corinthum exeunt viae a Megara et sinu Saronico, breues; ab Sicyone duae sunt Argos ducentes, per mediterranea; vna ab Olympia Megalopolim; heic primum a Megara venientem persequi libet.

Istamo. XXIII. Vess. *Istamo.* XXIIII. Scylax: Post Megarenses est Corinthus vrbs, ἱερὸν Αἴγνον, Ἰσθμὸς, *fanum Iunonium, Isthmus.* Strabo: τὸν τῶν Πελοποννησίων Ἰσθμὸν, *Peloponnesiorum Isthmum*, vocat; alii Corinthiacum, Achaicum, hi a prouincia, illi ab vrbe vicina, aeque praecipua. Plinius Isthmum sic describit: (c) Angustiae, vnde (Peloponnesus) procedit, Isthmos adpellatur. In eo loco erumpentia ex diuerso maria, eius omnem ibi latitudinem vocant, donec contrario incursu aequorum tantorum, in quinque M passuum interuallo exesis vtrimque lateribus, angusta ceruice Peloponnesum contineat Hellas. Corinthiacus hinc, illinc Saronicus adpellatur sinus; Lecheae hinc, Cenchreae illinc angustiarum termini, longo et ancipiti nauium ambitu, quas magnitudo plaustris transuehi prohibet; quam ob caussam perfodere nauigabili alueo angustias eas tentauere, Demetrius rex, dictator Caesar, Caius princeps, Domitius Nero, infausto, vt omnium patuit exitu, incepto." De nauium per Isthmum traductione Liuius etiam et Strabo mentionem faciunt. Mensura Tabulae pertingit ad portum Σχοινοῦντα, *Schoenuntem*, qui Ptolemaeo Σχοινοῦς λιμὴν, *Schoenus portus;* memoratur etiam Straboni, Melae, Pausaniae; Strabo: Apud Schoenuntem angustissima est Isthmi pars, qua naues per terram ex vno mari in alterum traducuntur. (d) Abesse a Cenchreis XLV stadiis, refert. His *Kenchrea* nomen hodie, portu Schoenunte desolato. Est oppidum *Sutica, Scutica*, sed infra Kenchream, quod vestigia nominis antiqui seruet. Mons, qui angustias Isthmi in exortum aestiuum excipit, Oncii olim, hodie *Kakiskala*, nomine venit, per quem hoc Tabulae iter progrediebatur. Recto a Megara Schoenuntem ductu sunt XX M. P. tria in montes insumta fuerint. Ab Schoe-

(a) L. IV. c. 5. (b) L. I. c. 9. (c) L. IV. c. 5. (d) L. VIII. p. 369.

nunte Corinthum VIII M. P. rite numerantur, quae Tabula praefert. Omnia haec ab Danuilleo perquam adcurate et nitide, in tabella Graeciae, ſunt ſignata. Altera via ab Corintho ſic habet:

Cencris. VII. ſic Velſ. Graecis, *Κεγχρειὰ*, *Κεγχρειαὶ*, *Κεγχρέαι*, *Cenchrea*, *Cenchriae*, *Cenchreae.* Thucydides, ſingulari vtitur, ceteri multitudinis caſu. Strabo *κώμην*, *vicum*, Mela et Stephanus oppidum et nauale Corinthi, vocant; *Κεγχρέαι πόλις καὶ ἐπίνειον Κορίνθου.* Mela, de Iſthmo: *in eo oppidum Cenchreae*, *fanum Neptuni*, *ludis*, *quos Iſthmicos vocant*, *celebre.* Liuius, *Cenchreas*, *Corinthiorum emporium*, adpellat. (a) Plinius: *Lecheae hinc*, *Cenchreae illinc*, *anguſtiarum termini.* Danuille, Schoenuntem in anguſtiis ponit, Cenchreas VII M. P. in auſtrum, extra anguſtias. Eſt oppidum *Kenchrea*, *Kenkri*, antiqui vocabuli veſtigia ſeruans. Cum Schoenunte, et arce Corinthi, figuram trianguli praefert, hinc et hinc VII M. P. illinc VIII. vti diximus. Heic via, vtpote ad portum, terminatur. Ab Olympia, per Methonem et Lacedaemonem, Boeam ſic habet:

IV. Samaco. XV. ſic Velſ. Graecis *Σαμικὸν*, *Samicum*, cuius Polybius, Strabo, Pauſanias, meminerunt; hic, oppidum eſſe ad mare pertinens, *ὀνομάζεται μὲν Σαμικὸν*, *quod Samicum nominatur.* (b) Strabo, fanum Samiacum Neptuni memorat, ſua aetate deſertum, ante oppidum fuiſſe perhibens; ſic fortaſſe ob altitudinem dictum; ſublimia enim *σάμοι* graecae adpellantur; ac fortaſſe fuit Arenes arx, cuius in recenſione nauium meminit Homerus; - vbi etiam adlabens "*Ἄνιγρος Anigrus* fluuius, olim *Μινύϊος Minyius* vocatus, in mare exit." (c) Hodie *Samia*, laeua exeuntis *la Gvardia*, vt Ortelius nominat, fluuii ripa, quod oppidum chartae recentiores a mari III M. P. remouent; Danuille rite ſignauit.

Cyparissa. XXIIII. ſic Velſ. Scylax, in Meſſenia, *λιμὴν Κυπάρισσος*, *ἀπέχουσα ἀπὸ θαλάττης στάδια ζ. portus Cypariſſus*, *diſtans a mari ſtadiis* VII. Poſtea oppidum erat, Liuio, Straboni, Plinio, Melae, Ptolemaeo, Pauſaniae, Stephano, aliis memoratum. Straboni, *Κυπαρισσία*, *Cypariſſia;* Melae, *Cypariſſae;* Plinio *Cypa iſſa: Ad meridiem Cypariſſis ſinus cum vrbe Cypariſſa.* (d) Eſt oppidum *Arcadia*, *l' Arcadia*, laeua *Muderi* exeuntis, ſi hunc Ortelius intellexit, ripa. Danuilleo, *Cypariſſae*, XX M. P. ab Samico; chartis recentibus, vt Tabulae, XXIV.

Pylios. XV. Velſ. *Pylios.* XV. Homero *Πύλος*, *Pylos*, dynaſtia Neſtoris, in Triphylia, ad Samicum; tres enim fuere Pyli, Eliaca, Triphyliaca, et Meſſeniaca. Strabo: Antiqua Pylus Meſſeniaca ſub Aegaleo monte ſita erat." Pauſanias, centum ſtadia, inquit, a Methona eſſe ad promontorium Coryphaſium; *ἐπ' αὐτῇ δὲ ἡ Πύλος κεῖται*, *in quo Pylus ſita eſt.* Melae et Plinio *Pylos.*

(a) XXXII. c. 17. (b) L. I. Eliac. c. 5. (c) L. VIII. p. 346. (d) L. IV. c. 6.

Danuilleo, *Pylus*, xx M. P. a Cypariſſo, ſitu oppidi *Novarino novo*, vii M. P. ſupra Methonem; ſed Pauſaniae calculo xiii M. P. Pylos a Methone remoueri debet; quod etiam Tabulae numeri expoſcunt. Quare Pylum veterem oportebat eſſe ad quintum ſupra *Navarino* lapidem, medio fere vetus inter et nouum Nauarinum ſpatio, ex aduerſo inſulae Sphagiae. Ortelio *Gurgulia* eo ponitur agro. Sed numeris, qui ſequuntur, in conſiderationem ſumtis, ipſum *Navarino vecchio* Pylon eſſe, quis exiſtimarit; vbi Deliſle, numeros ſecutus, poſuit ſupra flumen *Armira*, Ortelio. Vt enim heic Pauſanias eſt parcus, ita Strabo nimius, qui a Pylo Lepreo ad Meſſeniacum cccc ſtadia, ſeu L M. P. cenſet, vt Cellarius habet; ſed Strabo id interuallum a Sparta eſſe dicit, quod omnino aequum eſt; interpres de inſularum diſtantia ab continente perperam accepit. (a) Tabula eo Spatio non niſi xxxviiii M. P. numerat.

Mothone. xxx. inſignia municipii; ſic Velſ. Scylax, in Lacedaemone, *Ἀσίνη*, *Μοθώνη*, *Ἀχίλλειος λιμήν*, *Aſine*, *Mothone*, *Achilleus portus*. Pauſaniae quoque, *Μοθώνη*, *Mothone;* ceteris *Μεθώνη*, *Methone*, Thucydidi, Straboni, Ptolemaeo; Latinis, Plinio, Melae, forma pari. Danuilleo, *Methone*, xi M. P. a Pylo; quod perquam modicum eſt. Hodie *Modon* vrbi nomen, ad quam a Navarino veteri xxx M. P. Tabulae, ſecus oram, iuſte diſponuntur.

V. Aſine. xv. Velſ. *Aſine*. xii. Graecis, ab Scylace, *Ἀσίνη*, *Aſine*, Straboni, Ptolemaeo, Pauſaniae, Melae quoque et Plinio. Strabo: *Ἀσιναῖος κόλπος ἀπὸ τῆς Ἀσίνης*. quae Plinius reddit: *ſinus Aſinaeus, ab oppido Aſine*. Danuilleo, *Aſine*. xii. M. P. a priore, laeua riui cuiuspiam ripa, ex aduerſo inſulae Oenuſſae, vulgo *Cabre;* qui tractus eſt ſinuoſus, et montibus impeditus. Quaedam chartae *Niſi* oppidum Paullo poſtea habent, quod huc pertineat.

Meſſene. xxx. ſic Velſ. Homero. *Μεσσήνη*, *Meſſene*, regio Peloponneſi, vti et Scylaci: Poſt Arcadiam *ἐστὶν ἔθνος Μεσσήνη*, *eſt gens Meſſene*, et vrbs prima Meſſene. Norunt praeterea vrbem, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Pauſanias, alii; ſed Ptolemaeo non recte in ora ponitur, a qua viii M. P. in boream abeſt. Plinius, regio Meſſenia duodeuiginti montium; amnis Pamiſus; intus autem ipſa Meſſene.“ Incolae *Meſſenii*, Pomponio; *Μεσσήνιοι*, Graecis. Hodie quoque *Meſſene*, Ortelio *Moſeniga*, prope dextram Pamiſi amnis, Ortelio *Spiranza*.

Lacedemone. xxx. inſignia vrbis liberae; Velſ. *Lacede. Mone*. xxx. Homerus *Λακεδαίμονα*, *Lacedaemonem*, regionem, *Σπάρτην*, *Spartam* oppidum, nouit. (b) Scholiaſtes: Lacedaemonem regionem dicunt, vrbem Spartam; alii vrbem vtroque nomine Lacedaemonem et Spartam adpellant.“ Scylax adhuc *Λακεδαίμονα* regionem vocat, vrbe non qrodita. De duplici vrbis vocabulo Pauſanias praeterea et Stephanus agunt; prouinciam attigimus ſuperius. Latini

---

(a) Vid. Strab. L. VIII. p. 359. (b) Iliad. β. 88.

Spartam, Spartanos, conſtanter adpellant; Polybius, patriae filius, *Λακεδαίμονα, Λακονικὴν*. inter alia: Amyclae, inquit, quae dicuntur, locus Laconicae, ſunt fructiferarum arborum prouentu amoeniſſimus, diſtantque xx circiter ſtadia a Lacedaemone.“ Apollinis templum in eodem loco celeberrimum fuiſſe perhibet. Forſan *Miſitra* oppidum, eo ſpatio in boream remotum, erit; alii in auſtrum, in occaſum alii ponunt Amyclas. In pecunia veteri, nomina magiſtratuum, cum primis vrbis literis, *ΛΑ.* plerumque occurrunt. *Sparta* nomen vetus ſeruat, dextro Eurotae recentis latere, xxx M. P. ſupra oſtium, ſi amne ſecundo progrediare.

V. **Cytmon.** xxx. Velſ. *Cythion.* xxx. Scylax, *Γιθείων, ἐν ᾧ νοώριον καὶ τεῖχος, καὶ ποταμὸς Εὐρώτας, Githium, in quo eſt nauale cum portu, et fluuius Eurotas.* Aliis *Γύθιον, Γύθειον, Gythium, Gytheum.* Polybio, *νάυσταθμοσ τῶν Λακεδαιμονίον, nauium ſtatio Lacedaemoniorum;* Straboni, *τῆς Σπάρτης ἐπίνειον, nauale Spartae.* Ciceroni Gytheum; Liuio, Melae, Plinio, Gythium. Gentile, *Γυθεάτης, Gytheates*, Stephano; ſinus Gytheates ab oppido, ex quo ad Cretam inſulam certiſſimus curſus, Plinio. (a) Danuille, *Gythium*, vi M. P. ab oſtio Eurotae in occaſum, ſitu oppidi *Kolokythia*, in ſinu Laconico, ſeu Gytheo, *Colochina* hodie, xxiii M. P. ab Cythera inſula. Numerus xxx M. P. a Sparta eſt adcuratus.

Aſopos. xxvii. Velſ. *Aſopos.* xxvii. Memoratur Straboni, Pauſaniae, Ptolemaeo. Strabo: *Ἀσωπὸς πόλις ἐν τῇ Λακωνικῇ, Aſopus, oppidum in Laconica.* Eadem Ptolemaeus; Pauſanias vero: *πόλις Ἀσωπὸς Ἀκριῶν ἀπέχει σταδίους ἑξήκοντα, oppidum Aſopus ab Acriis abeſt ſtadiis ſexaginta.* Danuilleo, *Aſopus*, dextra amnis cuiuſpiam, ii M. P. ſupra oſtium, vbi oppidum *Caſtro Rapani*, ſed in laeua fluuii ripa.

Boas. xxv. inſignia municipii; ſic Velſ. Scylaci, *Βοῖα πόλις, καὶ Μαλέα ἄκρα, Boia oppidum, et Malea promontorium.* Cellarius, cum Harduino, *Boia, Boea*, ex Scylace, legunt, qua forma vtitur Strabo, et Plinius; Pauſaniae pluratiue *Βοιαὶ, Boeae;* Ptolemaeo, *Βοαὶ, Boae*, vt Tabulae. Ciues *Βοιᾶται, Boeatae*, Pauſaniae. Danuille, *Boea*, ſitu oppidi *Vatica*, xv M. P. a priore, ductu recto; numerus Tabulae per oram ducit. Ad quintum inde lapidem eſt Planiſtus promontorium, hodie *Vatica*, et pari interuallo Malea, *Malio*, vel *S. Angelo.* In Tabula via hoc loco terminatur, promontorio Malea, et ſinu vicino, expreſſis, in quo haec notantur:

Traiectus ſtadior. $\overline{\text{cc}}$. Velſ. *Traiectus ſtadior*, $\hat{\text{cc}}$. Plinius, a Malea: Qui ſequitur ſinus ad Scyllaeum, Argolicus adpellatur, traiectu quinquaginta M. paſſuum, idem ambitu clxii millium.“ Sed in Tabula traiectus ſinus non intelligitur, vt numerus cc ſtadiorum, ſeu xxv M. P. oſtendit; verum iter maritimum, a Plataniſto Epidaurum, quod ſuperius cum termino viae exprimitur.

(a) L. IV. c. 8.

Plaga enim haec montana eſt, vt ea aetate commodius mari, quam terra iter heic inſtitui potuerit. De Epidauro poſtea dicemus.

VI. Mediterraneae viae ſunt praecipuae tres, ab Sicyone Argos binae, inde Epidaurum vna, item a Cleonis Corinthum, et ab Olympia Megalopolim. Primum eas, quae ab Sicyone decurrunt, perſequemur, ceteras deinde viſuri. Deliſle viam ab Corintho per Cleonas ducit Argos, ea, quae ab Sicyone eſt per Nemeam non expreſſa. Sic autem illa habet:

Nemea. XII. Velſ. *Nemea.* absque numero. Graecis, *Νέμεα*, *Νεμέα*, *Nemea.* Erat oppidum et regio cognominis, in qua certamina Nemea Argiui celebrabant. Strabo: *ἡ Νεμέα, μεταξὺ Κλεωνῶν καὶ Φλιοῦντος*, *Nemea inter Cleonas et Phliuntem*, et lucus, in quo Nemea Argiui pro more celebrant; et ibi fabulantur, Nemeaeum illum leonem fuiſſe." Plinius, *regio Nemea, Bembinadia vocitata.* Pauſanias, vbi de Cleonis dixit: In illis montibus leonis ſpecus adhuc oſtenditur; a quo vicus Nemea ſtadia XV abeſt; in illa leonis Nemei templum plane inſigne. Pindarus, *Διὸς Νεμεαίου*, *Iouis Nemeaei*, facit mentionem Ludos Polybius et Pauſanias, *Νεμείων* vel *Νεμέων πανήγυριν*, *Nemeorum laudes;* Liuius, *nobile ludicrum Nemeorum*, vocant. Danuilleo, *Nemea*, XX M. P. ab Sicyone, dextra recentis Aſopi ripa, vbi et chartis *Nemea* ſignatur; in quibusdem *Triſtena* eum occupat agrum, interuallo Tabulae; vt numerum XII erroris arguere non auſim. Pars viae a Nemea Cleonas petit; de qua mox dicturi ſumus.

Via, quae a Nemeis Argos ducit, habet numerum X. qui ad Cleonas referri debet, vbi non ponitur; Argi quippe a Nemea tribus mill. geogr. recedunt, ſeu M. P. XV. Quare numerus VI apud Corinthum poſitus, denario huic addi debet, a quo perperam eſt auulſus; neque enim eo ſpectat. Nunc Cleonas videamus.

Cleonas. X. ſic Velſ. Norunt has Scylax, Liuius, Ouidius, Strabo, Plinius, Mela, Ptolemaeus, Pauſanias, alii. Scylaci, *Καθῶναι*, pro *Κλεωναὶ*, *Cathonae.* Strabo: *Κλεωναὶ*, *Cleonae* oppidum eſt ſitum in via, quae Argis Corinthum petit, in tumulo aedificiis vndiquaque circumculto, et pulcre muris ornato; — abſunt ab Argis ſtadia CXX. a Corintho XXC. et nos de Acrocorintho vrbem proſpeximus." (a) Cum ceteris pluratiue dicantur Cleonae, Pomponio *Cleona*, forſan caſu multitudinis aeque. Hodie *S. Baſilico*, vel *Cleonae*, Danuilleo XII M. P. a Nemeis. In Tabula, a Cleonis Corinthum VI M. P. ponuntur; X eſſe debere, Strabo Docuit. Numerus X. inferne poſitus, huc etiam ſpectat, VI autem eo referri debet; vti ſupra monebamus. Ab Cleonis Argos verſus via ſic habet:

(a) L. VIII. p. 377.

Micenis. x. sic Velſ. Numerus x inferne conſpicuus, etiam huc pertinet, ſeu ingenio auctoris, ſeu oſcitantia ſcribarum, ſemel notatus: Bello Troiano erat iuris Agamemnonis, Homero *Μυκῆναι*, et *Μυκήνη*, *Mycenae*, *Mycene*, numero vtroque. Strabo refert, aetate ſua ne veſtigia quidem vrbis ſuperfuiſſe; tamen Scylaci, Polybio, Liuio, Plinio, Melae, Ptolemaeo, aliis, vt ſuperſtes memoratur. Quin in chartis quoque recentioribus *Mycene* legitur, eo prorſus loco, quo Danuille antiquam ſignauit vrbem. Homero, *latis viis Mycena;* Virgilio, *clarae Mycenae;* Liuio, vrbs *Mycenica.*

Argos. xii. inſignia vrbis liberae; Velſ. *Argos.* absque numero. *Ἄργος*, *Argos*, Graecis, ab Homero, qui vrbem Diomedis fuiſſe refert. Latini pluratiue, *Argos* dicere conſueuerunt. Memoratur Scylaci, Polybio, Liuio, Virgilio, Straboni, Plinio, Plutarcho, Melae, Ptolemaeo, aliis. Numi Neronis, *ΗΡΑ ΑΡΓΕΙΑ.* vetus inſcriptio, IVNONI ARGIVAE. in aere vetuſtiori, *ΑΡΓ. ΑΡΓΟΣ. ΑΡΓΕΙΩΝ.* De ſitu Strabo: (a) Vrbs Argos maiore ſui parte ſita eſt locis planis, arcem habet Lariſſam, collem mediocriter munitum, in quo eſt Iouis templum; prope vrbem fluit Inachus amnis.“ Alias dicebat, Cleonas ab Argis cxx ſtadia abeſſe. Plinius: *Amnes Inachus, Eraſinus, inter quos Argos Hippium cognominatum, ſupra locum Lernen, a mari duobus M. paſſ.* Danuille, viii M. P. a Mycenis remouet, ſed ſimul cum chartis recentioribus, a mari iv M. P. cum Plinius duobus dumtaxat abeſſe ſcribat. Hodie *Argos* oppidum, Inachi, *Planizza*, amnis laeua. Apud Argos exit via a Nemeis.

VII. Olim fuerit via ab Argis Megalopolim, vt vox *Tegeas*, apud Velſerum, inter Mycenas et Argos poſita, indicat, quae apud Scheibium deſideratur. (b) Vrbs inde ab Scylace nota; Graecis *Τέγεα*, *Tegea*, cuius crebro Polybius meminit; praeterea Strabo, Plinius, Mela, Plutarchus, Ptolemaeus, Pauſanias, alii. Ciues *Τεγεάται*, *Tegeatae*, Polybio; numis *ΤΕΓΕΑΤΑΝ.* Danuille, *Tegea*, xxi M. P. ab Argis, xix a Megalopoli. Nunc Epidaurum ab Argis petamus.

Epitauro. xxvi. inſignia municipii; ſic Velſ. Scylax, *ἡ Ἐπίδαυρος δὲ χώρα μετὰ Ἄργος*, *Epidaurus regio Argos excipit;* paullo deinde, *μετὰ τὴν Ἐπιδαυρείαν*, *poſt Epidauriam;* vt priore loco vrbem indicare voluiſſe videatur. Norunt hanc Polybius, Liuius, Cicero, Strabo, Plinius, Mela, Plutarchus, Ptolemaeus, Pauſanias, alii. Strabo, *ἡ Επίδαυρος δ' ἐκαλεῖται Επίταυρος*, *Epidaurus ante Epitaurus dicta fuit.* Caſaubonus vult *Επίκαρος*, *Epicarus*, ex Euſtachio, legi; ſed Strabonis verba firmat Tabula; Epicarus alio pertineat. Mela: Habitant ab Iſthmo ad Scyllaeum Epidaurii, Aeſculapii templo incluti; et Troezenii, fide ſocietatis Atticae illuſtres.“ Numi veteres, *ΕΠΙΔΑΥΡΙΩΝ.*

(a) L. VIII. p. 370.

(b) In exemplari noſtro, tegeaſ. infra Argos, absque nota numerali.

inſcriptio apud Reineſium, AESCVLAPIO EPIDAVRIO. Haec autem Epidaurus eſt Argolidis, quam Danuille xxx M. P. remouet ab Argis; hodie *Pidapro*, *Pidaora*.

Alia fuit Epidaurus Limera, Ἐπίδαυρος Λιμηρὰ, Thucydidi, Straboni, Plinio, Pauſaniae, memorata, in Laconia, ad oram ſinus Argolici, xxv M. P. a Plataniſto promontorio; quam poſtremi Tabulae fabri, vnam vrbem eſſe rati, omiſerunt, cum parte itineris, ab Epidauro Troezenam, ab Argis Limeram. Fuiſſe autem hac verſus ab Argis viam, Tegea ſupra dicta, et traiectus orae ſinus Argolici, a Malea ad Limeram, oſtendunt. Epidaurus Limera eſt oppidum *Napoli di Malvaſia*, vt recte Cellarius contra Harduinum, qui Limeram cum Argolide commiſit, monebat.

VIII. Superat via mediterranea ab Olympia Megalopolim, inde Lacedaemonem; quam Deliſle dextro Alphei latere ducit, manſionibus extra eam poſitis; vt ductus videatur imaginarius. Ripas fluminis tenuiſſe iter, Megalopolis, quo tendebat, oſtendit; ita vero ab Olympia progreditur:

Melena. XII. Velſ. *Melena*. XII. Plinio, *Melaenae*; quidam *Melanaea* legunt; Pauſaniae, Μελαινεαὶ, *Melaeneae*; Stephano, Μέλαιναι, *Melaenae*, vt Plinio; Cellarius, Μελεναῖαι ex Pauſania promit; qui apud interpretem Stephani haec refert: Circa viam, quae ex Heraea ducit Megalopolim, ſunt Melaeneae; has condidit quidem Melaeneus Licaonis filius, deſertus vero erat locus noſtra aetate, aqua autem irrigatur; ſupra Melaeneas XL ſtadiis eſt Buphagium, et amnis hic habet fontes Buphagus, in Alpheum influens.“ (a) Danuilleo, *Heraea*, x M. P. ab Olympia, dextra Alphei ripa, prope Ladonis confluxum, Melaenae, quas non habet, in vicino fuerint; Deliſleo *Melena*, ſecundum Tabulam, ad tertium ab Heraea lapidem, ripa dextra. Forſan *Molina* Ortelii, quae circiter haec loca viſitur, Melaenis conueniet; chartae recentiores hoc ſpatio locis ſunt vacuae.

Megalopoli. XXII. ſic Velſ. Numerus ſuperne poſitus, ad repetitum *Melena* vocabulum, quem auctor operis geminari voluerit. Danuille heic XX M. P. interponit, chartae recentiores XXV. vt numerus Tabulae, medium tenens, ſincerus videatur. Graecis Μεγάλη πόλις, et coniunctim Μεγαλόπολις, Epaminondae auſpiciis condita, aduerſus Spartanos; Polybio, cuius patria eſt, Liuio, Straboni, Plinio, Pauſaniae, Ptolemaeo, Stephano, aliis memorata. Heliſſon fluuius, ex vico homonymo ortus, inde per Dipaeenſium, tum Lycaeatem agrum lapſus, ipſam Megalopolim percurrens, haud procul inde Alpheo miſcetur, Pauſania, in Arcadicis, teſte. Comicus iam apud Strabonem dicebat: Ἐρημία μεγάλη ἐστὶν ἡ Μεγαλόπολις, *ſolitudo magna eſt Megalopolis;* hodie in oppidis Czakoniae nobilioribus *Leontari*, laeua Haliſſonis ripa, vt Danuille notauit; chartae recentes dextrae Alphei adponunt.

(a) L. VIII. c. 3.

Melena. absque numero praecedente; qui ſequitur XXII. indicat a Megalopoli Spartam vſque interuallum; quem repeti oportuiſſe, ſupra monebamus. Iteratum heic *Melena* vocabulum, oſcitantia ſcribae; putet quis pro *Belbina*, in finibus Megalopoleos et Laconicae ſita, Danuilleo *Belemina*, ad Eurotae exortum, intra Laconum terminos, vbi *Silinda* hodie, XI M. P. a Megalopoli, XV a Sparta diſtans. Memoratur Polybio, Liuio, Plutarcho, Ptolemaeo, Pauſaniae, Stephano; quorum hic, *Βελβίνα*, *πόλις Λακωνική*, *Belbina*, *oppidum Laconicum;* Ptolemaeus, *Βλέμμινα*, *Blemmina;* Pauſanias, *Βελεμίνα*, *Belemina;* Plutarchus, *Βελβίνα*, *Belbina;* Polybius, *Βελμενᾶτιν χώραν*, *Belminaticum agrum* vocat. De ſitu Plutarchus: ephori Cleomenem mittunt ad Mineruae templum, quod prope Belbinam eſt, occupandum. Is locus agri Laconici aditus erat, et tunc temporis Lacedaemoniis controuerſus erat cum Megalopolitanis." Scriba Tabulae, ſimilitudine vocis deceptus, Melenam repetiit, interuallo tamen, Spartam reſpectante, expreſſo; Danuille XXIV M. P. interponit, ductu recto, omni ſpatio adſumto. De vrbe Sparta dictum alias. Et hactenus quidem de Peloponneſo.

SECTIO VI

CRETA

§ I

Nuncupatio et fines.

I. PATER Poetarum Homerus *Κρήτην*, Cretam inſulam, eamque latam, *εὐρεῖαν*, ſeu magnam, incolas eius Cretenſes indigenas, Cydones praeterea, Achiuos, Dorienſes, Pelaſgos, canit, eorum vrbes centum memorans; cuius verba Strabo, fidus interpres, copioſe perſequitur, addens, populum Cretenſem optimis legibus et inſtitutis rectum, vnde Peloponneſii ſua mutuati ſint. (a) Libet geographum de ſitu et magnitudine differentem audire. (b) Iacet inter Cyrenaicam et Graeciam, quae a Sunio vſque ad Laconicam eſt, in longum aequali interuallo iuxta has regiones ab occaſu verſus ortum porrecta.

(a) L. X. p. 481. (b) Ibid. p. 474.

Adluitur a borea mari Aegaeo et Cretico, a meridie Libyco, quod contiguum eſt Aegyptio. De extremitatibus occidua eſt circa Phalarna, lata cc ſtadia, ſciſſaque in duo promontoria, quorum auſtrale Criumetopon, boreale Cimarus vocatur; orientalis autem eſt Samonium promontorium, Sunium non procul excedens verſus ortum. Magnitudinem inſulae Soſicrates, quem res huius inſulae exquiſite tradidiſſe, Apollodorus ait, in longitudinem definit ſtadiis bis mille ccc. et amplius; latitudine longitudini non reſpondente; ita, vt fiat ambitus Cretae non maior quinquies mille ſtadiis; Artemidorus IV millia centum; Hieronymus longitudini bis mille tribuens, latitudinem inaequalem pronuntiat eſſe."

II. Iuuat et Plinium audire: Creta altero latere ad auſtrum, altero ad ſeptemtrionem verſa, inter ortum occaſumque porrigitur, centum vrbium clara fama, Doſiades eam a Crete Nympha; Heſperidis filia, Anaximander; a rege Curetum Philiſtides Mallotes; Crates primum Acriam dictam; deinde poſtea Curetin, et Macaron nonnulli a temperie caeli adpellatam exiſtimauere. Latitudine nusquam quinquaginta millia paſſuum excedens, et circa mediam ſui partem maxime patens, longitudinem implet CCLXX millium paſſuum, circuitum DLXXIX. flectensque ſe in Creticum pelagus ab ea dictum, qua longiſſima eſt, ad orientem Sammonium promontorium aduerſum Rhodo; ad occidentem Criumetopon Cyrenas verſus expellit." Faſti triumphales, ad A. V. 565. Q. Fabius Labeo, praetor, EX CRETA INSVLA naualem egit. In epigraphis cum Cyrene plerumque iungitur; Romae, L. Fabius Cilo, quaeſt. PROV. CRET. CVR. item Q. PROV. CRETAE. In Tabula, literis minio pictis, INSVLA CRETICA. longa pedem, minus vncia, lata ſesqui vnciam. Etymon pluribus perſequitur Stephanus, qui Aëriam praeterea, Chthoniam, et Idaeam nuncupatam ait. Virgilius, Teucrum inde ortum, heic Romanae gentis cunabula, canit. Fines e Strabone et Plinio audiuimus. Procurrit ab gradu longit. 41 min. 8. ad 44 min. 8. latit. 34 min. 44. ad 35 min. 46. In longum patet a Pſaco promontorio ad Samonicum CLXXX M. P. in latum a Metallo ad Dium promontorium M. P. LV. Hodie inſulae nomen *Candia*, vel *Ikriti.*

§ II

Montes, promontoria, maria, inſulae, fluuii.

I. BINI montes, cum totidem fluuiis praecipuis, exhibentur, ambo ſesqui vnciam fere longi; alter eorum effundit amnem, inter Ciſamum et Cydoniam effluentem, alter Cnoſſum praetereuntem, vtrumque boreali inſulae ora effuſum. Prior fluuius eſt Pycnus Ptolemaei, ex Leucis, ſeu albidis montibus ortus, *Λευκὰ ὄρη* Straboni et Ptolemaeo, quos ille altitudine vel Tayge-

tum coaequare perhibet. De montibus, qui versus occasum sunt, *Λευκὰ*, *Leuci* nuncupati, altitudine Taygeto non cedentes, in longum porrecti ad ccc stadia, faciuntque litoream crepidinem in angustias fere desinentem, scribit. (a) Plinius: *Montes*, *Cadistus*, *Idaeus*, *Dictynnaeus*, *Corycus*. Ex his Dictynnaeum et Cadistum e Leucis putat Cellarius, illum a *Dicte*, orientali insulae parte sito, diuersum; Dicaearcho, *ὄρος τε Δικτύνναιον ἐπὶ δυσμὰς φέρων*, *mons Dictynnaeus in occasum tendens*. Cellarii opinionem iuuat Solinus: (b) Albet (Creta) iugis montium Dictynnaei et Cadisti, qui ita excandescunt, vt eminus nauigantes magis putent nubila." Mons hic Dianae sacer erat, quae Dictynna vocatur, cum vrbe cognomine; pars eius *Τίτυρος*, *Tityrus*, Straboni: *Apud Cydoniam mons est Tityrus*, *in quo templum non Dictaeum sed Dictynnaeum*. Is tractus montium alborum retinet nomen hodie; vbi Pycnus surgit, Ortelio *Spachia* dicitur.

Alter mons in Tabula sic exhibetur, vt Strabo et Ptolemaeus *Δίκτην*, *Dicten*, statuunt, in orientali insulae ora; quamquam is fluuius, quem ex eo montium tractu deriuat auctor, in iugis Idae fontes habet. Strabo, apud Prasum Dictaei Iouis templum fuisse ait, ad montem Dicten; *Δίκτη*, *Dicte* ab Ida versus ortum solis distat CIↃ stadia, a Samonio C. Reprehendit Callimachum, qui Dictynnam cum Dicte commiserit. Ida, mons Idaeus, Graecis *Ἴδη*, *Ἰδαῖον ὄρος*, apud Homerum frequens occurrit, quem sublimem, multas conualles habentem, fontibus irriguum, nuncupat. Mela: Inter colles, quod ibi nutritum Iouem accepimus, fama Idaei montis excellit." (c) Strabo: In medio (insulae) qua latissima est, mons est Idaeus altissimus omnium, qui in ea sunt, rotundus, ambitu stadiorum sexaginta." *Ida* et hodie vocatur, cuius portio *Psiloriti* Ortelio, ex quo amnes, Dio et Cnosso vicini, promanant. Dicten hodie *Lassiti*, *il monte di Setia*, Ortelio *Lasthi*, adpellant.

Promontoria sunt complura, nullius tamen auctor singillatim meminit. Ex insulis, *Carisia*, *Diabate*, quas in Hellade retulimus; Cherronesus oppidum, quod suo dicemus loco. Maria sunt, Adriaticum, Creticum, Libycum, Carpathium. Ptolemaeus quippe, Cretam circumscribi ait, ab occasu *ὑπὸ τοῦ Ἀδριατικοῦ πελάγους*, *mari Adriatico*, a borea *ὑπὸ τοῦ Κρητικοῦ*, *mari Cretico*, ab exortu *ὑπὸ τοῦ Καρπαθίου*, a meridie *ὑπὸ τοῦ Λιβυκοῦ*. In Tabula,

CRETICVM. PELAGVS. parte insulae australi; Vels. CRETICVM PELAGVS. Straboni, *τὸ Κρητικὸν πέλαγος*, *Creticum pelagus*, quod Siculo, Sardoo, Myrtoo contingi refert. (d) Alias, Cretam a septemtrione mari Aegaeo, *καὶ τῷ Κρητικῷ*, et *Cretico*, allui perhibet. (e) Plinius, *Creticum pelagus*, ab insula dictum, docuit superius. Omne hoc mare mediterraneum hodie vocant, specialibus vocabulis destituti.

(a) L. X. p. 475. (b) Cap. 11. (c) L. II. c. 7. (d) L. II. p. 124.
(e) L. X. p. 474.

Amnes binos esse monuimus, quorum alter vncias tres cum semisse longus, e Leucis montibus exit, inter Cisamum et Cydoniam in mare decidens. *Πυκνὸς*, *Pycnus*, e Ptolemaei positione, agnoscitur, quem solus nouit; Ortelio *Calamigi*, Caneam vrbem ab austro praefluens, III M. P. in exortum inde mari immergitur. Auctor Tabulae, prolixo alueo, amnes *Petrea* et *Arcadi*, hac ora praecipuos, agrum vrbis *Retimo* hinc et inde praefluentes, vna accipi voluerit, in eo peccans, quod nomina fluuiorum, ceteris quoque tacita, prodere noluit.

Alter, Cnossi regionem pererrans, est *Κέρατος*, *Ceratus* Strabonis, Ptolemaeo aliisque ignotus, ex aduerso Diae insulae pelago infusus. Cnossus olim, inquit, Ceratus vocabatr, *ὁμώνυμος τῷ παραῤῥέοντι ποταμῷ*, *a flumine praeterlabente.* Amnes, a prioribus, Candiam versus, sunt *Millo potamo*, *Armiro*, *Giofiro*, *Darmata*; post Candiam, *Caciava*, *Cartero*, *Cacoofos*, *Aposolemi*, apud Ortelium. Ex his *Cartero*, sono vocis, et situ, cum Cerato conuenit. In chartis recentioribus, apud Tigani oppidum et portum in mare deuoluitur, quem isti tabularum fabri nominare neglexerunt; apud Ortelium Candiae vrbi magis adpropinquat. Omnes hos fluuios, in primis *Darmata*, et *Cartero*, qui sunt hoc tractu potiores, auctor Tabulae eo alueo longiore sumi voluerit, cum flumen e iugis Dictes oriri fingat.

§ III

Oppida, *mansiones.*

I. INSVLAE huius typum e vetustate vna seruauit Tabula; Hodoeporicon neque de Peloponneso, neque Creta, quidquam ad nos transmisit. Habet insulam Ptolemaeus, iusto ordine descriptam; sed numerorum vitio plurium locorum situs terminari absque alio subsidio nequit. In Tabula binae viae litorales, altera a septemtrione, ab austro altera, totidem mediterraneae, cum insignibus quatuor praecipuarum vrbium, exhibentur. Danuillei opera singulari heic destituimur; nam in Atlante compendio proponitur insula, in hac tabula quinta, operarum vitio deformata; praecipua tamen loca rite sunt expressa. Tabula VII figura insulae est amplior, sed ab Ida in exortum, occidua parte defecta. Initium latere boreali, ab Cydonia, sumemus, quae Cisamum proprie subsequitur, sed australi ora in Tabula situm; quamquam et hoc iter in meridiem deflectit, Gortynam versus; reliquas plagas postea lustrabimus.

Cydoma. insignia municipii; Vels. *Cydoria*. procul dubio Cydonia. *Cydonia* legendum. Nouit vrbem Scylax: *Κυδωνία καὶ λιμὴν κλειστὸς, πρὸς βοῤῥᾶν*, *Cydonia cum portu clauso est ad boream.* Strabo, *Κυδωνία δ' ἐπὶ θαλάττῃ μὲν ἵδρυται*, *Cydonia ad mare sita est*, respiciens Laconicam; distat autem aequalibus spatiis a Cnosso et Gortyne ad DCCC stadia, ab Aptera XXC. a mari proximo

XL." Pomponio, *Cydonia;* Plinio, *Cydon;* Ptolemaeo, *Πυκνοῦ ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Κυδωνεῖς, Pycni fluuii ostia, Cydonis.* Stephano, *Κυδωνία, πόλις Κρήτης, ἡ πρότερον Ἀπολλωνία, Cydonia, vrbs Cretae, quae prius Apollonia*, a Cydone Apollinis filio. Ptolemaeus, Apolloniam ab Cydonia distinguit, vt Plinius quoque facit, et ipse Stephanus, loco alio, Apolloniam iuxta Cnossum statuens. Danuilleo *Cydonia* situ vrbis *Canea*, Gallis *Canée*, Harduino teste, ad oram, laeua praefluentis Pycni, qui tertio in exortum lapide mari infunditur.

Cisamos. VIII. Vels. *Cisamos.* VIII. Habet Ptolemaeus, post Cydoniam, *Κύαμον ἄκρον, Cyamum promontorium*, vt Erasmi editio praefert, Schotti vero, *Κισμὸν, Cisinum;* quod cum Cisamo Tabulae sono conuenit; etsi positio cosmographi in occasum recidit. Mansio haec ab Cisamo oppido, quod etiam Ptolemaeus habet, distincta fuerit circiter oppidulum *S. Barbara*, prope *Suda* portum. Delisle neglexit locnm, arbitratus eumdem cum vrbe cognomine esse; quod diuersitas itinerum et numerorum manifeste negat. Ortelius, eo situ habet *Saline* locum.

Lappa. VIIII. Vels. *Lappa.* VIIII. Est apud Ptolemaeum, in mediterraneis, *Λάππα, Lappa*, Schotto *Λάσπα, Laspa*, sed in tabulis *Lappa.* Cassio Dioni, *Λαππὰ, Lappa;* Stephano, *Λάμπη, πόλις Κρήτης, Ἀγαμέμνονος κτίσμα, Lampe, vrbs Cretae, Agamemnonis opus.* Incolae, Polybio, *Λαμπαῖοι, Lampaei;* in marmore antiquo, apud Mabillonium, *ΛΑΜΠΑΙΩΝ Η ΠΟΛΙΣ. Lampaeorum ciuitas.* Numeri ad oppidum *Pomogna* ducunt, v M. P. a mari; Delisleo, *Lappa* seu *Lampeum*, xv M. P. a Cydonia, intra montes, vbi fere *Anapoli*, in chartis recentioribus, notatur, sed quo numeri non pertingant.

II. Eleuterna. XXXII. Vels. *Eleuterna.* XXXII. Scylax: *Ἐλεύθερναι πρὸς βορέαν, Eleuthernae ad septemtrionem;* Dio, *Ἐλευθέραν πόλιν, Eleutheram vrbem*, vocat. Stephanus: *Ἐλευθέρνα, πόλις Κρήτης, Eleutherna vrbs Cretae.* Incolae, *Ἐλευθερναῖοι, Eleuthernaei*, Polybio; numis antiquis, *ΕΛΕΥΘΕΡΝΑΙΩΝ.* Ad quae Cellarius: Addo ex Peutingeriana Tabula, vt simul ordo ac situs non solum huius, sed aliarum etiam vrbium constet." Ponit mansiones a Cisamo ad Gortinam, nulli, pro more suo, situm adsignans; quod in geographo antiquario non reprehendi nequit. Quid enim antiqua locorum nomina prosunt, si, cui recentiorum respondere queant, ignores? Ipse in tabellis Eleuthernam, quam heic laudarat, et cum ea Subritum, et Cisamum neglexit. Numeri ad oppidum *Chiso* ducunt, australi iugorum Idae decliuo, prope dextram exorientis *Potamos* fluuii, qui sit *Μασσαλία, Massalia*, Ptolemaei, x M. P. ab ora meridionali; vbi fere et Delisle oppidum posuit.

Subrita. VIII. Vels. *Subriti.* VIII. Scylax: *Πρὸς Νότον δὲ Συβρίτα, καὶ λιμὴν, ad Notum, Sybrita, cum portu.* Ptolemaeo, *Σουβρίτα, Subrita.* Notitiae episcopatuum, *ὁ Σουβρίτου, Subriti episcopus.* Cellarius, ex Tabula, *Subriti* profert, situ praetermisso. Danuille, cum Delisleo, *Subritum* oppido *Amari*

adponunt, numeris adſtipulantibus. Inter haec bina loca, *Chiſo* et *Amari*, medius decurrit *Potamos* fluuius recens, quem Maſſalian Ptolemaei cenſeas, cum Danuilleo.

Cortina. XXXII. inſignia vrbis liberae; ſic Velſ. Homerus, *Γόρτυνά τε τειχιόεσσαν*, *Gortynem muris cinctam*, laudat. (a) Non longe a mari fuiſſe vrbem, ex Odyſſea adparet; (b) Strabo xc ſtadiis remouet. Scylax: *Πρὸς δὲ Νότον Γορτύνα*, *ad Notum Gortyna.* Memoratur inſuper Dionyſio, Straboni, Melae, Plinio, Ptolemaeo, Lucano, Solino, aliis. Euſtathio, ad Dionyſium, *ἡ Γόρτυν καὶ Γόρτυνα*, *Gortyn et Gortyna.* Solinus, Gortynam amnis Lethaeus praeterfluit, quo Europam Tauri dorſo Gortynii ferunt vectitatam." (c) Ptolemaeo, amnis eſt *Ἠλέκτρα*, *Helectra*, quem geographorum *παῖδες* neglexerunt. Hodie quoque *Gortyna*, nonnullis *Ligortino*, Ortelio *Caru*, prope dextram recentis Helectrae, Ortelio *Punotiſa*, fluuii ripam, XI M. P. a mari, vt Strabo docuit. Danuille, in Atlante, ipſi ripae adponit vrbem; ſed ea tabula peſſime eſt a Norimbergenſibus repreſſa, nitidius tabula VII. vbi dextram recentis tenet.

III. Apud Gortynam quaternae concurrunt viae; vna ab Cherroneſo litoris Carpathii, quae Hierapytnam tendit; altera ab Hierapytna; tertia a Liſia; poſtrema a Ledena. Primam, quae litus ex parte ſequitur, abſoluere ante alias iuuat. In ea, ab Gortyna, occurrit,

Cnoſo. XXIII. ſic Velſ. Homero, *Κνωσσὸς*, *Cnoſſus*, magna vrbs, Minois regia. (d) Scylaci, *Κνώσσος*, *Cnoſſus*, accentu variato. Norunt praeterea vrbem, Callimachus, Polybius, Virgilius, Strabo, Mela, Plinius, Ptolemaeus, Pauſanias, Lactantius, alii. Latinis primo C plerumque; Plinio, *Gnoſſus*, Melae *Gnoſos.* Aliquando, *Καίρατος*, *Caeratus*, a fluuio, dicta fuit, Callimacho, Strabone, Euſtathio, teſtibus. De ſitu Strabo: (e) Sita eſt Cnoſſus in planitie, ambitu antiquo ſtadiorum XXX. inter Lyctiam et Gortyniam ſtadiis CCCXX. abeſt a boreali mari XXC. habet nauale Heracleium Cnoſſus." Et paulla inferius: *ἡ Κνωσσὸς Κέρατος πρότερον ἐκαλεῖτο, ὁμώνυμος τῷ παραῤῥέοντι ποταμῷ*, *Cnoſſus olim Ceratus vocabatur, a cognomine fluuio praeterlabente.* Sepulcro Iouis, Labyrintho, et Minois, antiquiſſimi regis, ſede vrbs famigerata. Numi veteres, *ΚΝΩΣΩΝ. ΚΝΩΣΙΕΩΝ.* ſimplice *Σ.* vt Mela, et Tabula. Epitheton, Cnoſus, Cnoſius; Virgilio *Cnoſia ſtella;* Lucano, *Cnoſae pharetrae.* Danuille, cum praeceſſore, Cnoſſum, ſitu oppidi *Saroal*, prope dextram Cerati, ſtatuit; vt Heraclium, nauale Cnoſſiorum ſit oppidum *Maglio.*

Creſoneſſo. XVI. Velſ. *Creſoneſo.* XVI. Strabo: "Inter Samonium, *καὶ τῆς Χεῤῥονήσου*, et Cherroneſum ſita eſt Praſos." (f) Satis magno interuallo, ab Samonio praeſertim. Ptolemaeo, infra Zephyrium promontorium, *Χερσόννησος*, *Cherſonneſus*, oppidum, Schotti libro, *Χερσόνησος*, *Cherſoneſus*, ſimplice

(a) Iliad. *β.* 646. (b) *γ.* 294. (c) Cap. 11. (d) Od. *τ.* 178. (e) L. X. p. 476. (f) L. X. p. 478.

consona, vt Cellarius quoque legit. Stephanus, inter vrbes cognomines, *Τετάρτη Χεῤῥόνησος κατὰ Κρήτην νῆσον, ἔχουσα πολισμάτιον ὁμώνυμον,* Quarta Cherronesus iuxta Cretam insulam est, habens oppidum eiusdem nominis." Ptolemaeus duas nouit in Creta Cherronesos, quarum altera occiduo insulae latere, circiter *Selino,* infra Criumetopon, hodie *Crio,* vel *S. Iohann.* Meminit etiam Pausanias *Χεῤῥονήσου τῶν Κρητῶν*, *Cretensium Cherronesi;* vnde Philonidem, Olympici certaminis victorem, fuisse refert; quae forsan haec posterior erat. Oblitus est Cellarius notare, duas id nominis exstitisse ciuitates; quod tamen interpres Stephani Pinedo recte obseruauit. In nostra Cherroneso est portus et castellum *Spina longa,* vt Danuille, cum praecessore signauit.

Litium. xv. Vess. *Licium.* xvi. Homerus, *Λύκτον*, *Lyctum,* in vulgatis habet; Strabo, ex Poeta, *Λύττος*, *Lyttus*, profert. Scylaci, *ἐν μεσογείᾳ Λύκτος*, *in mediterraneo Lyctus.* Polybius: (a) *Λύττος*, *Lyttus*, colonia Lacedaemoniorum erat, et cognatione illi iuncta, omnium Cretae vrbium antiquissima, ciuium educatrix, qui sine controuersia ceteris Cretensibus semper praestabant." Incolae *Λύκτιοι*, *Lyctii*, regio *Λυκτία*, *Lyctia*, Straboni; qui Lyctum inter et Gortynam *σταδίους διακοσίους*, cc stadia Cnossum esse dicebat; subiungitur, a Lycto, quam Poeta *Λύττον*, *Lyttum*, vocat, *ἑκατὸν εἴκοσι*, *centum viginti*, ad Gortynam, non ad Cnossum spectare videtur. Nam ante dixerat, Cnossum Lyctum inter et Gortynam pari interuallo cc stadiorum esse, quod bene habet; sed ab Gortyna Lyctus abest xxxv M. P. seu cclxxx stadiis. Danuille, nescio quo momento ductus, viiii M. P. *Lycton* ab Cnosso remouet; (b) forsan oppidi *Lassiti* vocis similitudine; quod tamen xii M. P. a veteri Cnosso recedit; cui *Πράσος*, *Prasus*, secundum Strabonis mensuram, respondeat, vtpote lx stadiis supra mare Libycum, clxxx ab Gortyna; qui situs *Lassiti* oppido adcurate conuenit. Ab *Lassiti* ad oppidum *Gnin* sunt M. P. x. vbi circiter *Lyctum* statui oportere, cum Delisleo, censemus.

Arcade. xvi. sic Vess. Seneca: Theophrastus ait, circa Arcadiam, quae vrbs in Creta insula fuit, fontes et lacus substitisse, quia desierit coli terra, diruta vrbe; postea vero quam cultores receperit, aquas quoque recepisse." (c) Eadem fere Plinius tradit. Stephanus: *Ἀρκάδες*, *πόλις Κρήτης*, *Arcades*, *oppidum Cretae.* Cellarius nominat ex Tabula *Arcade*, situm non interpretatus. Hodie oppidum *Alcadis*, laeua *Stomio* fluuii, vt eum vocat Ortelius, ripa, v M. P. supra ostium.

IV. Inde processerit via versus promontorium Samonium, hodie *Salamon,* ad oppidum *Paleocastro,* forsan *Ἡράκλειον* Ptolemaei, *Heraclea* Plinii, vrbs a nauali Cnossiorum diuersa; quas tamen geographi commisisse videntur; inde versus oppidum *Vaila* et *Turtuli* flexerit, exmisso vrbis memoratae

(a) L. IV. c. 53. (b) Tab. VII. M. P. xii. (c) L. II. Nat. Quaest. c. 11.

vocabulo. Delisle ab Cytaeo, quod Tabula sinistrorsum reliquit, recta in austrum tendit Blennam, quae in Tabula sequitur, hoc pacto:

Blenna. xxx. Velf. *Blenna;* absque numerali nota. Delisle ad xx ab Cytaeo, *Settia*, lapidem, ora insulae australi, oppido *Agioisaranta*, Blennam imponit; sed ea paullo supra, ad vii M. P. in mediterraneis, apud *Turtuli* oppidum, laeua *S. Antonio* fluuii exorientis, forsan *Ληθαίου*, *Lethaei*, Ptolemaei, ripa exstiterit. Atque haec sit Ptolemaei *Πάννονα*, *Pannona*, seu *Paunona*, vt Schottus habet, in mediterraneis, circiter haec loca, posita. Videtur olim in cosmographo *Πλάνονα*, *Planona*, scruptum fuisse, aut gemina consonante *Plannona;* quae vsu militari in Blennam abierit. Cellarius *Blennam* ex Tabula, et Pannonam e Ptolemaeo, diuersis adfert locis, situ non indicato.

Hiera. xx. insignia municipii; Velf. *Hiera.* absque numero. Apud Ptolemaeum, circa haec loca, sunt oppida duo, sibi vicina, *Ἱερὸν ὄρος*, *Sacer mons*, et *Ἱερὰ πέτρα*, *Hiera petra*, sacrum saxum; Plinio, eadem regione, *Hierapolis*, et *Hierapytna.* Alterum hodie sit *Capo e castro sacro* oppidum, ora insulae orientali, ab *Turtuli*, vbi Blennam posuimus, xviii M. P. alterum *Gierapetra* oppidum, tribus mill. geogr. cum duabus quintis, aut paullo amplius, ab *Turtuli* in occasum abscedens; cui nostrum municipium conueniat, numeris etiam viae mediterraneae exposcentibus. Situm ostendit Strabo: „Rursus versus meridiem coeunt litora *περὶ ἑξήκοντα σταδίους*, *circiter sexaginta stadia*, a Minoa in Lyctiorum tractu, *εἰς Ἱεράπυτναν*, ad *Hierapytnam* et Libycum mare; *ἐν κόλπῳ δ' ἐστὶν ἡ πόλις*, *vrbs ea in sinu est.*" M. P. vii cum semisse adcurate intercedunt inter oppida *Atonaria*, ad sinum maris Carpathii, *Pachianamo* dictum, vbi Lycton posuimus, et *Gierapetra*, ad oram maris Libyci, loco sinuoso. Cassio Dioni est *Ἱεράποδνα*, *Hierapydna;* Stephano, *Ἱεράποτνα*, *Hierapytna*, quam ante *Cyrbam*, deinde *Pytnam*, et *Camirum*, ac demum *Hierapytnam* nuncupatam ait. Auctor Tabulae, compendio vsus, alteram vocis partem omisit. Heic via ab Gortyna exit, quam deinde lustrabimus.

V. Via, quae australi insulae ora progreditur, initium ab Cisamo vrbe capit, quam ab Cisamo mansione, via boreali occurrente, distingui oportere, supra monebamus. Vrbs quidem Cisamus occupat insulae latus septemtrionale, ab occasu; sed auctori Tabulae eam in austrum referre placuit. Sic autem id iter a Cydonia procedit:

Cisamos. xxxii. insignia municipii; sic Velf. Strabonis tempore, fuit *Κίσαμος*, *Cisamus*, Apterae nauale; haec autem a Cydonia xxc stadiis aberat. Danuille xv M. P. Apteram, inde Cisamum vii M. P. remouet. Chartae recentiores variant; aliae calculo Strabonis, duobus mill. geogr. aliae numeris Tabulae, quinque mill. geogr. cum semisse, respondent. Plinii aetate Cisamum in oppidis erat; Ptolemaeo, *Κίσαμος πόλις*, *Cisamos oppidum*, Hierocli quoque notum. Tempore Antoninorum municipii iura habuisse, Tabula ostendit. Hodie *Chisamo*, *Kisamo* oppidum, latere boreali, in occasum vergente, loco sinuoso.

Cantano. XXIIII. ſic Velſ. Stephanus, *Κάνταvος, πόλις Κρήτης, Cantanus, vrbs Cretae*, vt Xenio in Creticis; *τὸ ἐθνικὸν Καντάνιος, gentile Cantanius.* Addit interpres Pinedo, Cantani vero vrbis Cretae nulla ſit apud alios mentio.“ Numeri ducunt ad oppidum *Cadrovi*, amnis cuiuspiam recentis ripa laeua, IV M. P. ſupra mare, et Cherroneſum Ptolemaei, *Caſtro Selino* hodie; vbi et Danuille, Deliſleum ſecutus, *Cantanum* poſuit. Alii rationem loci non habuerunt.

Liſo. XVI. Velſ. Liſo. XVI. Scylax: *Πρὸς Νότον, Μέλισσα πόλις, καὶ λιμὴν, παρὰ Κριοῦ μέτωπον, ad Notum, Meliſſa vrbs cum portu, iuxta Criumetopon.* Voſſius pro *Μέλισσα* vult *δὲ Λίσσα* legi. Ptolemaeo, latere auſtrali prima, *Λισσὸς, Liſſus.* Forſan *Laſos* Plinii, Eleuthernae praepoſita, huc ſpectabit. Interuallum ducit ad viciniam oppidi *Sfacchia*, vbi pars iugorum e Leucis ad mare tenditur, ortiuo amnis cuiuspiam latere, quod ſit Ptolemaei *Ἑρμαῖα ἄκρα, promontorium Hermaea;* vbi anguſtus fuerit transitus, quod ipſa vox Liſſus oſtendit.

A Liſſo viae ductus interrumpitur, occurrente ſinu quopiam; pars viae Lebenam, pars Eleuthernam, tetendiſſe videtur; illius quidem tractus ſuperat, huius intercidit prorſus, numero tamen XXX ſuperſtite, qui ab Liſſo Eleuthernam eſt interualli menſor adcuratus.

VI. Ab Gortyne, praeter viam litoralem, quam deſcripſimus, aliae tres ſunt, quarum praeipua eſt, quae Hierapytnam ducit; reliquae ad portus, et naualia tendunt. Illam ante luſtrare libet.

Inata. XXVIIII. ſic Velſ. Norunt oppidum Ptolemaeus, Xenion apud Stephanum, et Heſychius; iſte: *Εἴνατος, πόλις Κρήτης, Inatus, oppidum Cretae*, vt Xenion inquit; gentile *Εἰνάτιος, Inatius.* Aliqui montem et fluuium eſſe dicunt, vbi Lucina *Εἰνατινὴ, Inatina* colitur.“ Ptolemaeo, *Ἴνατος πόλις, Inatus oppidum*, et aliud, ortiuo fine, *Ἴτανος πόλις, Itanus oppidum;* niſi repetiit idem, metatheſi modo vſus. Deliſleo, *Inathus*, Danuilleo *Inatus*, laeuo *Zuzzura* fluuii exeuntis latere, qui ſit *Καταρακτος, Cataractus* Ptolemaei, in Atlante Danuillei cum Helectra perperam commiſſus. In quibusdam chartis, eo tractu, ponitur oppidum *Cortina*, in peninſula quadam.

Hiera. XXXII. Danuille, eo ſpatio, numerat M. P. XX. chartae recentiores mill. geogr. quinque. Incidunt montes, qui interuallum productius fecerint; vt numeros Tabulae mendi poſtulare non auſim. Deliſle XXVII interponit. Proxima huic a dextris via ab Gortyna haec habet:

Liſa. XVI. Velſ. *Liſia.* XVI. Deliſleo, *Olyſſa*, ad mare; ſed, ſi *Ὀλύσση, Olyſſe*, Phaeſtiae, apud Strabonem, eſt *Ὀλοῦς* Scylacis et Stephani, in mediterraneis quaeri debebit; ait enim ſcriptor, ad boream eſſe Oluntem, oppidum cum portu, ad montem, quem *κάλλιστον, pulcherrimum* vocat, ſitum. Via, in Tabula, per mediterranea proceſſiſſe videtur Hierapytnam, quae lacuam praecedentis occupare deberet. Interuallo reſpondet *Baſeli* oppidum, laeua aluei

orientalis *Zuzzuro* fluuii ripa, occiduo montium Sittienfium decliuo. Si haec vocabula *Liſo*, *Liſia*, ab anguſtiis montium ſunt deſumta, incolas Threiciae originis fuiſſe innuent. Inde tractus viae non promouetur, poterat autem commode fieri. Numerus XXXII. itinere priori occurrens, huc aptius referri poſſet; et videtur olim hac conſtitiſſe via. Poſtrema, mare verſus, ita ſonat:

Lebena. XII. Velſ. *Ledena.* XII. Straboni, *Λεβὴν*, *Leben*, nauale Gortyniorum, XC ſtadiis ab vrbe. Plinio *Lebena*, Ptolemaeo quoque *Λέβηνα*, *Lebena.* Pauſanias, ad Cyrenaici ſimilitudinem factum eſt Aeſculapii templum, *τὸ ἐν Λεβήνῃ τῇ Κρητῶν ἐστὶν Ἀσκληπαῖον*, quod Lebenae, Cretenſi vrbe exſtat." (a) Epitheton *Lebenaeus*, Philoſtrato, *τὸ ἱερὸν τὸ Λεβήνιον*, *fanum Lebenaeum.* Eſt promontorium *Lionda*, vt Harduinus cenſuit, et Danuille, cum praeceſſore, ſignauit. Haec ex Tabula, de inſula Creta dicere licebat.

C A P V T XV

T H R A C I A

§ I

Nuncupatio et fines.

I. NOMEN Thracum inde ab Homero ſcriptoribus notum, gentis antiquiſſimae vna et ampliſſimae, fortiſſimaeque; vetuſtioribus *Θρήϊκες*, *Threices*, aut per ſyncopen *Θρῆκες*, *Threces*, poſterioribus *Θρᾶκες*, *Thraces*, vti Latinis, nuncupati. Poetae non raro graecum veterem ſcribendi modum ſequuntur, *Threicios* adpellantes incolas. Prouinciam et gentem ſingulari calamo perſecuti ſumus alias; vbi etiam ab *Thira* patre ortos indicauimus. Gens ampla, et poſt Indos, Herodoto teſte, maxima, aliis aliisque praedita nominibus et moribus, vt Mela Pomponius inquit. THRACVM vocabulis regnum epigraphicum eſt refertum.

II. Prouinciae nomen, Graecis *Θρᾴκη*, *Thrace*, quo et Latini, vates in primis, non raro vtuntur, ceterum Thraciam vocantes. In Faſtis triumphalibus, ad A. V. 641. C. Caecilius Metellus, coſ. EX THRAECIA. T. Didius

(a) Corinth. c. 26.

Nepos, propr. EX THRAECIA. alias THRACIA ſcribitur. In Tabula, Romano caractere veteri, ſemiunciali, picto THRACIA. litera H poſtpoſita, ab Heraclea Sintica vſque Conſtantinopolim. Fines eius a Strymone ad Iſtrum, veteres, ab Scylace, prodiderunt; poſtea ad Neſtum reducta, trans Strymonem, quod in ea regione Macedones oppida quaedam tenebant; hanc partitionem ſequitur Ptolemaeus; alii veterem deſcribendi rationem adhibere malunt. Scylax: *Στρυμὼν ποταμὸς ὁρίζει Μακεδονίαν καὶ Θρᾴκην, Styrymon fluuius Macedoniam et Thraciam diſterminat.* Et continuo: *Διήκει δὲ ἡ Θρᾴκη ἀπὸ Στρυμῶνος ποταμοῦ μέχρι Ἴστρου ποταμοῦ τοῦ ἐν τῷ Εὐξείνῳ Πόντῳ*, Extenditur Thracia a Strymone fluuio vſque Iſtrum fluuium, qui eſt in Ponto Euxino." Antoninorum aeuo, cum Tabula conſtrueretur, pars Thraciae veteris, quae inter Haemum et Iſtrum erat, Moeſiae addebatur. Proinde finis Traciae ab occaſu eſt Strymon; a borea Haemus, a fontibus Vti, Strymonis, et Hebri amnium, ad promontorium Haemi, in Ponto; ab exortu, ora Ponti Euxini, cum Bosporo et Propontide; a meridie ora maris Aegaei, ad oſtium Strymonis vſque. Longitudinem metitur Plinius, cum Philippos a Dyrrachio CCCXXV mill. paſſ. Byzantium autem, ab eodem Dyrrachio, ſeptingentis vndecim millibus paſſuum, abeſſe ſcribit. Continetur grad. longit. 41 et 47. latit. 39 min. 50. et 42 min. 40. Longitudo maxima; ab exortu Vti, in monte Scomio, ad os Ponti, CCCXL M. P. latitudo, ab intimo Cherroneſi, ad promontorium Haemi, CCXX M. P.

§ II

Montes, muri, inſulae, maria, ſinus, fluuii.

I. PLVRES notantur in Tabula montes, abſque vocabulis; vnus eorum fundit Strymonem, alter Hebrum, tertius nullum emittit amnem, tractu longiore patens, qui Haemus eſt, quartus Ergini fontes tenet, quintus Aſticam ſeorſim pererrat, poſtremus exiguo tractu, in regione Delta nuncupata, ad Macrontichos, ſeu Murum longum. De ſingulis pauca adferri libet.

Primus, qui Strymonem effluere iubet, ab Serdica patet ad Philippopolim tres vncias cum ſemiſſe. Scomius eſt, *Σκόμιος* Thucydidi, *Σκόμβρος*, *Scombrus*, Ariſtoteli, *Scopius* Plinio; qui ob viciniam nunc cum Rhodope, nunc Haemo committitur. Nam Herodotus Scium ſeu Cium, *Eſzker*, e Rhodope deriuat, medium interſcindentem Haemum; qui tamen in Scomio ortus, Haemi iuga non attingit. Thucydides ex eodem Oſcium, Neſtum, et Hebrum deducit; Plinius Strymonem ex Haemo. Strymon quidem et Hebrus ex iisdem prodeunt iugis, vbi Scomius, Haemus, et Rhodope concurrunt; Scius in Scomio, Neſtus in Rhodope ſurgunt. Tabulae auctor, quia hic amnis fonte et

decurſu Axium exhibet, montium, qui ab Scardo ſunt, Bertiſci, Orbeli, et Scomii iuga deſignari voluerit; vt in Macedonia diximus.

Acotiſma. Velſ. *Acontiſma.* Hodceporicon, itinere duplici, *Acontiſma;* Burdigalenſe, *manſio Hercontroma,* ad nonum a Neapoli lapidem. Ammianus, arctas praecipitesque vias, quae cognominantur Acontiſma." (a) Erant montis Pangaei anguſtiae, prope oſtium Neſti amnis.

Alter mons, ex quo hinc Eſcus, inde Hebrus, prodeunt, vnciam longus, Rhodopen indicat, tametſi poſitu altiore conſiſtit. Eſcum *ἐκ Ροδόπης, ex Rhodope* Herodotus, et poſt eum Plinius, deriuant; Thucydides, et cum eo Ariſtoteles, Neſtum et Hebrum ex Scomio, ille praeterea Oſcium, hic Strymonem deducunt. Plinius Hebrum a gente Odryſarum fundi perhibet. Vbi Hebrus et Strymon oriuntur, Rhodopes iuga, ab Scomio, procedunt; vt auctor Tabulae veterem partim, partim recentiorem doctrinam ſecutus videatur, cum Eſcum et Hebrum ex eodem deriuat monte. De fontibus Cii ſeu Eſci in Moeſia dictum. Rhodope, Thracibus *Rupcza,* chartis *Deſpoto* vocatur.

Hunc excipit tractus ſingularis, quinque vncias longus, ad Pontum vſque decurrens, quem ſitus ipſe et productio Haemum oſtendit, montem inde ab Herodoto notum. Graecis *Αἶμος, Aemus,* aut *Αἶμος, Haemus,* vti Latinis quoque; poſterioribus etiam *Hemus.* In Tabula, itinere a Philippopoli Nicopolin, ſub radice. VII. Montemno. VIII. ad radices. vbi vox media *Montemno,* vſu militari, pro *monte Emo* expreſſa eſt. Ammiano, *celſitudines Aemimontanae;* in Notitia imperii, prouincia *Hemimontus.* Patet in longum Haemus a fontibus Hebri et Strymonis ad promontorium Haemi, quadraginta ſeptem mill. geogr. cum ſemiſſe, ſeu M. P. CCXXXVIII. Danuille CCLX numerat. Thracibus et Illyriis *Vitoſh* et *Vaſilyicza,* Ortelio *Veſteliza,* Turcis *Emmeh-dagh, Emine-dagh,* adpellatur.

II. Inferius, a Philippis ad Porſulos tenditur mons quatuor vncias longus, qui ſitu ſuo Pangaeum ſe eſſe moſtrat. Graecis, *Πάγγαιον ὄρος, Pangaeus mons,* iam Herodoto memoratus, qui in eo Pieres, Odomantos, et Satras, auri et argenti metalla exercuiſſe, tradit. Plinius, Neſtum Pangaei montis ima ambire, ait; Poetis etiam *Pangaea* pluratiue, more graio. Hodie *Kaſztanyatz* tabulis, Ortelio, *M. de Dio;* quidam veteri vocabulo *Pangaeum* dicunt, Neſtum inter et Strymonem protentum, inter quos parallelus decurrit, a fontibus Strymonis ad oſtium Neſti, ſeptem et viginti mill. geogr. ſeu CXXXV M. P. Danuille CXL numerat. Recentiores, ab Neſto in exortum, Rhodopen eſſe volunt; recte quidem in partibus borealibus, ad Vtum vſque fluuium; inde vero in auſtrum Pangaei iuga fuiſſe, e Plinio et Strabone colligas; quibus Tabula, adcurata deſignatione, accedit.

(a) L. XXV. c. 7. XXVI. 4.

Vltra Hebrum eſt alius montis tractus, tres vncias patens, ſupra quem Aſticus ager, infra populus Bettegerri, comparent. Is hodie eſt *Tekkiur-dagh*, Cherroneſo imminens, veteribus *Ἱεροῦ ὄρους*, *Sacri montis* vocabulo notus, Demoſtheni, Xenophonti, aliis. Plinio, circiter haec loca *Melamphyllos* memoratur; forſan a Melane fluuio, qui ex his oritur iugis, nuncupatus. Tenditur ab Rhaedeſto ad Aenum quindecim mill. geogr. ſeu LXXV M. P. Danuille XCV numerat.

Superius, ad exortum Ergenis fluuii, hodie *Ergene*, *Erzene*, mons vnciam longus exprimitur, ex quo Tonſa praeterea et Tearus emergunt; cui neque ab antiquis, neque recentioribus, nomen tribuitur. Fuit regio *Aſtica*, eique vicina Caenica, vbi *Bizya*, Thraciae regum ſedes olim. Thracas ὀρεινοὺς *montanos*, his agris, nouit Xenophon, in expeditione Cyri; ſed montis vocabulum non prodit. Aſtico fuerit nomen, vt inſcriptio indicare videtur. Patet ab exortu Tonſae, vbi iuga Haemi deſinunt, ad Murum longum, ſeptem et decem mill. geogr. ſeu M. P. LXXXV. Poſtremus eſt,

Macrontecos. Velſ. *Macronteros.* vnciam patens, intra Cherroneſi ambitum; ſed figura montis, qualem ad Cherroneſi ingreſſum non nouimus, videtur ad Murum longum, regione Byzantina poſteriori aeuo, aduerſus barbarorum incurſus erectum, auctor Tabulae vna reſpexiſſe. Apud Cherroneſum, ab Cardia ab Pactyen, murum a Miltiade conſtructum, aduerſus Apſinthios Thracas, ſuperiora colentes, qui graecas in Cherroneſo colonias incurſare ſolebant, teſtatur Herodotus; inde *Μακρὸν τεῖχος* omni poſteritati notum. Plinius: Macron Tichos, qua a Propontide ad Melanem ſinum inter duo maria porrectus murus, procurrentem excludit Cheroneſum." (a) Herodotus, XXXVI ſtadiis metitur ſpatium, Scylax XL. Plinius V M. P. vt Iſthmon Corinthiacum; quae menſura in chartis recentioribus exprimitur; Danuille vnum addit. Erat hic *longus murus* V M. P. ſupra Lyſimachiam, quae hodie *Hexamila* vocatur, eodem Plinio teſte. Olim is dirutus fuerit, memoria in oppido homonymo ſuperante, quod ipſum hodie deſolatum iacet.

III. De inſulis, huic prouinciae vicinis, Mela: (b) in Aegaeo mari, prope Thraciam, Thaſos, Imbros, Samothrace, Scandile, Polyaegos, Scyathos, Haloneſos." Tabula, circa haec loca, habet quatuor, Antiochiam, Aeriam, Imbrum, Proconneſum. De ſingulis pauca referemus.

Ins. Antiochia. ſic Velſ apud Scheibium inſula cum inſcriptione abeſt. Apud Plinium, inter inſulas maris Lycii, contra vrbem Sidyma, comparet inſula Antiochi; quae, vt Thaſos eo, ita ipſa huc transferri potuit. Nullam quippe id nominis, hoc Thraciae mari, inſulam aut oppidum ſimilis nuncupationis, geographia nouit. Ceterum de inſula diſſeremus in Bithynia.

(a) L. IV. c. 18. (b) L. II. c. 7.

Ins. Acritas. Velf. *Inf. Acritas.* Scheibio, - ti ,i - s literis extritis. Eft ad finum Nicomedienfem, priori oppofita, vbi minutae quaedam comparent, fed quae confiderationem non mereantur. Si Velferi fcriba recte notauit, infcriptio nexum habebit cum Thafo, quae Plinio et Stephano teftibus, olim *Aëria*, vel *Aethria* dicebatur; infula vero, praecedentis et fubfequentis refpectu, Samothrace erit. Verum Thafon alio habuimus loco, et Samothrace notior erat, quam vt aliena infcriptione fignaretur. De hac quoque in Bithynia dicemus.

- - - - S. literis extritis; Velf. *Ins. b.* ponitur infra praecedentem; quare infcriptio fuerit *Imbros*, voce vetuftate erofa. Quia tamen vox ea non exprimitur, et infula cum praecedentibus ad Afiam fpectare videtur, illam quoque in Bithynia difpiciemus.

Ins. proconeffus. Velf. *Ins. Proconeffus.* apud Scheibium, proco-effus. litera *n* medio extrita. Eft quidem haec in latere Afiae, fed cum prioribus illhic eam promere libuit. Scylax: *Προκόννησος*, *Proconnefus*, infula cum oppido, aliaque practerea infula *Ελαφόννησος*, *Elaphonnefus*, commodo inftructa portu; huius agrum colant Proconnefii." Plinius coniungit: Infulae in Propontide, ante Cyzicum, Elaphonnefus, vnde Cyzicenum marmor; eadem Neuris et Proconnefus dicta." (a) Strabo duas Proconnefi vocabulo facit; quorum altera fuerit *Artakui*, quae hodie peninfula eft; altera cunei figuram praeferens, longa xv M. P. lata v. *Marmora* vocatur. Haec de infulis.

CERONESOS. literis minio pictis, intra peninfulam; Velf. C e r o n e f o s. Homerus Hellefpontum nouit, quem rapidum, celeriter fluentem, vocat; Cherronefi non meminit. Graecis, inde ab Herodoto, *Χεῤῥόνησος*, *Cherronefus.* Scylax: *μετὰ δὲ τὸν Μέλανα κόλπον ἐστὶν ἡ Θρᾴκια Χεῤῥόνησος*, *poft Melanem finum eft Cherronefus Thracia.* Sic veteres conftanter; et Latini non raro. Plinio, *Cherronefos a Propontide habuit Tiriftafin.* Eadem forma alias quoque vtitur. Alii Cherfonefum dixere, vt Ptolomaeus, *Χερσόννησος*, et plerique Latini, etiam antiquiores, vt Nepos Cornelius, aliique. Tabula graecum efferendi modum fequitur, fed ortographiae legibus, pro more, neglectis. Hellefponto quidem *Dardanelle* nomen eft, Cherronefo non additur.

IV. AECIVM MARE. Velf. AECIVM MARE. in Melane finu, qui hodie *Megazezkurfezi* nuncupatur; nonnulli *Golfo de Saros*, Ortelius, *Golfo de Caridia*, adpellant; alii diftinguunt. Mare Aegaeum, quod heic exprimitur, in Hellade, occafione infularum Graecarum, recenfuimus. Homerus, *Θρηΐκιον πόντον*, *Threicium pontum*, adpellat; interdum mare Icarium; hodie Aegaci maris et *Archipelagi* vocabulo venit.

(a) L. V. c. 44.

SINVSHERACLEOTICVS. literis miniatis; Velſ. SINVS HERAOTICVS. apud Scheibium, HER -- L --- ceteris deletis. Duplex erat hoc Propontidis litore Heraclea, vna Cherroneſo vicina, prope Ganon, altera ad Bithyae oſtium, vbi ante Perinthus erat, hodie *Erekli*, a qua is ſinus, ab Rhaedeſto, nuncupatus fuerit. Eſt apud Plinium, *ſinus Coſthenes*, ſeu *Caſthenes;* ſed a Bosporo, prope Byzantium; niſi huc reſpexit Plinius, quod eo tractu non occurrit locus, qui ſinui comparari queat, praeter quam ſupra dictus. Neque tamen haec vocabula committere auſim; poterant enim diuerſo tempore diuerſi eſſe ſinus, vt reapſe fuiſſe videntur. Hodie Propontidi *Marmora* nomen eſt, ſinus autem nuncupatione caret. Sequuntur amnes.

V. Strymon. in via; ſic Velſ. Fluuius ab Herodoto et Scylace notus. Scylaci *Στρυμὼν ποταμὸς*, *Strymon fluuius*, Macedoniam et Thraciam disterminat." Et continuo: *Extenditur Thracia a Strymone fluuio vſque Iſtrum fluuium.* Ariſtoteles, Strymonem ex Scombro ſeu Scomio deriuat. Plinius: *Macedoniae terminus amnis Strymon, ortus in Haemo.* Surgit in iugis Rhodopes, Scomio conterminis, vt ſuperius dictum. In Tabula fontibus Axium, Homero notum, exhibet, ſex vnciarum decurſu; qua de re in Macedonia tractatum. Hodie *Strymon*, *Lemboli*, *Struma.*

Alter amnis eſt Hebrus, ſesqui pedem prolixo alueo decurrens, fl'. ebr'. laeua exorientis, caractere picto; Velſ. Fl. E b r u s. Fontes eius, ſecundum opinionem veterum, in Rhodope recte ponuntur, oſtium quoque apud Aenon rite notatum eſt. Amnis inde ab Herodoto notus. Plinius: *Odryſarum gens fundit Hebrum.* Loco alio: inter Coeletas maiores et minores Hebrus amnis. Eadem Martianus. Graecis *Ἔβρος*, *Ebrus*, aut *Ἕβρος*, *Hebrus.* Ptolemaeo, *Ἔβρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ*, *Ebri fluminis oſtia.* Hodie *Maricza*, Ortelio *Marisa*, recentioribus *Mariz*, *Mariza*, ortographia Itala et Germana.

In Hebrum incidunt, teſte Plinio, Bargus et Suemus; in Tabula exprimitur Ergines, apud oppidum *Demotica*, xv M. P. infra Hadrianopolim, Hebro ab exortu immiſtus. Pomponio Melae, *Erginos;* Plinio, *Erginus*, non recte in Propontidem deriuatus; in actis S. Alexandri, *Ergina;* nonnullis Graecorum *Ρηγῖνα*, *Regina;* Straboni, in excerptis, *ὁ νῦν ποταμὸς Ριγινία ἐν Θρᾴκῃ καλούμενος, Ἐρίγων ἦν*, *qui nunc Riginia fluuius in Thracia vocatur, Erigon erat.* Niſi Erigonem Paeoniae reſpexit; multa enim in iis excerptis ſunt mendoſa. In Tabula procurrit alueus quinque vncias cum ſemiſſe. Hodie *Ergene* adpellatur.

Fl. T o n t u s. Velſ. apud Scheibium inſcriptio deeſt fl. tontus. ad fontem. Zoſimo, *ὁ Τωνοσεῖος*, *Tonoſius*, vel *Tonoſeus;* Ptolemaeo, circa hunc amnem, eſt oppidum *Τόνζου*, *Tonzu.* Videtur *Κοντάδεσδος*, *Contadeſdus* Herodoti; hodie *Tonſa*, apud Hadrianopolim Hebro mixtus. Amnis *Pontus* Strymoni ab occaſu incidens, huc referri nequit.

Bitenas. in itinere, ab Apris Perinthum, ad XIII lapidem, quae mansio a Bithya fluuio nomen acceperit, qui Pomponio *Bithynis*, Appiano *Bithys*, vocatur; a quo incolae *Βιθυαι* Stephano. Zirinis. in via, est *Zerna*, seu *Cserna*, *Czerna*, apud *Tsernitz* oppidum Hebro ab occasu incidens.

§ III

Prouinciae, populi.

I. PLINIVS Thraciam in strategias quinquaginta fuisse diuisam, refert, quas tamen recensere noluit. Populos, exceptis iis, qui auersa Haemi tenuere, vicenos senos enumerat. In Tabula sunt quatuor praefecturae, quinque populi: Ariacta, Asticus, Petelileticа, Rimesica, Betegeri, Brusdorciani, Byzantini, Penastii, Pyrogeri; quos ea serie, qua in Tabula comparent, depromere libet.

PIROGERI. literis pictis; Vels. Pyrogeri. Plinins, inter adcolas Hebri, vt in Tabula quoque ponuntur, Cabyletos, Pyrogeros, Drugeros. Harduinus de sinceritate lectionis dubitat, putans, pro Pyrogeris *Pyrgoceris* aut *Cereopyrgis* reddi debere; quod inter episcopatus prouinciae Rhodopes *Κερεόπυργος* esse obseruauit. Sed hac quidem solicitudine virum doctum liberat Tabula, in qua eadem prorsus forma scribuntur Pyrogeri. Laeuo Hebri latere, ad amnem *Kruzka*, Odrysis finitimi, habuerint.

Ariacta. Vels. ARIACTA. epigraphe priori, eadem Hebri regione, vicina. Stephano, *Αρτακοὶ*, *ἔθνος Θρᾴκιον*, *Artaci*, *gens Thracia.* Dioni Cassio *Ἀρτάκιοι*, *Artacii.* Si Tabulae positio recte habet, fuerint Artisci amnis, *Arde* hodie, adcolae; forsan ARTACIA olim scriptum erat, vnde laeuis in ARIACTA mutatio. Est etiam *Artakui* oppidum, supra Maroneam, cui vox quidem conuenire posse videatur, sed positio aliud suadet.

Pete l. i. letica. literis pictis; Vels. PETEL. L. LETICA. Selletae sunt, prioribus in exortum contermini. Plinius, inter adcolas Hebri, Selletae, Priantae, Doloncae: Ptolemaeo, *στρατηγία Σελλητικὴ*, *praefectura Selletice.* Panissam et Riram amues adcoluerint, ab Coeletis seu Coelaletis diuersi.

RIMESICA. scriptura picta, Vels. Rimesica. sub prioribus. Regio circa Hadrianopolim, quamdam cum principibus Thracum cognationem habere videtur; cuius mentio alias non comparet. Hoc agro postea prouincia *Haemimontus* continebatur, priores quoque, quos recensuimus, complexa. *Romosiana*, in Moesia inferiore, supra Serdicam, longius in occasum abest, quam vt huc facere queat.

BRVSDORCIANI. Vels. BRVSDORCIANI. Plinio, circa haec loca sunt *Drungeri;* sed maior vocabuli adfinitas est cum *Burtudizo*, *Burdidizo*, Ho-

doeporici, ad XXXVI ab Hadrianopoli lapidem, quod circiter oppidum *Bergaſe*, ad Erginum, incidit. In Tabula is locus *Burtiho* vocatur. Non raro quippe a locis populi accepere nomen.

II. Penaſtii. Velſ. Penaſtii. Supra Erginum ponuntur, ab Aſtis monte diremti, quorum nuncupatione veniſſe videntur. Ptolemaeo *ἡ στρατηγία Σαμαϊκή*, *praefectura Samaica*, iungitur Aſticae, de qua mox dicturi ſumus. Intra Tonſam, Tearum, et Erginum amnex habuerint.

Aſticus. Velſ. Aſticus. Liuio, *Aſtii*, aliis *Aſtae*, Graecis *'Ασταὶ*, vt Artemidoro apud Stephanum. *Aſtice regio*, apud Plinium; Scymno, Thynias, *τῆς Ἀστικῆς*, *Aſticae* Thraciae praefecturae. Ptolemaeo, iuxta oram maritimam, a Perintho ad Apolloniam, *ἡ Ἀστικὴ στρατηγία*, *Aſtice praefectura*. Olim forſan eo vſque pertinebant. Strabo, ſupra Byzantium, *τῶν 'Αστῶν ἔθνος*, *Aſtarum gens*, cum oppido Calybe. Theopompus, apud Stephanum, *"Αστακος, χώρα Βυζαντίων*, *Aſtacus, regio Byzantiorum;* quae expreſſio vnius dumtaxat vocalis permutatione ab Aſtico Tabulae differt.

Bettegerri. monte a prioribus diremti; apud Velſ. deſunt. Plana ab Ergino in auſtrum patentia coluerint, ad montem *Tekkiur dagh*, et fluuium Bithyn, a quo ſint nuncupati. Nam vt Degeri, Pyrogeri, Drugeri, ſunt a montibus, Thracum lingua, vocati; ſic etiam *Bette-geri*, a fluuio, ex eo monte, quem ſacrum, et Melaphyllum vocauimus, deriuato, adpellati fuerint. *Gora* quippe Thracibus montem notat, Croatica veteri dialecto *göre* pluratiue.

BYZANTINI. Velſ. BYZANTINI. ſcriptum minio pictum. Occupant eam regionem, quam Xenophon, expeditione Cyri, *Δέλτα τῆς Θράκης*, *Thraciae Delta* vocat, quae poſterius, ad coercendos barbarorum incurſus, muro XL M. P. longo munita fuit. Graecis *Βυζάντιοι*, *Byzantii*, qua forma Cicero cum Latinis et numis vtitur. Polybius plura de iis narrat; inter alia: *Βυζάντιοι κατὰ μὲν θάλατταν εὐκαιρότατον οἰκουσι τόπον*, *Byzantii circa mare agrum perquam commodum poſſident*. Theopompus, apud Stephanum, etiam Aſtacum Byzantiis tribuit, vt ſupra memorauimus. Tenuerunt ab amne Tzurulo ad Boſporum mill. geogr. tredecim cum dimidio, ſeu M. P. LXVIII. Hi erant populi in Tabula expreſſi.

§ IV

Oppida, manſiones.

I. IN recenſione locorum Thraciae, oram maritimam, pro more, ſequemur primum, ab Amphipoli Byzantium vſque, deinde a Meſembria, oram Ponti et Boſpori, ad vrbem eamdem; vt veteres geographi, et cum iis auctor Tabulae, fecerunt. Poſt haec in mediterranea faciemus gradum. Ab

occaſu, apud Philippos concurrunt viae tres, vna ab Theſſalonica, per Amphipolim, duae ab Heraclea Sintica; illa, ab Apollonia, ſic habet:

Amphipoli. xxx. Velſ. *Amphipoli.* xxx Hodoeporicon aeque, *Amphipoli.* xxx. itinere Aulonenſi, *Amphipoli.* xxxii. Burdigalenſe, a mutatione Pennana, *ciuitas Amphipolim.* x. Graecis *Αμφίπολις*, *Amphipolis*, inde ab Thucydide, qui eius frequens meminit, nota; ante *Εννέα ὁδοὺς*, *Nouem vias*, adpellabant locum, Herodoto, Thucydide, aliis, teſtibus. Quare Scylax, Strymone memorato, cum ſcribit: *Εἰσὶ δὲ ἐν Θράκῃ πόλεις ἑλληνίδες αἵδε. Αμφίπολις, Φάγρη, Γαληψὸς, Σισύμη, In Thracia vrbes graecae ſunt: Amphipolis, Phagres, Galepſus, Siſyma;* oſtendit, ſe Olymp. LXXXV an. 4. quo ab Agnone, Athenienſium duce, colonia Amphipolim eſt deducta, eſſe iuniorem; vt Voſſius quoque obſeruat. Numi autonomi, *ΑΝΦΙΠΟΛΙΤΩΝ*. Auguſtorum *ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ*. Antoninorum tempore exiguas antiquae vrbis reliquias ſuperfuiſſe, Antipater, in epigrammatis, teſtatur; Tabula quoque adſtipulante, quae nulla vrbis inſignia promit. Danuille, ſecundum antiquos, intra oſtia Strymonis vrbem ſtatuit; quamquam, ſi Antipatrum audimus, non in inſula, ſed vtraque fluminis ripa, vrbs conſiſtebat; vnde et nuncupata eſt. Hodie *Emboli*, ripa amnis laeua, IV M. P. ſupra oſtium.

Philippis. xxxiii. inſignia coloniae; ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere Dyrrachino, *Philippis.* xxxiii. Aulonenſi, *Philippis.* xxxii. Burdigalenſe, *mutatio Domeros.* xiii. *mutatio ad Duodecim.* vii. *ciuitas Philippis.* xii. Artemidorus, apud Stephanum, refert, loco, quem Philippus ab ſe nuncupari iuſſit, ante *Κρηνίδες*, *Crenides*, ſeu *fontes*, nomen fuiſſe, et *Δάτον*, *Daton*, cuius meminit Scylax, ab Calliſtrato Athenienſi conditae. Numi autonomi, *ΦΙΛΙΠΠΩΝ*. Auguſtorum, COL. AVG. IVL. PHILIP. Epigraphae lapidum, PHILIPPIS. item COL. IVL. PHILIPPENS. Seruat in ruinis nomen Philippi, prope laeuam amnis, Praſiadem petentis ripam, v M. P. ſupra mare. De mutatione *Domeros* mox dicemus. Apud Philippos conueniunt binae ab Heraclea Sintica viae, quarum altera per Tricalam, altera per Dramam progreditur, vt hodie loca audiunt. Prior ab *Graero*, quod in *Tricala* oppido poſuimus, ad cenſum Thraciae ſpectante, vtpote trans Meſſapium montem ſito, haec habet:

Truilo. xvii. Velſ. *Triulo.* absque numero. Hierocli, *Τρίμουλα*, *Πρίμουλα*, *Trimula*, *Primala;* Conſtantino, *Bribona.* Deliſleo, *Triullum*, infra Drabeſcum, III M. P. internallo. Si vocis ſonum ſpectas, *Tricala* et *Truilum* conueniunt; ſed interualla diſcrepant. Ortelius eo agro habet oppidum *Sevigo;* in recentioribus nonnullis *Machelovi* notatur. Inde Philippi M. P. x. remouentur; qui numerus apud Velſerum deeſt; Danuille tamen diſtantiam rite notauit. Altera via, per Serras progreſſa, ab Strymone habet,

Darauescos. viii. Velſ. *Darauеſcos.* viii. Deliſleo, *Drabiſcus*, apud oppidum *Drama.* Burdigalenſis, *Domeros*, ſono conuenit, interuallo differt. Thucydidi, *Δραβῆσκος*, *Drabeſcus*, vrbs Edonica; Stephano, *Θράκης χωρίον*,

Thraciae castellum; Straboni, *Δραβίσκος*, *Drabiscus*, inter oppida. Hierocli, *Δράγυλος*, *Βράγυλος*, *Dragylus*, *Bragylus*; posteriorem formam adhibet Constantinus. *Drama* oppidum, quod Drauesco respondet, ab Tricala xv. a Philippis x M. P. abest. Tabula, hoc itinere, Drabescum inter et Philippos xii M. P. interponit; quaedam chartae recentiores xiv. Vt numerus Tabulae, medium tenens, sincerus videatur. A Philippis haec est itineris ratio:

II. **fons. cō.** aedicula instar fani; Velſ. *Fons con.* Appianus, vbi, *Κρηνίδες*, *Crenides* et Daton memorauit, *κρῆναι γάρ εἰσι περὶ τῷ λόφῳ*, *fontes enim*, ait, *circa eum collem*, in quo Philippi sunt, *scaturiunt*. Addit, ab occasu vrbis esse planitiem cccl. stadiorum, amoenam et fertilem, vbi Proserpinam dicant raptam. Id fanum forsan ei deae dicatum erat, nisi *Diuae Augustae*, seu Iuliae, cuius epigraphae meminerunt, malis. Proximum vrbi fontem fuisse, ex eo colligas, quod numerus non additur; quamquam id et vitio scribarum accidere potuit.

Neapolis. absque numero; sic Velſ. Hodoeporicon, *Neapoli.* xii. Burdigalense, *mutatio Neapolim.* x. Scylax, de Thaso locutus: *Νεάπολις κατὰ ταύτην*, *circa hanc Neapolis.* Bello ciuili, quod Octauianus aduersus Brutum et Cassium gessit, in primis nota; Liuio, Straboni, Plinio, Ptolemaeo, Appiano, Dioni, aliis. Quidam, *Νέαν πόλιν*, seiunctim vocant. Vrbs regno quoque numismatico celebrata. Numeri ducunt ad oppidum maritimum *Cavalla*, *Cavallo*, Thracibus *Kobila*, sub promontorio Pangaei occiduo, x M. P. a Philippis, qui numerus in Tabula cum sequenti perperam est commissus; nisi is alio pertineat, vt mox visuri sumus.

Acontisma. xiiii. Velſ. *Acontisma.* xiiii. Hodoeporicon, *Acontisma.* viiii. itinere Aulonensi, a Philippis, *Acontisma.* xxi. Burdigalense, *mansio Hercontroma.* ix. *Finis Rhodopeae et Macedoniae.* Ammianus: Ex angulo Orientis, Macedonicis Rhodope iungitur collimitiis, per artas praecipitesque vias, quae cognominantur Acontisma." (a) Hierocli, *Ακόντισμα*, Appiano, *τὰ στενὰ Σαπαίων καὶ Τουρπίλων*, *angustiae Sapaeorum et Turpilorum*, seu Topirorum. Est oppidum *Polystilo*, amnis ex aduerso Thasi effluentis laeua, vbi alterum Pangaei brachium in promontorium definit. Numerus Tabulae xiiii ad Nicopolin, laeua Nesti ripa sitam, neque numis ignotam, pertingit; quo duxisse olim viam interuallum suadere videtur, Nicopoli a postremis Tabulae architectis, ex ignorantia in Neapolim translata, exmissis ante Neapolim x. heic viiii. numeris, isthuc pertinentibus.

Topiro. xviii. sic Velſ. Hodoeporicon, *Topiro.* xvii. itinere altero, *Otopiso.* xviii. Simlero, *Topinio;* in Regio, *Atopiso;* in aliis, *Otopiso.* Burdigalense, *mutatio Purdis.* ix. *ciuitas Epyrum.* x. Herodoto, *Πύστιρος*, *Pystirus*,

(a) L. XXVII. c. 4

vel, vt alii legunt, *Πίστυρος*, *Πίσσυρος*, *Pistyrus*, *Pissyrus;* Stephano, *Πιστιρον*, *ἐμπόριον Θρᾴκης*, *Pistirum*, *emporium Thraciae.* Plinio, *Topiris;* Ptolemaeo, *Τοπιρὶς*, eadem forma; aliis *Τοπυρὸς*, *Τόπηρος*, *Τόπειρος*, *Τοπήριος*, *Topyrus*, *Toperus*, *Topirus*, *Toperius.* Numis, *ΤΟΠΙΡΟΥ.* et *ΤΟΠΕΙΡΟΥ.* in quibusdam, *ΟΥΛΠΙΑΣ ΤΟΠΙΡΟΥ.* iuribus ab Traiano acceptis. Geographi, mensura duce, dextro Nesti latere, paullo supra mare, Topirum signant, qui ager hodie desolatus est; in quibusdam chartis *Aperosa*, vltra Abderam, conspicitur; quae si citerius compareret, Topirum procul dubio indicaret.

III. **Consinto.** XIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Cosinto.* XIII. nonnullis, *Casinto* et *Cosinto.* XIIII. Burdigalense, *mutatio Rumbodona.* X. Aelianus, *Κοσσιντου*, *Cossinitis*, fluuii, in Abderitarum regione, meminit; quo Stephani *Κοσσέαν*, *Cosseam*, oppidulum Thraciae, pertinere, Neumannus, ex numo Bruti, *ΚΟΣΩΝ* inscriptio, arbitratur. Mensura in agrum oppidi *Burun*, dextro exeuntis cuiuspiam amnis latere, ducit; qui sit *Cossinites* Aeliani, *Compsatus* Herodoti, *Cudetus* Scylacis, qui scribit: *ποταμὸς Νεστὸς, Ἄβδηρα πόλις, Κόνδητος ποταμὸς, Δίκαια καὶ Μαρωνεῖα πόλεις*, *fluuius Nestus*, *vrbs Abdera*, *Cudetus amnis*, *vrbes Dicaea et Maronea.* Herodoti *Δικαία*, *Dicaea*, in eumdem incidit agrum, quo *Burun* hodie consistit. Rumbodona Burdigalensis cum *Burun* cognationem habere videtur. Succedit,

Porsulis. XXIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Porsulis*, *quae modo Maximianopoli.* XXIII. in Regio, *Portulis;* itinere alio, ab Otopiso, *Stabulo Diomedis.* XXII. *Impara siue Pyrsoali*, *nunc Maximianopoli.* XVIII. Burdigalense, *mutatio ad Stabulodio.* X. *ciuitas Maximianopoli.* XII. Huius meminerunt praeterea, Hierocles, Procopius, Constantinus, concilia; Porsulorum nemo alius. Liuius Apolloniam hoc agro nouit; quae, mensura duce, oppido *Comerchini*, dextra amnis Traui, hodie *Bratz*, *Bratza*, supra exitum in lacum Burnensem X M. P. conuenit. Herodotus, *Βιστονίδα*, *Bistonidem*, vocat paludem, in quam *Τραῦος*, *Traus*, et *Κόμψατος*, *Compsatus*, effundantur. Delisle Porsulos cum Iamphora (Liuio Iamphorina) eumdem locum esse arbitratus, lacui admouet; Danuille, vocis cognatione ductus, in *Pergamar*, X M. P. supra *Comerchini*, Porsulos statuit; cui *Πέργαμος*, *Pergamus*, Herodoti ante conueniat. Stabulum Diomedis, prius Tirida nuncupatum, infra lacum, ad mare, ponimus, vbi fere *Gaurili* Ortelio.

Brendici. XX. sic Vess. Hodoeporicon, *Brendice.* XXI. altero itinere, *Brizice.* XX. sic Regium; alia *Brixice*, *Brizice*, *Brinice.* Burdigalense, *mutatio Breierophara.* X. *mansio Berozica.* X. MS. *Berezicha.* Numeri ad oppidum *Artakui* ducunt, dextra Schoeni, vulgo *Maronia*, ripa, medio fere amnis cursu, XXXV M. P. supra ostium. Heic fuerit *Νιφάγρης*, *Niphagres*, seu *Φάγρης*, *Phagres*, Herodoti, Scylacis, Strabonis, Stephani; quamquam apud Scylacem et Strabonem propius Amphipolim recensetur; ex Herodoti tamen et Thucydidis phrasi, in haec incidit loca. Isthuc et *Ortagurea* Plinii spectet;

vt in geographia cenſemus. Videtur quippe locus non vna vice mutaſſe nomen; vt vel ex Hodoeporicis elicias. Danuilleo, *Brindice*, ripa laeua; Deliſleo, *Briantica* vrbs et regio; quod ex Herodoto habet; Liuio *Prianticus* campus; Plinio, incolae *Priantae*.

Micolito. XII. ſic Velſ. Weſſelingius, *Micolita*, legit. Hodoeporicon, *Milolito*. XII. Burdigalenſe, *mutatio Melalico*. XV. Rauennas, *Mytolito*. Deliſle, *Milolitum*, in exortum aequinoctialem a priore ſtatuit; ſed via flumen ſecuta videtur, in aeſtiuum orientem; vt Milolitum in parallelo *Feret* caſtri ſitum fuiſſe putes; qui ager hodie locis vacuus eſt; apud Ortelium *Ligia* oppidum iſthic comparet.

Dymis. XXIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Timporo*. XVI. *Traianopoli*. IX. *Dymis*. XVI. MSS. *Dimis*. Rauennas, *Dymis*. Itinere altero, *Traianopoli*. XXXVII. Rurſus. *a Tranopoli Dymis*. XII. MSS. *Dimis*. Burdigalenſe, *mutatio Salei*. VIII. *mutatio Adunimpara*. VII. *S. ciuitas Traianopoli*. VIII. *mutatio Demas*. VIII. Ptolemaeo, *Δύμη*, *Dyme*. Ex quibus adparet, Itineraria a Milolito in exortum aeſtiuum progreſſa fuiſſe, Tabulam in aequinoctialem, ad caſtrum *Feret*, prope dextram Hebri, quod Dymis reſpondeat. Recto quidem ductu XV M. P. forent; ſed montes cum ſaltu Tempyrorum intercedentes ſpatium produxere. Numeri tamen permutati videntur, vt mox dicturi ſumus; niſi hic ad Zirnos referri debet.

Aenos. XX. inſignia municipii; ſic Velſ. Numerus hic ad Dymen pertinet, XXIII autem huc referri debent, ſcribarum incuria permutati. Graecis *Αἶνος*, *Aenus*, inde ab Homero, nota. Herodotus, Hebrum ἐς θάλασσαν παῤ *Αἴνῳ πόλι*, *in mare ad Aenum oppidum*, effundi perhibet. Scylax, *Αἶνος πόλις καὶ λιμὴν*, *Aenus oppidum et portus*. Poſtea in prouincia Rhodope cenſebatur Aenus. Numi autonomi AINION. in Caracallae pecunia, *AINIΩN*. Herodotus, Aeolorum coloniam eſſe, ait. Hodie *Eno* oppidum, ad lacum mari iunctum. III M. P. ab ora, II ab Hebro abſcedens.

IV. Apud Aenum via ab Hadrianopoli exit, per Plotinopolin et Zirnos progreſſa, apud Dymos olim cum hac litorali coniuncta, vt viae ductus et numeri oſtendunt. Nam XX M. P. Zirnos inter et Aenum poſita, ſpatium ad Dymos vſque pertinens metiuntur; vt ſuo poſtea loco monituri ſumus. Haec via, per Dymos ducens, erat vetus militaris Straboni *Εγνατία*, *Egnatia*, dicta; quae vt in Illyride et Macedonia retulimus, ab Dyrrachio et Apollonia Theſſalonicam, inde μρὸς ἕω βεβηματισμένη κατὰ μίλιον, καὶ κατεστηλομένη, μέχρι *Κυψέλου καὶ Ἕβρου ποταμοῦ*, *in orientem tendens*, *ſubiecta menſuris per milliaria, et lapidibus diſtincta, vſque ad Cypſelum et Hebrum fluuium*; μιλίων δ' ἐστὶ πεντακοσίων τριάκοντα πέντε, *continet M. P.* DXXXV.“ (a) Ductu recto forent M. P. CCCC. ſed viarum flexus ſpatium protrahunt. Ab Aeno via ſic procedit:

(a) L. VII. p. 322.

Colla. xx. sic Vess. Hodoeporicon, itinere Aulonensi, a Traianopoli, *Cypsala.* xxviiii. in Regio, *Gij. Ala;* in aliis, *Gipsala, Hipsala.* Burdigalense, a Dymis, *mansio Gipsila.* xii. MS. *Gripsila.* Antiqua vrbs esse videtur, neque tamen ante Liuium memorata; nisi *Κύπασγις*, seu *Κύπασις*, *Cypasis*, quam circa Melanem sinum ponit Scylax, huc pertineat. Liuio, *Cysela*, pluratiue; Melae, *ingens aliquando Cypsela;* Plinio, *Cyppsella;* Ptolemaeo, *Κύψελλα*, *Cypsella*, incertum, casu multitudinis, an singulari. Strabo quoque *Κυψέλου*, et *Κυψέλων* vocabulis vsus, variat. Vtrum in Tabula, sono militari, an errore scribarum, *Colla* sit expressum, non facile decreueris. Videtur auctor Syrascellam, quae nonnullis *Syra colla* effertur, respexisse. Hodie *Cypsela*, veteri nomine, laeua Hebri ripa.

Zorlanis. xvii. sic Vess. Burdigalense, *mutatio Drippa.* xii. Si numeri Tabulae recte habent, via versus oppidum *Panagia* deflexerit, Burdigalensi in exortum aestiuum tendente. Apud Ortelium *Chisear*, circiter haec loca, notatur. Inde secus Melanem fluuium processerit via.

Syrascelle. xvi. sic Vess. Hodoeporicon, a Cypsela, *Siracella.* xxx. Simlero, *Syrascele*, vel *Syra colla;* apud Suritam, *Syracella*, *Siracolla.* Itinere alio, *Siraselle.* xxxviii. a Dymis; in quibusdam *Syrascaele.* Burdigalense, mansio *Sirogellis.* xiiii. Rauennas, *Syrascele.* Forsan Hieroclis *Κερεόπυργος*, *Cereopyrgos*, in prouincia Rhodope. Est oppidum *Seruskui*, dextra Melanis recentis ripa.

Apris. xxv. insignia coloniae; Vess. *Apris.* xxi. Hodoeporicon, itinere Aulonensi, *Apris.* xxi. Burdigalense, Finis Europae et Rhodopeae. *mutatio Zesutera.* x. *ciuitas Apris.* xii. Theopompus, apud Stephanum, *τὸν Ἄπρον*, *Aprum*, genere masculeo vocat; Plinio, *colonia Apros;* Ptolemaeo, pluratiue, *Ἄπροι κολώνια*, *Apri colonia.* Stephano, Hierocli, Constantino, *Ἄπρος.* In marmore Romano, P. Aelius Bassus, nat. Bessus, CLAVDIA APRIS. in alio, C. Antonius Rufus, flamen COL. CL. APRENS. Danuilleo, *Apros*, laeuo Bithyae recentis latere, intra iuga montis sacri, xxv M. P. supra ostium; qui locus ab Syracellis xx M. P. abest, sed montes interiecti milliaria augent.

V. Ab colonia Apris pars viae Perinthum, pars Callipolim et Sestum, oppida Cherronesi, petit; et posterior quidem haec ductibus caret, interualla tamen, propitiis viarum diis, seruauit; vt ex iis locorum situs non aegre cognosci queat. Hanc primum absoluere libet. Itaque ab Apris occurrit,

Aprodisia. xxxiii. sic Vess. Hodoeporicon, itinere Callipolitano, *Aphrodisiade.* xxxiiii. in aliis, *Afrosiade.* xxxiii. item xxvii. xxiiii. Ptolemaeo, *Ἀφροδισιάς*, *Aphrodisias;* Stephano, *Ἀφροδίτης*, *Aphrodites.* E numeris incidit ad v supra Macron ticlios, in boream, milliare, eodemque prope interuallo ab Heraclia in occasum; Danuille ab Heraclea vii. a Lysimachia viii M. P. remouet; vbi olim *Ἄψυνθος*, *Apsynthus*, cognominis populi, quem Herodotus

et Hecataeus norunt, oppidum, hodie defolatum. Apud Ortelium, eo circiter agro, oppidum *Poliſtro* viſitur.

Callipoli. xxiiii. Velſ. *Callipoli.* Hodoeporicon, *Callipoli.* xxiiii. in Regio, xxxiiii. Poſt Liuium, in Macedonicis, et Strabonem, plures Callipoleos meminerunt. Graecis *Καλλίπολις*, recentioribus etiam *Καλλιούπολις*, Calliupolis. De ſitu Strabo: E regione (Lampſaci) in Cherroneſo oppidulum eſt Callipolis, ſitum in litore, quod longe extenditur Aſiam verſus, ſecundum Lampſacenorum vrbem, vt traiectus ſit minor, quam xl ſtadiorum." (a) Apud Callipolin eſt latitudo Helleſponti ſeptem ſtadiorum, vt Plinius, praeter alios, docuit. Hodoeporicon, a Callipoli traiectus in Aſiam Lampſacum vſque, ſtadia lx. Numos *ΚΑΛΛΙ.* ſignatos habebat; hodie *Gallipoli*, in peninſula, ſitu veteri.

Seſtos. xii. aedes inſtar fani; Velſ. *Seſtos.* xii. *Σηστὸν καὶ Ἄβυδον*, *Seſtum* et *Abydum*, iam Poetarum princeps Homerus nouit; Herus et Leandri amoribus decantatus locus, fabula numis etiam memoriae prodita, cum inſcriptione *CΗCΤΙΩΝ. Seſtiorum.* Eo ſitu hodie eſt oppidum *Zemenie*, vbi Helleſpontus in anguſtias rurſus coarctari incipit. Danuille, cum praeceſſore Callipolin et Seſtum rite ſignauit. M. P. xii ad *Aegos* fluuium et oppidum pertingunt; quae manſio in Tabula deſideratur; inde vero Seſtum vſque ſunt x M. P. Forſan xxii ſcriptum olim erat, ſi nullus interceſſit locus. Heic in Aſiam traiectus fuerit, quod et Cherroneſi, et viae finis ſtatuitur, angulo, Lampſaco aduerſo, quae Callipoli eſt propior.

VI. Superius, ab Aphrodiſiade, videtur via fuiſſe Heracleam verſus, inde Macrontichos, tum Callipolim; vt numerus inter Heracleam et Macrontichos ſuperſtes indicat; ductu viae, incuria ſcribarum, hoc Propontidis litore prorſus exmiſſo. Iuuat, ante quam in vlteriora progrediamur, hanc viae partem, circa Cherroneſum, abſoluere.

Heraclea. inſignia municipii, absque numero. Aberat Macronticho x M. P. vt ſuperſtes nota oſtendit. Heracleae huius meminerunt Scylax, Polybius, Ptolemaeus, Stephanus, numi, inſcriptiones. Scylaci, Tiriſtaſin inter et Ganum, *Ἡράκλεια*, *Heraclea.* Numi, apud Vaillantium, non recte Perintho adſcripti, *ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΑΝ.* Dorica dialecto. Serius quippe factum eſt, vt Perinthus Heracleae nomine veniret; quod tamen epigraphae non agnouerunt. Proinde lapis Romanus, in quo Agaſius Aſianus, oriundus Thrax, NAT. ERACLE. et Philippopoli repertus, in quo Herennius HERACLIANVS. vice cognominis, leguntur, iſthuc ſpectabunt. Supereſt vocabulum cum oppido *Heraclea*; ab Hexamila, ſeu Lyſimachia, viii. ab Aphrodiſiade v. ab Gano xvii. M. P. remota; Danuille, ab Lyſimachia xiii. a Macronticho ix. a Gano xii M. P. diuellit.

(a) L. XIII. p. 589.

Macrontecos. x. Vell. *Macronteros.* x. Graecis, ab Herodoto, *Μακρὸν τεῖχος, tichos;* quo vocabulo et Latini vtuntur, Mela, Plinius, alii: hic tamen et Latia exprimit voce: *Lysimacchia quinque mill. pass. a Longis muris.* Internallum hoc ad Cardiam spectarit, alterum eius muri terminum; nam in medio, vbi Hexamila est, murus is vix ad alterum erat ab oppido lapidem. Mensura Tabulae, oram legenti, ad alterum muri finem, vbi Pactye oppidum, pertingit. Delisle, murum Longum, infra Pactyen, Ptolemaeus supra illam, ponit; quem sequitur Danuille. Hodie locus est desolatus, Hexamila vicina superstite, quae iam Plinii aetate deserebatur. Inde via ducebat Callipolin, quam scriba signare neglexit.

VII. Via ab Apris Perinthum signatur adcurate; quae cum sit militaris, ab vtroque Hodoeporico tenetur. Apud Rhaedestum, quod Tabula Mocasuram nuncupat, via illa, ex Cherroneso, per Heracleam, iuxta litus procedens, olim exierit; quae, vti monebamus, tota Propontidis ora, est exmissa. Itaque ab Apris haec leguntur:

Bitenas. XIII. sic Vell. Burdigalense, *Bedizo.* XII. Idem, alio itinere, habet *Beodizo*, locum ab hoc nostro diuersum, qui forsan rectius in Tabula, quam itinerario, est expressus. Amnem Bitynim, Rhaedesto vicinum, existimes, ad cuius ostium, ripa dextra, *Banados* oppidum, procul dubio, Melae *Bithynis*, et forsan *Bitande*, *Βιτάνδη*, Plutarchi in Alcibiade, castellum ab amne nuncupatum, cuius recentis ripa dextra mansio Tabulae, numeris ducibus, constiterit, XII M. P. supra ostium. Mansionem hanc geographorum *παῖδες* neglexerunt. Apud Ortelium, eo agro, est oppidum *Ferachich* quod hodie non comparet.

Mocasura. XIII. sic Vell. Hodoeporicon, ab Apris, *Resisto.* XXVI. itinere a Plotinopoli Heracleam, *Resisto.* XXII. sic in Regio; in aliis XXXII. Burdigalense, *mansio Registo.* XII. Plinius *Resiston*, quamquam loco alieno, memorat; Ptolemaeus, *Βισάνθη ἤτοι Ραίδεστον, Bisanthe, quod et Rhaedestum;* Procopio, *Ραιδεστὸς, Rhaedestus*, qui situm describit. Stephano, *Μόκαρσος Θράκης χωρίον, Mocarsus Thraciae oppidum*, ex Theopompo. Eumdem esse locum, numeri vtrimque conspirantes monstrant; puto tamen, Bisanthen ab Rhaedesto secerni oportere. Hodie chartis *Rodosto*, Marsilio *Bogaisar*, quae vox cum Mocasura conuenit.

Hiereo. XIII. sic Vell. Burdigalense, *mutatio Aerea.* XII. Wesselingius: *mutatio Aerea*, vt multae hac in via, mihi lecta non est." Habet Herodotus *Ἡραῖον, Heraeum*, et ex eo Stephanus: *Ἡραῖον, πόλις Θράκης, Heraeum, oppidum Thraciae.* Herodotus, de fontibus Teari locutus: (a) Ad hos tantumdem viae est ἐξ *Ἡραίου, ab Heraeo*, vrbe iuxta Perinthum, et ab Apollonia, quae

(a) L. IV. p. 159.

eſt in Ponto Euxino, duorum dierum vtraque.“ Adcuratiſſimam hanc eſſe menſuram, in geographia monſtramus; et infra erit dicendi locus. Hodie *Karauli* oppidum eo conſiſtit agro; Danuiſleo *Aereae.*

Perintus. XVI. inſignia vrbis liberae; ſic Velſ. Hodoeporicon, ab Reſiſto, *Heraclea.* XXV. in Regio, *Eraclea;* itinere Dyrrachino, a Tirallo, *Perintho Heraclea.* XVIII. itinere Plotinopolitano, a Reſiſto, *Heraclea.* XXV. itinere Aulonenſi, *Heraclea.* XXVI. Burdigalenſe, *Heraclea.* XVI. alias *ciuitas Heraclea.* IX a Biodizo. Ptolemaeo, *Πέρινθος, ἤτοι Ἡρακλεία, Perinthus, quae et Heraclea.* Ammianus: *Perinthus, quam Heracleam poſteritas dixit.* (a) In epigraphis et numis conſtanter Perinthi nomen gerit. Romae, T. Antonius Primus, PERINTHO. in alio marmore, L. Fabius Cilo, praepoſit. vexillat. PERINTHI. in pecunia veteri, *ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ.* Situm deſcribit Diodorus. (b) Eſt oppidum *Erekli*, ad ſinum, quem Tabula Heracleoticum vocat.

VIII. Apud Perinthum viae prodeunt ab Anchialo et Hadrianopoli; quas deinde luſtraturi ſumus. Byzantium verſus interualla cum manſionibus notantur, absque itineris ductu, qui toto, vti monebamus, hoc litore exmiſſus eſt. Quare etiam ſitus manſionum, ignorantia eorum, qui poſtremum operi praeerant, turbatus prodit, Cenophrurio cum Statuis permutato. Sic enim a Perintho Byzantium verſus olim ſcriptum erat:

Cenopurio. XXVIIII. ſic Velſ. Manſio haec itinere ab Anchialo Perinthum eſt perperam poſita. Hodoeporicon, itinere a Viminacio Nicomediam, *Cenophrurio.* XVIII. itinere Dyrrachino, eadem ratione; Aulonenſi vero, *Cenophrurio.* XXIIII. Burdigalenſe, *mutatio Baunne.* XII. *manſio Salamembria.* X. *mutatio Callum.* X. Vopiſcus, in Aureliano, *Cenophrurium*, adpellat; ſic Victor et Eutropius; Cedrenus, *Κοινοφρούριον, Coenophrurium;* metaphraſtes Eutropii diuiſim *Καινὸν φρούριον, nouum caſtellum,* vocant. Locum a litore remotum fuiſſe, inde colligas, quod Burdigalenſe, oram legens, id non habet. Baunne incidit in oppidum *Eſki Erekli;* Cenophrurium in *Kumburgos*, VIII M. P. ab *Selivrea* in exortum, ſecundum numeros Tabulae; vt in Hodoeporico vitium paſſi, aut permutati videantur. Danuille, dextra amnis, Selymbriae ab occaſu vicini, vbi mare petit, ſignat; quo agro nullus hodie comparet locus.

Melontiana. XVIIII. ſic Velſ. apud Scheibium Mel: tiana. mediis extritis. Hodoeporicon, itinere Byzantino, *Melantiada.* XXVIII. in Regio, *Melantrada.* XVIII. itinere Nicomedienſi, *Melantiada.* XXVII. ſic et Dyrrachino; Aulonenſi, XXVIII. Burdigalenſe, *manſio Atyra.* X. Suidas, ex Agathia: *Μελαντιάς, Melantias*, quae nunc vulgo *Μελιτίας, Melitias* vocatur, Thraciae vicus, CII ſtadiis Byzantio diſtans, quem Athyras praeterfluit.“ Ammianus, *Melantiada, villam Caeſarianam*, vocat. Athyras Stephano nauale circa Byzantium; gentile

(a) L. XXVII. c. 4. (b) L. XVI. p. 549.

Ἀθυραῖος, *Athyraeus*. Delisleo, *Athyras* seu *Melantias;* quae non bene cohaerent. Athyrae, secundum numeros, respondeat oppidum *Karakil*, a mari nonnihil remotum; Melantiadi oppidum *Beglihi*, ad quintum inde lapidem, mari propinquius. Danuille, sinistra Athyrae exeuntis *Melantias*, vbi *Tsekmege* oppidulum.

Regio. xxIIII. sic Velf. apud Scheibium, xxvIIII. interiecto sinu. In exemplari nostro xxI-III. Burdigalense, *mansio Regio.* xII. Agathiae, *Ῥήγιον*, *ἐπίνειον τῆς πόλεως*, *Rhegium nauale vrbis.* Meminerunt loci Procopius et Theophanes; quorum ille, viam ab vrbe ad mansionem hanc ab Iustiniano fuisse munitam ait. Tabulae interuallum xxvIIII est a Melantiade Constantinopolim, vt ex Hodoeporico colligere licet. Proinde duplex erat a Melantiade via, vna per mansionem Rhegium, altera directe Byzantium. si xxvIIII. vt adparet, scriptum erat. Rhegio, ex numeris, respondet oppidum *Csekmecxe*, chartis *Tschekmege*, *Czekmege;* Danuilleo, *Regium*, situ oppiduli *Galata*.

Constantinopolis. xII. scriptura miniata. Princeps, in throno sedens, caput galea tectus, pectore nudus, dextra protenta genium in turri stantem, nudum, dextra pomum, sinistra hastam tenentem, laeua in scutum recline hastam tenet, ad latus mitra; pictura purpurei et lutei coloris, pro ea aetate non inelegans. Apud Velserum colores distinguere non licet; inscriptio cum numero est eadem. Hodoeporicon, itinere ab vrbe Roma Constantinopolim, a Melantiade, *Byzantio. quae et Constantinopoli.* xvIII. itinere a Viminacio Nicomediam, *Byzantio.* xvIII. Dyrrachino, *Byzantio, quae Constantinopolis.* xvIIII. Aulonensi, pari ratione; in Regio tamen xxIIII. pro xxvIIII. quod sincerum est, vt in Tabula esse monebamus. Burdigalense, *ciuitas Constantinopoli.* xII. Tabula, quae secus Antoninorum aetatem referri consueuit, heic Theodosiorum, qua deformata est, repraesentat; pictura tamen insignium vrbis id aeuum superante. Graecis, *Βυζάντιον*, *Byzantium*, sic Latinis, numis, epigraphis. Scylax vrbem non nouit; Herodotus memorat. Numi autonomi et Augustorum, *ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. Byzantiorum.* situm vrbis antiquae Dio Cassius, Constantinopoleos Zosimus, exequuntur. Hodie Turcis *Stambol*, Illyriis *Czarigrad,* ceteris vocabulo, quo Latini vtuntur, Constantinopolis.

IX. Nunc alteram orae partem, in Ponto Euxino, a promontorio Haemi, Constantinopolim vsque, percensere libet, ante quam in mediterranea digrediamur. Litus hoc Ponti Thracii vna Tabula nouit; Hodoeporicon ab Anchialo, per mediterranea, Byzantium petit. In ora Thraciae prima fuit Mesembria, quae a templo Iouis, quod in Moesia dedimus, in Tabula sic ponitur:

Mesembria. xvI. sic Velf. Scylax: Ad Pontum, vrbes Graecae in Thracia hae sunt: Apollonia, *Μεσημβρία*, *Mesembria*, Odessopolis, Callatis." Herodotus: (a) Thraces, supra Apolloniam, *καὶ Μεσημβρίης πόλιος*, *et Mesembriam*

(a) L. IV. p. 251.

vrbem, habitantes." Strabo, qui ſitum quoque declarat: *Μεσημβρία Μεγαρέων ἄποικος*, *Meſembria Megarenſium colonia;* ante *Μενεβρία οἷον Μενέπολις*, *Menebria*, *id eſt*, *Mene vrbs*, adpellata. (a) Anonymus Peripli Ponti Euxini ſcriptor, *Μεσημβρία πόλις παρὰ τὴν ὑπώρειαν τοῦ καλουμένου Αἵμου κειμένη τῇ Θρᾳκίᾳ τε καὶ κῇ Γετικῇ συνορίζει γῇ*, Meſembria vrbs ad radices montis Haemi ſita eſt, Thraciae Geticaeque terrae contermina. Incolae, Meſembriani, Polybio, et numis Auguſtorum, *ΜΕCΑΜΒΡΙΑΝΩΝ.* autonomis *ΜΕΤΑΜΒΡΙΑΝΩΝ.* *Meſambrianorum.* Eſt oppidum *Miſſeviria*, dextra Paniſſi exeuntis ripa, XII M. P. a promontorio Haemi.

Ancialis. XII. inſignia municipii; ſic Velſ. Strabo, *Ἀγχιάλη*, *πολίχνιον Ἀπολλωνιατῶν*, *Anchiale*, *oppidulum Apolloniatium;* ceteris *Ἀγχίαλος*, *Anchialus;* Melae Pomponio, *Anchialos.* Plinius: *Anchialum*, *vbi Meſſa fuerat;* quo *Μενέπολις* Strabonis pertineat. Poſtea vrbs liberae conditionis erat, numis teſtantibus, cum inſcriptione, *ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ.* cum epitheto *ΟΥΛΠΙΑΝΩΝ.* *Anchialenſium Vlpianorum*, quod Traianum conditorem indicet. Eſt oppidum *Akkiali*, *Akelo*, *Akkiuy*, ad ſinum *Foros* nuncupatum.

X. Apud Anchialum concurrunt viae mediterraneae, a Doroſtoro, Philippopoli, Perintho, quas deinde luſtraturi ſumus; nunc oram perſequi iuuat. Itaque ab Anchiali oppido, in Tabula, comparet,

Appollonia. XVIII. Velſ. *Appolonia.* XVIII. Herodotus perhibet, *ἐξ Ἀπολλωνίης*, *ab Apollonia*, in Ponto Euxino, et Heraeo, iuxta Perinthum, ad fontes Teari, eſſe iter duorum dierum ſeu CCC ſtad. quae faciunt M. P. L. menſura adcurata. Plures deinde meminerunt vrbis; de ſitu Strabo: *Ἀπολλωνία*, Apollonia eſt Mileſiorum vrbs, maiore ſui parte condita in parua inſula, in qua Apollinis fanum eſt; vnde M. Lucullus coloſſum Apollinis ſublatum in Capitolio dedicauit." (b) Ab Calati remouet oppidum MCCC ſtadiis; Arrianus ab Anchialo CLXXX. ſeu M. P. XXII. cum ſemiſſe, oram legendo. Danuille ſitum recte tetigiſſe videtur, dextra fluuii, ab *Zagora*, olim Deuelto, venientis, vbi mare influit, ripa, oppido *Zingane*, Apollonia ſtatuta; quamquam is Sozopolim reſpexiſſe videtur, Anonymum Peripli auctorem ſecutus, qui Apolloniam Sozopolim interpretatur, quae ab oſtio amnis memorati XV M. P. abeſt; quo menſura Tabulae non pertingit. Ptolemaeus, ſitu Sozopoleos *Τόνζου*, *Tonzu* oppidum habet. Pars vrbis Apolloniae potior Sozopolin verſus fuerit, quae eſt in peninſula, quam ſinus *Foros*, cum Ponti ora efformat.

Thera. XII. ſic Velſ. Peripli Ponti Euxini auctor, quem cum Scylace Voſſius edidit, ab Apollonia, quam non recte Sozopolin vocat, ad Cherroneſum LX ſtadia, ſeu IIX millia; ab Cherroneſo *εἰς Αὐλαίου τεῖχος τὸ λεγόμενον Θήρας*, *ad caſtellum Aulaei*, *quod Venationis oppidum vocatur*, ſtadia CCL. millia XXXIII. cum tertia vna." Voſſius: *Θήρας χωρίον* meminerunt Tabulae.

(a) L. VII. p. 319. (b) Ibid.

Peutingerianae." Cuius toto opere illo binis dumtaxat meminit vicibus. Danuille, *Aulaei tichos*, XXII M. P. ab Apollonia, fitu oppidi *Rufe*, *Ruze*; numeri Tabulae expofcunt oppidum *Athaboli*, X M. P. fupra *Rufe*. Tabula Sozopolim, quae tum *Tonzu* vel *Tonzon* vocabatur, in angulo fitam non adiit.

Buatico. X. fic Velf. apud Scheibium numerus abeft. Delifle hoc loco *Περοντικὸν*, *Peronticum*, ex Ptolemaeo, habet; quod verifimile videatur. Numerus X ad oppidum *Rufe*, *Ruze*, deducit. *Buaticum* geographia ignorat.

Scyllam. XII. noftrum exemplar Scyllam Velf. *Scyllam*. XII. Delifleo, *Scylla*, interuallo feruato; fed ex defignatione ipfius fitum conftituere non licet; Anonymo Peripli auctori, ab caftello Aulaei *εἰς Θυνιάδα ἀκρωτήριον καὶ ἀκτὴν*, *ad Thyniam promontorium et peninfulam*, in qua ftatio nauium, ftadia CXX. millia XVI." Straboni, *Θυνιὰς τῶν Ἀπολλωνιατῶν χώρα*, *Thynias*, *Apolloniatium locus*; alias *ἀκτὴ*, litus aut peninfula, vt Voffius interpretatur. Plinio, *Thynias*, oppidum, Ptolemaeo, *Θυνιὰς ἄκρα*, *Thynias promontorium*. Eft etiam in Tabula *Thimea*, fed pofterius, fitu diuerfo. Numerus ad oppidum *Ineada* ducit, alias *Inkada*, laeuo exeuntis cuiuspiam fluuii latere. Danuille V M. P. ab oftio amnis Thyniadem remouet, ad XV ab Aulaei caftello ftatuens; ad oftium vero amnis, locum absque nomine fignans. Pleraeque chartae recentiores ad XV inde lapidem, *Tyniada* ponunt, alias *Omidre*, *Ainehatha*. Quidquid cum hac Thyniade fieri velis, Tabulae *Scylla*, ex numeris, agro *Ineada* oppidi conuenit, vocabulum autem Salmydeffum refipere videtur.

XI. Philias. XII. fic Velf. Melae, oppidum *Phileae*, Arriano *Φρυγία*, *Phrygia*; Anonymo Peripli auctori, *ἀπὸ Ἀλμυδισσοῦ εἰς Φρυγίαν τὴν καὶ λεγομένην Φιλίαν*, *ab Halmydeffo ad Phrygiam*, *quae et Philia dicitur*, Byzantiorum oppidum et promontorium, ftadia CCCX. millia XLI. cum tertia vna." Ptolemaeo, *Φιλία ἄκρα*, *Philia promontorium*. Stephano, *Φιλέας χωρίον Βυζαντίου*, *Phileas locus Byzantii*. Arrianus, Salmydeffum ab Thyniade CC remouet ftadiis, Phrygiam ab Salmydeffo CCCXXX. Danuilleo, *Philea prom.* fitu oppidi *Derkus*, in peninfula, quam fluuius quidam in finum effluens ab auftro efficit. Quare in Tabula eft locorum feries turbata, Thyniade perperam poftpofita Philiae; numerus XII ad Thyniadem, in *Ainehatha*, feu *Tyniada*, ponendam, fpectat; quae fcribam fimilitudine vocabuli deceperit, vt eumdem putaret locum; qua de cauffa Thyniadem exmifit.

Thimea. XX. Velf. *Thimea*. XI. Ad XXIV ab *Tyniada* lapidem eft oppidum *Midjeh*, laeua amnis exeuntis ripa, in ruderibus Salmydeffi, cuius ab Herodoto meminerunt plures. Graecis *Σαλμυδησσός*, *Salmydeffus*, vt Diodoro et Straboni; Xenophonti *Σαλμυδισσός*, *Salmydiffus*; Ptolemaeo, *Ἁλμυδισσός*, *Halmydiffus*. In Tabula vocabulum hoc, cum diftantia fubfequente, eft exmiffum; nam *Thimea* eft procul dubio *Thynea*, loco alieno pofita. A *Midjeh* ad *Derkus* funt mill. geogr. feptem cum femiffe, feu M. P. XXXVIII. quae in Tabula cum Salmydeffo excidere; nifi Scilla fit Salmydeffus.

Sycas. XII. fanum Serapidis; fic Velf.: Polybius in Ponti et Bospori descriptione, memorato in Afia *Hiero*, feu fano Iouis Vrii: abeft ab Europa *πρὸς τὸ καταντικρὺ κείμενον Σαραπεῖον τῆς Θρᾴκης, et fano Serapidis, quod in oppofita eft Thracia*, duodecim fere ftadia." Eo loco eft oppidum *Fanari*, in angulo, ad os Ponti, XXXVIII. M. P. a *Derkus*. Infcriptio *Sicas* fano Serapidis non conuenit; erat quippe *Συκὴ*, *Syce*, Straboni portus, Stephano *Συκαὶ*, *Sycae*, oppidum, Byzantio proximum, vtpote ftadiis quinque inde remotum, vbi hodie *Pera* eft. Menfura XII M. P. fpectat ad fanum Mercurii, et portum Daphnes, ad flexum Bospori, de quorum priore Polybius: (a) inter Hieron Afiae et Byzantium *ἐστὶν Ἑρμαῖον τῆς Εὐρώπης*, *eft fanum Mercurii in Europa*, rupi cuidam inftar promontorii in fretum prominenti fuperftructum; quod ftadiis quinque abeft ab Afia." Hoc fanum a priore Serapidis, XII M. P. aberat, vbi hodie oppidum *Therapia*. Auctor Tabulae vel directe a Philea ifthuc proceffit, angulo ad os Ponti finiftrorfum relicto, vel, quod vero fimilius videatur, duobus fanis in vnum compactis, diftantiam alterius modo pofuit, infcriptione loco alieno praefixa. *Therapia* ab *Derkus* XXVIII M. P. abfcedit. De Byzantio, quod ab Sycis ad quintum erat ftadium, fuperius diximus. Et hactenus quidem in ora verfabamur.

XII. Mediterraneae in Tabula viae funt complures; duae Anchialum ab occafu petentes, vna Nicopoli, altera Philippopoli, tertia ab Anchialo ducit Perinthum; vna ab Serdica Philippopolim; a Philippopoli tres, Nicopolim, Anchialum, Hadrianopolim; inde binae, altera Perinthum, Aenum altera petunt. Eas ordine, quo heic recenfae funt, perfequi libet.

Via, quae ab Duroftoro per Marcianopolim eft, poftremam habet manfionem **Cabatet.** XVIII. **Ancialis.** Ex numero pari, qui praeceffit, opinati in Moefia fumus, manfionem in iugis Haemi exftitiffe, forfan prope fanum, aut oppidum Ariftaei. Delifle viam quidem per Haemum et Scatras, quae ipfi Soatrix, ducit Anchialum verfus; fed *Cahatet*, quod apud Velferum defideratur, noffe non potuit. A vertice Haemi, vbi a promontorio XXX M. P. abeft, ad Anchialon vrbem XVIII M. P. in Tabula rite cenfentur.

Itinere ab Serdica Philippopolim erat vltima *Zyrmis* manfio, quam intra Succorum anguftias, in iugis Haemi, Thraciam a Moefia dirimentibus, prope *Kishiffar* oppidum, reliquimus; nifi vltra Philippopolin, ad *Syrnota* Burdigalenfis referri debeat. Certe nomina conueniunt, et Tabula heic eft prauata. Ab Zyrmis continuo venit,

Phinipopolis. XXIIII. Velf. *Phinipopolis*. XVIIII. Hodoeporicon, a Beffapara, *Philippopoli*. XXII. Burdigalenfe, a mutatione Ponteucafi, *manfio Bonamanf.* VI. *mutatio Alufore*. IX. *manfio Bafapare*. XII. *mutatio Tugugero*. IX.

(a) L. IV. c. 43.

ciuitas Eliopopuli. XII. Ad quintumdecimum ab *Kishissar* lapidem, laeua Hebri recentis, est oppidum *Novosel*, Annae Comnenae Νεόκαστρον, quod *Lusori* Burdigalensis respondeat. In Tabula videtur locus hic cum numero exmissus: nam XXIIII ab *Novosel* Philippopolim adcurate pertingunt. Polybius, Φιλίππου πόλιν, seorsim, alii Φιλιππόπολιν, Φιλιππούπολιν, iunctim, adpellant. De varia nuncupatione Plinius: Oppidum sub Rhodope Poneropolis antea, mox a conditore Philippopolis, nunc a situ Trimontium dicta." (a) Ptolemaeus non recte Hadrianopolim addit. Numi Elagabali, *ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ.* et aliis modis. Marmor domesticum, Herennius Heraclianus, decurio PHILIPPOPOLITANVS. Numi, ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. praeferunt. Seruat nomen *Philippopoli*, Turcis *Filiba*, Thracibus *Plovdin*, Verantio teste, dextro Hebri latere, prope laeuam amnis, Hebrum petentis, qui Ortelio *Stamuch*, sed a septemtrione decurrens, forsan ad oppidum *Statimaka*, spectat.

XIII. A Philippopoli geminae sunt viae, altera Nicopolim, trans Haemum, inde Anchialum, altera per Cabylen, Aquas calidas, eodem ducit; posterior apud Ranilum diuisa, brachio altero Hadrianopolim tendit. Prior ab vrbe sic habet:

Sub radice. XII. Vess. *Su bradice.* XII. Est iugum Haemi, inter Vidum et Osmam fluuios procurrens, ad Lopsi Thraciae fontem, agro Philippopoleos a borea imminens, hoc prorsus interuallo a borea diremtum; cui mansio *sub radice* nuncupata fuerit adnexa. Delisleo, *ad Radices;* Hasius exmisit, vico *Sathogla* eo fere situ notato, qui apud recentiores abest.

Montemno. VII. Vess. *Montemno.* VI. Delisle, et cum eo Hasius, mansionem non signant; fuerit in iugis Haemi, inter Osmae et Lopsi fontes; *Stiphinus* Ortelii aut *Posna*, loco respondeat, nam chartae recentiores sunt oppidis eo agro vacuae. *Montemno* vsu militari dictum pro *Monte Emo*, vt supra monebamus. Haec iuga Moesiam ab Thracia dirimebant; proinde **ad radices.** VIII. qui sequitur locus, ad fines Moesiae cadit; vt in ea diximus prouincia. *Cahatet*, quod itinere hoc apud Anchialum occurrit, paullo superius memorauimus. Altera a Philippopoli via sic progreditur:

Ranilum. XXVII. sic Vess. Hodoeporicon, *Cellis.* XXX. Burdigalense, *mutatio Syrnota.* X. *mutatio Paramuole.* VIII. *mansio Cillio.* XII. In actis S. Alexandri, Παρεμβολή, *Parembole*, in loco *Parembolis;* quae vox cum Ranilo conuenit quidem, sed interualla discrepant. numeri Burdigalensis ad oppidum *Papasili*, dextro amnis, Hebrum ab austro petentis latere, ducunt; Tabulae census vlteriora petit. Habita posteriorum ratione, numerus in Tabula, denario huc aliunde translato, auctus videtur; ac proinde locum eumdem esse finit.

(a) L IV. c. 18.

XIV. A Ranilo binae occurrunt viae, quarum altera Cabylen, Aquas calidas, et Anchialum, altera Arſum et Hadrianopolim petunt. Prior, quam ante abſoluere libet, poſt Ranilum has exhibet manſiones:

Berone. XXXVI. ſic Velſ. Hodoeporicon habet iter, *A Beroa Hadrianopolim.* M. P. LXXXVII. Graecis, ab Hierocle et Stephano, *Βερόη*, *Beroë*, *Βεῤῥόια*, *Berrhoea*, *Βέρης*, *Beres*, Procopio *Βερὸν*, *Beron*; vnde Tabulae *Berone.* Theophane vade, poſtea *Εἰρηνούπολις*, *Irenopolis* nuncupata erat. Si denarium, ſuperiori itinere abundantem, addimus, M. P. XLVI ad oppidum *Eſkis Adra*, alias *Zadra*, perducent, laeuo *Arde* recentis latere ſitum; quo etiam Hodoeporici interuallum ab Hadrianopoli penetrat. Danuilleo, *Beroea*, ſitu recto. Forſan manſio vna, ad quam ea x M. P. ſpectabant, hoc itinere emanſit; vnde factum, vt ſcriba, rei ignarus, numerum ſuperantem vicino adiungeret loco.

Cabilis. LII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *a Cabyle per compeudium Hadrianopolim vſque* M. P. LXXVIII. Cabylen Demoſthenes in Philippicis memorat. Strabo: Supra Byzantium incolunt Aſtae gens, *ἐν ᾧ πόλις Καλύβη Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου τοὺς πονηροτάτους ἐνταῦθα ἱδρύσαντος*, *in qua Calybe oppidum, in quo Philippus Amyntae peſſimos homines poſuit.* (a) Ab his *Poneropolis* nomen acceperit, non vt Plinius putabat, Trimontium, ſed Cabyle; quod ipſa vox Threicia indicare videtur. Stephano *Καβύλη*, *Cabyle*, et *Καλύβη*, *Calybe.* Incolae *Cabyletae* Plinio; *Καλυβῖται*, *Calybitae*, Stephano; qui gentile *Καβυληνὸς*, *Cabylenus*, ante dixerat. Hilario, *Cabula.* Eſt oppidum *Gyalakova*, chartis *Gialakowa*, laeuo exorientis *Kandcxik* amnis latere, vbi Marſilius veſtigia oppidi veteris deprehendit. Danuille in *Carnobat* oppido, XVIII M. P. in exortum hibernum, ſtatuit, cui nos *Καρπουδαῖμον*, *Carpudaemum*, Ptolemaei adſignauimus. Chartae interuallis variant, aliae ſeptem, aliae vno amplius, mill. geogr. numerant; ceterum plaga eſt montana, et numerus x alio translatus, huic diſtantiae additus fuerit. Poterant etiam viae flexus fieri, vt reapſe LII M. P. numerarentur.

Aquis calidis. L. inſignis ſtructura quadra; ſic Velſ. Numerum L. ſcriba voci petel. L. letica. interſeruit, vt puncta apud Velſerum perſpicue expreſſa oſtendunt, cui PETEL. L. LETICA. apud Scheibium puncta intermedia deſunt. (b) Denarius numerus, priore interuallo poſitus, huc referri debet, vt ſint M. P. LX. intercedunt quippe mill. geogr. duodecim inter oppida *Burgas* et *Gyalakova.* Danuille XXII M. P. ab Anchiali ponit Aquas; Tabula XII habet; cui interuallo *Burgas* adcurate reſpondet. Aquas calidas *ὃν πολλῷ ἄποθεν τῆς πόλεως*, *haud longe ab vrbe*, Anchialo, Procopius memorat; Iornandes quoque calidarum Aquarum lauacra ibidem nouit. Ab his XII M. P. Anchialus recte habet.

(a) L. VII. p. 320. (b) In exemplari noſtro adſunt.

XV. Alia ab Ranilo, ſeu Parambole, via eſt militaris vetus, Hadrianopolim, inde Perinthum, ac Byzantium ducens. Tabulam Hodoeporicon vtrumque proſequitur, cum quadam. vt alias, varietate. Illa ab Ranilo ſic pergit:

Piho. xxv. ſic Velſ. Hodoeporicon, ab Cellis, *Opizo.* xx. in Regio, *Pizo.* xviii. Burdigalenſe, ab Cillio, *mutatio Caraſſura.* ix. *manſio Azzo.* xi. Ptolemaeo, Ὀπίσινα, *Opiſina;* Schotti edito, Ὀπήσηνα, *Opeſena;* Procopio, Πίνζος, *Pinzus;* Legibus Cod. Theod. *Topiſo;* quod Weſſelingius *Opiſo*, Gothofredus *Topiro*, legi volunt; hoc alterum vero ſimili propius videatur. Numeri in agrum *Kuyali* oppidi ferunt, ad effluxum amnis *Kuyaricz*, ſeu *Knyaricz.* In Tabula *Piho,* ſolito errore, inquit Weſſelingius, pro *Pizo;* ſed h literam expreſſionem barbaram deſignare, non vna diximus vice. Danuilleo, *Opizus*, laeuo Hebri latere.

Arſum. xii. Velſ. *Arzum.* xii. Hodoeporicon, *Aſſo.* xviii. in Regio, *Ruſo.* Weſſelingius, *Arſum* ſiue *Arzum* Tabulae dicitur. Burdigalenſe, *Azzo*, vt ſupra diximus. Weſſelingius longum de *Arzo* diſſerit, quod ad fluuium cognominem fuiſſe, ex actis S. Alexandri probare nititur. *Arde* is amnis eſt, ab his locis longius abſcedens. Arſum autem et Aſſum non idem eſt locus, vt cuiquam videri queat; quod numeri quoque clare oſtendunt. Aſſum eſt *Vſumtsiova* oppidum, laeua *Vſum* amnis, Hebri ſiniſtrum latus petentis, ripa, x M. P. ſupra exitum; *Arzum* eſt *Aſſarli*, *Azzarli* oppidum, laeua Hebri, Ptolemaeo Ἄρζος, *Arzus*, ex aduerſo Vſumtsiovae, ad viii fere lapidem. Danuilleo *Aſſus,* apud *Azzarli*, qui inde a Philippopoli ſiniſtram Hebri tenet, Deliſleum ſecutus, qui a ripa remotius progreditur.

Caſtris rubris. xviiii. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Subzupara.* xx. Simlero, *Saccarana*, *Saranara*, *Sazanara*, cum M. P. xviii. aliis, *Sanazara*, *Saganara*, *Baſannara.* Itinere a Beroa Hadrianopolim, *Caſtra Iarba.* xxx. Simlero, *Iabar*, aut *Larba.* Suritae, *Caſtra Iabar.* Burdigalenſe, *mutatio Palae.* vii. *manſio Caſtozobra.* xi. Procopio, Καστράζαρβα, *Caſtrazarba.* Eſt oppidum *Hermanli*, *Hermanles*, dextra cognominis fluuii, latus Hebri dextrum petentis ripa, apud exitum. Danuilleo, *Zarba*, Hebri laeua.

Burdenis. xvi. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Burdipta.* xxii. in Regio, *Burdicta;* in aliis *Burtippa*, *Burdepta*, *Burdipa.* Itinere alio, *Burdipta.* xxv. Burdigalenſe, *mutatio Rhamis.* vii. *manſio Burdiſta.* xi. Procopio, inter Haemimonti caſtella, Βουρδέπτω, *Burdepto.* Eſt pons Muſtaphae, vulgo *Muſtapha Paſha kjupri*, laeua Hebri, ad quam per hunc pontem tranſitur. Vt adeo vetus via dextram vſque huc tenuiſſe videatur. Danuille manſionem praeteriit; Deliſle ab amne longius remouet.

Hadrianopoli. xx. inſignia vrbis liberae; ſic Velſ. Hodoeporicon, *Hadrianopoli.* xxiiii. in quibusdam xxi. aut xxxiii. itinere Cabyleuſi, a manſione in Medio, *Hadrianopoli.* xxiii. itinere Beroenſi, a Burdipta, *Hadrianopolim.* xxxii. Burdigalenſe, *mutatio Daphabae.* xi. *manſio Nicae.* ix. aliam

tenet viam. Numerus Tabulae est adcuratus; intercedunt quippe mill. geogr. quatuor. Lampridius in Heliogabalo, ante *Orestum* fuisse nuncupatam, ait; Ammianus, *Usceudamam.* Graeci posteriores *Ὀρεστιάδα* frequentes nominant. Conditorem aut restauratorem, ipsum vrbis vocabulum indicat Hadrianum; numis, *ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.* Thracibus *Drinopolye*, *Jedrena*, laeuo Hebri latere, ad confluxum trium amnium, *Gergova*, *Tonsa*, *Arda;* quorum hic a borea, iste ab exortu, ille ab occasu accedunt.

XVI. Ab Hadrianopoli duae sunt viae, altera militaris, Bergulas et Perinthum ducens, altera per Plotinopolin, Aenum; vtramque Hodoeporicon habet; in priore iuuat et Burdigalense, in qua haec ab Hadrianopoli Tabula premit:

Hostibo. XVIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Ostudizo.* XVIII. Simlerus, *Hostodizo;* in Regio Suritae, *Ostrudo;* in aliis, *Osiudizo*, *Osindizo.* itinere Dyrrachino, *Ostudizo.* XVIIII. in Regio, *Ostidizo;* in aliis, *Hostridizo.* XXI. aut XVIIII. Itinere a Viminatio Nicomediam, a Tarpodizo, *Ostudizo.* XXXII. Burdigalense, *mansio Nicae.* IX. a Daphabis. Hilarius, apud Wesselingium, Nicaeam cum Vstudizo non recte committit. Diuersa enim haec loca occurrunt via. Delisle Nicen a Nicaea distinxit. Danuilleo, *Nice*, vbi Ostudizum ponimus, situ oppidi *Hapsala*, *Hapas*, *Hapsa*, *Hapos*, a dextra Ergini ripa V M. P. remoti. Tabula vulgarem loquendi modum secuta, *Hostiho*, tanquam *Hostixo*, expressit.

Burtibo. XVIII. Vess. *Burtiho.* XVIII. Hodoeporicon, *Burtudizo.* XVIII. itinere Nicomediensi, *Burtudizo.* XVIII. Dyrrachino, *Burdidizo.* XVIIII. Burdigalense, *mutatio Tarnodizo.* X. *mutatio Virisio.* VII. Procopio, *Βουρτούδιγζι*, *Burtudigzi;* in actis Alexandri, *Burtodexium*; in Legibus, *Burtodixi*, *Burtudizi.* Est oppidum *Eski baba*, prope dextram Ergini, ad confluxum amnis cuiuspiam. Litera h per *zs* fit exprimenda.

Bergule. XVIII. sic Vess. Hodoeporicon, *Bergule.* XVIII. in Regio, *Burgule;* in aliis *Burgulae*, *Begulae;* itinere Nicomediensi, *Bergule.* XVIII. Dyrrachino, *Bergulae.* XVII. Burdigalense, *mansio Virgolis.* VII. Ptolemaeo, *Βεργούλη*, *Bergule;* Cedreno, *Βεργούλιον*, *Bergulion;* Procopio *Βέργισον*, *Bergisum.* Inscriptio vetus, Aurelius Brinursius, nat. Thrax, ciuis BEROLENSIS. Hodie *Bergase* oppidum, IV M. P. a dextra Ergini ripa, latere fluuii eum petentis dextro.

Drysiporo. XII. sic Vess. Hodoeporicon, *Drizipara.* XIIII. Simlero, *Drusipara*, vel *Drusipera;* apud Suritam, *Drizipala;* itinere Nicomediensi, *Drizipara.* XIIII. Dyrrachino, *Drusiparo.* XVI. Suritae, *Druzibaro.* XVII. *Druzibalo.* XVI. Burdigalense, *mutatio Narco.* VIII. *mansio Drizupara.* IX. Alexandri acta flumini adponunt, qui Erginus est, Wesselingio recte obseruante. Ptolemaeo, *Δρουσιπάρα*, Schotti edito, *Δρουσιπεάρα*, *Drusipara*, *Drusipeara;* Suidae *Δριζιπάρος*, *Drixiparus;* Theophylacto *Δριζίπερα*, *Drizipera;* aliis plu-

ribus, variante expreſſione, memoratur. Eſt riuus quidam, Erginum a borea petens, cuius dextra exeuntis fuerit manſio. Ad VIII inde lapidem, prope laeuam Ergeni, recentius eſt oppidum *Hruſtran*, quod quempiam vocis ſonum contineat, Tipſo Burdigalenſis ſitu conueniens.

Syrallo. XII. ſic Weſſ. Hodoeporicon, *Izirallo.* XVI. Simlero, *Tirallum;* apud Suritam, *Iziralla.* XXI. alias, *Iziralo.* XVI. Nicomedienſi itinere, *Izirallo.* XVI. Dyrrachino, *Tirallo.* XVI. Burdigalenſe, *mutatio Tipſo.* X. *manſio Tunorullo.* XI. Procopio, *Tzurulum*, *Τζουρουλὸν ἐν Θρᾴκῃ φρούριον*, *in Thracia caſtellum;* ſic Theophylacto, Theophani, Annae Comnenae, aliis. Eſt oppidum *Tsurlu*, *Tsorlü*, ſiniſtra Arſi recentis, quem anna *Ξηρόγυψον*, *Xerogypſum* vocat, Mela *Oroſinem.*

Perintus. X. ſic Weſſ. Hodoeporicon, *Heraclea.* XVIII. in Regio, XVII. itinere Nicomedienſi, *Heraclea.* XVIII. Dyrrachino, *Perintho Heraclea.* XVIII. Burdigalenſe, *mutatio Beodizo.* VIII. *ciuitas Heraclia.* IX. Eo interuallo ſunt tria mill. geogr. cum tribus quintis, ſeu XVIII M. P. quae in Tabula poſt Perinthum, loco alieno, ponuntur. Sunt enim circa Perinthum viae in Tabula turbatae, vt alias monebamus, et mox viſuri ſumus itinere ſequenti. De vrbe Perintho dictum alias.

XVII. Perinthum altera via mediterranea ducit ab Anchialo, ſed eorum, qui poſtremum operi conficiundo praeerant, culpa vitiata. Hanc ingreditur Hodoeporicon a Calybe, et itinere Nicomedienſi, ab Anchialo. Praemittemus, pro more, Tabulam, in qua ab Anchialo haec ponuntur:

Pudiho. XVII. ſic Weſſ. Hodoeporicon, a Calybe, *Orudiſza ad Burgum.* XXX. in Regio, *Orodiſta;* in quibusdam *Crudiſza;* itinere altero, *Debelco.* XXIIII. ab Anchialo; et continuo, *Sadame.* XVIII. *Tarpodizo.* XVIII. *Oſtudizo.* XXXII. Pudizo cum Tarpodizo conuenit ſono, ſitu diſcrepat. In Regio, *Tariodiz;* nonnullis *Tapatizo*, *Tarpadizo*, *Tarpatiſo;* apud Weſſelingium, *Taxatizo.* Rauennas, *Tarpudiſon*, *Debellion*, *Sadanua*, *Trupudiſon.* Viam hanc per agrum *Kirk-kliſſa*, alias *Kirk-eccleſie*, oppidi proceſſiſſe, vbi Marſilius viae lapide ſtratae veſtigia reperit, olim arbitrati ſumus. Hodoeporicon videtur in eccaſum nonnihil declinaſſe, vt numeri et manſiones indicare videntur. Quare Pudizum et Tarpodizum eundem locum haud continuo dixeris; in primis, quod Rauennas Tarpudiſon et Trupudiſon diſtinguit. Pudizo, e numeris, paullo infra *Burgas* oppidum incidit, ad fluuium *Kandczik*, verſus *Zagora* oppidum. Quaedam chartae *Iſkeleſi* oppidum prope huc conſtituunt.

Vtſurgas. XIII. Weſſ. *ut Surgas.* absque numero. Hoc videri poſſet natum ex Hodoeporici *Orudiſza ad Burgum;* ſed ea via eſt diuerſa, Hadrianopolim tendens; niſi poſtremi Tabulae architecti ex vicinis itineribus haec nomina iſthuc retulere. Iter noſtrum per Debeltum proceſſiſſe, non dubitem; quod incuria ſcribarum exmiſſum eſt, numero X ad vicinam viam, Syrallum inter et Perinthum, traiecto. Sunt quippe ab *Zagora*, ſeu Debelto, ad *Kirk-*

kliſſa adcurate M. P. XLII. vt in Tabula ponuntur. Hoc ſitu eſt Ptolemaei *Ὀρκέλις*, *Orcelis*, Schotti editioni *Ὀρκέλλις*, *Orcellis*; quae olim in Tabula *Viſurgis* ſcripta fuerit.

Cenopurio. XXX. Velſ. *Ceno purio.* XXX. Numerus ad *Eſki baba*, vbi Burtizum, ſeu Burtudizum, quod ſit Rauennatis Trupudiſon, poſuimus pertingit; quam viam Hodoeporicon ab Anchialo tenet. Itaque numerus quidem huic loco proprius eſt, Cenophrurium vero alienum occupat. Paullo maius interuallum eſt ad *Bergaſe* oppidum, quod Bergulis adcommodauimus; qua verſus iter hoc procedere potuit.

Ad ſtatuas. XXVIII. ſic Velſ. Inſcriptio ſupra Perinthum, extra viam, conſpicua eſt, numero vrbi Perintho adnexo, quam non adſequitur. Nam ſi per *Bergaſe* proceſſit via, XIV M. P. vſque Perinthum deſiderantur; ſi per *Eſki baba* iuit, amplius. Priori directione incidunt *Statuae* hae infra *Tsurlu*, VII M. P. in auſtrum; ſiquidem itineris auctor recta Perinthum tendebat. Perturbata quippe viarum ratione, nihil certi heic terminare licet. Forſan locus, qui Cenophrurium poſtea dictus eſt, Statuarum nomen ante habebat; vt e ſitu epigraphes colligere licet; ſcribae dein, rei ignari, vtrumque poſuere vocabulum.

XVIII. Superat via ab Hadrianopoli, per Plotinopolin et Zirinos, Aenum vſque. Hodoeporicon partem viae potiorem duplici itinere habet, vno a Plotinopoli Heracleam, altero a Dyrrachio Byzantium. In Tabula, ab Hadrianopoli haec habentur:

Plotinopoli. XXIIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, itinere Dyrrachino, ab Hadrianopoli. *Plotinopolim.* XXI. Scriptores, ante Hieroclem et Procopium, non meminerunt oppidi, ne Ptolemaeus quidem; numi tamen inde ab Antonino Pio, vrbis nomen praeferunt. Vt veriſimile videatur, quod viri docti opinati ſunt, ab Traiano, in vxoris memoriam eſſe conditam, ſed non ex Heraclea, vt Surita putabat, quae ad Propontidem a nobis relata fuit, quam Weſſelingius inuenire nequiuit. Hierocli, *Πλουτινούπολις*, *Plutinupolis*, Weſſelingius *Πλωτινόπολις* legit, ex Procopio; Conſtantino, *Πλουτινόπολις*, *Plutinopolis.* Numis, *ΠΛΩΤΕΙΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.* Danuille, dextra Hebri fluminis ripa, XII M. P. infra *Demotica* oppidum, ex aduerſo Ergini effluentis poſitum, ſtatuit ſecundum numeros Tabulae; Deliſle a laeua remouet. Ortelius *Ipſola*, ripae ſiniſtrae adſtitutum oppidum ſignat; hodie is ager locis vacuus eſt; vt vrbs olim deſolata videatur.

Zirinis. XXIIII. ſic Velſ. Hodoeporicon, *Zernis.* XXIIII. Simlero, *Zerne.* Weſſelingius: Ex *Zerne* Simleri Ortelius *Thernen* format, quam Stephanus Thraciae vrbem facit. Tabula *Zirinis* praefert, in quo vocabulo Menſo Altingius vetus Traianopoleos nomen latere ſuſpicatus eſt. Mihi Tabulae ſcriptura videtur verior eſſe, nec quicquam tamen cum Traianopoli commune habere; vetat enim ſitus in vtroque Itinerario ſignatus; eſſe autem *Ziriniam*, cuius ex Theopompo Stephanus meminit, *Ζειρινία πόλις Θρᾴκης.*“ Haec vir doctiſſimus

CONSPECTVS PARTIS I

commonebat. Stephano, gentile *Ζερινιάτης*, *Zeriniates*. Danuilleo, *Zerna*, fluuius et oppidum, non male, si Threiciam expressionem spectas, et vocabula, quae hodie sunt in vsu; sed antiquum loci nomen *Zirinae*, *Zernae*, ore Latio, proferebatur; hodie *Tserna*, Thracibus *Tzerna*, quod nigrum significat, et oppido et amni est nomen, dextra Hebri, laeua Cernae exeuntis, ripa.

Aenos. xx. sic Vess. Hodoeporicon, *Dymis*. xxiiii. *Traianopoli*. xvi. *Timporo*. ix. itinere alio, a Plotinopoli Heracleam, *Traianopoli*. xxi. Burdigalense, a Cypsela, *mutatio Demas*. xii. *ciuitas Traianopoli*. xiii. *mutatio Adunimpara*. viii. Traianopolis oppidum, dextra Hebri, inter *Feret* et *Tsernitz*, pari xii M. P. interuallo, superat. Iter Tabulae, et Hodoeporici primum, est vitiatum. Tabula habet Dymas: itinere alio, Traianopolim exmisit; numerus xx est a Dymis ad Aenum, vt alias monebamus. Ac proinde hoc itinere olim ab Zernis fuerit scriptum: *Traianopoli*. xii. *Dymis*. xii. *Aenos*. xx. Per Dymas progrediebatur via militaris ab Dyrrachio Byzantium, Egnatia Straboni dicta; quacum haec Hadrianopolitana in Tabula quondam fuerit coniuncta, a postremis eius fabris perperam diuulsa, et mutilata. Traianopolis, quae heic abest, Ptolemaeo *Τραϊανούπολις*, Schotti edito *Τραϊανόπολις*, *Traianupolis*, *Traianopolis*; in pecunia veteri *ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ*. *Traianopolitarum*; in Seueri et Caracallae, *ΑΥΓΟΥϹΤΗϹ ΤΡΑΙΑΝΗϹ*. inscriptio Romana, P. Aelius Auitus, TRAIANOPOL. Ortelio, *Traianopoli*, ripa laeua, hodie dextram tenet, vbi a Danuilleo signatur. De vrbe Aeno dictum alias. Haec erat Thracia, viro fortis, quae cum vrbem, orbis Romani principem, gremio suo contineat, mirum est, architectos Tabulae adeo in geographicis patriae huius, in qua operabantur, hallucinari potuisse.

PARS I FINIT

EI QVI DEDIT POSSE ET VELLE HONOR ET GLORIA.

ORBIS ANTIQVI LIBER I

Pag.

SECTIO IV SCYTHIA

CAPVT V VINDELICIA

CAPVT VI RHAETIA

CAPVT VII NORICVM

CAPVT VIII PANNONIA

CAPVT IX MOESIA

Pag.

CAPVT X DACIA

CAPVT XI ILLYRICVM

CAPVT XII ITALIA

SECTIO I TRANSPADANA

SECTIO II VENETIA

SECTIO III LIGVRIA

SECTIO IV CISPADANA